

Digitized by Google

6
37 N
18
DD.6.
39,5,C,32
St. E
9-12. E. 7

24

iii.

XVIII.26.17.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCT. ANTONII
POSSEVINI
IVNIORIS, PHILOSOPHI
& Medici Mantuani,

BELLI MONFERRATENSIS

Hiſtoria,

AB ANNO SALVTIS M. DC. XII.
vſque ad annum M. DC. XVIII.

Ad Sereniſsimum Principem
MAVRITIVM A SABAVDIA
S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMVM.



Ex Typographia Petri Chouët.
M. DC. XXXVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

Digitized by Google

Inuictiſſimo, ac Potentiſſimo Principi

VICTORI AMEDEO,

ALLOBROGVM DVCI,

Cypriorum Regi, &c.

BELLA, *quæ Commentarius iſte perſequitur, Inuictiſſime Princeps, non ideo legere non debeas, quia vidiſti. Habent illa ſi minus vnde te doceant, ſaltem vnde te recreent. Continent prima rudimēta militiæ, quæ nouus Alexander ſub Philippo altero poſuiſti, & illius exhibent luminis prima crepūdia, quod ſuo nunc in meridie mundus adorat. Obiicient tibi ſæpe te ipſum aut ingenij ſolertia præcauentem inſidias, aut agenti celeritate præoccupantem Victorias, aut imminētem obſeſſis, aut fugientibus inſultantem, bellis æquè componendis idoneum, ac gerendis reuocabunt in memoriam, quibus veluti gradibus ad eam veneris armorum peritiam, quæ magnis exercitibus ſuppar, nomine ipſo iam pugnet, & eam ſummis Regibus curam indicit, vt non minori iam ſtudio ſatagant lucrari Victorias, quàm Victorem. Dices hinc etiam coniectura planè non tenui in pari virtute, tuam ſupra Patrem fortunam, quod eius belli fructum collegeris, cuius ipſe ſolas difficultates, inuidiamq; ſubierit. Adiudicata tibi Monferatenſis Prouinciæ pars non infima, quam ille petierat, & in celebri Claraſcenſi Conuentu, Cæſaris, cuius id potiſſimum intererat, Regnumq; cognatorum ſuffragio æquiſſima definita ſunt bella, quæ peterent quod Europa totius iudicio negari, niſi neglecta æquitate non potuit: Ita de Poſteris, ac Maioribus optimè meritus, vt eorum auxiſti fortunam, ita horum gloriam defendiſti; dum*

animo, quo filium decuerat, authoritate qua Principem, vſus illecebris prudentiæ tuæ aſſequutus id es, vt abſolueretur à calumnia, quam ei ignorantia popularis affinxerat Pater tuus, turbaſſe illum Italiæ otia ſine cauſa, vbi eorum etiam, quos infenſos habuerat definitione conſtare feciſti, iure poſtulaſſe Carolum ſua, quæ quando illi non poterant, filio redderentur. Quanquam tot acceptis virtutis tuæ documentis contentus adhuc mundus non eſt pro ea, quam de te opinione concepit, maiora adhuc expectat. Vidit ille iam ſatis quàm egregia poſſis armatus, auet experiri, an poſſis etiam maiora pacificus. Fortunet Deus ſtudia tua, & qualem tibi pridem indidit, talem Principibus vniuerſis mentem inſtillet, vt cum gerere bella non timeant, pacem colere non recuſent.

Digitized by Google

Sereniſſimo Principi

MAVRITIO A SABAVDIA S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,

D. ANTONIVS POSSEVINVS IVNIOR, Philoſ. & Med. Mantuanus, Fœlicitatem.

EREPTI mihi potius, quàm Mantuanis Franciſci Ducis IV. (cui rarâ quadam felicitatis prærogatiuâ Celſit. Tuæ ſoror Margarita coniunx obtigerat) ne cõtinuo mœrore tabeſcerem, memoria detergenda erat; ſepoſitóque ad tempus Medicinæ ſtudio animus oppreſſus eâ curâ leuãdus. Dies mihi die trudendus erat: nec aliud opportunius offerebatur, quàm ſi vſuram temporis e-

Digitized by Google

uentuum relatione compoſuiſſem. Quæ enim ſecuta ſunt, quamquam plus lachrymarum quàm rerum ſuggerunt, eâ tamen conditione ſunt; vt nec illa præteriri; nec ego ſilere potuerim. Meum omne id negotium fuiſſe bene dixero: adeo aſſiduus Mantuæ, Mediolani, in Caſtris, in Monferrato, in Gallia fui; vt pauca aliòrum relatu ſcripturum me, plurima tamquam teſtem oculatum cognoſcerem. Modeſtiam præfabor, & conſcientiam meam appellauero; ſi audacter dixero, comperta me, & arcana, paucis admodum nota didiciſſe; nec niſi cum flagitio ſilere tam ingentia potuiſſe. Quòd ſi fides mea cæterorum voto probanda eſt; diurna belli ac pacis acta, Venetijs, Mantuâ, Mediolano, Genuâ, è Monferrato, non vno perſcribente contraxi: Pimentellus, Viuas, Melzus, Oroſcus, Vargas, Aualus, Archiuum denique Mantuanum tot tantáque ſummisêre; vt collatione, & ſingulorum examine, vix falli licuerit. Sed & res ipſa maior eſt quàm vt taceri debuerit; & exiguus Pedemontanæ angulus (ſi Europæ conferatur) plus turbarum & armorum mouit, quàm omnibus retrò annis, vniuerſa Italia victorijs decertantium Regum perluſtrata. PARENS quoq; tuus, qui iam vel

æmulo-

æmulorum teſtimonio, magnitudinis, fortitudinis, prudentiæ (ſic vtinam fortunæ) numeros omnes impleuit, prouocare ſcriptores; & viliſſimo cuiq; alas addere videbatur: quod hiſtoriæ argumentum nobilius & acceptius humana viciſſitudo proferre non poſſit. Scripſeram igitur eadem quâ cæteri dulcedine inuitatus: cui dicarem, quem patronum appellarem ambigens; donec fortuna eadem, quæ me huic pelago commiſerat, deduxit in portum. Erubeſces innatâ temperantiâ ſcio, Princeps Sereniſſime, ad tinnitum hunc famę tuæ: ſed ego, conſcius perfidiæ, rubore reſpergar, ſi conſenſum generis humani, in hoc Orbis theatro, hac ſcena veritatis occuluero: Et Principem locum te, & Eccleſiaſticum faſtigium omnino impleuiſſe: nec ſupereſſe, quo te virtus, aut inuidia maiorem faciant. Videlicet in domo SABAVDIA præter fortunas, animi etiam bona abeunt in hæredes: vt iam qui ſummam potentiam, & ſeminaria virtutum exprimere voluerint, Leonem, Equúmque Sabaudium hieroglyphicè deſcribant. Hæ me cauſæ impulerunt, Princeps benigniſſime, vt (liceat dicere) alienam magnitudinem meam facerem, & infirmitati meæ regio patrocinio opportunè

conſulerem. Scio ſtyli mei exiguitatem: ſed & ſcio PARENTIS tui, tuámque amplitudinem ſperóq; quemadmodum ſublimia interdum humiliter dicuntur, ſic vilitati meæ argumenti magnitudinem pondus ingens addituram. Pluribus potentiam tuam importunus non exerceo: pro veritate ſcripſi, & de maximo PARENTE tuo vera & recepta: quibus vt audiantur neç fauore opus eſt: nec vt credantur illecebris. DVX PATER tuus magno iure, ſummis viribus, inter caſus belli & fortunæ, victus, & ſæpius victor, Hiſpana arma prouocauit, deditque cupitam toti Chriſtiano Orbi pacem potius quàm accepit: Hoc argumentum Hiſtoriæ. Vale, PRINCEPS Sereniſſ. tuæque gloriæ, ac tuorum bono diu viue.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

QVAMVIS è ſuo Gonzaga, ſeu Hiſtoriæ Mantuanæ libris octo ante nouem annos editis Antonjus Poſſeuinus Orbi ſatis innotuerit, alio vt conciliatore, quàm tanti Parentis nomine fœtus eius haud indigeant, quia tamen Poſthumus eſt hic Commentarius, & Auctoris, & operis intereſt nonnulla vt monearis (benigne Lector) quæ ſcire te non pigeat.

Antonius Poſſeuinus profeſſione Medicus artem ſuam cum melioribus adeo felicirer ſociarat, vt à Sereniſſimis Mantuæ Ducibus Vincentio, Franciſco, Ferdinando, & altero Vincentio non ad procurandam modò valetudinem, ſed ad præcipua dominationis arcana fuerit admotus. Arque vt erat Gonzagæ familiæ ſtudioſiſſimus, Hiſtoriam eius primis à cunabulis repetitam magno labore, neq; impari ſucceſſu ad ſua vſq; tempora pertexuerat; neq; fortaſſe animus erat præſentibus calamum aptare, niſi quod opus Principum ſuorum dignitas aggredi ſuaſerat proprium decus afficere coëgiſſet. Franciſco Duce (quem Antonius in Dominis vnicè amarat) è viuis exempto, abrepta in factiones Mantuana Aula, acerbis adeo partium odiis flagrabat, publicam vt rem priuatæ offenſiones euerſum irent: Exitium imminens, quæ ſagacitate præceperat Antonius, eadem auertere ſatagebat, reuerentibus monitis Principem, ſeucris increpationibus Aulicos ad meliora traducere conatus, ab his inuidiam, offenſionem ab illo, quamquam in occulto, pro gratia meruit; palam tamen negotiis innexus, incorrupta ſuadere non prius deſtitit, quàm honeſta in ſpeciem ſeceſſione Romam amandatus, Gonzaga ſuo interim ſuppreſſo: fauere inimicorum artes genio, ingenioq; erudito. Qui igitur nullam rem minus quàm otium abuti ſoleret, id ſibi cœlitus datum ratus, vt Mantuanæ Hiſtoriæ Monferratenſem adderet; quæ toto eo bello ſeu domi, ſeu foris contigerant integerrima fide, pariq; diligentia (vt qui in partem conſiliorum adhibitus) conſcripſit. Ac quoniam primis curis Principum ſuorum auctoritate ſepoſitis, haud parum metuebat, ne ſecūdæ interciderent cauit, autographo huius operis Sereniſſimo Principi Mauritio Cardinali à Sabaudia (qui Romæ tum agebat) commendato, inſcriptóque, eius vt auſpiciis, ſi ita viſum eſſet, publici iuris fieret: ſed turbidis adhuc Monferrati rebus, necdum priori Hiſtoriæ parte vulgata, poſterioris editio haud ita matura videbatur. Extincta interim vniuerſa Vincentij prole maſcula, Sereniſſimus Gonzaga Niuernius ad ſucceſſionem vocatus, cùm in pacis conditiones ſatis honeſtas à Carolo Emanuele Sabaudiæ Duce oblatas conuenire conſilio parum vtili, detrectaſſet, iterum bella; ex iíſque peſtis per vniuerſam ferè Italiam exarſere. Placidiora tamen rebus ſuis ſperabat Antonius, nouo Principe, eóque humaniſſimo ſtudiis eius fauente, liberámque Hiſtoriæ ſuæ typis mandandæ facultatem faciente: ſed ea vix in vulgus exierat, cum de vita deceſſiſſe, poſt acerba ſuorum funera, ipſe quoque auditus eſt.

Interim, Sabaudum Cæſar, Hiſpanúſque; Mantuanum Chriſtianiſſimus Rex protegebat: Ac Secuſij primùm Rege arbitrante, Ratiſbonæ deinceps publiciis in Comitiis, Cæſare pronuntiante, haud exiguàm Monferrati partem, quam Sabaudus armis occuparar, iure rerinere, ipſéque Mantuanus, quanquam inuitus, cedere iuſſus eſt. Cum nec his acquieſceret, ſatagente Pontifice, Cæſari, Regibuſque Chriſtianiſſimo, & Carholico placuit Legatos ad Sereniſſimum Victorem Amedeum, nouum Sabaudiæ Ducem, deſtinare, qui huic finem controuerſiæ, belliſque Italicis imponerent. Claraſci (Pedemontani agri vrbs eſt) Conuentus habitus, vbi poſt mulras diſceptationes Cæſaris auroritate, magna cæterorum conſenſione Trinum cum vniuerſa Ciſpadana Monferrari Regione, Albenſiſque Comitatus vltra Tanarum Sabaudo adiudrcarus eſt, gratulanribus Victori Amedeo vniuerſis, non ram Prouinciæ nobiliſſimæ acceſſionem, quàm incomparabilem prudentiam quæ Pacem Italiæ ita reſtituiſſet, vt interim Parentis optimi famam arma ſæpius felicioribus iniris, quàm ſucceſſu mota, ab omni calumnia abſolueret. Quis enim deinceps iuſtiſſimas inuictiſſimi Caroli Emanuelis in Monferratum expeditiones criminari audeat, poſtquam Pontifice medio, decernente Cæſare, confirmantibus potentiſſimis Regibus, Pacis leges dictæ ſunt haud parùm Sabaudienſi rei vriliores, honoratioréſque, quàm quas ipſemer Carolus Mantuano publicæ quietis retinendæ cauſa ante omnem belli aleam ſponte obtulerat? Rebus ira compoſitis hoc vnum deerat, vri Monferratenſis huius controuerſiæ, cauſas, momenta, caſus varios Poſteritas edoceretur, quòd præſtabit iſte Poſſeuini Commentarius, aſſentationis iuxta ac odij vacuus. Fruere Lector, piíſque Autoris manibus bona verba dicito.

Digitized by Google

AVCTOR
BENEVOLO LECTORI.

PLVRES *iam annos, in Urbe, Patriâ, apud exteros Medicinam feceram,* AMICE LECTOR; *cùm quæ me fortuna, curæ Franciſci Mantuæ Ducis quarti, & Margaritæ Sabaudiæ eius coniugis admouerat, cupido mißionem dedit. Eo ſiquidem erepto, & Margaritâ ad Patrem reuersâ, ſeriò cogitare cœpi, quomodo improſperum Magiſtratum eiurarem. Iners nihilominus otium auerſabar; ne diem perdere, & inutiliter in medio ſeruientium agere viderer. Ad ſcribendam Hiſtoriam belli Monferratenſis me contuli, poſt datam in lucem GonZagam. Et deſiderium meum fortuna eadem iuuit: Cum enim præſens rem pacis, conſiliorum, belliq́; ſpectarem; & magnorum virorum fide, in iis quæ coram aſſequi non potui iuuarer, Monferratenſe bellum proſecutus ſum; rem maximam, memoriâ totius poſteritatis digniſsimam; & quæ dici ex veritate maximè merebatur. In nullo hactenus bello frequentius, et pluribus aduerſius honeſtatem & prudentiam eſt peccatum. Neſciri id, ſcelus erat; fateri, periculum. Ego tamen ingenitâ libertate animi, diſcrimen potius, quàm aſſentatoris notam ſubire malui. Res ipſa, mea fortuna poſcebant ne tacerem: quod vniuerſa ferè oculatus didicerim; & pars non infima negotiorum fuerim. Me quoque* FERDINANDVS *Mantuæ Dux inuitauerat; cui obtemperare pars pretij erat: nec tamen eo ſilente ſiluiſſem; vt qui occaſionem pulcherrimam corrumpere nollem: nec magnas virtutes, aut ingentia flagitia ignorari. Ut tamen experimento didicimus, in quo plus prudentiæ ac fortitudinis eſt, in eo minus eſſe fortunæ; ſic res meas credidi, plus oblectationis quàm commendationis reper-*

turas; apud eos præcipuè, qui aut peccarunt, aut vera rerum vocabula inuerterunt. Si aſſentari, & palpum facere placuiſſet, aut ab opere manum amouiſſem, aut impudenter mentitus forem: Sed placuit veritas; quam me apud eos dicturum ſciebam, quorum illa indicio vteretur. Si quæ prudentius patrari ab aliquo, aut honeſtius fieri poterant ſeuerè examinantur, id Scriptoris munus aperit; cuius eſt & vera tradere; & à falſis relationibus laudationibúſque Lectorem auertere. Nudare quoque vulnera partium, nullo in quemquam affectu, pretium operæ fuit; non alio quàm qui Hiſtoricum decet inſtituto. Nec enim aliter norma morum, magiſtra agendorum, regula vitæ, ſibi ac ſuis conſtat. Si mulceri ſtultitiam, exagitari prudentiam, laudari malignitatem, eleuari fortitudinem ij voluerunt, qui vniuerſa ſus deq; habent, alia ipſis antra quærenda erant, quæ ſonorè dictata redderent. Verè id ſeruire eſſe credidimus; quod miſeriæ genus non minus quàm infamiam horruimus. Cæterùm niſi te militaria vocabula, ac locorum nomina latino ſermoni aptata offenderint (quod claritati condonari cupimus) & ſi diu beneq; habueris, votum abſolui. Vale.

DOCT.

ANTONII POSSEVINI IVN.

PHILOSOPHI ET MEDICI MANTVANI,

BELLI MONFERRATENSIS HISTORIA ab Anno Sal. 1612. vſque ad 1618.

SEXAGESIMVS ferme annus compoſiti inter Gallos Hiſpanoſque odij, quod pridem Europam omnem, ſed Italiam præcipuè concuſſerat, cenſebatur; cùm inter delitias & affluentiam rerum, deſides, alieni incurioſos, & domeſticis diſcordiis imminutos Principes; delicatiſſimum Italiæ latus Pedemontana Regio, integra; nec vllis ſeditionibus exercita; Tranſalpinorum Regum arma; in mutuam perniciem excidiumque affutura; vt propriam ſecuritatem, ſermonique quo tempus traheretur materiam, inuitauit. Gallorum in reges ſuos peruicaciam, & mutuis decertationibus infractam potentiam; Belgarum aduerſus veteres Dominos inuidiam, bellumq; Italiæ maximè iuuentutis ſepulturam, æſtimare, mirari, etiam cupere; fiduciamq; rebus ſuis credere; ſi procul inter æmulos, & tot iniuriis efferatos, iuratæ ſemel contentiones, pro libertate aut ſeruitute, magno vtrinque conatu traherentur. Hinc Principes Itali vt exuberantem per vrbes otioſorum multitudinem (turbarum plerumque cauſam) exigerent, non ſemel trans Alpes deſcriptas amandarunt legiones; certaturis, & haud dubiè perituris oſtendêre præmia; vt ſi quæ malorum inteſtina ſuſpicio deliteſcebat, procul à Patriâ, leuiorique iacturâ inter obfirmatos irâ animos inſumeretur. Et inerat non aſpernanda bello manus: quæ niſi frequentibus expeditionibus hauſta foret, compoſitis moribus agere neſciuiſſet. Romanus Pontifex reuerentiâ ac religione tutus; & cui in pace come obſequium, & cultu quæſtuque fæcundior potentia erat; non prouocare aſperitatibus indignatos; non animo vindictæ vltrò bellum inferre, è priuatarum ac publicarum rerum vſu putans, concordiam quietemque per literas, per Nuncios obnixè perſuadere; bona pacis diſſerere, pietatis oſtentatione, & paternæ caritatis blandiente cognomine Hiſpanum præcipuè arctiſſimè præuiſâ vtilitate complecti, Gallum ætatis turbarumq; (quando parum tutus domi ageret) admonere; Venetos primùm contumaces; mox reddito qualicunque obſequio in gratiam receptos; conſilio monitiſq; retinere; quò plus arbitrio dignitatis eſſet; & diſſidentium animi facilius mollirentur. Senatus Venetus famâ certiſſimâ prudentiæ, inter Barbarorum minas (quas opportunitate tempeſtiuas crediderant)

Conditio rerum Europæ, ante Pedemontana arma.

ed by Google

inſultantes impunè per Adriaticum (quod vetuſtiſſimo iure poſſidebant) lattrones. quos aut proprium ingenium in prædam agebat, aut validiorum ſtimuli excitabant; Pontificis iram aliquot ante annos prouocatam, nec prorſus deterſam rati; Hiſpanorum arcanas Imperij artes, vires, iura; Auſtriacæ familiæ ingentia incrementa, vicinium, veteres offenſiones, medius, ſuſpicacibus oculis, & inani æmulatione ſeruabat. Militiam quippe, munimenta, apparatus, pecunias, fœdera, proſpera, aduerſa, blanditias, minaſque (fortè longius proſpectantes) in ſe necti interpretabantur: vt ferè religioſior anxiorq; dominatio Rerumpublicarum eſt, quàm Principum Regumve. Hiſpani quacunque ſol flectat immenſorum Regnorum dominatores, lateq; per Italiam imperantes, cum Pontifices Romanos amicitiâ deuinctos (cui renunciare niſi magno damno poſſent). Genuenſes immani quæſtu; (qui eorum fortunas omnes propè contineret) Hetruriæ Duces validis ad Tyrrhenum ſeptos arcibus, & pacto miniſterij obſtrictos; cæterorum Principum minori nomine pleroſque ſtipendio illigatos (magno licet Italorum dedecore) tanquàm ſuos cenſerent, & vt arbitri rerum, quibus vniuerſa voto ac neceſſitate obtemperarent; ſimul vt honeſto ſtudere crederentur, abſtinere vicinorum iniuria, tutari pacta, ſuum cuique amicorum velle, pacem bellumque domi foriſque pro Imperio decernere; ſilente toleranteq; Italia omni; iam non niſi externorum iuſſis obnoxiâ; & oblitâ auitæ libertatis, propriæq; voluntatis. Nec Veneti, ac cæteri, quibus naturâ, ſecretiſve meditationibus inuiſa ſeruitus, & præualida gentis potentia ſuſpecta erat, turbare compoſita, aut Hiſpanam fortunam apertè laceſſere audebant; quando Gallorum vires, inter decertantes potentiores componi ſolitæ elanguerant, lubrico in ſeditiones populo, Reginæ matris æmulatu, egeſtate pecuniæ, Regis infantiâ, diſtractione Procerum, tot intus aduerſis. Accedebat Reginæ auerſus à conſilijs belli animus: ſiue naturâ, ſiue ne receptum datumque magno Principum Regni odio liberis ſuis coniugium, metu diſcordiarum (quas illis exitiabiles crediderat) reſcinderetur. Cauiſſe filio videbatur; dum acceſſione annorum; & exiſtimationem apud exteros, & apud ſuos reuerentiam compararet. Nec minus retinebatur inopiâ, quòd aſſiduæ Principum ac populorum ſeditiones, non bello potius, quàm coactâ largitione in pretium quietis, theſauros ab Henrico Magno coniuge coactos exhauſerant. Solicitudinem addiderat ſubditorum mobile ingenium; ne quietis oſores, oſtentatis in externas expeditiones armis ferocius incaleſcerent; reſumerentque licentiam, quam totiens ſibi quæſtuoſam experti fuerant. Italiæ quoque reputatio pacem promittere videbatur: quam bellis domeſticis inſuetam & longiori apud ſuos otio diffluentem, nemo res nouas auſuram opinabatur. Nec in Principum aliquo tantum virium animorumque præſumebatur; vt tot ſimul obſtantibus, meditari aut

Sabaudij conditio. inferre bellum poſſet. Callidioribus tamen, quibus Sabaudij Ducis potentia, mores, exercita bellis ætas, & in eam vſque diem dilatæ cauſæ turbarum perſpecta erant, metus ſuberat. Ferre diutius neglectum ſui; & è vicino auctus Prouinciis Gonzagus (quas ſuas rebatur) proſpectare non poſſe putabatur: ſolitus ne Regum quidem iniurias ridere; & niſi magnâ contrà vi aduerſæ fortunæ cedere. Eo decurſu annorum quo Philippi Hiſpani Reges, pater ac filius, quietem Italiæ, arma per Belgium, Romanæ Sedis maieſtatem, ſuam magnitudinem, famâ ac vi ſuſtentauêre; non vrbs Roma ſolùm (in quam vniuerſa diuitiarum fato quodam, an neceſſitate voluuntur) ſed Pedemontanus ac Monferratenſis tractus omnis, veteris inter Gallos Hiſpanoſq; prælij vulnera, eductis nouis molibus, firmatis quæ vis armorum concuſſerat, accitis incolis, compoſitis ad amænitates delitiaſq; Villis, ſpecioſâ quadam cicatrice obduxiſſe videbatur: erantq; tempora Gentibus conſentanea, fœcunditate ſoli, ſalubritate cœli, exercitio populorum, Gallorum vicinio, vſuque. Manebant nihilominus adhuc non nulla, quamquàm multos

ante

ante Annos profligati,belli veſtigia: quâ obſidiones toleratæ fuerant laceræ aut ſolo æquatæ moles murorum,diſiecta munimentorum propugnacula; incendiorum reliquiæ,alibi indecoræ vaſtitates non dum colonis reuocatis; cauſæq; altius repetitæ: quæ tamen apud parum prouidos,& futuri negligentes,quietiq; ſolitæ plus nimio confidentes,vix credebantur in tam atrox certamen, tantâ tranquillitate rerum,eâ poſſeſſionum diuturnitate,vniuerſis in pacem conſpirantibus,tot rumori obſtantibus,tam ſubitò erupturæ. Cæterùm pænes eos,qui ſuis pretijs vniuerſa æſtimare norunt,ſuſpicionum occulta inditia,magnæ Principum cogitationes, ſpes paratiſſimæ, formidata maioribus in eam diem iura, accola Monferrati aut hoſtis aut metuendus, erumpentes interdum vlcerato è pectore minæ, quas ægrè indignatio, & tot annos fatigata patientia ſupprimebant, nondum apertæ Regum in minores Principes, aut pronæ aut aduerſæ voluntates, ſecuta Franciſci Mantuæ Ducis,recenti non magis obitu,quàm vetuſta,& ab Auo vſque repetita occaſio metuebantur. Nec deerant qui vel cum periculo offenſionis, ſuſpectorum aut ſuſpectantium Principum, Mantuanum Ducem Ferdinandum vim cauere admonerent;armaque,amicitias;pecuniam;fœdera,etiam pactâ oneroſa in concordiam proponerent: quandoquidem Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem prorſus regium ſanguinem, animi inuicti, armorum peritiâ (licet nonnunquam infauſta tractauerit) quieti infenſum; commotionum & belli auidum, Monferrati (vt iure ſibi debiti) deſiderio agitari, refricare apud Pontifices Romanos, Hiſpanos, Gallos,ſuos, potius quàm Cæſarem (à cuius maioribus magnâ ſe iniuriâ læſum credat) examinata toties iura ſua,excire pro finibus turbas, recentiora de nouis limitibus colloquia,negotiationeſq; pridem omiſſas ac vetitas reducere,requirere amicorum auxilia,militem ac præſidia vndequaque corradere,Mantuanum Ducem protectione ac fauore validiorum pro virili nudare; addere probabiles cauſas incertæ fidei aduerſus eos quorum ſe calore munierit; ſerere ſuſpiciones, opperiri ſi quæ ſeſe occaſio offerret, concoquere agendorum conſilia, ac formam meditari; quæ vniuerſa prudenter in ſuam cauſam finemq; diſponeret,firmare ſuos haud dubiâ ſpe,externos in prædam,aut honoris partem aduocare, pecunias (quas nemo mortalium fortius contempſit) dignitates, præmia operæ promittere, manifeſtius apud Reges & Principes Europæ erat, quàm vt imponeret. Nec enim deſiderio & ſpe turgeſcens animus (in quo vis omnis ac fortuna conſiſtit) ſeſe continebat; quin vota ſua, vlceratamque, præſumptâ Caroli Cæſaris iniuriâ,mentem præferret; nec defuturum ſe tempori apud ſuos,exteroſque iactaret. Sed non magnitudo Principis,non artes,non querelæ,non deinque cauſa ſpecioſè & bono iure expoſita, Cæſarem ac Reges peruicère,vt impetum inuaſionemque in Monferratum liberam permitterent; niſi etiam locata Mantuano Duci filia, & ex ea liberi,ſecuritatem promitrebant. Sabaudij inſuper in Gallos & Genuenſes improſperæ expeditiones, tot nobilium cædes, expenſis & aduerſis imminutæ vires,opulentiſſima prouinciarum Breſſâ pretio Salutij in Gallos tranſlata; & per Monferratum cum ſuſpiciones intenderentur, Vincentio Mantuano Duce ſuperſtite parata præſidia, ducta noua munimenta, deſcriptæ ciuium legiones,quò accitæ in armis dato ſigno eſſent; vt non iactare vanam ſecuritatem per contemptum, ſic notare cupidinem, eludere quadantenus vota, non metuere perſuadebant. Sed hæc aliaque quibus deſpici magnus hoſtis perſuadebatur, apud Mantuanum plus fidei inuenerant, quàm intus erat. Conſenſus adulantium, vt pro ſecuris haberentur eualuit, mœrentibus nonnullis,quos amor ſui Principis,& indicium rerum ſilere cogebant; ne fruſtra profeſſi prudentiam ad æmulantium ictum ſe darent.

Is rerum ſtatus inter certa & ambigua diu Italis fuit, donec Galliæ Italiæque deſtinatis, Pontificis ac Venetorum conſilio, in longam quietem compoſitam

Digitized by Google

ſeriem cauſarum , iterato apud Mantuanos Ducum funere , carpendo tantùm
Monferrato, non item transferendæ dominationi ſuffectura credita ſors diſſol-
uit. Haud minus quà Germania ſpectabatur, Matthiæ Cæſaris Auſtriáci mores,
ætas,& infenſum ſolicitudini ingenium,non inanem nouitatum formidinem in-
cuſſerât; quòd ſatis eſſe crederet,ſi vim apertam damnauiſſet,licet infirmiorem
non opibus, non conſilio iuuaret. Et quidem malo fato cum Germania aut Tur-
carum eruptionibus carpitur, aut ad delitias cultumque Italum animum adjicit,
ſenſim & ſuis, & exteris euiluit : Emoriente apud ignatos famâ Gentis nobiliſſi-
mæ ; & conculcatâ exiſtimatione fortitudinis,cui paulò antè Europa ſeruîuerat.
Sic ferè peſſumdata potentiſſima Regna,vbi ſatietate gloriæ ad ſummum proue-
cta,abſtinere exercitio armorum,immergi voluptatibus,curas grauiores omitte-
re pacem appellarunt. Nos Gonzagam hiſtoriam voluminibus pluribus hacte-
nus complexi , continuatâ rerum vſque in præſentem memoriâ proſequemur;
quando non alia calamitatum origo,aut cauſa fuit ; vt quæ nobiliſſimas prouin-
cias ſeditio ; & leuis initij quæ atrociſſimi belli incrementa (cui nec cauſæ ſatis,
nec virium fuerit) auctumq; plus multorum opinione cùm virtute ſuâ, tùm alie-
nâ negligentiâ aut cunctatione Sabaudium ; tractis in partes Gallis & Hiſpanis;
& ne qua pars cladis tota Longobardia expers eſſet , excitis etiam ad rumorem
metumque Venetis,ob inanes (vt ferebatur) metus,poſteri accipiant. Itaque o-
diorum motuumq; ſeriem, non minus quàm ſingulorum cauſas proſecuturi, re-
petito altius principio, rerum exitus & conſilia trademus : vt liceat (quod præci-
puum vtilitatis ex Hiſtorico habetur) de futuris præteritorum recordatione de-
cernere. Neque tamen ignarus ago,quàm arduum, quàm obuium multorum o-
dijs opus incipiam ; dicturus flagitia , ſecordiam, auaritiam multorum ; quorum
turpitudo in hæc tempora incidit : ſed neque ſcriptoris iudicium id eſſe volu-
mus ; & rumorem vulgi, ſenſa multorum, obiurgationes Principum, ſub eorum
nominibus referemus,qui & ſcripto vniuerſa tranſmiſêre, & fidem magnitudine
ſuâ meruêre. Porrò non alio documento fallaces etiam veterum Hiſtorias non-
nunquàm deprehendimus , & incertum Auctorum teſtimonium : quandoqui-
dem iidem rerum ſpectatores , & conſiliorum participes diuerſa retulerunt ; ſeu
decepti opinione,ſeu auctorum fide lapſi. Nobis eorum aliqua condonari cupi-
mus,quæ alij deliquerunt. Quantum enim diligentiâ ac curâ licuit , Principum
fidem, oratorum literas, Ducum affirmationes (ſi fallimus inuiti ac eluſi) aduo-
cauimus ; eorumq; auctoritatum obſtrinximus quorum ſub nomine laborauí-
mus. Sed nobis cæteriſque ante alia veritas odium conflabit; conſuetudine hu-
mani ingenij vt promptè labi , ſic culpam abnui , aut in alios rejici. Forſan re-
cenſitis erroribus,quiſque conſcientiâ arguetur.

Franciſcus Mantuæ Quintus, Tertius Monferrati Dux, Ludouico filio infante
viceſimum ante diem ſublato,ætate propero,moribus habitudineq; corporis ma-
turo (vt diximus) ſed in certiſſimam patriæ perniciem fato conceſſerat. Hunc
manifeſtioribus quàm vt diſſimularentur , Ducis Parmenſis ſuſpicionibus agita-
tum,aperta odia bellumq; ſpectantibus, acrior è Sabaudio ſocero ſolicitudo tur-
bauerat,inueteratæ curæ,& reuertentis quotidie deſiderij memoria. Frequenti-
bus enim amicorum monitis,& ſuâ ipſe vigilantiâ excitabatur ; ne Socer propo-
ſiti peruicax , conſanguinitatis (quæ apud præpotentes rarò integram fidem at-
tulit,quoties de Dominatione diſputatur) paternam caritatem exueret ; præfer-
retq; viuida ſuper Monferrato iura, quæ animo potentiæ ſecuro, ac magnâ fidu-
ciâ ſubnixo, primâ ſtatim ab infantiâ inſederant ; & ſpecie officij reduceret ſpe-
cioſa nomina quæ vim ſaperent ; quodque ingenti Prouinciæ portione , aut fi-
nium cum Vincentio Franciſci patre reſumptâ negotiatione oblitteraretur. Pru-
dens auditu, & quibuſdam ſapientum acceptû conſilium erat, duraturam totum
æuum

Digitized by Google

æuum vexationem ; & ſtructas in omnem poſteritatem inſidias, notabili licet controuerſæ prouinciæ portione redimi & vitari,quò cæteris ſecuritas eſſet ; & tuta in poſteros Monferrati poſſeſſio, florente domo Gonzagâ abiret. Eſſe quæ leui imminutione limitum concedi poſſent,diuulſa à reliquo corpore; & ad quæ niſi per hoſtilem agrum acceſſus pateret ! Nec ex his fructus niſi tenuiſſimos : Etiam labare ſubditorum obſequium,diſtantiâ,& quoties vrgerentur parato in viciniorem receptu. Cæterùm non abhorruiſſe cõditiones pacis,& quieti & turbis compoſitus Vincentij animus ferebatur ; ſi nullo metu euictus, nullis comminationibus impetitus humaniter compellatus foret. Quamquàm plures annos, nil remiſsâ amænitate vitæ, & præſumptâ ſecuritate rerum, fauore Cæſaris, Galliæ Regis promiſſis,deliteſcentes Sabaudij iras riſiſſet. Nihilominus placuit reſumere negotiationem ; ſed Legatis vltrò citroq; irritè commeantibus (vt ferè tarda magnarum rerum tranſactio eſt) cum vtrinque multa pro causâ partium proferrentur,voluerenturque. Cæſaris auctoritas, Hiſpani Regis arbitrium,ſubditorum inuita conceſſio (horum quippe intererat) obſtitere quò minus cœpta abſoluerentur: Cum inſuper Mantuano eorum quæ tradebat æſtimatione pactum iniquius videretur. Quippe certus conſilij Sabaudius, Mantuano nonnulla viciſſim offerebat, quæ saluâ Cæſaris Regiſq; auctoritate ac maieſtate, nec ab ipſo dari, nec à Mantuano accipi poſſe videbantur. Et Mantuanus quidem promiſſorum conſtantiâ præoccuparam Cæſaris ac Regis voluntatem ; Sabaudius acceſſuros deſiderio ſuo ac deſtinatis,etiam poſt factum crediderant. Non alio experimento delegati fatebantur, maluiſſe pacem Sabaudium ; quàm quòd vniuerſi Monferrati dominio præſumpto,oblatâ ſibi portione agri minimâ acquieſceret. Sed inter hæc magna difficultatum moles incubuerat ob iniquitatem finium ; quæ Sabaudio quæſtuoſa,Mantuano oneroſa dicebatur. Id enim primâ ſtatim tractatione fefellerat: Nam ſubditorum ac redituum multa millia Monferrato abſtrahi, & in Sabaudium abire vulgus iactabat ; & inhonorum Mantuano videbatur, ſi iactatas ſæpè minas ac belli mala, (quæ intus inania eſſe mentiebantur) impauidus aliàs , ſubitiſq; non minus quàm præuiſis accinctus Princeps tanto rerum ſuarum diſpendio redemiſſet. Sabaudius tamen precibus meliorum inclinauerat, vt pacta acciperet ; & Mediolani Gubernatores non ſemel conſilium interiecerant, vt obliteratâ præteritorum memoriâ, qualicunque conditione, (quæ ſecuritatem promitteret) accederet. Præ cæteris Comes Foëntes etſi augeri oppidorum acceſſione Sabaudium videret (cuius magnitudo Hiſpanis ſemper ſuſpecta fuerat) aboleri tamen cauſas odiorum, & eâ parte ſuſpiciones diſcuti malebat ; nè prætextu veterum iurium, vbi arma Sabaudius conclamaſſet, Gallias ac Germanias commoueret. Habui præ manibus eiuſdem Gubernatoris literas, ad Vincentium Mantuanum Ducem eodem quo fato functus eſt anno miſſas, quarum ſenſus erat : Amare ſe pacem Italiæ, & ad tuendam compoſitionem rerum potius quàm bellum faciendum Mediolanum miſſum. Id conſilium perſuaderi Principibus quoque Italis cupere ; & maximè Sabaudio ac Mantuano,quorum pax cæterorum quietem contineret. Proinde hortari, nè leui pretio magnam ſecuritatem lucrifacere negligeret ; neu diſpendioſum crederet paucorum oppidorum conceſſione reliqua firmare. Regi certè ſuo fixum eſſe non omittere tutelam Mantuanorum Ducum ; nec eos violentiæ Sabaudij permittere ; ſed expedire communi operâ eos quoque bono pacis ſtudere. In hanc quoque formam Veneti ſuadebant : quippe queri Sabaudium ; nec toleraturum illum diutius neglectum ſui manifeſtius erat,quam vt dubitaretur. Cum inſuper per fora ac Baſilicas non aliud in procerum ore eſſet, pleriſque cunctationem Mantuani inſectantibus ; quaſi non milite,non opibus Sabaudio par,nutrire diſcrimina ſua,quàm conſulere domui ſatageret. Addebant conuicia,quod immi-

nentium malorum cauſa foret, tempus ſolidandæ familiæ perderet, eadem ruinâ ſeq; ac ceteros oppreſſurus. Defunctus Vincentius Franciſco filio inuidiam ac pericula tranſmiſit; tutiori quidem amore ſoceri Sabaudij; ſed qui crederetur eò enixius honeſtis conditionibus placare illum debere. Coniunx Franciſci Margarita pietati Parentis, amori mariti media, anxia & ſolicita agebat; dubia maximè cui ſe affectui ſine querelâ ſtatim committeret: Ne malè concordes ſponſus ac parens quamcunque inclinationem malo verterent, aut imputarent. Neque tamen adhuc illi tantùm auctoritatis adoleuerat; vt poſſet ſopire diſcordias, aut lites arbitrio dirimere. Suberat haud dubiè prudentia cuicunque mortalium ſuffectura ad curas ingentes; ſed ætas & obſequium pondus conſilijs ademerant: Cum inſuper Franciſco proxima ſenſa eſſent Amitæ Ferrarienſis viduæ, & conſanguineorum Principum; quos in re communi negligi aut ſeponi, mali exempli videbatur. Sed & malum Gonzagæ domus fatum præ maturè cœperat, ſummiſſis adminiſtris parum in eo diſcrimine oculatis; qui ſecuritatem in formidine, & ſalutem in exitio conſulebant. Vtcunque res erat, vbi Margarita prole maſculi in ſolatium & ſpem poſteritatis aucta fuit, enixè pro filio, & pro marito non inania apud Parentem, tanquàm excuſaret, oraretque, per litteras differebat. Vbi amiſſo filio viciniora iàm mala tanquàm è ſpeculâ proſpectauit, idem acrius adorta dicitur. Monebat famæ iacturam bono nemini, minimè Principi negligendam, inuidiam metumq; obiiciens: Cæſaris, ac Patrui Regis aduerſus ſe ac Maritum verum animum; quibus Italiæ quies, ius, faſq; ſingulorum cordi eſſent. Nec dicendi incôcinna, aut ſenſuum animi aperiendorum ineſſicax erat; hanc quoque gloriam ſtudio aſſecuta, & verſatilis per bonas artes ingenij. Eò acrius nitebatur, quòd ſic prorſus ſentiret, ſollicitudineq; anxia incaleſceret. Equidem cum puerilibus annis intra patrios lares ſub Regiâ matre nutriretur, non ſemel iura Patris ſuper Monſerrato audierat; memineratq; irarum ac comminationum; niſi ille honeſtis conditionibus oblatis acceptiſve à Mantuano commodùm mollitus foret. Valuere officia aſtu generi, blanditijs filiæ adiuta, vt Sabaudius vim quam tum inferre poterat in tempus differret; cauſamq; ſuam humano generi (cui ob frequentes expeditiones, & potentiam, ſuſpectus nimij animi eſſe credebatur) approbaret. Securus tamen inſtare deſtinatis, & vrgere quæ concoquere cœpiſſet, negotiatione, querelis, armis; donec prolationem agri Pedemontani, aut finium ſuorum pro arbitrio ampliationem, ab amato licet Genero expreſſiſſet. Haud dubiè in mitiora impuliſſet Ducem, paterna aduerſus filios ſuos caritas; nec opportunior Mantuanæ domui occaſio ſtabiliendi incertam poſſeſſionem incidit, niſi errandi neceſſitas, & mala conſulta præpediuiſſent. Conſpiraſſe in eandem ruinam omnia videbantur; adeo deteriora proximorum conſilia, & certiora familiæ damna fuerunt. In eo acervo prauorum conſultorum nonnulli erant ætate, & amore ſui Domini liberiores, quàm vt cari eſſent; hiq; per ſecretum veterem Sabaudij cupidinem Pedemontanæ vicinium periculoſum; terminorum vtriuſque Prouinciæ tortuoſam perplexamq; poſſeſſionem, Caroli V. Imperatoris inuiſam reprobatamq; pridem ab æmulo ſententiam, ſpem ac notâ cum Vincentio Patre negotiatione ſuſcitata, & tum opportunitate reducta, altius animo Sabaudij hæſiſſe docebant. His enim actum, vix prouecto deſiderio temperaturum; aut precibus filiæ, modeſtiæ Generi ceſſurum. Ante alia honoris in eo Principe curam æſtimandam. Metuendum quippe ne inchoatam olim cauſam tum etiam reſumptam (ſi omitteretur) iniquitatis damnari neglectu indignaretur. Franciſcus Dux quantum commoto animo, & clato prætextu antiquo fidendum; aut à Socero irato cauendum ſibi foret non ignarus (ne trepidationem diffidentiamq; oſtenderet) publicè præſidiis abſtinebat: Tanquàm non alio certiori munimine, quàm conſanguinitate Soceri niteretur.

Digitized by Google

retur. Firmari tamen ſecretò Arces prouinciæ, inferri prouiſos neceſſitati commeatus, expediti compararíq; arma, deſeribi militem qui opportunè adeſſet accelerata eruptioni, ſignum ſpatiis per oppida (ſi fortè vis ingrueret) dari; omnia ſummo ſilentio iuſſerat. Præfectos quoque locorum, & militiæ præpoſitos admonitos ſacramenti erudijt quà ſecuritate vterentur; non ſe, non recentem diſciplinæ intenſionem detegerent; ſed cauti & parati, ſuſpecti Generi motus obſeruarent: Et ante alia ne imparatis incurreret, procurarent. Ipſe ſermone vario apud Coniugem Aulicoſq; cum tempus falleret, nullum timoris, aut ſuſpicionis inditium oſtendit; quamquàm Sabaudius multò antè diligentiam intempeſtiuam deprehendiſſe diceretur. Hæc ſufficere, boni licet, imprudentes tamen dictitabant; cum alij contra niterentur; aut occaſioni non ſuffectura iſta, aut non fore neceſſariâ. Reſecandas potius occaſiones malorum quocunque diſpendio, vt ſimul cum Monferrato amicitia retineretur. Hanc apud magnum Principem certiſſimum pretium habere; maximè cum vicinus Parmenſis paternis odijs, Mutinenſis causâ finium æſtuarent. At verò Franciſcus nequaquàm Dominationis initio ad vana reuolutus (quod ferè nouos Principes corrumpit) cunctatione inutili locum occaſioni aut odio Soceri aperuit; ſed per Legatum cui plurimùm auctoritatis eſſet (Vincentium enim poſtremum natu fratrem miſerat) ac literas, inaugurati iam Matthiæ Cæſaris patrocinium, per alios Hiſpani Regis auxilium, Venetorum fœdus, ſibi circumdederat; irarum armorumque ſecurum ſe putans; ſi potentiores cauſam à Socero ſeparantes, illam conſcientiâ & ſubſidijs non fouiſſent. Nec Gallo Rege ſobrino abſtinuit (ſororibus enim ſuſcepti fuerant) quamquàm enim puerum, matris tamen conſanguinitate nexum, & proſperam honoratamq; in eo regno ſui famam nouerat; eoq; tutelam profuturam ſolo nomine æſtimatam. Hæc Gulielmi Aui ſui certiſſima documenta fidorum monitu, etiam Patre ſuperſtite puer acceperat; ſeruaueratque velut arcanum; quò aduerſus vim, tutam domi Prouinciam retineret. Nempe vt colluſionibus primùm inſiſteret, mox promiſſis inanibus lactaret, quorum abſolutio non requireretur, quædam ſocero exponi iuſſerat; quaſi quo minus ſtatim exequeretur, temporis culpa eſſet. Addebant quidam ineptiora; niſi prima conſilia ſucceſſiſſent apertam indignationem deſpicere debuiſſe; præſertim vbi nullus ab Regibus metus; & Monferratum proprio ſubſidio vallauiſſet. Præcipua tamen fiducia in Cæſare; quem recenti Conſobrinæ connubio illigatum, muneribuſque & præſtito obſequio deuinctum, memoriâ paternæ reuerentiæ generiſque, & auctoritate imperandi, procul à rebus ſuis iniurias habiturum ſperabat: Cùm ante alia cauſæ iuſtitiam, & honeſtum poſſeſſionis titulum præferret. Accitis etiam Germanis ſtipatoribus; miſſiſque ad Archiducem Albertum, Saxonem, Bauarum, ac reliquos Germaniæ Duces potentiores oratoribus, conſortem ſe generis, & non aliâ fide teſtatus fuerat; amicitiamque præuentione quæſierat; aut (quod minimum) ſibi cauerat ab odio ſingulorum. Recens quoque Vincentij patris memoria conciliabat animos, vt nouam amicitiam non auerſarentur. Profecturas in ſummam artes nonnulli crediderant; ſi longiori æuo ſoceri prætextui eluctari, tueri res ſuas, retinere tot Principum datam fidem licuiſſet. Speciosè deceperant iuuenem; & in futurum Mantuanis imponent ſimilia præcepta dominandi. Quamquam enim Cæſaris Regumq; coniuratæ vires, prohibere Sabaudium aperto bello poſſint, ne ſui iuris faciat Monferratum; quò minus tamen exerceat, laceret, perdat; fructuſque prouinciæ in milites, Arces, exploratores abſumantur, non poſſunt. Quoties alam equitum Aſtio Vercellas mittit; quoties luſtrat cohortes, quoties (quod videri poteſt) venatui ſeque ac liberos accingit, trepidat Monferratum, claudendæ Arces, ciendi populares, in vſus belli eroganda vis pecuniæ eſt; vt quod acie hactenus non amit-

tit, ſummâ in pace, leui quaque ſuſpicione perdatur. Sed intolerabilis expenſa eſt, cum deſcriptus miles retinendus, munienda præſidia, puluis bellicus, plumbum cæteraque comparanda. Contra Sabaudio parata omnia, pecunia, miles, tormenta ænea, equitatus, & ante alia copia belli Ducum, qui eo præceptore profecerunt. Quòd ſi eo procedat indignatio vt bellum inferat, & numero ſubditorum ingenti Mantuanum ſuperat, & pretio conducti accurrunt, quos Heluetij gens fortiſſima confœderato Principi tranſmittit. Porrò Regum patrocinium, quantum Mantuano conferat, quæ ſecuta ſunt bella plus deſiderio illius docuere. Nam ſiue vrgerentur, ſiue cederent, Monferratum ferro, igni populabantur: duriorq; incolis amicorum exercituum hoſpitalitas, quàm hoſtium inuaſio fuit. Hæc velut digito deſignantes nonnulli admonebant, benè partem minimam prouinciæ cum vniuerſorum ſecuritate mutari: ſed illi nec auditi, & increpiti, etiam pro deſertoribus habiti. In fatis erat Gonzagam domum grauiſſimo vulnere ſauciari; eoq; vniuerſi, domeſtici, exteri, amici, hoſtes, Galli, Hiſpani in idem exitium conſpirarunt; vt quæ ſalutis viâ *damnabatur*, ab omnibus reprobaretur.

fortè demõſtrabatur, *aut* dabatur,

Præceperat Generi vigilantiam & læſuram illum fiduciam fortè Sabaudius. Secretum enim iuuenis fidis obſeruatoribus ambiri, qui conſilia, curas, voces, vel inuito referre dicebantur: cum ille non vteretur vt noceret; nec offerentes ſe rejiceret. Et quamquam ius ſanguinis apud Principem virtutibus amicum, prudentiæ commendationem poſſet exprimere; ægrè tamen tuliſſe conſilia (quæ prærupta dictabat) fertur; ſolicitudinem metuſque, & ſuſpiciones vulgatas non perfunctoriè inſectatus. Cur enim nullâ adhuc iniuriâ, quâ pater, quâ filius impetitus ſit, delatas ad Cæſarem querelas? cur remotiſſima conſanguinitas, vbi fidei periculum faciendum patri optimè merito antelata? Cur tanquàm in ſicarium & parricidam aduocata tot Principum arma ad tutelam? Fruſtra formidine ac trepidatione Hiſpanos (proprijs vtilitatibus non infenſos) inuocatos: fruſtra Venetos vix tuendis ſuis ſuffecturos; fruſtra Gallos intra domeſticas cædes ac rapinas efferatos. Quod ſi vim deprehendiſſet, tum conſobrinos Reges, neceſſitudine nexos Principes conclamare, & obteſtari debuiſſe. Sine iniuriâ manifeſtam eſſe calumniam; ſine vi fœdiſſimum conuicium. Honeſtius (ſi quæ ſimultates interceſſiſſent) arbitro communiter dicto inter Socerum ac Generum componi potuiſſe. Non quidem ſibi inuiſam prudentiam, & in filio famam ſapientiæ; quod Munimenta quæ Vincentius pater libidini potentiorum deſtituta reliquerat, ea ipſe milite, armis, commeatu firmauerit; ſed oſtentari in cauſam Gallos, aut Hiſpanos ambientes, non Patrem debuiſſe, tot nominibus, ad extremum conſanguinitate recenti teſtatâ aduerſus Gonzagam familiam pietate. Hæc Sabaudius haudquaquàm publicè lamentari ſolitus, apud proceres & oratores domeſticos imperio, ſpe tamen ad Generi aures ventura. Franciſcus criminationum gnarus (certiora enim Taurino amici perſcripſerant) ſuis rebus intendere, ſoceri iras ſimulare, proferre ſecuritatem. Et quia vbi facto opus, intempeſtiua ſemperq; offutura garrulitas, agendorum tempora occaſioneſq; corrumpit; eò ſolertius in ſuam tutelàm niti quò parcius eloquebatur. Quod ſi aperire animum nonnunquam neceſſitas cogebat, tum iuſtitiam cauſæ, pietatem ſoceri, paratum honeſtis conditionibus animum, tectus obſeruantibus, nec quò collinearet deprehenſus efferebat. Id non minus quàm ſuſpectum ſilentium inuiſum Sabaudio erat; quòd taciturnitate ac ſermone pariter falleret, offenderetque; nuſquàm minus intentus, quàm cum diuerſa ſimulabat. Et quidem ſuſpicionis viam ingreſſus Mantuanus, propoſiti conſtantiam retinebat; nec id offenderat amatores ſapientiæ; ſed alia via Socerum mollire, prauaq; conſilia eliminare debuiſſe dicebatur. Tempeſtiuè (niſi mutatus in melius) didiciſſet parum

Sabaudius percipit metus Ducis Franciſci generi, & ægrè fert.

rum eos habuiſſe ſapientiæ,qui concordiam diſſuaſerant. Partem culpæ ac pœnam omnem fortuna tranſtulit in ſucceſſores. Cum inter extrema Franciſcus ageret,futurorum cura pleroſque aulicorum,quibus rerum adminiſtratio incumbebat, aduertit; vt ferè vel perſpicaciſſimi præſcitium neglectu examinant futura. Nec longiori proſpectu opus erat; iam enim ſuſpiciones innotueſant, & ſecuturo Principis exitu augeri metum cognoſcebant. Ergo alij teſtamento obuiam diſcrimini eundum aſſerebant, quod Generi; ac Domui in primis conduceret: obſtrepebant alij,vt in rem nullius in poſterum vſus. Hi quidem familiæ cautum à Vincentio referebant; vt qui euentura multò ante præuidiſſet; neque quid poſteros manere, quo iurium prouinciæq; Monferrati poſſeſſio in tuto ſiſteretur.Si quid prouidentiam requireret, Iure communi,Cæſare,Gallis,Hiſpanis, Venetis inniti. Accedere proprias vires, ſi opportunè impenderentur, ſatis validas. Viginti peditum millia, equitatumq; pro numero ſuppetere: Mantuanum quoque Ducatum, præter pecuniam cenſere multa bellatorum millia, turmas aliquot expeditiſſimorum Equitum: & ſi nobilitas patriæ vocetur in partem plus hinc roboris & minus expenſæ. Rationum quoque domeſticarum, largitionum,redituum,armorum,auri, argenti, aulæorum, gemmarumq; copiam tabulis inſerta, omnia præſenti ac futuro (ſi quid Duci fato eueniſſet) optimè congruere. Eſſe in domo Amitam,fratres,conſanguineos, & quorum certiſſimam fidem plures annos,auus,paterq; experti ſint,adminiſtros rerum; qui ſuperſtiti infanti filiæ (nec enim alia Franciſci ſoboles ex coniuge Margaritâ Sabaudij filiâ ſupererat) præſtò ſint, externa tractent, interna diſponant, neglectas aut dilatas Fiſci rationes retrahant. Denique nil aliud vano teſtamenti prætextu quæri, quàm Principis feſtinarum formidine mortis exitum,aut opulentiora legata, quæ Domum conuellant, conſultoribus fautoribuſque apponant. Fuêre etiam qui hoc præcipuè diſſuaderent,ne Franciſcus amore coniugis inter paucos maritorum(ſi teſtamentum placuiſſet) vxorem inſigni aliqua largitione præferret. Siue enim caritatis in Dominum,ſiue odij,in eos quos ſuſpectos crediderant modum neſcij (iam enim lacerari in partes domus cœperat, & Infantiſtæ alij à titulo viduæ, alij Mantuani dicebantur) Infantem Margaritam inſectabantur: quaſi teſtes ſubdidiſſet, Actorem publicum acciri iuſſiſſet, & tabulas an ex mente forent examinaſſet: Adeo maligniras temerè parricida eſt! Repertus enim Aulicus apud ſuos, linguæ petulantiâ famoſus, qui fateretur in intimo cubiculo Ducis, factam centum millium aureorum mentionem, & gemmarum; quibus dotalis fortuna Margaritæ augeretur. Sed vbi qui interfuerant compellati ſunt, haudquaquàm congruentia retulerunt: vnde ſtatim falſitatis conuicti ſunt; aut excogitatæ,aut (quod aliquibus probabilius viſum) iuſſæ. Ineptius mentiri non poterant,qui in Principe fœminâ,ſolita æquare munificentiâ Reginas, & toto eo tempore dolori inſepultâ, auaritiam fingebant. Porrò quibus teſtamentum placuerat, incertam veteri vxorem (iam enim neſcio quid percrebuerat; ſed vt falſa ac vana incerto rumore) iamque tutricem filiæ, Sabaudium arbitrio res alienas vt ſuas tractaturam, rediturам Viduam tanto cum pignore ad Parentem; quod ſecum immenſas opes & iura comportet; Infantis puellæ mortem matri profecturam; digna poſtremâ câ largitione ſeruitia, & ante alios munificentiâ, qui defuncti plurium Annorum ſeruitute, non Principis liberalitatem ſolùm, ſed & ſuas fortunas prodegiſſent,diſſerebant. Addebant quantacunque in vxorem viduam liberalitate parum domui detrahi; ſed ſi filia ante annos exceſſiſſet,multum rerum;aut(quod in vili reputandum non ſit) imaginarij iuris; quæ conſilio opibuſq; gnarus opportunitatum Auus exigeret,matri acceſſurum. Hi ante alios cum odio Viduæ flagrarent, falſitatis vulgatum rumorem (inuiti licet) arguebant; quo ferebatur, teſtamentum à Viduâ dictitatum; quandoquidem (ſi habendi cupiditas accuſe-

Franciſco Mātuæ Duce in extremis agente, aulici diſputant an expediat teſtam. condere.

tur) inteſtatum decedere Maritum rebus illius maximè decedere expediret. Neque Franciſcus oculatus aliàs; quantum per morbum licebat; & futuri proſpectator; cum integrâ aut motâ mente per eos dies plurima volutaſſet, quibus magnitudinem ſuam augeret, teſtamenti meminerat; ſpe incolumitatis cum langueſceret (quam nimiam domeſtici ingeſſerant) & vicino iam exitu, errore iuuentutis, ne ſe mortalem crederet, circumuentus. Certum erat, imminentibus familiæ Gonzagæ malis cauſas calamitatum vndequaque concurrere; ne niſi certâ ſerie cauſarum euentuumq; ſolicitatum exitium diceretur. Eorum quæ primùm apud Generum grauiter decumbentem, & mox ſublatum agerentur, conſilia ſcilicet Aulicorum; & futurorum apparatus Sabaudium fallere non poterant, Filiæ literis; quæ ſtatim excepiſſe quorundam neglectus dicebatur, licentiâ Aulæ; quæ veluti nondum oſtentato Domino, præſentium & imminentium ambiguitate, ſine Principe agebat; vanitate miniſtrorum, quibus ſecreta malè continentur; & diductis inſuper ſeruitijs, inter Amitam Mantuani Ferrariæ Ducem, & defuncti coniugem, ſtudio cuiuſque aut caritate. Manifeſta inter Principes fœminas æmulatio erat; nemine licet palam id aſſeuerante. Cum enim domo, comitatu, familiâ, conditione, potentiâ diuiſæ eſſent, nihil in commune conferrent, nihil idem tractarent, longè abeſſe ſimultatum occaſio videbatur. Solers tamen calliditas Curiæ Principum adnata, cauſas offenſionum diſquirere & interpretari maluit, quam concordiam credere: Ac ſi duas in eadem domo fœminas concordes agere poſſe diffideret. Multi veterem indignationem primo nuptiarum Viduæ die ſuſceptam cum Taurino Mantuam ſponſa deducta foret, referebant. Hæc enim extra Vrbem, loco quod Theum incolæ dicunt, obuiæ Socrui genibus aduoluta ferebatur, matremque inſigni reuerentia compellaſſe; & cum eâdem ſummiſſione in Amitam vſa non foret grauiter illam offendiſſe, obſequium idem neptis oppetientem. Secutis annis & menſibus quibus Franciſcus rerum potitus eſt, manſit memoria; & prouecta fotaq; tempore alienatio increuit; quòd in conuiuiis, feſtiuitatibus, templis, domi, foris, haudquaquàm loco decederet; ſupra ſe tantum Socrum, quam matris honore proſequebatur, ferens. Nec in populo quâ cauſâ læſa foret amplius, ſed ius faſq; in circulis quærebantur, examinabantur; tantâ contentione animarum, vt id in ſummam pacis bellique præpotentium familiarum facere videretur. Et quia licentia commentandi ſublato Domino proficiebat, ſecretiora alij referebant: Plures nempe ante Annos defuncto Alphonſo Ferrariæ Duce, inter Sabaudium ac Mantuanum de connubio tum viduæ ſororis dubitatum. Nam nec vtriuſque ætatem abhorruiſſe; & Vincentium fratrem, cum Nurum Sabaudiâ è domo quæreret, etiam ſororem pignus amicitiæ validius obtuliſſe; geminatæ ſecuritatis ſtudio rebus ſuis ita conducere credentem. Id plenâ liberis domo exitioſum familiæ Sabaudij viſum: ne nouâ prole obſequia ſubditorum in partes diuiderentur; ſororeq; Regis Hiſpaniæ geniti, ſecututos è ſorore Mantuani liberos, vt multum infra ſe dictitarent; & ad minus vt poſtremos ſpernerent. Imo Margaritam virginem apertius, quàm erga Parentem moris eſt, perſtrepuiſſe, nec expoſtulationi ac querelis modum ante feciſſe, quàm Pater conſilio renunciaſſet; ſtatuiſſetq; ſibi in cœlibatu tolerandum. Id Ferrarienſem viduam cuius officijs ſponſalibus excluſa foret, didiciſſe; vtque creditum ruborem detergeret, cum intus indignaretur, publicè negaſſe ſecundorum votorum hactenus vllum deſiderium aut cogitationem habuiſſe. Nos nec nuptiarum cum Sabaudio negotiationem; nec tantum animi auctoritatiſque Margaritæ in Patrem fuiſſe comperimus; vt accinctum coniugio retineret; nec eam Sabaudio in filiam puellam reuerentiam, vt qui ſecutis temporibus, non Cæſari minitanti, non armatis Regibus auſcultauerit, Virginis filiæ conſultis, ſuæ deſtinationi aduerſis obediret. Scilicet Dux magnitudine animi nulli

Inter Ferrarienſem & Frãciſci Ducis viduam æmulatio intercedebat.

nulli Regum inferior, potentiâ formidandus, prudentiæ & probatæ & receptæ, imperio filiolæ libertatem rerum ſuarum permiſiſſet. Cæterùm etiam nullâ curâ Margaritæ, neglecto Ferrarienſis matrimonio, manſiſſe huius in illam tacitam indignationem, conſuetudine humani ingenij quandam probabilitatem habet. Vnum id certiſſimum didicimus, nullo magis offenſam Ferrarienſem cum in viuis ageret, quàm vbi agitata olim cum Sabaudio, & reiecta ſui matrimonij pacta audiebat.

Mortuo Frãciſco Mãtuæ Duce, Aulâ in partes ſcinditur.

Vulgato fine Franciſci Ducis, cum diuerſos ſtatim animorum motus Aulâ, ferè in Dominum prona retexiſſet; eſſetque liberum obſeruatore, aut vindice nemine, quos quis affectus menſes plures, odio, gratitudine, opinione preſſiſſet, tranſeuntibus in alium rebus efferre, forſan & oſtentationis libidine, quam commodis propriis profuturam, & opportunam tempori rebatur, ſtatim ad inſectationem morum Franciſci nonnulli deflexêre; prætenta futuris (licet incertis) contendentes; fingentesque aut vulgantes fraterna odia & æmulatus; ſiue prorſus exiſtimarent, ſiue vellent; quò ſpecies detractioni eſſet, auctoritaſque conuiciis. Ergo obſtipam iuuenis maieſtatem, & conditione ſuâ maiorem carpere, implacabilem exteris, nec ſuis mitem appellare, modò per nugas prodigentiam, modo inter vrgentia auaritiam execrari, præcogitata tributa (intoleranda miſerrimæ plebis onera) maturo & definito à ſuperis, ne exigerentur, fine damnata memorari, recentem Sabaudij Ducis conſuetudinem, aſſimulationem, ſatellitium ne bello quidem, aut inter hoſtes agenti magis anxium accuſare, difficiles orantibus acceſſus, per oſtiarios admiſſiones globoſq; militum improbare, contumaciam aduerſus beneficia nullis odij cauſis reducere, cupidinem pecuniæ inexhauſtam, quâ flagitioſo cuiuis promptum eſſet, vniuerſa ſacrorum aduerſus leges attinere, inſectari irriſiones nobilium fæminarum, contemptum ciuium, pueriles nugas, omnia in crimen trahentes. Contra in Cardinali Ferdinando fratre iamiam affuturo amabilem caritatem, deſideratam populis comitatem, faciles acceſſus, ſtudium bonarum Artium, indulgentiam, magnificentiam, & ſi quæ in vulgum grata, approbantibus quibus placuerant, commendare. Ad extremum velut ſpei certioris, duraturum imperium, maturam ſobolem & diurnam, feſtinatum ad ſuos reditum precari; non propenſione ſolùm & amore; ſed aſſentatione, & tanquam poſcerentur blandimentis: Parum gnari bonum Principem qui hæreditario iure, non ambitu dominationem acceperit, veritate deuinciri, nec vllam, niſi ex modeſtiâ ſubdito gratiam habere: malum vanumque (etiam nolentem) vera conuicia, falſas laudationes agnoſcere. Erant inconſulta obſequia, adulatione & amore compoſita; ſed erga defunctum Ducem magnæ auerſionis documenta. Paucorum dierum experimento de totâ vitâ præſumpſerant; & quæcunque noua ſpe meliorum præferebant. Expoſitum defuncti Ducis publico cadauer, æmulandi Principum moris, & alliciendæ pietati; cum vniuerſi ætatem miſerati confluxiſſent, rariores tamen opinione luxêre: Medij enim inter iratos & obnoxios maturum iuuenis finem perfunctoriè lamentabantur. Adeo auaritiæ & ſæuitiæ ſpecies ipſæ inuiſæ ſunt: Nec enim tantum immanitatis Franciſco adoleuerat, vt cunctorum ordinum odia nondum verſo potentiæ anno concire potuerit: cum inſuper cultor iuſtitiæ, & in ſuperos pius apud omnes audiret. Sed abdendæ initiis Regnorum, vniuerſæ feritatis, ſuperbiæ, auaritiæ imagines; virtuteſq; quas maximè ſubditi oſculantur liberalitas, Annonæ cura, pietas re opinioneq; ſectanda. Offenderat memorantes Franciſci incuſtodita in morte parentis lætitia; tanquàm flagrantius accepta, quàm natura & modeſtia requirerent. Illum quippe ſubditi, comitate, facilitate, indulgentiâ (quibus artibus ſuorum dilectio retinetur) probatum, ereptum implacabiliter indoluerant; publicaq; nobilium plebiſq; commendatione compoſuerant. Adſtitiſſe dicebatur

Franciſcus, velo tectis Palatij feneſtris, quæ viſum foras non adimerent: & cum longo ordine lugubris apparatus faceſque medio foro procederent, vnâ cum coniuge geſtiens proſpectaſſe, quanto minus quàm cum lachrymis: Mox vbi funeris pompa proceſſiſſet, ſecutum quidem funus: ſed magno conatu vix excitos gemitus doloris imitamenta; quæ gaudium animi, pudor oris expreſſerant. Ea vulgi in Principes ſuos cenſura eſt, & facinorum interpretatio: ſiue quòd præcipua ſint diutius ſuppreſſi doloris materia; ſiue quòd ſuperſtiti obloqui, & aggerere probra falſa aut vera, niſi cum vitæ periculo liceat. Et tamen humana libertas formam proferendi quæ ſentiat, cum impunitate inuenit; relictis monumentis quæ poſteri publico committant; maiori ignominia eorum de quibus ſcribitur, ſi prohibeantur; & habendi cupidine ſi negentur. Ferdinando Duci fraternas iniurias diſplicuiſſe auriti ſcimus; licet inſuper interdum ſeueritate inductâ aduerſus temerarios caſtigauerit linguæ petulantiam, obiurgationibuſque fuerit comminatus, fratris honorem ſibi addere teſtatus. Nuſquam honeſtius Franciſcus apud ſuos audiuit, quàm cum Ferdinandus præſens cenſorque erat; adderetque nunquàm hactenus ſe Dominationis cogitationes admiſiſſe; fratriſque non auerſum, ſed abſtruſum faſtu animum, multo antè præſtito obſequio leniuiſſe: eoq; ſublatas odiorum cauſas, & redintegratam amicitiam fuiſſe. Fratris quoque ſi quæ putabantur dedecora impunè vulgari, ex dignitate ſuâ non poſſe didicerat. Commendabatur ab vniuerſis ea modeſtia; precabanturque fortunam, vt quod ſemel agendum cum virtute crediḋiſſet, conſtanter in finem apud ſuos, apud exteros retineret. Magiſtratus interim prouinciarum, reique dominicæ curatores, quamquàm temperantius ſermone vterentur (ne fruſtra & in propriam perniciem loquerentur) quibuſque ante alios prudentia ſuberat Margaritam viduam grauius quàm crediderant, offendêre: quòd contemptu ac neglectu eius domeſtica pro arbitrio, aut Ferrarienſis placito tractare viderentur. Illa quippe deberi ſibi adminiſtrationem, & pauculos illos imperij dies præſumebat; dum tempore dolor miteſceret, & abſens Ferdinandus Mantuam delatus curam rerum reciperet. Videre erat pelli loco hos illoſue, prout inuiſi Ferrarienſi, aut accepti Margaritæ fuerant, ſtipendia cum delectu ſolui, arctari annonam, laxarique; denique ſecretis imperijs Ferrarienſem nominari. Qui tamen huic indignatæ operam commodabant, teſtabantur nil deſpectu imperatum, nil iubenti negatum; ſiue famuli eguiſſent, ſiue in exteros foret erogandum: ipſos verò ſuo muneri aſſiduos, vt iamiam affuturo Domino & adminiſtrationis rationem exacturo vniuerſa diſpoſuiſſe. Offenſionum initia vlcerato ante animo apud Ferrarienſem fuiſſe innotuit; quæ amore Nepotis (cuius pecunias cum adhuc priuatus Cardinalem ageret, cogebat, & tutricem ſe palam maternis precibus euicta profeſſâ fuerat) vt ſua, & irrequiſitâ Margaritâ præcipua negotiorum tractauerat. Id aſperum auditu cum obnoxij mollire cuperent, reuerentiâ & pietate abſtinuiſſe communicatione dicebant: quod medio in luctu curis inſuper iuuenem onerare inhumanum duxiſſent. Itaque familiam omnem rationeſque publici complexa in Ducis aduentantis reditum fuerat; ſpe haud dubiâ duraturæ potentiæ; quam ſanguine & caritate ante Principatum nepotis meruiſſet: non repugnantibus adminiſtris rerum, cunctiſque de negotijs conſulentibus; ſiue domeſtica, ſiue externa incidiſſent. Id altiſſimâ offenſâ non Margaritam ſolùm, ſed optimos etiam quoſque ſeruorum ſauciauit: tanquam ne diei quidem vnius potentiam retinere permitteretur; depulſa auctoritate, & ſeruitiorum infimis, velut coacta Magiſtratum eiuraſſet, ludibrio habitâ. Percipiebat quoque excuſationes Ferrarienſis & velut fabulas ac commenta deſpiciebat. Ergo id præcipuè datis ad Parentem literis queſta dicitur; nec alio ferocius Sabaudius incaluiſſe. Obſequium quoque à nouo Duce præſtitum, & priſtinæ auctoritati reſtituta.non

ta,non eualuere,vt prior contemptus obliuioni mandaretur. Certum eſt ſpeciem eam dominationis,ſiue neglectu,ſiue deſpicientiâ,neq; odium aut contemptum fuiſſe. Nimia famulorum diligentia crimen aſſimilauit, ſtatimque ſecuta pœnitentia abſoluit. Quamquam enim nil veteris decoris ademptum eſſet,idem famulitium,idem paratus,& reuerentia,arbitrium,maieſtas ſolita viderentur,oculatiſſimæ tamen Principi non impoſuêre; quin imaginem à re imperij diſtingueret, agnoſceretque cuius ſponte curâ exuta foret. Acrius proinde hæſêre ſuſpiciones; quod nemo Ferrarienſem indignationis offenſionumque admonuiſſet vt viſâ iniuriâ abſtineret, titubantemq; caritatem præſtito officio reſtitueret: ſiue delibatam iam potentiam omiſſura, ſiue vidua eius neglectu quod non abnueretur,haudquaquàm receptura foret.Manſêre offenſiones irritæ,nec expreſſæ. His acta compoſuiſſe ad parentem literas querelis refertas dicebatur, ſiue ex vero,ſiue debuiſſet, quibus cum fortunam,valetudinem, intimorum Aulæ ſeruorum intempeſtiua obſequia; denique Nouercaliâ Amitæ odia inſectata foret; ne filiam virium & conſilij indigam longius à ſe remotam deſereret, orabat. Se viduam iuuenem inter infenſos,mariti auerſionem proferentes,neſciam quò flectat agere:Nil ſibi ſolitæ fidei,nil auctoritatis,nil honoris. Septa omnia,imo carceris ſpeciem inter obſeruatores & armatos; & ſi cubiculo egrediatur aſpectus inimicorum obuerſari. Proinde quibus adminiculis negligentiam ſui, orbitatem,mariti deſiderium mitigaret lachrymis gemituque à piiſſimo parente flagitare; Regem Patruum ac Cæſarem,cæteroſque nobilium fœminarum protectores Principes,vt neceſſitudine ſic loco longius abeſſe: Hanc ſibi ſpem reliquam & vnam manere. Quæſita malorum aſperitas ponduſque (cum multo pauciora accendendo Patri ſufficerent)altè deſcendêre.Quo minus mirum eſt ſtatim creditam iniuriam,& veterum ſimultatum recordatione,conceptum in Mantuanos, vt ſui occupatores hoſteſque odium: maximè occaſione pietatis in filiam ac neptim. Quamuis ſimulatam indignationem, cauſam diſcordiæ non quæſiuiſſet. *Vidua quaritur apud parentem.*

Cæterùm prudentiſſimo Duci innumera quæ improuiſo nuncio per diuerſa abſtractum animum perculêre,obuerſabantur. Proprij nominis gloria, fama honeſtatis,caritas filiæ,tenella & protectoris indiga Neptis ætas,abdendæ ſuſpiciones irarum quoties proſequi animus ſit, deſiderium rerum ſuarum longâ poſſeſſione in alios tranſlatarum, parata occaſio, metus ac reſpectus Cæſaris Regumque, & ſingulorum remedia. Sed ante aliâ cruciabat animum,credita, iactataque toties apud amicos, hoſtes, Cæſarem ſuper Monferrato iura; conatus non ſemel irriti, præuenta cum maximè agitaret conſilia; Arma fortiſſimè ſemper, interdum infœliciter tractata; eoque velut ſeneſcens ſui fama, rerum ipſa opportunitas ſpe geſtienti eblandiens. Hinc Hiſpanus Mantuani Ducis defuncti Patruus,illinc Amita Galliæ Regina, Cæſarque conſobrinæ connubio deuinctus. Iterum hærentem metu aut deſperatione animum Galli Regis pueritia, Reginæ matris obſoleta auctoritas; Hiſpani cum liberis ſuis arctior conſanguinitas,Romanus Pontifex paci potius quàm bello paratus, Cæſar valetudinis affectæ,& Venetorum vexationibus præpeditus erigebant. Accedebat Imperatorum in terrâ Italiâ ſpreta maieſtas, quam ferè beneficia metuſque continent; & (quod apud fortes viros nec terreri faciles præſidij ac ſecuritatis loco eſt) incerti bellorum exitus; ferè audentioribus ſecundi, formidoloſis & ignauis aduerſi,ſeu cauſæ ſeu viribus fortunæ fauiſſet. Rem tamen formamque agendorum æſtimanti accelerata vis magis placuit, licet executionem tum diſtulerit vt properatum auxilium, poſcenti & adhuc apud patrum æquos creditos agenti filiæ, tranſmitteret. His difficultatibus praua conſilia ſtatim defuncto Franciſco Duce rem Mantuanam turbarunt; licet conſultores non defuerint, Ferrarienſi ſtatim inuiſi,qui ſeruari Viduæ potentiam ſuaderent; & ſi quid ars regnandi popoſciſſet, ſecreto perfici, vel enim *Sabaudius ambigit de futuro.*

apud hoſtes ſanctiſſimæ Principi manet reuerentia,nec ante imperio detruditur, quàm ſucceſſor indubitatus aduenerit. Nos certè diu adminiſtros conſuetudine & neceſſitate excuſauimus; culpamque neglectus errori non flagitio dedimus. Sed ſecutæ iniuriæ præcedentes (etſi ex falſo eſſent) pro veris probauerunt. Opperiebatur interim vidua patris nuncios; ſuiq; ac filiæ anxia; cum Victorius frater,quem natu maximum Pedemontis Principatu,recepto iam more gentis Dux inſigniuerat, aduenit; teſtis offenſarum, & iniuriarum vindex acrior vbi deprehendiſſet. Citatis equis accurrerat eoque modico comitatu, nec expectatus affuit; iuſſis ſubſequi pluribus, vt regio famulitio in ſui reuerentiam Principis Aulæ ſpeciem afferret. Ducenti enim & quinquaginta paucos poſt dies venêre; procerum, nobilium, viliorumque mixtus numerus. Huic ſe Margarita ſoror obuiam pro limine cubiculi obtulit atratâ veſte; & compoſito virorum fœminarumq; cœtu in luctum ac mœrorem. Ea ſpecies(conſtantiæ licet non indigo Principi)manifeſtas lachrymas exciuit.Per vaſtum ſilentium imitati dolorem reliqui,quos memoria Domini,præſentis conditionis acerbitas,viduæ principis calamitas altè ſauciauerant. Breui ſalutatione vſurpatâ familiam omnem reuerentiâ proſtratam ſolitâ ſibi comitate excepit;morbum Ducis,exitum,cogitationes, mandata poſtrema ſtudioſè ſciſcitatus. Vbi deſiderio & officio ſatisfecit, ſeſe in ſecretum cum ſorore abdidit; patentibus quidem cubiculi foribus, ſed demiſſo velo; ne aut ſermo exciperetur,aut ingentia ſecreta tractare crederetur.Tuleritne arcana à Parente conſilia quibus ſororem aduerſus metum firmaret,& magnâ ſpe ſubleuatam à Mantuani nuptijs auerteret (iam enim ſententiæ in hanc formam, & Hiſpani Regis nuptiæ circumferebantur) ſiue Margarita ſpe nouâ, ſiue conjecturâ,adiecta prouectave præſumpſerit,parum conſtat.Neque enim forma, natales,regiæq; virtutes in alia Principe illuſtriora erant,vt in Regales Thalamos adſciſceretur. Sed æmuli eius in iniurias proniores, prudentiam Sabaudij,colores,cogitationeſque accuſabant: nec in occulto eſſe referebant,quid opportunitas præſenſq; temporum conditio minitarentur. Speciem addiderat ſecretum ſtatim vulgatum,Viduam vterum geſtare. Id per familiam primùm auditum & more mirabilium in plures fuſum eualuit, tanto omnium conſenſu, vt publica credulitas Medicis etiam primâ facie impoſuerit: donec accuratiori indagine, vanitas errorque detegerentur. Neque tamen Vidua ſimulatione dolóve; aut (quod iactabatur) conſtanter conceptum prætulit, ſed cum in ambiguo res eſſet, & ſignorum nonnulla probabilitatem aſſererent, Medicas coniecturas ſpernere non poterat.Id ſolùm quæſiuiſſe nouimus, vt prægnanti aut dubio vtero iura ſua redderentur. Honeſta,& opinioni non minus quam ſucceſſui congruens reſponſio; quæque & excuſari debuerat, & prudentiæ opinionem continebat. Cur enim reiecisset ſuſpiciones, & ſemet eluſiſſet, concurrentibus inditiis, quibus ne obſtetrices quidem reclamabant? Hinc miniſtri tanquàm bono iure vocare Dominam, accipere exequique mandata, & ſpem futuræ prolis lætantes voto comitari; licet nonnulli internis ſenſibus eluctarentur,& conſtantiſſimè crederent inditia ac ſigna, inaniâ & vanâ. Sed ne iura connubiorum imminuerentur; aut vim legibus viduitatis Parens fraterq; fieri quererentur,ſibi vniuerſi imperauêre, vt crederent,aut credere viderentur. Id tamen publicè; cum ſecreti per conciliabula ſermones nudarent animos tacendæ veritatis intolerantes. Me quoque defuncti Ducis valetudines curare ſolitum impulit, vt cùm præſagia conceptionis,tempus,ac formam contuliſſem,vimq; doloris languentis animi,ſiſtendis validis licet naturæ motibus,præteritorum conſuetudinem,quàm fallax præſagium docuiſſem,deniq; ſacramento ſpem deperditam teſtatus eſſem,non aliud à Viduâ reſponſum retulerim; quàm nec aſſerere ſeſe, nec abnuere, ſuam tempus fidem manêre. Reducem quoq; paucos poſt dies Mantuanum dubitationis admonui,& incerta

Victorius P. Pedemontanus Mantuã venit.

Viduam eſſe grauidam vulgatur.

Multi tamẽ dubitant.

incerta ſuſpicionum nec complecti, nec negligere vel cum metu indignationis iuſſi. Nec enim vllius hortatu profiteri vulgatam famam, aut ijs abſtinere quæ falſitatem arguerent, iuſſi ſumus: præferebamq; teſtimonium plus candoris & fidei; licet nonnulli peruicaciter negare conſuluiſſent, quod ambiguæ coniecturæ abnuerent aſſererentve. Fruſtra mecum ſuggeſtionibus laboratum; quòd honeſtam normam agendorum dicendorumq; præferrem; & præter iacturam bonæ famæ, mendacij pænam agnoſcerem. Impudentiſſima tamen eorum aſſentatio fuit, qui ſpem Nepotis grataم fuiſſe Mantuano recenti Domino iactabant: cum apud iuuenem Imperij contemptum perſuadere niterentur; & regios ſpiritus iuuenis vilitatis damnarent; quibus cum nullius iniuriâ decora Dominationis cupido eſt. Satis ad conſtantiam videbatur, ſi niſi per bonas artes inceſſiſſet, datum verò à ſuperis nepotem paternâ caritate foret proſecutus.

Tertio poſt die quàm Pedemontanus Mantuam venerat, Baſtiæ Comes viceſimo famulo inſtructus aſſuit, vt Viduam nimio dolore languentem paterno nomine ſubleuaret, ſolitoq; Principibus officio legationis munere fungeretur. Conſultorem tamen, quiq; ambigua præceptis expediret miſſum quidam referebant; quòd prudentiâ commendatus, famaq; & fauore Sabaudij delectus foret. Ætas & rerum vſus virum erudierant, vt cum ferendo conſilio ſufficeret, attuliſſe crederetur. Præuentus tamen à Pedemontano, vbi functus delegatâ in ſpeciem curâ eſt, mox vt vnus è familiâ, ne Magiſtrum agere videretur, tolerauit. Aſſiduus nihilominus lateri, & vniuerſorum quæ coram agerentur obſeruator, imaginem moderatoris quàm oratoris præbuerat, firmare Viduam, oſtendere quibus artibus potentiam retineret, vreri ſuſpiciones indies augere, illicere incautos Mantuanorum in colloquia, præſentium & imminentium admonere; quæq; parenti cupita, tempori rationiq; conſentanea proponere creditus. Incompertam hactenus, nec perſuaſam matrimonij formam, primùm à Comite Baſtiæ repertam laudatamq; nonnulli referunt; quâ Vidua defuncti Ducis Ferdinando fratri, ſolidandæ iterum inter vtramque Domum amicitiæ iungeretur. Niſi Mantuanorum quorundam cogitationes introſpecturus, aut vrbe, Bononiave delatum rumorem examinaturus prætextu caritatis incubuit. Et quidem Ferrarienſis dubitationes, aduentantiſq; Ferdinandi deſtinata aperienda videbantur. Iam enim vulgatum famâ percrebuerat, ſubeſſe conſilio cauſas; nec fauore Pontificis rem impoſſibilem; iratumq; cæptantes motus, non alio tutiori adminiculo poſſe ſubſidere. Poſtmodum libidine commentandi proceſsêre in maius vanitates: additumq; Mantuani ſororem Eleonoram virginem Principi Victorio deſtinari: ſed licentiâ ſermonum; cum præſentia ſuſpicionibus adauctis parum fidei, opportunis remediis componerentur. Nobis Comitem Baſtiæ Sabaudij decreto nouas filiæ nuptias tractauiſſe durum auditu fuit: non quòd ſemel placitam conſanguinitatem foret in poſterum nauſeaturus; ſed conſilio non admittendæ concordiæ, niſi prætextus diu foti, honeſtis conditionibus terminarentur. Neque enim eâ leuitate Sabaudius credendus erat, vt promiſſam ſatisfactionem admitteret, niſi executione finiretur. Cautiorem reddiderant toties cœpta negotiatio, toties vaneſcens; tot in formas verſa tractatio, toties impedita; & nullo exitu tam diu agitata. Nuptiarum Mantuanæ Virginis cum Principe Pedemontano manebat memoria; quòd in remedium pacis eodem anno ſcirentur Taurini agitatæ; ſecutaq; longiori deliberatione, tamquàm laſſitudine omiſſas.

Hercules Marlianus nobili genere, & ingenij promptitudine par magnis negotijs, pro Mantuano Duce Franciſco Taurini agebat. Faciliorem negotiationem Mantuanus crediderat, ſi eotam, non per literas ageretur, & officium apud Sabaudium fidei ſecurum colligaret caritatem. Ille itaq; facilitate & dexteritate, cuius plures annos ſecretorum adminiſtratione ſpecimen dederat, ſtatim in Sabaudij

Comes Baſtiæ Mantuam venit.

Hercules Marlianus.

amorem adrepſit. Nec minus Aulicorum præcipuos cæterorumq́; procerum eâ in
Curiâ adminiſtros comitate & obſequio deuinxerat, vt pronis auribus quæ pro-
poſuiſſet exciperentur. Vbi facilem aditum,& haudquaquàm ſuſpectos congreſ-
ſus ſuos vidit, miſcête primùm ambigua de coniugio colloquia, commendare
iuuenis indolem,ſui Domini rectum animum, etiam Virginis formam,& conſo-
nam corpori virtutem laudibus tollere. Ergo tracto in plures dies negotio & per-
ſuadente probabilitate (quanto non auerſaturum Mantuanum coniectabat, ſi
nullâ ſui Ducis grauiori impensâ mutua & duratura concordia ſanciretur) aper-
tius idem proferre; & cauſas ac pacta requirere aggreſſus eſt; facili ad ſingula
Sabaudio,& Marliani conatui fauente. Quamquàm enim maiora creditis requi-
reret, fidi tamen & ſecretorum conſcij monuerant, ne magnitudine petitionis
paueſceret; certum rei deſiderium ſubeſſe; ideoque multa poſcere,vt ad paucio-
ra inclinatus facilius mediocria Mantuanus amplecteretur. Quinque quod ſum-
mum oppida honeſtandæ voluntati & approbandis iuribus dotis nomine ſuffe-
ctura dicebat; quæ procul Monferrato intra Pedemontis viſcera coniecta,ambi-
guâ quaſi poſſeſſione à Mantuano habebantur. Simul iactuta minor iis qui pacis
viam incedebant videbatur, quàm vt contemptu ac faſtidio duraturæ in æuum
pacis occaſio negligeretur. Nec Marlianus deſtitit fouere conceptam ſpem,pre-
ces ac conſilia Franciſco Duci inculcare, & velut alienæ cauſæ adminiſter Sa-
baudio ſuadere concordiam; Generique amorem refricare; in quem Saubau-
dius non aliò quam liberos ſuos affectu ferebatur: donec quæ tractauerat, ſcri-
pto ſanciri,& Mantuam concluſioni ſingulorum proficiſci,citis equis ab illo iuſ-
ſus eſt; exiguo honore dotis emollitus,cum hactenus durior immenſa popoſciſ-
ſet. Accinctum itineri Marlianum improuiſæ literæ Comitis Chieppij (quod ca-
put conſiliorum Franciſco erat) retinuêre; quibus abſtinere tractatione,& omit-
tere conſummatam iam fere negotiationem iubebatur. Neque tamen ſtatim Sa-
baudius Generi pœnitentiam aduerterat; quamquàm plures dies tarditatem ac-
cuſaſſet. Ad extremum deprehenſo neglectu,cum ſine querelâ,eoq́; altius indo-
luiſſet,tanquàm Mantuano potius quàm ſuis profutura rejicerentur; ſibi nihilo-
minus iurium pondus integrum manere dixit,doloremq́; diſſimulauit. Omiſſum
itaque tunc, quod vnum Mantuani Ducis ac ſubditorum incolumitatem conti-
nere videbatur. Miniſtrorum certè iniuriam,non magis, quàm Franciſci faſtum
accuſamus, fatali omnium neceſſitate; quòd tot eidem curæ intentos fugerit
conſilij honeſtas vtilitaſque. Nec enim dubium eſt,benè minimo diſpendio bel-
la,liteſque ac vexationes perpetuas (nempe cum vtriuſque familiæ æuitate du-
raturas) vitari potuiſſe,cauerique Principem longè potentiorem,qui ſuis iuribus
cum totâ poſteritate,non aliter quàm acceptâ ſatisfactione foret renunciaturus;
cui carpere & occupare quandocunque libuiſſet pronum foret; quem fallere oc-
caſiones non poſſent; cui vicinorum,& fortè populorum amor militabant. Nos,
vt erroris publicè damnati, & cui non ſemel cum periculo offenſionis inclama-
uimus, vniuerſos excuſemus, in fatum quod ſecutam, nec tamen in præſentem
conſummatam calamitatem temporum induxit,culpam rejiciemus. Nemo,mor-
talium in vrbe,Pariſijs,Pragæ,Venetijs,per totam Italiam fuit,quem rationes non
commouerēt,ſuaderentq́; placandam potentioris indignationē,præuiſo excidio
& cæterorum adiacentium malo,niſi veteres prætextus abolerentur. Solùm apud
Mantuanum prauæ deliberationis cōſtantiam retinuêre,quæ publicas ac priuatas
res funditus euertit. Cæterùm oratos lectores cupimus vt honeſtiſſimo ſcriptoris
dolori querelam condonēt,toties Mantuanorū pietate,& bono Italiæ repetitam;
quam ille cum Mantuæ ageret,& voce & ſcripto apud Ducē,& ſubditos executus
fruſtra eſt. Ad Baſtiæ Comitem redeo. Hic quibus ſuſpicacior intellectus,non ſta-
tim creditus eſt prætuliſſe in negotio caritatem; cum coniugium tam nouum ac
inſolens

Digitized by Google

inſolens commendaſſet. Quippe hoc vno Sabaudij deſtinata corrumpi, & tediuuas ſui Domini ſpes mergi certum erat: Niſi tali quoque vinculo componi res proprias agnoſceret; & pacem populis proficuam potius, quàm incerta belli ſectaretur. Didicerat forſan experimento quâ facultatum iacturâ ſupremi Principes arma tractarent,quo ſubditorum ſanguine cupidines explerent:Imo vbi plurima Dominis bello accederent,vniuerſa ſubditis deficere: Neque enim limitatos ſibi reditus præſcribere; ſed pro arbitrio exigere, quodque neceſſitati & ornatui ſatis putant. Modeſtiſſimum quidem Sabaudium; & inter regnantes neminem humanius populorum fortunis parcere : ſed vbi bellum ex bello natum ſit, vbi incruduiſſet indignatio, & vindictæ amor, pleraque neceſſitatem exprimere,quæ belli initio pro ſceleſtis haberentur. Quod itaque Comes Baſtiæ palam aut ſecreto tractabat,ex arte rati,quibus cura rerum incubuerat,cum decretis publicis Margaritam viduam præſcriberent,& tantùm leuia eius arbitrio diſponerent; vis imperiorum fideſque, apud Ferrarienſem erat, ita præcipientem; vt ſatis auctoritatis habere non videretur, niſi Domina appellaretur, & miniſtri palam obſequium præſtarent. Cautius agere vniuerſi ſe dictitabant; quod frequentes Baſtiæ ac Principis iique ſecreti cum vidua congreſſus, Curſores à Sabaudio vltrò citroque properantes, intenderent ſuſpiciones approbarentque. Longiora colloquia dicebantur,quàm quibus pacem cogitantibus opus eſſet,aut breuiora quàm vt ſine arte plenam fidem perſuaderent. Auxerat etiam apud formidoloſos curam, domeſtica fæminarum garrulitas; quòd creditas Dominæ querelas irrequiſitæ repeterent,ademptam potentiam,Sabaudij indignationem, minaſque; & Hiſpanum Regem (velut metum incuterent) plus neceſſitate perſtreperent. Credidêre Mantuani non aſpernandam domus vocem, quæ ingentia ſecreta aperiret; quamuis è fæminili loquacitate parum argumenti eſſet. Nec enim toties repetituræ credebantur, quæ falſa, aut viduæ ingrata cognouiſſent: Seu vera,ſeu falſa,vt curatius in ſecuritatem intenderent valuêre; exquiſitiſſimo dominantium ſenſu,quoties Imperio metuitur. Sed apud Mantuanos præcipuè, quibus etiam tum Sabaudius ſuſpectus erat, cum maximè caritatem Domini præferrent.

Adhuc vrbem Ferdinandus Dux non deſeruerat. Huic Mantuanum iter meditanti Cardinalis Iuſtinianus vetus amicitiæ, honoris & profuturæ ad imminentia negotia lucis plurimum contulit: reperto in eam diem nemine, qui arcana noui coniugij,& promiſcuas inter vtrumque Principem nuptias, concordiæ bono in vrbe proponeret. Sed Iuſtinianus vſu ac prudentia par Regum negotijs; eoq; cœtui purpuratorum à Sixto Pontifice V. additus, mox à Paulo V. Bononienſi legationi impoſitus;quemque multitudo populi,ac vicinorum occaſiones ad gloriam erudierant, cum Pontificem ſui conſilij admonuiſſet, auſus etiam eſt ſeſe Ferdinando Duci detegere, plenæ fidei,& obſequij opinione apud iuuenem ſecurus. Inerat viro auctoritas:& quamuis primo auditu res placuiſſe non videretur, digna tamen examine credita; tamquam licet inſueta, non fruſtra à ſapientiſſimo viro commendaretur. De Iuſtiniani prudentiâ ſecuro genere humano, ſoli Mantuani tranquillitati aduerſi dubitarunt; non quod iudicio egerent, ſed obuerſis omnibus in Ferrarienſis deſtinata; cui ſatis erat, quocunque rerum euentu viduam domo exigi; nec veteri æmulatione exerceri. Nemo tamen mortalium,vbi ferro ignique populari & excindi Monferratenſes, & nepotem Ducem amore domeſticæ Virginis perditum vidit,nullo in poſterum remedio,copioſioribus lachrymis errorem expiauit. Diſplicuerant malè feriatis Mantuani miniſtris pro Patria & Principe ſalutaria conſilia qui cogitationum Sabaudij viriumque parum callidi, perſuaſerant iuueni adminiſtrationis recenti, non tantum animorum potentiſſimo Duci fore; vt Cæſare ac Rege abnuentibus,

Cardinalis Iuſtinianus, Mantuano perſuadet coniugium viduæ.

quietas Prouincias turbare, & iura ſua armis experiri auderet. Sed Iuſtinianus ſiue diuinatione ac præuiſu (prudentibus enim vt ſummi ſapientum credidere, pauca fortuitò eueniunt) coniectaſſet; ſiue meditationes Sabaudij perſpectas, tum maximè literis amicorum didiciſſet, non negligendos metus, nec ſpecioſæ magnificæque in formam Regum tutelæ fidendum hortabatur. Suarum rerum incolumitatem ex ſe primùm; vbi alieno adminiculo opus ſit, potentiorum fauore quærendam: Denique magno Principe dignâ prudentiâ expedire, præcipitibus & quorum occaſio puncto indicetur, occurrere. Tutorem Ferdinandi agere credidiſſes; adeo ad perſuadendum apud Pontificem, & per literas apud Gallos Hiſpanoſque incaluerat. Priuatam caritatem non abnuerim; ſed totius Europæ bono pacis inſtrumentum deſignaſſe exiſtimo; quando prouidentiam viri exitus malorum quæ præcauere nitebatur, approbauit. Contra alij odio in Viduam, & deſpectu, obſtruere boni Principis aures, & ſerenum proſpectum animi nubilare procurabant: eaſque profanas & inceſtas nuptias appellabant. Nouerant ſcilicet Mantuani religionem; cui vel imponere arduum erat, vel non ſine ſpecie æquitatis. Sed eo maximè delirabant, quòd etiam annuente iuuene incertæ nuptiæ futuræ forent: Neque enim ſtatim aſſenſum Vidua præſtitiſſet; & molliendus prece ac ſatisfactione Sabaudius antè erat, quàm in re tranſigeretur. Fruſtra viduæ animus lenocinio creditæ honeſtatis captabatur; quæ inuito parente morte potius certâ occubuiſſet, quàm ad noua vota tranſiret. His fluctibus difficultatum quaſſus Mantuanus, nec longiore præuiſu quàm dicebatur re examinatâ, licet commendatâ Iuſtiniani aduerſum ſe curâ, redditurumque in tempore gratiam profeſſus, feſtinato Curſore Comitem Chieppium (quem Ferrarienſis ſibi ac ſecreto negotiorum circumdederat) obuium ſibi procedere imperauit: Haud dubiè, vt quo ſtatu domeſtica & externa eſſent edoctus, viduæ Principique Pedemontano cautior paratiorque occurreret: Ne improuiſo ſibi concocta ab æmulis fortè conſilia in Patriæ perniciem ſuique neglectum objicerentur: quod interdum prudentiſſimos peſſumdedit; quoties eâdem ſecuritate impræmeditata ac præuiſa expedire auſi ſunt. Id ante alia inter ancipitia prudentiæ affulſiſſe Mantuano memorant, quòd non ſimulatione, non dictato ſeniorum conſilio, ſed ſponte & opinante nemine, prius quàm vrbe digrederetur res ſuas magno munimine firmare decreuiſſet. Certum illi erat Caroli Quinti & Hiſpanorum Regum beneficio, ſtabilem Monferrati poſſeſſionem, maiores ſuos domi tenuiſſe; mediamque inter Monferratum ac Mantuanum agrum Mediolanenſem prouinciam, dirimere vires, obſtare conſilijs, prohibere conatus vſumque redituum poſſe. Accedebat perennis & totum æuum duratura apud Gonzagæ Principes gratitudo, quâ Monferratum reputabant; velut dotalitium Hiſpaniæ Regum donum eſſet; & vel debito officij agnoſcendum; quod non ſemel (prout occaſio amittendi incidiſſet, beneficium ſæpius præſtitiſſent; eoque reddendam tam bonis patronis vicem crederent. Itaque non ante contrectare dominationem aut illius deſiderium præferre voluit, quàm ſcriptis ad Regem literis fateretur, cuius ante alios tutelæ fideret, quemque præcipuè in cultum delegiſſet. Non enim ſe nouam fidem, aut ab eâ diuerſam quam priuatus habuiſſet animum offerre, ſed reuerentiam, & certum domus ſuæ obſequium; quæ vt in ſe prædeceſſores, ſic ipſe in poſteros tranſmitti, iure hæreditario cupiat. Protectionem Galliarum Reginam Amitam ſuaſiſſe, nec oblatam à ſe aſpernatam, non vt Regnorum ſimultates (quas abolitas voluerit) irritaret; ſed quò vtrique ſanguini nexus daret documentum, quâ integritate, in nullam Hiſpanorum iniuriam Gallicas res apud vrbem foret tractaturus. Acceſſiſſe munificentiam, quâ procul domo, in eo Theatro orbis additis domus ſuæ opibus eguiſſet, vt Principem locum impleret. Maiorum ſuorum conſilia (quamquàm intus recta, & Hiſpa-

Mantuanus in patriam proficiſcitur.

Commendata prius Regi Hiſpano cura rerum fertur.

Hiſpanis proficua nouiſſet) opinione ac famâ pro ſuſpectis habita, cupere non imputari ſibi; ſed nouo Principi liberum relinqui, factis & obſequio, quod apud animum ſuum ſtatuiſſet efferre. Interim ſe Ducatus curam fautore ac tutore Rege aſſumere cupere; idque primum reuerentiæ ſpecimen dare, vt eandem erga minora conſtantiam, in grauioribus præſumeret. Proinde à magno Rege amicum Principem patrocinium orare, quo plerique minori nomine ac fortunâ, nullo ante præſtito miniſterio profecerint. Hæc per literas quibus Hiſpanæ prudentiæ ſi non perſuaſum (magno quippe documento egere fides videbatur, apud gentem niſi experimento pronam in ſecuritatem) oblata tamen occaſio fidei, & cauſa abſtinendi iniuriâ, fouendique noui Principis, quotieſcunque congruentia ſermoni præſtitiſſet.

Cum ratione formidauerat Mantuanus, ne aduerſa apud quoſdam Parentis fama, quam ipſe tutelâ Regni Gallici fouiſſe videbatur, ſibi quoque innocenti imputaretur. Ad minora conuerſus Cardinalem Odoardum Farneſium inuiſit: eoque potentis familiæ ſimultates deterſiſſe, & oblitteraſſe odia magno populorum bono credebatur: quando vt olim inimicitiâ, ſic tum diſſenſionibus laboraretur. Officium aduerſus Regem Hiſpanum, ſiue ex animo fuerit, ſiue (vt quidam ſuſpicabantur) ſimulatum, non omninò Gallis placuiſſe, per Vrbem dicebatur. Iis enim aperti affectus & extra ſimulationem obſequium, aut auerſio accepta ſunt: nec facilè ſocium cultus admittunt. Redeuntem ad ſuos Ferdinandum, & magna Summi Pontificis caritate vrbe dimiſſum, obuij nobilium Mantuanorum plures aggerati, ante diuiſi, medio itinere aſſecuti ſunt: Quo ſtatu rerum iuſtitia domi eſſet, quibus ſuſpicionibus, quot hoſpitibus laboraretur docentes. Deuolutam Pedemontanam prouinciam Mantuam dicebant; tot proceribus in Principem ſuum ac Viduam miniſterio delatis. Sed Ferrarienſis Amitæ literæ certiora continebant: rumperet nempe apud Florentinos moram, & accelerato itinere properaret: ſed ipſe nullis ex relictâ Viduâ ſuſpicionibus, imperiumque quàm ſolicitudinem opperiens vix decimo die Bononiam venit, nobilium de armis hoſpitalitate exceptus. Non eâ compoſitione animi, aut moderatione Viduam Dominam emollitam Mantuani diſſerebant; ſed indignationis certam (dum ſe Parentis animus aperiret) & futurorum anxiam, vbi paratum vindictæ accepit, conſilijs præcipitibus (quæ Patriæ infenſi ſuggeſſerant) diffidere & lamentari iactabant. Eâ cauſâ cum indefeſſè Patrem ſolicitaſſet, Gubernatori etiam Mediolanenſi ſcripſiſſe, iras preceſque miſcendo credebatur. Suſpectam aduentantis Ducis voluntatem, iniurias Amitæ vt ferebant, Patrui Regis memoriam, res ſuas, infantis filiolæ fortunam objicientem; flagitaſſe tanquam in communem hoſtem auxilium, & ſtimulaſſe in vindictam, vt magis accenderet: eaque à Patre certo certius dictata; & literarum quoque formam, tranſmiſſam viſamque mentiebantur. Nam ſcriptum quidem Parenti, ſed abſque indignatione ſcimus; licet indoluerit quod ſtatim negligi, & detrudi ſede regia cœpiſſet. Ad Gubernatorem verò nullius oneratâ innocentiâ auxilium popoſciſſe; niſi credamus certiorem potius obitus coniugis reddidiſſe. Superſtite nam Patre acriter iniurias executuro appellare minorem fruſtra fuiſſet; non fidem, non caritatem eandem laturum. Qui veterum famulorum reliqui erant, ſiue conſilia æmulorum intus non proſpicerent, ſiue ſpecies humanitatis perſuaſiſſet Viduam induxêre, vt neglectus & irarum ſuſpiciones paulò poſt eliminaret. Deditque animi huius argumentum. nam quas ad patrem literas initio dolorum amici dederant, ſcriptas non voluiſſet; ne Mantuano Duci præter opinionem eorum, qui præferocem illum futurum dixerant periculum, Patremque hoſtem faceret. Pro Sabaudij voto ceſſit negotiatio apud Inoyoſam, non minus beneficij reum, vt Mantuani aduerſus Hiſpanos fidem dubiam, & in recentem viduam odium,

Redeunti Mantuano nobiles obuiam procedunt.

ex inanibus licet,& falſis præſumeret. Fauere Sabaudio apud Regem,tutum ſibi à calumnia videbat, ſi Neptis viduæ & oppreſſæ honeſtiſſimo nomine, quo ne iuſſus quidem palam induere hoſtilia cum laude poterat, occurriſſet. Effectis illius id vnum obeſſe poterat, quòd Mantuani ſterilitas, & in Viduæ hactenus ſuſpenſæ miniſterium, verſa cuncta famulorum officia, confudiſſe inuidiam, deterſiſſe conceptum odium,inaneſque vmbras depuliſſe videretur. Certiſſimam enim reuerentiam ſtatim deprehendit,& à Duce increpitos,qui contumaciâ imminuiſſe obſequium dicebantur. Forſan nec coniugium abnuebat : quod licet à Pontifice ac Regibus Europæ bono pacis propoſitum mox fuit,primò horruerat; non auerſione (quam bonæ Principis omnes numeros abſoluiſſe didicerat) ſed religione ac reuerentiâ.

Vidua officijs Mantuani placatur.

Delato Mantuam Duce, quamquàm honori ac dignitati Viduæ ſedulò ſtuderet ; iam apud Sabaudium cœpta indignatio, in odium euaſerat ; vt ſecutum obſequium in filiam,parum ad obliuionem creditarum iniuriarum conduceret.Magnus animus & neglectus inſolens ſtimulabatur, vt omiſſis querelis (quæ tardè apud Reges nec niſi cum examine æſtimantur) paratam vim inferret ; iuſque ſuum,quâ conſilio,quâ fortitudine liceret,experiretur. Solus Mediolani Gubernator Inoyoſa moram deſtinatis illius afferre poterat ; auctoritate Regis ſui, & parato militari præſidio aduerſus repentina. Is quamquam,vt diximus,Sabaudio obnoxius ; & (quod Mantuani deprehendiſſe aſſeuerabant) communicato ante conſilio, decreuiſſet amici cauſam proſequi, ampliare fines, & conditionem Mantuanam imminutione prouinciæ deterere ; non tamen opportunam deſtinatis vim crediderat, aut profutura odia, niſi tegerentur. Nec enim Mantuani nondum ad ſuos regreſſi voluntas perſpecta erat ; & ſi quid ſecus ac cuperet tractauiſſet, aut conſilia ſua obſequio regio præueniſſet, eluſam operam videbat. Cum inſuper per Italiam arma parare niſi Regis imperio poſſet ; & pro Mantuano,non præſumpta ſolùm cauſæ iuſtitia, ſed Galliæ Regis ſanguine auctius nexi patrocinium Cæſariſque auctoritas obuerſarentur ; quæ manifeſtam iniuriam diſſuadebant. Nec ſpecies illa ſtatim valitura Sabaudium fefellerat, ſtrenuum, non minus quàm prudentem. Proinde ad vtrumque Regem præmaturas literas miſerat, congeſſeratq; vniuerſa vt perſuaderet contemptum filiæ, Mantuanumque paulò ante Gallici nominis aſſertorem, Hiſpanos induiſſe, quos neglecturus ſtatim foret,lubricæ aduerſus omnes fidei:quò vtrique in abſentem inauditumq; ſuſpicionem primùm, mox indignationem conciperent : aut (quod minimum) ſi proprijs expeditionibus occupati,à ferendo ſibi auxilio prohiberentur,ſpectatores ad minus cauſam diuiderent. Ius faſque & neceſſitudines ſuas id requirere, ſuffecturum quippe ſe iuri ſuo ; habereque ad manus vires & auxilia, quibus imparatum Mantuanum loco detruderet,ipſe Monferrato potiretur,nouerat. Iuuaturos cauſam ſuam didicerat nonnullos, qui præſumptis Domini iniurijs occaſionem tranſitionis opperiebantur ; quibuſque minor Princeps, licet ſacramenti reuerentia præpoſitus,ſimul cum fide & amore viluerat. Secretò interim fouebat diſponebatq; ſeriem agendorum, futurique negotij ; & deſiderio vindictæ iuriumque ſuorum fautores vndequaque conquirebat. Quare cum & cauſæ iuſtitiam, & vetera iura, pactaque cum Mantuani Patre honeſtiſſimo titulo circumferret ; donis nihilominus ac promiſſis ingentibus tranſitionis pacta, cum rerum Gallicarum Hiſpanicarumque adminiſtris firmare dicebatur; recepto ſæculi more,vniuerſâ præuentione aut pecuniâ expediri. Neque tamen admittendæ iniquitatis,aut perſuadendæ perfidiæ ſtudio magnum illum Principem laboraſſe crediderim ; ſed cum opinioni rationes ſuffragarentur quæ tanto conatu iura proſequebatur, pro ſacroſanctis habuiſſe. Eâ famâ apud vniuerſos erat. Et licet nonnulli cogitationes viri, artes, ſocios, armaque auerſati ſunt ; ſubeſſe tamen

Sabaudius vim præfert, quã Inoyoſa non placet.

Nec Sabaudius ſibi deeſt.

men præſumpta iura,& cauſas honeſtiſſimas crediderant. Subditi aut beneficio illigati, quærere aut interpretari rationes non debebant, ſed pro iuſto accipere, quod ſupremus Dominus imperauiſſet. Magnum rerum pondus occurrat neceſſe eſt,vt falſo niti Princeps doceatur,qui natalibus,potentiâ, opinione virtutum, & longâ fauentium adulatione, rebus ſuis honeſti ſpeciem circumdedit. Cæterùm & qui poſteriori loco Mantuanum habebant ; quique adhuc deliberabant; aut extra cauſam obſeruatores aſſidebant,pro certo reputabant,Sabaudio,Inoyoſæ ac Principi Aſculano,iis conditionibusconueniſſe;vt conceſsâ SabaudioMonferrati parte reliquum Regi cederet (delinimentum tolerantiæ) vtrique multo auro ditarentur.Ius non iniuria dicebatur ; quòd tot mortalium ſententiæ , tam diu petita res , tantus Princeps requireret. Inoyoſam tamen apud æmulos plus opinione auctus Sabaudius, & tanquam ab illo per ſecordiam tractata arma,quæ iuſſu Regis induerat , receptaque aut diſſimulata conſilia, primo ſtatim impetu diſijci poſſe videbantur. Demùm ſecutâ Hiſpani nominis ignominiâ infamauerunt ; tamquam Aſculano conueniſſet, legeſque concordiæ multo auro ſancitas accepiſſet.Formidatum id Mantuano,qui aucupandæ vtriuſq; gratiæ,per amicos Mediolani agentes monebatur, non temperaturum pecuniæ virum, & vniuerſa venalia habiturum.Magnitudo vtriuſq; diſſuaſerat præſtari prodentibus fidem:& vt ſpecies maior integritatis præſumeretur, ne ſolitis quidem muneribus, honos regijs miniſtris in tempore habitus. Inter hæc certi nuncij detulêre Aſculanum miſſu Inoyoſæ Mediolano Mantuam aduentare ; non inania, ſed rerum ſumma afferentem ; vnde illi ac Sabaudio quies eſſet : & vt Hiſpanæ maieſtati decus congruo officio præſtaretur conſulebant. Vulgatâ enim Aſculani præuaricatione ſermonibus otioſorum,metuebant,ne ille à Mantuano,faſtu exciperetur. Scilicet Princeps ſpecioſâ potentiæ ac ſplendoris oſtentatione proceres Europæ illuc delatos,ſolitus honorare, impar colendo Aſculano fuiſſet ; egebatque monitore,ne imparato ſuperueniret. Id ſtudio & curâ ad anxietatem immodicis præſcriptum, Aulam omnem grauiter offendit. Affuit Centeno Comite inſtructus ſecundâ Ianuarij milleſimi ſexcenteſimi tertij decimi. Vim laturum non officium crediđiſſes,quòd famulorum numero,ac ſpecie,faſtuque,priuatum modum omnem ſupergreſſus videretur.Nec deerat ipſe compoſito in grauitatem ſermone, contemptu, cultuque præferre regiam maieſtatem, ſuſpendere ambiguitate animos, metum ſui reuerentiâ incutere. Huic ſe obuium Princeps Vincentius, Ferdinandi Ducis Germanus,ad portas vrbis obtulit. Comitabatur cœtus nobilium Mantuanorum,quò in Regem Hiſpanum deuotus animus,cultu adminiſtri noteſceret, vtriq; dignitas, ijs qui ſimul venerant præſtitâ comitate honor accederet : qui inani maieſtatis apparatu plurimum delectantur , nil validum aut ex dignitate putant , quod turba nobilium, laxitas ædium, ornatus, famulitiumque non adornet. Sed quia Inoyoſa & Aſculanus , potiſſimum laboris noſtri argumentum, breui pace,ac longiori bello, vniuerſa ferè arbitrio rexêre ; quâ domo, quâ fortunâ , quibus vterque artibus, quo fauore Regiæ gratiæ adrepſerint, præmittendum , vt ſeries rerum factorumque ſingulorum æſtimatione cognoſcantur. Nec enim euentuum in aperto iudicium eſt , niſi ſingula referantur , quæ commonefacere liberum animum,& poſſunt flectere in directa.

Princeps Aſculanus Mantuam.

Ioannes Mendoza cui Inoyoſæ Marchioni cognomentum erat,veteris ac honoratæ familiæ decora ortu ipſo nactus,Comitis Caſtri Germanus , natu minor, eoque impare generi fortunâ erat. Is vt obſequio potentioris , & militaribus ſtudijs,inimicam virtuti egeſtatem depelleret, iuuenilibus annis Conteſtabilem Caſtiliæ Mediolani Gubernatorem deſtinatum , & in Italiam tranſmittentem comitatus fuerat. Modicis domi opibus diſpendioſum ſeruitium fuit , patrimonij partem ſtatim detrahere coactus , quò inter exteros ditiores exiſtimationem

De Marchione Inoyoſa.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

retineret. Eam tamen iacturam in vili habuit; quòd præter vulgatem gratiam ſanguini Conteſtabilis illigatus eam in primis ad honores viam fore crediderat. Nec prudentem iuuenem & ſuæ vtilitati operatum expectatio feſellit, aut apud illum ſpes ingentium promiſſorum dilata: quippe ſtipatoribus Aulæque ſatellitibus præpoſitus, vbi Præfectum ſe Prætorio, & non leui gratiâ vidit; fide ac curâ, quodque exprimendo fauori ſummum fuit, humilibus miniſterijs altiora mereri ſtuduerat. Et quidem iuueni decora morum concinnitas, ſolicitudo, promptitudo, & erga maiorem reuerentia plurimum commendationis parauerant; videbaturque tempore, & iiſdem artibus, quibus initio inſtitiſſet in ſua commoda immenſum profecturus. Nec minus vt properanti ad maiora fortunæ via per ardua, & inter concertantes complanaretur, conceptæque ſpes indefeſſo apud Hiſpanos proceres officio nutrirentur, ijs quas vſu, & ex officio Conteſtabilis ad Regem literas dabat, modò indolem iuuenis, modò modeſtiam, modò fidem, & (quod caput rerum erat) vim animi inconcuſſam, conſtantiamque nulli arduo ceſſuram commendabat. Eadem Lermæ Duci (quem poſtmodum Cardinalem vidimus) & pleriſque quorum ſumma apud Regem auctoritas erat præſcribebat; teſtabaturq; dubium non eſſe quin ſi quando Reſpublica eius operâ eguiſſet, expectationi occaſioniq; reſponderet. Vbi certam Domini voluntatem & in ſua commoda vniuerſa parata vidit, ne quem æmulatu, aut promiſcuis prætextibus offenderet, magnis artibus amicitias procerum comparauit; ſtudio in omnes & facilitate, ſatis peritus apud ſuperbos, niſi ſummiſſione locum beneficio aperiri. Henrico III. Galliæ Rege per dolum manu ſicarij in Regni ac ſuorum ſinu confoſſo, cum Sabaudius eo rerum tranſitu, & (cui ſemper inuigilauerat) opportunitate vſus; tractis (vt ferebant) in vota Hiſpanis, tumultuantis ambigentiſque de ſucceſſore Regni extrema carperet; ſimul Salutium vicinio Taurinenſibus inuiſum, & præſenti cuſtodis perfidia oſtentatum ambiret; vt inter nutantes, & internis diſcordiis occupatos fines ſuos proferret, dominatoremque animum & ad res magnas intrepidum, quantocunq; incremento ſatiaret; Ioannem Inoyoſam tum priuatum, in partem conſiliorum adſciuit, promptum, callidum, fortem, magnificum, eoq; inter Duces aſſumptum. Sabaudio bellicæ viri virtutes, & prudentia placuerant; quibus ille innutritus amorem ſimilium imbiberat. Cæteri quoque Hiſpani promouerant geſtientem periculis probari; quòd nondum inuidendâ virtute ac potentiâ concire liuorem reliquorum videretur. Compoſitis mox Gallorum ac Sabaudij diſcordiis, conceſſione Breſſæ, & poſſeſſione Salutij (quæ quibus profuerint in præſentem inter Politicos diſputatur; nec in confeſſo eſt; reſtitutis in integrum rebus, quid Regi Gallo, quid Sabaudio magis expediret) alibi fortunam experiri coactus eſt, deficiente materiâ gloriæ apud Italos, vbi iam ſpecimen ſolidæ virtutis ediderat. Inglorius ergo per Burgundiam bellator tantiſper tolerauit; comeſq; potius quàm armorum arbiter, cum aduerſus Henricum IV. Galliæ Regem (cui rei bellicæ & virtutum gloria, magni cognomentum apud poſteros reliquit) ſub eodem Conteſtabili variâ fortunâ vſus eſt; per proſpera, per aduerſa, inter ſpem metumque, ſecuritatem & diſcrimina eluctatus. Ea tamen ſine præmio non fuit: Nam à Duce Sabaudio munificentiâ inuicto, quod ſua conſilia fouiſſet, & pro virili demeruiſſe videretur Sangermano oppido nobili ditique Marchionis titulo donatus eſt. Etiam opulentiora ſperare iuſſus; ſi eundem aduerſus ſe animum, per eaſdem artes, conſtanti miniſterio retinuiſſet. Non quidem defuerant, qui minoris Principis munera negligi; nec maioribus à Rege ſuo emanaturis obſtrui aditum honeſti titulo; aut tantum fidei in Sabaudio eſſe, vt duratura amicitia putaretur, perſuaderent. Ille tamen ſiue fortunâ (quæ ferè ambigua expedit) ſiue conſilio, & gratum munus habuit; & non obfuturum ſibi apud Regem munificentiam ferebat; quæ à conſanguineo & eiuſdem

eiuſdem auſpiciis militante proceſſiſſet. Amici liberalitatem acceptam eſſe etiam hoſtis,quoties dono minuatur. Hæc quantacunque bonorum acceſſio,intus minor quàm pro natalibus, & ſpe Inoyoſæ, origo illi tamen maioris fortunæ fuit,& honorum quos Rex Hiſpanus in tempore congeſſit præcipua occaſio:quaſi nihil nimium in eam generis claritudinem conferretur, quæ ſpecioſo etiam dominationis titulo per Italiam vteretur virtutis documento. Eo honore auctum Conteſtabilis fauore aſſiduus,citis equis ad Regem miſit, expletorum à Clemente Octauo Pontifice ſponſalium (quæ Ferrariæ tranſacta fuerunt) nuncium: & oſtentatum haud dubiè inter nuptialium lætitiam; commendatumque quem Rex gratiâ complecteretur. Struxerat iam fortuna cauſas occaſioneſque magnitudini viri,vt elatum magnâ decorum acceſſione ſublimaret. Primùm ergò inter Regij cubiculi nobiles adſcitus eſt, cui fauori & nobilitas natalium, & præterita merita viam ſtrauerant; receníque deſignatio contulerat, vt cuicunque per Italiam, Belgium Hiſpaniaſque Magiſtratui dignus haberetur; auderetq; ſi quæ gratiæ aut meritorum ſpes acceſſiſſet, altiſſima quæque præſumere. Ea dignitas Regij cubiculi eſt, vt admiſſos nobiles, tamquam candidatos, initiatoſque,cuicunque miniſterio ſufficiat. Nec Conteſtabilis ſemper habitam ſibi nobilis viri curam (licet abſentis) omiſit; ſed tamquàm redditurum operam proceribus Regni per literas laudatum etiam Regi ipſi, præſtitâ virtutis fide commendauit, ſi quando concepta opinio reipublicæ bono fuiſſet approbanda. Prudentiam & in ambiguis conſtantiam ante alia memorabat, quibus ſciebat Regij adminiſtri vim contineri. Fortè congruerat Lermæ Ducem,longiori ſeruitute,& certiſſimis meritis iuuene Rege potitum, arbitrum rerum regnorumq; curam agere. Huic ſe, & in primis vxori,miniſterio aſſiduus,promptus,indefeſſus, (per honeſtas tamen artes) cultumq; inſinuauit. Grata Lermæ Duci Inoyoſæ reuerentia ſtudiumque fuit; ſed huic præcipuè vtilis; quod geminato iam ſubſidio apud Aulam niteretur. Non inſolens Regno aut ſuſpecta,reprobataue eſt alieni matrimonij profeſſa ſeruitus; imò modeſtè ac honeſtè exercita, quamquam apud optimos & ſanctimoniâ inſignes,vrbanitate commendaretur. Aſſidere,occurrere,comitari,denique famulum ſe fateri extra iniuriam eſt. Eius obſequij aſſiduitate, tantum apud vtrumque coniugem fauoris nactus eſt vt (non abnuente Rege gratiam) Equitatus omnis per Hiſpanias locum tenens, mox bellici conſilij collega, ad extremum tormentorum bellicorum ſupremus præfectus renuntiaretur: Ingentia virtutis præmia,& niſi poſt labores ſtrenuiſſimo cuique concedi ſolita. Sed Lermæ Ducis coniunx miniſterio empta,magnam Inoyoſæ apud ſe gratiam,cuicunque virtutum cumulo contulerat; vt vniuerſos quibus eadem meritorum ornamenta erant præemineret. Quæ vbi deſideriis reſpondêre,& benè cultum ſuum collatum Inoyoſa vidit; ne fauor muliebris ad occaſiones lubricus inuidorum interpretationibus imminueretur, acrius inſtitit ſeruituti, comes domi, ſectator in viâ, apud Aulam indiuiſus: vt nemo iam quæri fauorem,ſed officio debitum reddi crederet. Hæc aliaq; obſequiorum, dum veram potentiam augeret,in vili habebat. Itaque eo amore ſecurus Principum quoque ac nobilium animos,comitate & gratâ facilitate morum occupare ſtuduerat; largus muneribus(quæ intus vilia,in ſpeciem magnifica Mediolano detulerat) ac promiſſis,ſi quando opulentior conditio obueniſſet. Profuerat oculato viro per Italiam apud Conteſtabilem oſtentatio auctoritatis; ab iiſque quorum ſermonibus lacerabatur,venditaſſe apud credulos famam potentiæ dicebatur: tamquàm in arbitrium Conteſtabilem traxiſſet; vt fauoris & admiſſionis indigentes, præpotentis famuli gratiam inirent. Indulſerat haud dubiè amico Conteſtabilis,Hiſpanâ tamen ſeueritate.Itaque cum plurimos petitione beneficiorum abſterruiſſet,quòd Inoyoſam officio ac precibus iuxta indefeſſum non repuliſſet,carum & conſiliorum admi-

Digitized by Google

niſtrum oſtentaſſe videbatur. Quæ nullo labore aut anxietate Mediolani coëgerat, pari facilitate in alios erogabat; non ignarus id amoris & amicitiarum compendium eſſe: raroq; apud Aulas gratuitum beneficium obuenire. Defunctâ Lermæ Ducis vxore, non leue rebus ſuis patrocinium detractum videns, in ſenem maritum intendit; continuatione ſeruitij & miniſterijs; vt illi non fœminile obſequium, ambitumq; vxorium cauſam præteriti cultus, ſed reuerentiam approbaret. Et quò pluribus benignis ſyderibus vteretur, ad Viedæ quoque Ducem, Lermæ filium eandem diligentiam conuertit; quem recenti potentiâ, & apud Regem exiſtimatione, calcatam à Parente viam ingredi nouerat; rerumque adminiſtrationi facilè ſucceſſurum. Vbi potioribus ſtudio ſui illigatis, amicitiarum ſatis, & ob communes curas, & Regni munia quibus admotus fuerat apertum ad Regem aditum ſibi vidit, tum ſermone magnificus profiteri cognitionem rerum Italiæ; nihil è moribus Gentis ingenioq; ſibi imperſpectum, Principum ſecreta & ſtudia detecta, vota, fœdera, amicitias, reditus, largitiones, militiam; denique Mediolani apud Conteſtabilem, nil accuratius egiſſe, quàm vt ſi quando ſibi onus committeretur, nullis adminiculis egeret. Id ſecretò cum Rege. Et quia frequens colloquendi occaſio, ſuis commodis ancillatus, intentius ſuadere; ac repetere. Res ac fides ſuberat. Nihil enim antiquius habuit, cum Italiam peragraret, quam vnumquemque vel minimum penitus cognouiſſe; & quo Hiſpanos aut Gallos affectu proſequeretur expiſcari. Iuuit ſedulitas, & vis ingenij, vt pauci fallerent, ſimulantes aſſequeretur. Nec obfuit oſtentatio, cum inſuper Lermæ Dux, in cuius manu negotia adminiſtrationeſq; Regnorum, ſuffecturam Inoyoſæ operam apud Regem polliceretur; qui vt minimè rerum anxius agebat, ſic in adminiſtros curam ferè reclinauerat; vt breui auditu expediret vniuerſa; fidei ac diligentiæ motum ſecurus. Cœpto Inoyoſæ fauori Regiæ etiam vtilitatis ſpecies nectebatur, vt promptius illi prouincia permitteretur. Cum enim præteritis Henrici Magni, Gallorum Regis aduerſus Italiam comminationibus Hiſpani didiciſſent Mediolanenſium competitorum illi plus fiduciæ ac ſpei accedere; cui Sabaudius medio ſitu, & non temnendis viribus hæſiſſet; non orare fœdus, aut requirere amicitiam minoris, Regiæ dignitati honeſtum ſcirent, futuro cuicunque Gallorum conatui opportunum Inoyoſam delegêre: quòd ſe veteri amicitiâ habiturum ſe in officio ſuſpectum, & forſan formidatum Ducem recepiſſet; eaque potentiâ contra Gallos occaſioni & tempori intentos Alpes ſe obſtructurum iactauerat. Id tum vulgatum nec falſi arguimus, nec recipimus; non ignari cuicunque negotio Inoyoſam, cæteris Regni adminiſtris parem futurum fuiſſe. Oppoſitum certè Sabaudum, ſi pro Hiſpanis in armis agat, & clauſtra montium quâ aditur Italia inſideat, remorari Gallos poſſe; & plurimùm negotij tranſcendentibus facere exiſtimo. Sed ſi eâdem vi ſedibus erumpant, quâ olim obiecta omnia torrentis more perruperunt, vanum Sabaudij conatum, non minus credimus, quàm Hiſpanorum: accepto non ſemel fortitudinis & violentiæ documento, quoties conferti Italiam cogitarunt. Quæcunque vtilitas ſpectabatur, creditum eſt multum in ſummam conferre; eoque Inoyoſa vt conciliator amicitiæ, ſupremo cum Imperio Mediolanum miſſus, reuocato iam Conteſtabili, & eo ſucceſſore exultante.

Inoyoſa Mediolani Gubernator.

Prouinciam nactus honori ac magnitudini ſuæ apertam viam cernens (vel enim modeſtiſſimo cuique paratæ opes ſunt) & procerum Italiæ in eundem finem obſequia, quibus ſe artibus humo tolleret, aſſiduè recolebat. Haud neſcius agebat, prudenti viro indulgentiam fortunæ, neceſſitatibus domeſticis, mox decori & ornatui impendendam: nec minus liberalitate ac cultu, mitigandos Hiſpanorum in Aula ſpiritus; ne apud Regēm obuiæ criminationes, promptam admiſſionem haberent. Quæſtus honeſtati componendus erat; res ardua, & quam

pauci

pauci miniſtrorum aſſecuti ſunt; cum ferè ſpecie & famâ nitantur. Primo aduentu ſuo faſtu ac maieſtate elatus, per Genuenſes inceſſit; mox quò futuris conſilijs formam præſcriberet, à vicinoq; ordiretur Sabaudij, Ducem Nitij agentem, & aduentantis amici nuncio exultantem conuenit. Huc ſe Dux contuliſſe videbatur, vt medio velut ſitu, quâ potiſſimùm parte vindictam inchoaret, æſtimaret. Diutius agitatum inter vtrumque dicitur, quomodo honeſtis Ducis deſiderijs ſaltâ exiſtimatione ſatisfieret: ne mutuò obnoxia caritas detegeretur, accuſareturve; ſimul vt accepto beneficio vicem redderet, ſpecie iuſtitiæ & gratitudinis. In res quidem ſuas intentus Sabaudius (quando deberi ſibi ingentia præſumebat, non auro, non promiſſis temperabat: vt cui certum eſſet, Monferrati partem, (ſi acquirere pretio liceret) vel ſolido auro contegere. Et quamquàm ſuperſtite Franciſco Mantuano Duce apertam vim è vicino non pararet, finium tamen adæquationem à Vincentio patre prætentatam, quacunque ea ratione obueniret, reducebat. Prætextus ex iuſto erat: nec enim aliud requirebat, quàm quod Vincentio Patri ſponte iuratis conditionibus placuiſſet. Multa aureorum millia, & ſpes vaſtæ nec defuturæ, egentem licet pecuniæ Inoyoſam non vicêre, vt quam Sabaudius ipſe æquitatem complectebatur, exueret, cuius inter decertantes Principes arbiter à ſuo Rege miſſus fuerat; fortique pectoro auſus eſt reiectâ vtilitate, quam opportunitas oſtendebat, præferre honeſtatem. Vulgus aliter commentabatur, cui in nouos & abeuntes locò Dominos licentia ſermonum eſt. Siquidem non apud Mantuanos ſolùm, ſed per omnem Italiam, conſiliorum vicini cuiuſque anxiam dicebatur; ſuperatum à Sabaudio fuiſſe Inoyoſam antequàm Prouinciam vidiſſet. Illum quoque ab Inoyosâ in humanitatis præmium nobile conſilium accepiſſe dicebatur; quòd monuiſſet, ſi ſecuras cogitationes ſuas, & deſtinatis opportunum finem cupiuiſſet, tenendum in officio Lermam, frangendos muneribus rerum in Aulâ ſeueriores adminiſtros, erga Regem & Iſabellam ſororem Belgij Principem, conſtans profitendum obſequium. Ad famam amicitiæ, & præſumptam cauſæ iuſtitiam, ſtatim omnes acceſſuros; quos ipſe iteratis officiis, procul ab omni ſuſpicione conſcientiæ foret habiturus. Sed Mineruam erudierat (ſi verum fama obtinuit) nullibi certiori quàm apud Sabaudium prudentiâ. Addidiſſe quoque Sabaudius Viedæ Ducem ferebatur, cæteroſq; Aulæ Senatores (tamquàm accepto documento profeciſſet) eoſque cultu regio habiturum ſe ſpopondiſſe; ſolitaq; magnitudini ſuæ munificentiâ creditur datam fidem redemiſſe. Sors fuit quibuſdam accipientium, quod Sabaudio conſuetudo liberalitatis, & documentum magnanimitatis erat, auaritiam appellatam. Iſabellam certè Regiam ſororem, officiosè habendam fruſtra Inoyoſa præcepiſſet; quam naturalis teneritudinis manifeſtam, & prior Sabaudius coluerat, & nouerat ſibi haudquaquàm defuturam. Vbi Mediolanum venit publicis curis vtcunque compoſitis, nihil antiquius habuit quàm ſtudium omne in amicum conuertere. Honeſtiſſimo titulo vtebatur; conſanguineum enim regium amicumq; fouere ac præferre ſe iactabat; ſeq; recentibus beneficijs deuinctum (nam olim iturus in Hiſpanias, cum Sabaudio Sangermanum donum eius reddidiſſet pretium vniuerſum in auro receperat) denique Victorium Principem Pedemontanum, etiam Eccleſiaſticâ affinitate illigarit; quòd recens natum ſibi filium, ſacro è fonte ſuſcipiendum obtuliſſet. Et quia non alio fortiori beneficio Sabaudius retinebatur, quàm ſi multa & magna illius dona accepiſſet; vt in coniugem illius puerperio decumbentem Pedemontanus filius regia dona conferret, voluit. Niſi iam recepta conſuetudo Principum Italiæ legem fecit; vt cuicunque nouo Gubernatori Mediolanenſi munera ampliſſima tranſmittantur. Hiſpanæ gentis ingenium, nec inter inopiam quidem, in alienum ſeruitium conſentit;

ſed dignitatis ſuæ memor, non ſine faſtu munera recipit, eodem quo Sabaudius animo; vt ſcilicet vbi munus acceperit, danti imputet collatum beneficium. An apud Inoyoſam flectendo animo aurum vires habuerit, ſunt qui ambigant, quòd cum ſe Sabaudio proniorem dicto factoq; ſæpius oſtendiſſet, auſus ſit aduerſari interdum & repugnare: quaſi ſtudia ſua honeſto non gratiæ accommodaret. Id Sabaudium non offendit: cui certum erat iure non iniuriâ proficere; nec cum paratos exercitus haberet, aliud ab Inoyoſa requirere, quàm vt vel medium pacis ageret; vel orto bello ſpectatorem. Quod ſi nobili viro conſuetudine potentium dona placuerunt, id ante alia curauit, ne quando iuſtitia læderetur; neu ſpecies vlla auaritiæ recentem adminiſtrationem inquinaret. Videbantur quæcunque in amici & affinis Regij gratiam agerentur, apud illum neceſſitudinis titulo excuſari. Sed callidior prætextus ſuberat; qui vtcunque cauſam promouebat; auulſo nempe ab Gallis Duci, & in partes Hiſpanas conſilio allecti, nil officij aut cultus nimium eſſe, quod non aliâ amicitiâ Mediolanenſis Ducatus poſſeſſio tutior apud Regem crederetur: nec tantum in gratiam amici fieri, quod omiſſarum partium Gallicarum beneficium æquaret. Accedebat regiæ ſororis Iſabellæ in Sabaudios Principes caritas; quos ſorore genitos, materno affectu fouebat. Et flagitatio munimentum in Aulâ erat, ne quis nimium in illos ſtudium criminaretur. Obuerſabatur & metus, quaſi parum illi profutura aut duratura prouincia foret, ſi neglgentius nepotes Regios coluiſſet. Minus quàm crediderant Hiſpani hæc aliaq; Sabaudium mouêre, mole ſuâ rutum; & vel aduerſis regibus, repetendis iuribus ſuis (ſi quæ certa crediſiſſet) arma expediturum. Principis quidem fœminæ reuerentiam nunquàm hactenus omiſſam, ne tum quidem reiecit; ſed (vt putant) ſtimulatore Inoyoſâ datis ad illam literis ſaſſus eſt, certam Inoyoſæ aduerſus res ſuas ſolicitudinem, & deuotum in Principem fœminam animum: vt vtroque victa, & commendaret acrius, & preces apud Regem inculcaret, ne ſororius fruſtra iuſtitiam inuocatet. Sic Inoyoſa quod ſponte meditabatur, precibus fœminæ, monitu Regio tutabatur. Et ferè potiores in Aulâ ius faſq; præferebant; vt fautores honeſto, non corruptores acceſſiſſe viderentur. Magnæ Principis nota temni non potuiſſe, vt prætextibus ſuus locus eſſet, vtrique præuiderant: præſertim ſi accepta Regi conſilia, nec alia miniſtrorum deſideria coguouiſſet. Porrò ſi quando duriorem Mantuano ſeſe præbuiſſet, id obnoxiè ſiniſtrè, honeſtè plurimi interpretabantur: ſic diſcordes in pacta & conditiones trahi; ſic peruicaciam partium frangi aſſeuerantes. Quæſiſſe per literas aſperitatem, ſed dicto & factis molliuiſſe; & ad extremum reſcidiſſe maioris Principis amicitiam: vt Mantuanus (licet renidens) auitæ Monferrati poſſeſſioni reſtitueretur.

Hoc ortu, gratiâ, fortuna, fauore, artibus Marchio Inoyoſæ Mediolanum obtinuit, Mantuanis Ducibus hoſpitalitate quæſtuoſâ, plures ante annos, & gratâ comitate obligatus. Sabaudio tamen Regij ſanguinis, & magnitudinis illius æſtimatione deuinctior. Ante alia Mantuani, nobilem viri animum offenderunt quòd nimij memorandis quæ Vincentius Dux contuliſſet, auſi forent vetera reuocare; tamquàm exprobraſſent expoſtularenturque. Aliam fuiſſe Sabaudiamorum viam cum Inoyoſa proceſſu temporis accepimus: cum enim orto bello pleraque queſtus aduerſus illum eſſet; & iurium ſuorum ſanctitatem iactauiſſet, memoriâ beneficij prorſus abſtinuit; receptâ apud omnes famâ, neminem ſpecioſius beneficiâ conferre; ne debitorem recordatione gratitudinis rubore reſpergeret; aut non cauſæ iuſtitiam, ſed merita quærere & repoſcere videretur. Eius certè liberalitas infamiam proim aduentu Inoyoſæ tulit garrientibus ſcripitantibuſque per Italiam nonnullis, venalem nouo miniſtro æquitatem fuiſſe. Sed eruditum ante Sabaudium, benè

pro

Digitized by Google

pro dominatione aurum contemni; & id ab eâ gente accepiſſe; quæ vbi magnâ per Italiam & Belgium potentiâ increuit; voluerit minoribus aduerſus auaritiam, & prauam habendi cupidinem continuum bellum eſſe. Igitur ab Inoyoſa Aſculi Principem miſſum ad Margaritam, & Ferdinandum Ducem Mantuæ retulimus; non auerſum votis Inoyoſæ, & conſcium cuius ſponte electus foret. Hæc compendio præmittenda duximus, vt præteritorum cognitione, futurorum exitus certior haberetur. Quippe mores, amicitiæ, odiaq; in ea vrgent hominem, quibus naturâ & affectu procliuis eſt.

Porrò Antonius de Leua, alterius eodem nomine nepos (qui pro Hiſpanis ſtrenuè ac feliciter exercitâ militiâ gloriam generi, Aſculumque Neapolitani Regni vrbem titulo Principatus domui ſuæ intulit) prima ſtipendia apud Flandriam paucorum annorum fecit; quibus tamen ſpecimen virtutis, & in multam frugem euaſuros conatus oſtendit; apud eos maximè, qui veterem, & antiquæ diſciplinæ retinentes militiam, ſectabantur. Vbi procul bellandum per Gallias fuit, non ignobilis Imperator iuxta Roanum meruit, ſub Alexandro Farneſio Parmæ Duce: à quo cuiuſque virtus non fauore & ambitu, ſed præuiſu ac deſtinatione, nec minus experimento conſtantiæ præferebatur. Vbi decertantibus Gallis, Hiſpaniſq; pax interpoſita, ſiue minus quæſtuoſa militia, quæ incerti otio tranſigeretur, ſiue curæ domeſticæ illexerant, accepto regio commeatu in Patriam redijt (quidam miſſo curſore vocatum dicunt) vbi paucos poſt menſes quibus vexationibus Aulæ agitatus, quàm ſeuerâ cuſtodiâ habitus; quibus querelis impertitus fuerit; vtque magno viro, & dignâ honore ſuo conſtantiâ, cum delictorum inhumanitatis interrogaretur, vſus ſit, ne ſuis dedecori, æmulis ludibrio eſſet; & nouêre vniuerſi, & à cura noſtrâ procul eſſe exiſtimo. Demum Philippi III. imperio (cui mira in ſuos caritas & auerſus immanitati animus erat) cum ſatis ſuperq; ærumnarum indignis querelis toleraſſet; & apertè eluiſſe obiecta videretur; id ſtatim (quamquàm infenſis æmulis) obtinuit, vt veterum criminum quæ congeſta erant, memoria omnis aboleretur, honoriq; priſtino ac famæ reſtitueretur. Simul ne præſentiâ hoſtium, qui in innocentem conſpiraſſe dicebantur, offenderetur, Mediolanum miſſus eſt; vt quamquàm extra Patriam ſpeciem exulis præferret, ſuæ tamen gentis conſuetudinem, & honeſtum peregrinationis nomen, creditæ contumeliæ circumdaret. Itaque per hæc tempora malæ famæ damno, & belli incommodis exercitus; nec minus tot annorum impensâ, immenſum æs alienum conflauit: quod vt diſſolueret, non ſolertiæ, non benè demerendi ſtudio, non obſequio apud omnes & præcipuè Comitem Foëntes Mediolani Gubernatorem pepercit, comitatu, aſſiduitate miniſterij, & fide. Et profuit ſtudium in eam eo præcipuè auctore ſuſtentata viri merita apud Regem; procuratumq; vt egenti ſex aureorum millia penſionis Annuæ nomine penderentur. Pauciora erant, quàm vt nobilitati & ſplendori ſatisfacerent: coq; retinendæ aduerſus Inoyoſam eædem artes erant, quibus cum præeceſſore profecerat; vt dignitati, ac Hiſpano faſtui ſuffecturam expenſam congereret. Ergo generis nobilitate adiutum, miſſiſq; ex Hiſpania literis, quibus ſummæ dignitatis viri, egenti & bono Principi patrocinium orabant, Inoyoſa præferre non abnuit, complexuſque eſt, & beneficiis immenſum auxit.

Principis Aſculani conditio.

Hoc ſtatu rerum Princeps Aſculanus Mediolani toletabat; cum Hiſpanæ militiæ apparatu, Longobardiâ non ſolùm omnis; ſed Europa (vt per incerta ſolitum) æſtuarent. Et quia paratus in bello nobilibus locus, ab Inoyoſa (cuius ingenio artibuſque mirè congruebat, generalis, quod aiunt, Campi magiſter renunciatus eſt. Inoyoſæ iudicium ſtatim Regis voluntas ſecuta; vt qui ferè miniſtrorum arbitrio, pauca ſponte decerneret; diſſitus; eoque & rerum &

Digitized by Google

opportunitatum ignarus. Cum inſuper Princeps conſtans obſequij duraret, honeſtior Mediolani haberi cœptus,& præcipuus ad conſilia: innexus haud dubiè cogitationibus Inoyoſæ, voluntatis executor, tenaxque præceptorum, quæ ſibi honora, & in tempore profutura rebatur. Quod prudentia & quietis amor fuerat, refractarij quidam manifeſtam arctamque cum Sabaudio amicitiam, & voluntatem gratiæ dominantis proſtituram appellabant; arguebantque tamquàm elabi opportunitates benè agendæ rei non ſemel paſſus eſſet; & deliberationum quæ in regiam cauſam interpretabantur, foret præuaricator deprehenſus. Id apertius apud Monferratenſes, & Venetiis vulgatum, ad Aſculanum fidi detulerunt; qui tamen obuiâ & ad manus vltione, iuſtiſſimo aduerſus temerarios odio temperauit. Non aliud grauius Mantuani cauſam apud miniſtros regios oneraſſe creditur, quam ea linguæ licentia & intempeſtiua & inconſulta; vt quæ Domino ipſi imputaretur. Equidem licet pronum ac facile Aſculano interdum fuerit, magno nixu bellum Sabaudio, nondum aduerſus tam ingentem exercitum & belli molem ſatis firmo, mouere; quia tamen per eos dies pax bello mixta, & integra concordiæ ſpes erat, iis abſtinuiſſe iniuriis cenſebatur, quæ reconciliationem mutuam poſſent impedire. Idque ex prudentiâ: neque enim manifeſtus hoſtis Hiſpano Sabaudius putabatur, nec arma in Regem primo ortu diſſidij mouerat; ſed querelas tantùm, & iurium ſuorum iniuriam aduerſus Mantuani protectores lamentabatur. Hæc cauſa imaginis belli Inoyoſæ, & temperantiæ fuit: niſi fortitudinem Sabaudij æſtimatam ab Hiſpanis credamus, quem ſcirent, minori numero militum reperiri quidem poſſe, non item imparatum. Et habuiſſe nihilominus peditum legiones ſcimus, longo belli vſu inſtructas; equites præterea mille, quorum fortitudini nullæ per Europam turmæ poſſent comparari. Virtus quoque Sabaudij deliberationes Hiſpanas morabatur: nemini quippe ignotum erat ſuis promptum, alienis auxilijs facilem, intra paucos dies tracturum in partes potentiſſimos vicinos; maiori Hiſpanæ exiſtimationis, quàm rerum ſuarum diſcrimine. Horum neſcij, & veritatis incurioſi vulgato Mediolani ſcripto, & in Hiſpanias ſine obſignatore miſſo vniuerſa carpebant: intercipi Sabaudium Equitatum, deleriq; peditatum omnem paucitate, aut iniquitate locorum regios ac meliores voluiſſe; idq; pronum factu, aut non arduum fuiſſe: ſed Aſculanum hoſtili conſcientiâ, tempus, opportunitates, victoriam ipſam prodidiſſe, indiciumq; damnaſſe. Adhæc Ioannem Viuas, belli ac pacis ſtudio non ſpernendum ciebant teſtem negligentiæ, & ſimulationum detectorem: ideoque medio procerum conſeſſu (cum nil ſatis Aſculano placeret, vniuerſa aſpernaretur, ipſe nil præſcriberet) prorupiſſe, conſiliorum illud pernicioſiſſimum confeſſum; quo in rei ſummam nihil deliberaretur: vt dubium non foret, illum inutilem Aſculani cunctationem criminatum; quâ exiſtimationem & decus regium intermori opinabatur. Profundum ac tectum fuiſſe arguebat, donec ingruentibus agendorum opportunitatibus aperire mentem; & quo vlcere laboraret detegere coactus foret. Diſceptationes quidem, & anxia de bello conſilia, vniuerſos (etiam Mantuano ac cauſæ communi fidos) primum in prudentiam flexiſſe: ſed vbi apud ſtrenuum aliàs recens ignauia excuſari non potuit, emerſiſſe artes, & certiora ſuſpicionum appparuiſſe. Vertiſſe ſecordiam in proditionem. Hac famâ vix ortis ſimultatibus laborauerat; quòd difficile eſſet abdere animum, ſiue amicitiæ, ſiue cauſæ proniorem. Cæterùm ea æmulationis vis eſt vt quamquam falſa, aut certè non probata, in ignominiam Aſculani cederent; donec voce ac ſcripto, rationes agendorum omittendorumq; adjicerentur. Hæc in plures menſes euntia, ſemel complecti animus fuit; vt ſciretur quibus moribus, quâ famâ vir nobilis in bello

ac pace

ac pace vſus ſit. Aſculanus certus ſententiæ inde originem concordiæ prius requirere, vnde plus metus diſcordiarum eſſet, vbi Mantuam venit, ſtatim Viduam & Pedemontanum Principem, non expectato Duce Ferdinando conuenit: licet haud procul vrbe eſſe, & potuiſſe eodem itinere præuenire diceretur. Id perſpicaces quorundam animos ſuſpicione perſtrinxit; & auditi formam congreſſus carpere. Cur enim in alienâ domo, Viduam, partem familiæ, neſcio ac neglecto Patrono adiiſſet? Cur Mantuanum Ducem cuius abſentis hoſpitalitate vteretur, paucarum horarum morâ cunctaturum præuertiſſet? Præpoſteram diligentiam, & ſuſpectum officium eſſe. Nec contenti animum laceraſſe, etiam in conſilio prudentiam requirebant: Nimis citò depromptum neglectum; & ſi amicitiam prætuliſſet, à facili, & nil ſuſpectante Duce, plura quàm requireret, fuiſſe relaturum. Speciem eam neglectus cauere ſibi Mantuanum ab inſidiis docuiſſe. Nec id latuit, adeo libero apud ſuos æmuli ſermone vtebantur. Ea quoque neglexiſſe Aſculanum ſcimus, auſumq; profiteri, vel inuito Duce ſe illi beneficium collaturum. Proinde quantum per anguſtias temporis licuit, communicare ſalubria Pedemontano & Mantuano conſilia, & abſente iſto, agendorum formam proponere feſtinauit: tantâ ſecuritate, acſi conſummato iam negotio aduenißet. Gratam vtrique fore diligentiam, & laudandam operam, ſi neſcijs partibus profeciſſet crediderat: ſimul ambiuerat prius inter diſcrepantes ſeuiſſe concordiam, quàm mutuò conueniſſent. Eâ fiduciâ Dictatorem potius quàm legatum ſe ferebat: Monitus enim vt aduentantem Mantuanum opperiretur, fertur reſpondiſſe & imperio & paci ſuperuenturum. Sed apud rerum Mantuani adminiſtros, Ferrarienſi, ac Duce in primis ſepoſitis, ſummam indignationem accendit: quippe inofficioſa ſalutatio credebatur, quæ odiorum, ſuſpicionum, & æmulationis potius, quàm caritatis ſpeciem haberet. Suppreſſa aut vni tantùm communicata conſilia pro ſcelere accuſabantur. Ipſo die Comes Thadeus Rangonius, & Marchio Terentanæ ad ſuos Dominos redière, ille à Mutinẽſi Duce paruo comitatu, hic à Mirandulano Principe Alexandro Pico, cum duodecimo famulo legati; luctui ſolatium apud Viduam, & officij curâ. Sub meridiem diuiſis etiam in partes ciuibus, & omni angulo ſecretis cõgreſſibus obſeſſo, incertis nobilibus ac plebe, quorſum tot dierum mora Principis ſui ſpectauiſſet, quid tanto paratu inſolitæ legationes, & Pedemontanus molirentur; cui ſe cauſæ, quibus ſocijs committerent; cum recepta iam inſidiarum latentium opinio ſuſpectas amicitias redderet, Ferdinandus Dux Mantuanus ciuitatem ingreſſus eſt, raris comitibus, niſi quos ſecum Romà deduxerat, aut habuerat obuios; quorum relatu acceperat, Pedemontanum Principem & Aſculanum, pro arbitrio vniuerſa ſtatuiſſe. Explendæ tamen comitatis (vt ferebatur) certus, nec inania ſuſpicionum admittere rectâ ad Viduam contendit, vitatâ Amitâ, ne eo quoque offenderet, quod diſtuliſſet. Contra alij ſuadebant, ſed valuit paucorum ſententia. Quibus Mantuani mores indoleſque iuuenilis perſpecta fuerant; iactatam ab alijs facilitatem, & obſtructas adulatoribus aures, ſine irriſu ferre non poterant. Quamquam enim nil obſequij & pietatis omiſſurum, quibus etiam Sabaudij animus leniretur exiſtimarent, plurimum tamen referre nouerant, ſponte ne an dictatus quis reuerentiam haberet. Viuacem quoque animum, & ante annos, rerumq; experimentum ſapientiæ profeſſorem metuebant; ne huc illuc actus, lubricuſque mutandæ ſententiæ, accepto rerum arbitrio, licentius vagaretur. Licet certè non alij cogitationi ſtatim ſublato fratre intentius hæſiſſet, quàm vt cultum omnem in Viduam, & facilitatem in Sabaudium proferret; mobilis tamen animus, & priorum conſilijs obnoxius metuebatur, ne in deterius alienâ corruptelâ, ſuo magno malo mutaretur.

Comes Thadeus Rangonius Marchio Terentana.

Dux Mãtua ciuitatem ingreditur.

Vbi coram Viduâ fuit, fraterni amoris ſpecie receptus eſt; & cum paulùm re-

Viduam primò inuiſit.

ticuiſſet præpedientibus lachrymis, mox eâ (cui credi par eſſet) fide datâ, ſibi funeſtiſſimam eam diem viſam, quâ fratrem certiſſimæ caritatis amiſiſſet, cuique famulari totâ vitâ decreuiſſet, teſtatus eſt: Nec ſe hactenus Eccleſiaſticis inſtitutis initiatum, accedente Principis ſanguinis maieſtate, & opibus, quibus decus gentis ſuſtentaretur, ampliora cupiuiſſe. Supremi numinis voluntatem, vt euitari nequeat, ſic inconcuſsâ animi firmitudine ferendam eſſe. Cæterùm quâ ſibi licuiſſet fratris coniugi manifeſtum facturum; quàm procul ambitionem, ſuperbiam, auaritiam, & contumacem animum habeat. Poſcere interim vt ſe adminiſtro, & conſultore aut ſi plus honoris ſibi collatum velit, ſocio tolerandæ dominationis vteretur. Id pietate dictum nonnulli volebant, quidam neceſſitate; iam enim incerto auctore rumor percrebuerat, Viduam Principem grauidum vterum circumferre. Subdidit etiam Mantuanus, firmando Viduæ animo plura dicturum fuiſſe niſi eodem vulnere ſaucius, & pari conſtantiâ vtrique eguiſſent: vero animo ſuo ſatis ſuperq; gratiæ reddi, ſi non ambitioſas lachrymas, quæ ſimulatione accuſarentur; non obſtructum mœtori animum, non obfirmatum commiſerationi (quod inhumanitatis eſt) attuliſſe Mantuam ſciretur. Equidem nonnullis ea ſpecies impoſuerat; ſed conſilia Dominorum altius rimari ſoliti, ex familiaribus ſciſcitati ſunt, quâ fronte nuncios fraterni obitûs accepiſſet; quo vultu in vrbe, quo ſermone toto itinere foret vſus. A cubiculo intimus affirmauit, nil frequentius in ore habuiſſe, quàm euaſiſſe ſe detractorum inuidiam; finitam illi plenam lætitiam, & (quo honeſtè fortunam admiſiſſe crederetur) ſuperûm conſilio Principatui admotum, vt populos deſiderio fratris languentes ſolaretur; & maliuolentes beneficijs confunderet. Etiam in famulum mediaſtinum conuerſus (horum enim ſecreto plerumque gaudebat) dixiſſe fertur, tandem ſe ſine tutore caſibus obiectum; & res ſuas bonâ ac magna fortunâ egere. Comminatum nec minus malis Aulæ inſtrumentis, qui fraternam diſcordiam ſtudio prouocauerant, nutriuerantque. Exitus certè docuit, non alio ſenſu fraternam mortem accepiſſe; & quamquam caſui indoleſceret, ineſſentque iuueni, pietatis, facilitatis & magnarum virtutum ſemina; modicum tamen gaudium ſeſe luctui miſcuiſſe, ſiue vagare recenti fortunâ mens cœpiſſet, ſiue mobili animo, momentum omne nouis affectibus indueret. Attamen Vidua conditionis humanæ gnara gemitibus quos lachrymæ manantes interrumpebant potius, quàm fuſâ oratione reſpondit; quibus tamen gratum obſequium ſibi, & præſtitum officium fatebatur. Pauca amore familiæ proſecuta eſt; ne vetus famulitium recentioribus miniſtris ſuo ludibrio haberetur. Reſpondit Mantuanus fide oppignoratâ cupita illius rata fore; nec alio vniuerſos loco, quàm cum frater rerum potiretur. Tum primùm promiſſa illius (fortè alienâ culpâ) fluctuare viſa, quod paucos poſt dies, quos in Viduæ gratiam retinuerat, dimitterentur, vt infidi, aut exercendorum munium ignari. Vbi coràm Viduæ ſatisfecit, ad Pedemontanum proceſſit, cum quo plùribus vſus eſt, compoſitâ ante oratione, cui multum ornatus compoſuerat. Hunc gratâ morum dulcedine Taurini notum ſibi, fraternâ poſtmodum caritate complexus fuerat. Cum Aſculano haud incongrua proſecutus eſt; & ante alia ſuam aduerſus Regem reuerentiam, cuius documenta in tempore prompturus eſſet. Adornatus ſermo, & oratorum coloribus comptus, ne Mantuanis quidem ſatis placuit; ſolitis aliàs cuncta quæ faceret, diceretve, miris in cœlum laudibus ferre. Dedecere maieſtatem tantum verborum, arguta, & magnis ſenſibus prægnantia, non confuſa, non præpoſtera commendabant. Tum breue tempus curandæ laſſitudini impendit, mox Amitam Ferrariæ Ducem procul à domo, inter ſacrata Virginum ſepta agentem conuenit, anxiam nepotis, inter ſacrata Virginum ſepta agentem conuenit, anxiam nepotis, & primi congreſſus (vt didicimus) vſque ad querelam ambitioſa. Non defuêre tamen aut veri, aut accenden-

cendendis indignationibus reperti, qui viſum ante, & poſt aliquot horarum colloquium cubiculo egreſſum,& aliâ mox viâ in Palatium delatum faterentur.Imo ſummiſſum Comitem Chieppium,vt perſuaderet, ne inconſultâ Amitâ congreſſum Viduæ aut Aſculani peteret: habere illam quæ prius ſciri in rerum ſummam conduceret. Nobis id incompertum:niſi roboraſſe cõiecturam credamus breuem Amitæ fabulationem tamquàm paulò ante vſurpatam. Vtcunque res ceſſit,ſermo reuerens & confeſſione gratitudinis compoſitus fuit; dataque ſpes eodem apud ſe,quo matrem decuiſſet loco in poſterum futuram. Simul orauit,ſi quibus præceptis iuuentus ſua inſtrui foueriq; poſſet, inchoato plures ante annos beneficio continuaret. oratio omnis affectati cultus,& deſiderio congruens; geſtiente Amitâ Materni nominis & auctoritatis dulcedine. Formauerant amici antè, ne in dubio haberet,potiſſima eius arbitrio expedienda,iunxerantq; recentem cultum; tamquàm non alio certiori medio, potentiam à Vincentio fratre cœptam, eſſent retenturi. Si vim illam imperij moderatius ambiuiſſet, & Mantuano Duci & domui pariter fuerat profectura, in eius vicem quod corrupto conſilio detraxerat.

Numinis equidem deſtinatio fuit,vt Princeps fœmina, nullis dominandi artibus erudita, Monialium tantum familiaritate & conſuetudine plures annos vſa, & inani æmulatu agitata, nepotis tempora incurreret, cuius ætati graue onus erat,raptandum ſe fœminæ permitteret. Vniuerſis poſtremò nobilibus, ad noui Ducis genua proſtratis, comitate & facilitate admiſſionum Mantuanus ſatis egit. Nec enim deerant Aulici,ſubditi, exteri, occurrere, gratulari,oſculis dexteram, liciniam fatigare,prenſare genua,oſtentare ſeſe ac commendare. Hos inter cum manus ablueret vt menſæ aſſideret, nos quoque occurrimus; cumque obuerſis in ſupplicem oculis reſpondiſſet,non id tempus lachrymarum; paulò poſt adminiſtris adſtantibus addidit, parum ſe debere fortunæ, ob nouam potentiæ acceſſionem; minus medicis,ſiue praue fraternam curationem diſpoſuiſſent, ſiue eos vis morbi fefellerit. Annuentibus omnibus,& iis maximè qui lætitiâ geſtiebant. Secutæ res oſtendere verè illud tempus lachrymarum fuiſſe; & defuncti fratris fuſo omni ſanguine rectè reuocari potuiſſe.

Tum in curas vertit; aſſiduis lateri qui monebant, cuiuſque temporis etiam breuiſſimi iacturam exitioſam eſſe: Cumulata eo interregno negotia, & futurorum præuiſum, expeditionis egere: Hinc enim populorum neceſſitates, & ciuium vrgebant; illinc externa graui mole incumbebant. Gliſcebat enim (licet nonnulli riderent) ex Sabaudio ſolicitudo; filiæ Viduæ, ac neptis conſideratione. Tot enim oratores,tot proceres, tot curſores & Principes haud fruſtra putabantur. Nec ſi fuiſſent,ſecuritatem Mantuanis, & metuentibus & infirmioribus perſuaſiſſent. Speciem tamen magni animi conſultores prætulêre,dum præuentionem ſuo Domino ſuadent; aut præoccupatis regum animis, repreſſionem validioris opperiuntur. Sed nec in ſuſpicione conſtantiam retinuerunt. Quippe tamquam Mantuanus potentiam non ſuam, vſurpato alieno titulo præcepiſſet, fruſtrà vti diligentiâ docuerant. Vix enim Palatij limen tetigerat,& vterum Dominæ aſſeuerantes obuios habuit; non dubijs vt initia coniecturis,ſed ſpe manifeſtâ. Facilis crediti erroris correctio (quamquàm verecunda) putabatur, ſi quâ facilitate nomen Ducis receperat,maturato conſilio & admiſſæ auctoritatis eiuratione depoſuiſſet. Infantem defuncti Ducis filiam æſtimatione ſui id conſilium inſtillaſſe, malè creditum: Perſpectum enim non Mantuano ſolùm, ſed & Sabaudio erat, vt Mantuanum Ducatum nullo vnquàm caſu rerum in fœminas ire poſſe; ſie nec Monferratum, eaſdem niſi deficiente omni ſtirpe maſculâ recipere. Crediſſe verò Sabaudium id iuris nepti obtigiſſe, tam fruſtra eſt,quàm eorum interpretatio,qui id conſilij prudentiſſimo Auo appingebant.

Mantuani diſputãt an Dux debeat abſtinere titulo Ducis.

Prægnantis vteri famâ (manifeſto quamquàm erroris inditio) Mantuanum peruicit, vt cognomento Ducis ad paucos dies abſtineret ; licet id quidam diſſuaſiſſent : ne degenere ſilentio Princeps timorem oſtentaret. Alij audacius linguâ vſi (quod inter alia rem Mantuanam afflixit) repertam eam à Sabaudio ſcenæ fabulam circumferebant, vt quacunque occaſione ; ſiue retinuiſſet, ſiue reſpuiſſet, vanitatis irrideretur. Cur enim viuente Franciſco præcipuum id coniugis deſiderium, ſi obueniſſet non ſtatim vulgatum ? aut quâ causâ ſuppreſſa lætitia, manifeſta mariti impotentiâ, aduerſus ea quæ auidè opperiretur ? Denique non debuiſſe Viduam in aduentum Pedemontani fratris, ac Comitis Baſtiæ differre famam, quæ ne Mantuanum quidem offendiſſet. Prorſus aliena dictata ; & ab infenſis honori recentis Domini repertam ſimulatione iniuriam ; non alium in finem, quàm trahendi temporis, & maturandis deſtinatis ; quæ facilitati Ducis Mantuani & pietati haudquaquam conuenirent. Futuri nullam ſecuritatem, in iis præcipuè quæ dominationem non imminuant : quando iuſti æquiq; contemptus omnia ſus deq; habeat ; & niſi ingenti flagitio ac ſimulatione alienum imperium occupetur. Scilicet vterum accuſari, vt tempore (cuius indicium futurum ſit) Sabaudius in ſua commoda vtatur ; Mantuanus & curâ & prouiſu abſtineat, vt in alieno. Equidem ne Medicis quidem credendum, quos prædictio frequenter fallat : nec decere tam ardua vilis miniſtri opinione ſanciri. Contra alij prudentiæ opinione præſtantes pronum omittendi tituli Mantuanum hortabantur. Quam enim formidinem argui apud eum, qui ſponte, non requiſitus cognomine Ducis abſtinuiſſet, dicebant. Circumſpectius fuiſſe explorarâ primùm re ſumere dignationem aut relinquere : ſed quandoquidem Princeps amicorum blandimentis victus, nullâ in contrarium facti notitiâ vſurpauerit, ſingulari commendatione modeſtiæ poſſe ad breue tempus abſtinere. Sic vbi error crediti vteri patuiſſet, plus gloriæ apud magnum animum (qui etiam parata ſpreuiſſet) allaturum ; quaſi in Viduæ gratiam ſumpta moderatio foret ; tum cùm diuerſa vulgo crederentur. Tectum ante vterum, nec primùm coniuges, mox Viduam, niſi conſilio eruditam detexiſſe, ex iis eſſe quæ perſuadeant nullâ dominationis iacturâ, menſem vnum à tituli iactantiâ ſuperſederi poſſe. Recentem nihilominus imperij (ſi quæ ſint) inſidias poſſe, præuiſu minus ſemper obfuturas. Viderint conſultores aiebant, & ante alios Vidua quam ſibi gloriam apud hominum famam, apud ſuperos meritum pararent, quo intus honore veſtirentur. Illa maximè, ſi volens ſcienſque adminiſtrationem vrgeat, beneficia non ſua conferat, tractet aliena. Addebant nullum è tempore metum imminere : quamquàm enim titulis temperetur, per legatos tamen & literas futuræ potentiæ ac bonæ opinionis fundamenta ſtatui ; prouideriq; clam apud ſubditos poſſe, ne iniuſſu ſui Domini præmiis, aut pœnis obtemperent. Medici fidem nihil in ſummam valere ; neque formæ agendorum intereſſe : imo apud patruum Regem, conſanguineum Cæſarem, ſobrinum Gallum plurimùm commendationis ex modeſtiâ & officio, ſed & tutelæ reperturum. Quandoquidem nihil à nouo Duce requiri poſſit, quod aut inuidorum deſtinata magis deterat, infenſorum acerbitatem emolliat ; quam ſi quid iure vel gratiâ debeat, ſtatim conceſſerit. Porrò ad remotas vſque famam ſui extendere Principem ; ſi abſtinere ſe titulo ad tempus profiteatur, non aſſequendæ veritatis (quam pridem perſpectam habeat) ſed abſoluendi in Viduam officij ; quam didicerit ſuſpicione vteri moueri. Id conſilium mouit animum, ne ſi præter ſpem omnium, coniecturam, ſcientiam, Medicorum ſententias partus ſecutus foret ; turpi erubeſcentiâ Mantuanus cogeretur poſt Principem priuatam fortunam induere. His aliiſque facilis Mantuani animus in contraria rapiebatur ſpe ac formidine, nec abſurdîs vtrinque cauſis retinendi omittendive. Proinde inter rei incertitudinem, ac eorum qui tum præualebant

auctori-

auctoritates medius, vteri ſuſpiciones admiſit; placuitq; denominatione Ducis ad tempus abſtinere.

Et abſtinet.

Vbi per Aulam vulgatum, Mantuanum Cardinalem ſe, non Ducem appellare, nonnulli nouitatem propoſiti ſecreto irriſu exceperunt. Plures ſeruiendum ſibi tempori rati, laudabant: quos inter aderant qui diuerſa conſuluerunt. Nec vllis plus verborum erat, quàm quibus retineri titulum initio placuerat: rationibus enim ſuum pondus eſſe, quas non ante æſtimauiſſent fatebantur. Vtrinque enim oſtentari ſecuritatem, ſiue in prolem, ſiue in inania res fluxiſſet. Opportunè quoque blanditum Ducem dicebant: ne nouus Princeps conſtantiâ & honeſti prætextu iniurius diceretur. Vt Viduam non omiſſione tituli ac modeſtiâ delectatam, non profeſſione indignatam (dubio apud illam conceptu) ſic maiorem Mantuano gloriam acceſſiſſe; quòd ſiue in inuiſam, ſiue in non requirentem, tantum humanitatis contuliſſet. Id vnum per eos dies argumentum ſermonum fuit, in aula, templis, plateis; addentibus dementibuſq; licentiâ & affectu, quibus ſiue retineri titulum, ſiue deponi placuerat. In eum ſenſum Pragam, Romam, Pariſios, Mediolanum iuêre priuatorum literæ: & creditus Mantuanus apud Principes Europæ conſiliorum ſuorum cauſas proſecutus. Vtq; vniuerſa congruere viderentur, iuſſa Vidua ſignaturæ gratiæ præeſſe, beneficia ac pænas pro arbitrio moderari: ipſe cæteris expediendis occupabatur; apertâ quidem apud ſuos Imperij facie, ſed apud Sabaudios ſimulatione; quaſi Viduæ imperia exequeretur. Atqui Sabaudius potiſſima quietis cauſa negligebatur; erantq; Mantuanorum (auditis quibuſdam conditionibus pacis) obſtructæ aures, tantâ conſtantiâ & ſecuritate; vt metum ex eo Principe nominare, aut proponere indignationem (quæ certis legibus honeſti molliretur) pro crimine eſſet. Spem omnem aliqui in Regina Galliæ ſitam volebant; plures Hiſpanos reſpiciebant, vt viciniores & pacis apud Italos curatores: Alij Venetos patrocinium offerentes proponebant. Nulli hactenus hoſtes pernicioſiora conſilia ſuo Domino inſtillarunt; quàm qui omiſſo Sabaudio, coli hunc illumve Regem tantum præcipiebant, & ex eo fiduciam promittebant.

Cum eâ ſocordiâ vtiliſſimum monitum negligeretur, auſus eſt euntem cubitum Ducem Aulicus olim Medicus interpellare; & forſan interpellatus reſpondit: obuerſus enim in famulum Dux, quid tibi, inquit, videtur de Sabaudio? & quàm vanè comminatur, aut à nobis ſecretas conditiones pacis requirit? Habere nos iudicem Cæſarem, & ſe obnoxium illi foro ſciat licet; nec defuturum imperio & armis, quoties ius in armis Sabaudius ſibi voluerit. Ad ea Medicus: importunè forſan arcanum tuum Domine perrumpam, & intempeſtiuè conſilium offeram longè prudentiori: ſed me pietas, & publicæ huius rei amor cogit eloqui, quod olim patriæ meæ vtile, tibi ſit honorificum. Maior eſt Sabaudius; & validiora iura præfert quàm vt promptè contemnantur. Nec certiori argumento actor; quàm quod cum Carolus V. detrudere illum ſpe omni potuerit; non Aſtio ſolum & adiacentibus oppidis ornauerit, ſed ius (vt dicitur) in petitorio ſuper Monferrato reliquerit. Accedit dos geminata, tot vſuris aucta, toties requiſita; nec tamen ſolutâ; & (ſi culpam quoque noſtram in hanc ſcenam proferre volumus) Parentis tui promiſſa, leges concordiæ dictæ, pacta chirographo firmata. Itaque niſi parte aliquâ prouinciæ æſtuantem tanti Principis animum placaueris, ne perpetuum hoſtem, aut ſecretum inſidiatorem experiamur metuo. Non toleratutos quidem Hiſpanos puto, auctum ire Sabaudium etiamnùm formidatam potentiam ſuam; ſed quò minus nos Monferrato vtamur, in eorum poteſtate non futurum. Concitaturum quippe turbas, extrema carpturum, immiſſurum latronum globos, aut non perſecuturum: ſubditos quoque ad mutandam fidem inuitaturum (quæ ferè apud minus potentem lubrica eſt; denique

Mantuani colloquium cum Medico huius operis auctore.

Auctor exponit cauſas formidandi.

Digitized by Google

futurum quidem apud nos Monferratum, ſed ſine reditibus cum diſpendio, & (ſors erit) ſine honore. Eâ cauſâ Dux, vt futuræ quieti, ſolicitudini populorum, damno Mantuanorum conſulas, & oro, & hortor. Minimâ conceſſione redimi quæ impendent mala poſſe exiſtimo. Niſi me caritas Domini, & tua præcipuè facilitas impellerent, libertate abſtinuiſſem. Sed ſcio vtilia, & te in tempore agniturum, fidemq; famuli ex re iudicaturum. Toleratum ad breue tempus ſilentium accendit Mantuanum, vt non tempori, non rei, non fidei congruentia reſponderet: ſumma fuit, ſe Sabaudum non metuere; certam in Cæſare, Gallo, & Hiſpano Regibus fiduciam habere; nec ſuarum ſe virium pænitere, ſi quid hoſtis mouiſſet. Monere proinde Medicum, vt artis ſuæ ſtudio intentus arcana regnorum, & ſpes metuſve ſui Domini negligeret; parum illum in ſimilibus peruidere; denique Infantiſtam eſſe. Id caput iniuriarum & conuiciorum apud Mantuanos eſſe cœperat. Siluit Medicus, nec tamen quoties occaſio ſe obtuliſſet, quæ in ſalutem ſuorum facerent differere deſtitit; tenax propoſiti, eoq; commilitonibus parùm acceptus.

Quod Auctori parum profuit.

Sabaudus incipit negotium cum Inoyosâ, medio Comite Sangeorgio.

Iam verò maiora & certiora Sabaudio agendorum tentandorumq; conſilia voluebantur; tantùm futuri ſtudioſiori, quantum ſecurius Mantuani peribant. Ille enim cum plurima apud animum ſuum reputaſſet; & certis iuribus ſuis, artes omnes honeſtas aduerſus negligentem ſui putans; vocatis in vtilitatis partem Hiſpanis adminiſtris, longe ſito & ignaro Rege, occupare res ſuas parabat, tranſactionum pactorumque medio Comite Guidone Sangeorgio, viro nobilitatis ſummæ, nec minus prudentiæ ac fortitudinis; Mantuaniſq; Ducibus, vt origine ſubdito, ſic magnis offenſis indignato. Multa generoſus viri animus congeſſiſſe dicebatur quibus acrem offenſam firmauerat, vt beneficiis (ſi quæ Mantuana ſeruitus Patri Patruoq; contulerat) maiores iniurias accepiſſe eoq; in vindictam bono iure procurrere doceret. Cæterùm ne fortuna inſtitutaque, virtute ac

Cuius fortuna narratur.

odio iuxta famoſi viri nullâ rerum ſerie, huc illuc parum ſibi ac memoriæ congruentia diſpergantur, operæ pretium fore credidimus, ſi connatos mores & cauſas irarum proſecuti, vniuerſa vno velut filo deduceremus.

Comes Guido Sangeorgius (ſiue honori id, ſiue gratitudini contulerit) addito Aldobrandini cognomine appellatus eſt, poſtquàm Patruus Clementis VIII. Pontificis gratiâ prouectus Cardinalatu hac legatione increuit. Patrem habuit Comitem Theodorum frugi hominem, & ciuilibus artibus apprimè inſtructum. Mater illi fuit Ioanna de Ruere, diues, nobilis, veteriſq; ſanctimoniæ matrona.

Theodori Sang. patris conditio.

Theodorus Pater Mantuæ ac in Monferrato, rerum potiente Gulielmo, cum ciuitatis Caſalenſis Senatorem egiſſet, annos aliquot, parentem & ipſe ſecutus (qui bonarum artium adminiculo vſus Alexandriam Poteſtatis titulo rexerat) per ciuiles Equeſtribus ſtudijs nexas virtutes, res ſuas proferre ſatagebat: quod impare generi fortunâ eſſet; & exercitio ſapientiæ parata cum honore vtilitas oſtenderetur. Pauca aureorum millia annui cenſus retrahebat, multum imminutâ domo, præteritis inter Gallos & Hiſpanos bellis; quibus ſedem peculatumq; miſerrimum Monferratum præbuerat. Et adhuc bonæ artes in pretio, ſapientiæq; ſuus honor erat; neque inops nobilitas ſpernebatur, aut ſtudium literarum inter opprobria erat. Placuit itaque virtute ſuâ niti, quando tenues domi res, retinendæ dignitati inferiores videbantur. Nobiliſſimi viri conatui ſtatim affuit fortuna, quàm properantem, ingenio ac iudicio prouocauerat. Cum enim Oliuerius Cappellus (de cuius audacia libris quibus Gonzagam hiſtoriam proſecutus ſum, memini) trucidandi Gulielmi Ducis Mantuani, cum perditiſſimo quoque ciuium ſacrilega conſilia ſociaſſet; eaq; innocentis Principis fortunâ, & cæterorum ſubditorum fide vanuiſſent, Comes Theodorus ſtrenuam retinendis in officio populis, & aperiendo periculo nauauit, primum ſecuritatis auctor, mox aduerſus

conſcios

Digitized by Google

conſcios quæſitor acerrimus. Manifeſtius magni animi & certæ fidei documentum dare non poterat, lubricâ tunc in exitium Gonzagorum fortunâ; & multis conſtantiam Theodori proſpectantibus; tranſitionis deliberatis, ſi magno viro deficiendi animus inceſſiſſet. Cum enim pars multò maxima nobilium, quos Theodorus conſanguinitate complectebatur, patrati flagitij conſcij fautoreſq; putarentur, adeo rigidè de vniuerſis quæſtiones exercuit, vt non pietatem ſui Domini induiſſe, ſed exuiſſe naturam videretur. Quippe vir quidam magnis natalibus,& in Mantuanum fide conſpicuus,cum ſeueritatis & aſperitatis Theodori lamentaretur, non aliud ab inuicto iudice reſponſum retulit, quàm tuta illi omnia fore, ſi tanto crimini affinem non fuiſſe docuiſſet. Sanguinis enim quàm ſacramenti minorem ſe curam gerere. Id nec referente Theodoro Gulielmus didicit,& cognitâ conſtantiâ inclamauit, tutam apud ſe fore prouinciam, quàm diu Theodorus Sangeorgius iuratam fidem tenuiſſet. Neque in ſpeciem adornata Ducis verba fuêre, ſed certiſſima obnoxij animi argumenta. Nil enim officij in liberaliſſimam Principem certius conferri potuiſſe, quæ ſecuta ſunt tempora probauêre. Intuta Mantuanis tum (niſi etiam in poſteros opinio perfidiæ abijt) Monferratenſium fides habebatur: obſtupuereq; alienæ & exteræ probitatis obſeruatores, qui apud Mantuanum curabant, repertam in eo populo maiorem opinione virtutem; cui nil detrahi, nil addi poſſet inuidiâ æmulantium. Gulielmus quidem metu Sabaudiæ potentiæ anxius,ſubditorum ac detractorum cum eandem conditionem ſperaret, confuſus conſtantiâ ac pietate viri, fertur à quodam intimi conſilij participe quæſiuiſſe, quid ea ſibi fides perſuaderet: nec expectato miniſtri reſponſo, intimo ſe cubiculo abdidiſſe. Sed poſtero vbi ſe turba nobilium Mantuanorum vallatum, & tempus commendationi vidit, publicè Theodorum probitatis laudaſſe, monuiſſeq; Mantuanos prudentiùs de Monferratenſibus iudicium ferre; quos nouiſſet quacunque caritate in officio retineri. Crediderat non ſacramenti ſolùm reuerentiâ, ſed & vicino æmulatu nobiliores Monferratenſium, Mantuanum potius quàm Sabaudium prælaturos, vt ferè inter accolas finium frequentes controuerſiæ amicitias dirimunt. Sed firmitudinis Theodori non ea cauſa fuit, obfirmatus potius ſacramento animus, & credita Mantuani meliora iura,virum illuſtrem in patrocinium traxêre. Quæcunque cauſa magnæ in eo procere virtutis fuerit, vocatus ſtatim Mantuam à Guilielmo eſt; magnaq; pecuniâ ſubleuatus, ne virtus frigeſceret, opulentiora etiam ſperare iuſſus. Pignori fuit quod ſtatim inter arcanorum imperij adminiſtros adſcitus fuerit. Meruerat certè aliquot ante annos, niſi Hercules Cardinalis Gulielmi Patruus, ne quo alio aduocato potentiâ decideret, ſuſpiciones ac formidines gentis inſtillaſſet. Quippe ſuperſtite etiam Margaritâ Gulielmi matre (cuius beneficio Gonzaga domus caput inter Principes Italos poſtliminio extulerat) ferebatur aluiſſe maternas diſcordias; vt ſolus tutorio nomine arbitrio rerum vteretur. Tardè id Gulielmus didicerat; eoq; (vbi apertæ Patrui artes ſui ſpeciem præbuêre) vanas ſuſpiciones excluſit., didicitq; fideles etiam perfidos (ſi qui forent) Monferratenſium futuros, ſi fideles ipſe credidiſſet. Comes Theodorus non ſui magis quàm Patriæ ſolicitus, eadem referebat apud Dominum, fidei iam ſecurum: & quia ſententiis exitus ſuo tempore reſpondebat, auctis meritis proficiebat in gratiam; nec ante ſummæ opinioni apud omnes adrepſit,quàm ſuperata inuidia eſt, ſuoq; veneno ſtrangulati qui diffidebant. Tum Gulielmus ſibi, Monferrato, Mantuaniſq; ſatis acturus putans,conſummatæ iam pietatis nobilem,Mantuanæ Prouinciæ Generalem Gubernatorem(quod aiunt) renunciauit. Eo decurſu honorum,quamuis aſſiduis inuidorum ictibus quateretur; ſimulq; vulgatum foret, abductum ſeditioſis Ducem, & tranſlatum Mantuam,ne Prouinciam præſens turbaret, (abſit vero inuidia) attamen ſummâ cum

laude plures annos, eruditionem, fidem, prudentiam, & æmulis ſuis, & Principi qui requiſiuerat, approbauit; vt plus meruiſſe, quàm ſtatim exſolui poſſet videretur. Id creditum cupitumq; Gulielmo: & ne tanta ſedulitas malè collocata, eoq; ſecuta miniſtri fides fruſtra putaretur, ingentibus beneficiis cumulatum, etiam in ore famæ æternum eſſe voluit; vt indubitatum eſſet omnibus apud prudentes Principes integram fidem ante omnia beneficia cenſeri. Nullius vnquam virtus plures obtrectatores reperit, quàm in hoc vno, cui Mantuanâ inuidiâ gloriæ, æmulatione gentis, commendatione Domini parum æqui erant. Recenſq; prouincia ſimultates ſuggerebat, & Principem qui rectè æſtimaret. Nam Theodorum primùm Comitatu Veſimi ornauit, addiditq; Corſionem. Nec totum Veſimum donum fuit: nam cum Scarampis ac Valpergis acri lite decertare diutius coactus eſt; & ad extremùm oblatis ſexdecim millibus aureorum, ſeſe moleſtiâ liberare. Sed ne iuriſdictio ſine quæſtu eſſet, nobiliſſimos agros, molectrinas, iura aquarum, venationum, quæque tollere ſupra cæteros fortunam hominis poſſent Gulielmus appoſuit. Et vt numeris omnibus abſoluta munificentia, congruentem vtilitati ſpeciem haberet, immunitates, indulta, priuilegia in tantum aggerauit, vt ſi vniuerſa æquâ æſtimatione ſubtrahantur, centum aureorum millium ſummam æquent. Secretæ pecuniæ quæ conferendo decori oblata eſt ſummam haud facile quis inierit: ſemel enim quatuor aureorum millia, iterum tria, mox duo, denuò ſeptem, & in hanc formam ſæpius collatum. Probitate ac integritate vrgere liberalitatem Domini videbatur: quippe qui magno magiſtratui præpoſitus, cum proficere ſolitis dignitati emolumentis poſſet, abſtineret vtilitate; malletque in egeſtate bonam famam, quàm opulentiâ conuitium referre. Huic cum Mantuæ inter curarum, fauorum, donationumq; ſui Ducis aceruos ageret, vetericue nobilitati dignam fortunam compoſuiſſet, Guido filius natus eſt, non patri quàm Gulielmo carior: quod ſtirpem nobilem ac ſibi experimento fidam, propagari cuperet. Sacro è fonte à Gulielmo receptus eſt, & precioſâ gemmâ, in obſequij recordationem, arramq; imminentium præmiorum donatus. Filij quoque loco habiturum ſe infantem faſſus eſt; ſi calcatam à Parente viam inceſſiſſet. Miſiſſe etiam dona matri Regiâ munificentiâ, veſtem & gemmas dicitur; ne quam partem domus ſine liberalitate deſtitueret. Erat haud dubiè Gulielmus aduerſus Monferratenſes ſubditos inuictæ munificentiæ; quod non alio certiori medio contineri populos in officio crederet; quàm ſi nobiliores ac potentiores gratitudine illigaſſet.

Poſtquàm Comes Theodorus hominem exuit, in Commendatorem Sangeorgium eius fratrem, eadem Mantuanæ prouinciæ cura (quæ ſumma iam dignitas in republica erat) à Vincentio Gulielmi filio tranſlata eſt. Et continuaſſet in plures annos, niſi apud Vizegradum Pannoniæ, dum præſente ſuo Duce pro Religione acriter decertat præmaturo, ſed nobili exitu defeciſſet. Neque hac fine ſtetit Mantuani gratitudo: quandoquidem ſecutus paterna deſtinata Vincentius Dux, vtriuſque defuncti fratrem Aquenſi Epiſcopatu decorauit: ſiue vt dignitati generis, nouam è fortunâ adiungeret; ſiue vt ituro ad maiora iter complanaret. Secuto enim Clementis VIII. aſſenſu (cuius fauore Gubernationis vrbis difficillimis temporibus & cæterorum in ea Aulâ munerum exercitio adrepſerat) Cardinalium albo inſertus eſt: quamquam Principi Mantuano de totâ domo optimè merito, & æternæ gratitudinis creditori, fidem integram legatione Ferrarienſi viſus non fuerit perſuaſiſſe. Cauſam dediſſe ferebantur noui motus accolarum Ferrarienſium, excitis ad arma populis dum vtrique alluuione Padi Amnis natam primùm, mox omiſſam inſulam ſuam putant. Acrius pro Romana ſede quàm Mantuano placuerat, nixus dicebatur: & Flaminius Delfinus onerauerat amicum; quaſi quæ admoto milite, cui imperitabat damna intulerat,

lerat, iuſſu legati patrauiſſet. Neq; Cardinalis aut preces attulerat, aut pueriliter culpâ reiecerat, ſed grauitate magno viro congenitâ, honeſta procurauerat. Hinc cœpta diſcordia, & mox odium; ſaeuientibus orto cum Sabaudio bello Mantuanis; auitæ inopiſq; nobilitatis, & verſâ fortunâ ditiſſimi Comitatus, tot oppidorum, agrorum, redituum, honorum; etiam ob maternam fortunam gratiæ, quæ Guilielmo auctore ampliſſimam dotem in familiam intulerat, Comitem Guidonem filium oblitum, ſplendorem ſanguinis, & apud Flandriam militaris virtutis partum decus infami perduellione polluiſſe; nec iis quidem qui fouebant intus laudato facinore, & captata occaſione nocendi, cum Mantuanum ſpe Regiâ lactatum, eoque minus cautum, & Sabaudij armis circumuentum deprehendiſſet.

Hi Mantuæ de Comite Guidone vulgi ſermones erant: neq; nos ſupprimere probra, aut laudes cuiuſq; debuimus, commiſsâ auctoribus fide, & in prudentiores delegato arbitrio iudicandi. Acceptis quidem à nobili viro Taurino literis didicimus opinione illius Aulæ, veterem auerſionem, odiumq; erga res Mantuanas, non vno argumento nobilem virum oſtentaſſe: ſiue Patrui vtriuſque iniurias meminiſſet; ſiue vt vindictam in Vincentium Mantuanum Ducem exerceret; quòd eo maximè medio, depulſum Pontificatu Cardinalem Patruum opinaretur (quod quidem ipſe vulgato ſcripto poſtmodum teſtatus eſt, vt ſuo loco reddemus) quandoquidem plurium annorum parendo aut imperitando expletâ militiâ, cum in patriam reuertiſſet, vt munimine aliquo, non ſine ſpecie odij principi ſuo; cui generoſo animi impetu perſpectus erat, occurreret; ſtatim ſe Sabaudio adiunxit; per officia, & commune armorum ſtudium. Sumpto denique equeſtri ordine, non niſi inter proceres illius aulæ vulgari ſolito. Sed tamen ille præmiſerat facto licentiam, ne transfuga videretur; aut in ſe concitaret Dominum erga deſciſcentes inexoratum. Licet enim Sabaudio ac Mantuano, parum hactenus Monferrati causâ conueniſſet, cum tamen nouæ conſanguinitatis tractatio audiretur, nec ſuſpicatus Vincentius indignationem Sangeorgij primò eſt, nec ſpeciem irati dedit, negando quod pro comite petebatur. Multum quoque animorum Vincentio ſuberat vt (licet non vno nomine inferior) Sabaudium tamen non metuere diceretur; crederetur{q}; ſubdiri auerſi & irati conatus irriſurus. Sangeorgius inimicitiarum memor donec Vincentius ſuperfuit, & vtcunq; difficili Monferrati inuaſione, ſatis habuit fouêre iras, & paratum vindictæ animum velare; donec occaſio & opportunitas ſeſe aperuiſſent. Vbi cum imparato, artium dominationis & belli ignaro; ſimulq; offenſionum aut neſcio aut oblito, Inoyoſæq; diffidentiâ parum tuto, Ferdinando Mantuano Duce res fuit, erupêre ſtatim odiâ, & Mantuani deſertor oſtendit, quos animos, quas vires, quas faces in id bellum foret illaturus. Monferratenſibus quidem ac Mantuanis exuiſſe patriæ pietatem videbatur; in quam ferro, igni, rapinis ſæuiri permittebat, tamquam in natiuos hoſtes, & longioris belli malis induratos inueheretur. Eâ causâ datas ad illum Epiſtolas inſerere animus fuit, eiuſq; reſponſum: vt clarum ſit, qui ſpiritus ſtrenuo viro, quæ Mantuanorum interpretatio fuerit.

Tales itaque à conterraneo literas, ortâ deſciſcione accepit. Diſplicere & amicis & conſanguineis; ſed ante alia Monferratum patriam lamentari, quòd vir nobilitatis ſummæ, exuto honore deſertorem induiſſet Principis ſui iuuenis, nullâ iniuriâ cogniti: quòd in Patriam innocentem, & quæ toto æuo ſit iniurias expoſtulatura, in amicos innoxios immanis iræ exempla, voluentibus ſæculis duratura, igni, ferro, excidijs conuerterit: minori aduerſus ſuos pietate, quàm ſi pro aris ac focis, aut aduerſus barbaros veteri origine hoſtes decertaret. Adeo vt nemini aut ſuorum aut exterorum dubium poſſit inceſſere; ſi quid atrocius in conciues ſuos, conſanguineos, templa, iuratas Deo Virgines, Sacerdotes, Monachos, Epiſcopos patratum ſit, ipſi auctori eſſe imputandum. Tantum

Litera à quodam ſcripta Sangeorgio.

porro veneni combibiſſe, tantum iniuriarum præſumpſiſſe, vt nullis feritatibus
expleri poſſe videatur, imo lætari excidijs, incendijs, vaſtitatibus eorum quos
conatui ſuo eluctaros deprehendiſſet. Sabaudium quidem Ducem repetitum res
ſuas armis proceſſiſſe, ſed prætextu iurium quæ ſacroſancta credidiſſet, apud ſe
furorem tantùm & iras cauſas malorum videri. Et quò ſocietate culpæ obuer-
ſatum animo honorem præferret,(quod minimum molliret inuidiam) ſocios fa-
cinorum quæſiuiſſe.

Sangeorgij reſponſio. Ad hæc paucioribus reſponſum à Sangeorgio fuit,ſenſu graui & ſeuero: ſe pro
Sabaudio Duce,cuius obſequio fidem, Mantuani permiſſu dederit, bellum tra-
ctare. Excidia,incendia,cædes,fructus belli eſſe, apud eos qui vim quàm ius ma-
luerint; & hæc neſcios artis immania putare. An obſtrepere epiſtolis,conuiciari,
garrire, machinas bellicas puret? Sibi in victorijs honorem: & qui vitæ ſuæ non
ignoſcat, vt magnis poſterorum recordationibus celebretur, inimici rebus non
eſſe temperaturum.Principem Mantuanum plus ſibi iniuriarum quàm beneficio-
rum; plus calumniarum quàm laudationum congeſſiſſe; neglectui,imo deſpectui
habuiſſe,etiam vitæ veneficijs ferroq; inſidiatum. Toleraſſe conuicium,& ſpon-
taneo exilio mitigare efferum Domini animum cogitaſſe.Denſantem iniurias,&
veteres nouis incendentem iuſto æquoq; retinuiſſe; ſimul dediſſe documentum,
quo loco vir nobilis à ſuo Principe habendus ſit, qui nouerit iniurias,feras licet,
in tempore proſequi. Proinde monere ne iuris neſcius irritatam aliàs patientiam
ſolicitet,auertatq; publica mala in caput ſuum. Vtriuſque Epiſtolæ hic ſenſus fuit,
quas nos latinè reddidimus,vt Sangeorgij ac æmulorum animi noſcerentur. Ne-
que tamen hactenus ſolicitudo noſtra ſtetit; ſed ſuppoſitis qui cauſas ſcrutaren-
tur,accepimus, Sangeorgium apud Monſerratenſes quoſdam ferè inuiſum æmu-
latione præpoſterâ, vt ſublimem & elatum fuiſſe; licet ſuperbia meritis quæſita
videretur.Siue iure ſiue iniuriâ cauſam fuiſſe accepimus,quòd per Monferratum
ingens nobilium numerus cenſeretur, quorum illuſtres natales Sangeorgij con-
ditionem æquare putabantur.Hos inter Inciſos, Carrettos,Montilios,Valpergas,
Picos,Solaros, Scarampos, & id genus magni nominis familias, latis iuriſdictio-
nibus: quas Comitem Guidonem non ſanguinis comparatione,ſed quod virtute
inferiores crederet neglexiſſe:imo vt competitores odiſſe,niſi in tempore debi-
tam gratiam reddidiſſe,aut læſis aut noxijs,eoq; acrius quaſi exprobraret.Hæc de
nobiliſſimo viro præmittenda duximus: quando humanæ vitæ admiſſa,niſi mo-
rum,& præteriti æſtimatione rectè iudicentur. Nam præſumptas vulgataſq; de-
fectionis cauſas,ſuo loco referemus: nexis eodem contextu argumentis, quibus
opportunè vindictâ vſus à nonnullis, ab alijs turpi flagitio maculaſſe ingenitam
magnitudinem exiſtimabatur. Talem virum contumeliæ & iniuriarum inſo-
lentem,iraſq; ac vindictam agitantem; diutiuſq; ſuppreſſâ indignatione tumen-
tem Sabaudius Dux dum Princeps Pedemontanus filius Mantuæ coram; Inoyo-
ſa internuncio Aſculano Principe abſens incumbunt, fidei erga ſe ſecurum Me-
diolanum legauit,exiguo tamen comitatu;ne famulatu moram tractaret,aut tur-
Sangeorgius ad Inoyoſam mittitur à Sabaudio. bâ ſeruientium proderetur. Iuſſus quippe fuerat negotium arcano circumdare;
ne qua ſuſpicio futurij(ob nimiam ſui ſolicitudinem ſuſpenſo Mantuano) medita-
tiones aperiret;aut cautius illum agere admoneret.Id quidem ex prudentia:licet
quoties tectos agere expediret patefacere, & apertos abdere ſe quoſdam ſolitos
exitu didicerimus:nec ab eo quidem quem hoſtem exiſtimaret, documentum a-
gendorum accepiſſe. Tempus,amicitiæ,collatæ coniecturæ retexere viſa ſunt Sa-
baudij conſilia, & quem in finem flecterentur oſtendere. Quamquam enim ia-
ctantiâ abſtineret,iura tamen ſua non diſſimulabat,& iniuriam parum humaniter
habitæ filiæ.

Diuerſa à ſuo Duce Sangeorgius in mandatis habuerat;primùm vt omni cona-
tu In-

tu Inoyoſam vrgeret,quò Mantuanus in pacta concordiæ deſcéderet. Honeſtam quamcunq; ſatisfactionem acciperet;nec vlla odij ſigna efferret. Vbi hæc ceſſiſſent,etiam Mantuam proficiſceretur:& cum eo duce noua coniugij pacta firmaret; quæ iactam concordiam ſolidiori vinculo illigarent. Quòd ſi artitè honeſta conſilia accipi vidiſſet,id vnum arctiſſimè imperauerat; vt aurum, opes,fidem in eorum commoda oppignoraret,qui cauſam pro virili iuuiſſent:Senatores,rei bellicæ curatores, adminiſtros, conſultores muneribus ornaret; cauſam ſuam non ſpecioſè magis,quàm acriter proponeret;iuſtiſſimas Hiſpanorum in Mantuanum iras oſtenderet, vt Gallici ſanguinis & caritatis plus honeſto retinentem. Simul iuris ſcientiâ celeberrimos conſuleret, qui non dubiam in Monferratum neptis poſſeſſionem voce ac ſcripto teſtarentur.Id poſtremum frigidius;ſed ne aliorum vulgatam opinionem reiiceret, & quòd certior veritatis eſſe cuperet; vt in vniuerſum honeſto niti cognoſceretur.Sciebat quippe nil aliud adeo apud Iuriſperitos decretum & receptum eſſe,cui contra à nonnullis non diceretur. Poſtremò Inoyoſam beneficij accepti magni reum, & honeſtam vtilitatem non aſpernantem ſolicitaret ad nauandam operam; ſpe haud dubiâ, ſi effectus reſpondiſſet, non exiguam receperatæ prouinciæ portionem Regi ſuo acceſſurum. Locum quoque Inoyoſæ futurum,& magnitudini eius,& merito congruentem.

Mediolanenſis Senator ſcriptis Mantuam literis docuerat ſectum tum à Sabaudio Monferratum fuiſſe,tamquam poſſideretur. Vt Caſale,quæq; ad Liguſticum pelagus vergunt oppida Hiſpanis adiutoribus accederent,Inoyoſæ iuſtitiæ adminiſtro Inciſæ Marchionatus,additis quæ veteris deſcriptionis titulo conferebantur,obueniret:quod reliquum fertiliſſimi agri, & nobilia oppida plus centum viginti ditioni Pedemontanæ necterentur. Eodem auctore monitus dicebatur,non oblatas ſolùm, ſed & receptas conditiones fuiſſe. Sed Mantuani parum auctore æſtimato(qui corruptus adulatione erat)&an deleta pro veris acceperérur,ſtatim miſêre per Europam ſcripturas dictante vno,ſed pluribus excribentibus,quarum forma fuit: Satis commodè Sabaudium alienas res diuiſiſſe; non tamen eundem Hiſpano Regi animum, qui vænali miniſtro fuerit.Proinde iniquam nundinationem,prædam indebitam,& a vero Principe auulſam, calcato iure gentium,intuiſóq; apud Chriſtianos more diſtraxiſſe. Ipſam negotiationis formam modumq; indecora; latentiſq; doli inditia mali legi. Nec enim Comitem Guidum aperto committere ſeſe,aut ante ora procerum res æſtimantium ſiſtere auſum: ſiue verecundiâ,ſiue quòd perfidiam ſuam bonis approbare non poſſet:ſed oſorem lucis, & malas curas verſantem,nocte intempeſtâ,vno alterove comite, ſellaq; opertâ delatum, ad Inoyoſam nuncium properaſſe: ſimul hoſpitio Comitis Theodori Triultij (cuius ſororem matrimonio haberet) ſine communicatæ rei ſuſpicione non vſum. Nec enim probabile eſſe eâdem menſâ ac tecto receptum, cogente neceſſitudine ſiluiſſe. Hæc aliaq; cum nullo perſonarum delectu publicè voce ac ſcripto otioſi lamentarentur, non alio magis propriam infirmitatem detexiſſe, quam quòd cum maximè ſilere & obſeruare debuiſſent, miſero ac importuno quæſtu ſeq; ac reliquos fatigarent. De Comite non dixerim,ſed traduci per aulam maiores Principes,& Inoyoſam (ſine cuius ſubſidio perituri erant) graui calumniâ inceſſere,nouo Domino veteri caritate obſtricti mærebant,præuiſu certi exitij,nullâ ſpe veniæ.Poſtmodum vbi vulgata obloquendi lues eualuit,ne ij quidem qui reprobauerunt, abſtinebant, iis quæ perniciem acceleratura erant: vt nullo amplius adminiculo ſalus patriæ ſperaretur.

Sabaudius dicebatur diuiſiſſe Mõferratum.

Id Mantuani vulgant.

Maior moles incubuit,vbi Sangeorgius Senatores Mediolanenſes iura ſui Ducis docere aggreſſus eſt; & ſingulorum vota requirere. Habuerat à Sabaudio in mandatis,ne cauillis,præuaricationibus,inanibuſve inſiſteretur:ſed iuſto æquoq; niterentur: & in veritatem latis ſententijs. Neque enim ita armis res ſuas repe-

tere cogitaſſe, vt cauſâ quoque non præualeret. Hos inter nonnulli Mantuano
fauorabiles Sangeorgium opinione depulêre; auſiq; ſunt ſiue candore animi, ſiue
ſic prorſus opinarentur iura Mantuani tollere; ſed pauciores & minori apud Me-
diolanenſes nomine (quo ordine ſenator ille fuit qui pro Mantuano plures poſt
annos titulo Senatus Mantuani ſcriptum Mantuæ impreſſum in Fabri ſummi vi-
ri vulgauit) plures & potiores (quod didicimus) ſapientiſſimi Memelrij ſenten-
tiam amplexati, non Sangeorgio ſolùm, ſed & Inoyoſæ Sabaudij cauſam com-
mendauêre. Addidere ſolummodo non id tempus ac locum eſſe, quibus lis exa-
minaretur: appellatum Cæſarem ius dicturum. Satis id tamen Sabaudio fuit, vt
non vno iudice cognoſceretur, quam honeſto titulo vteretur. Cur enim de Cæ-
ſaribus Auſtrijs quereretur cauſas occaſioneſq; non deeſſe, & in tempore produ-
ctùrum: Nec minus iuuari prætextus ſuos nouerat, ſi Senatorum Mediolanen-
ſium inſigniores, Regio miniſtro teſtati forent, iuſtitiam penes ipſum eſſe. Itaque
cito curſore Sangeorgium admonuit, diſputationibus & altercationibus, cum
pauculis & ignarioribus abſtineret. Multum ſuperq; ſibi iurium, quæ tot magni
viri, tot annorum iniuria commendent. Quinimò Mediolanenſium Senatorum
placita, & ad faſtidium auditas decertantium legum diſputationes non ſtatim
controuerſam Prouinciam vero Domino adiudicaturas: Pridem ſibi ac conſcien-
tiæ optimè conueniſſe: neque enim præſumere flagitium, ſi ius certiſſimum; tot
ſapientiſſimis facti ac legum conſultoribus, quacunq; ratione licuiſſet proſeque-
retur. Marchioni Inoyoſæ tantùm inſiſteret, cui Senatus prudentiores ſuam cau-
ſam probauerint. Nec Aſculanum vbi Mantuâ reuertiſſet, omitteret: inconcuſſam
fore Gubernatoris auctoritatem, ſi diuerſis extrinſecus adminiculis fulciretur.
Miſit quoque ad Aſculanum amicas literas; quibus ſuas quoque Sangeorgius iun-
xerat; tantâ rerum fiduciâ, vt nullum alienæ corruptelæ locum crederet. Itaque
vbi minora compendio expediuit certum iam voluntatis Inoyoſam arctius, re-
putatione Sabaudiæ iniuriæ, & futuræ apud Ducem ſuum certæ gratitudinis ad-
monuit. Oſtentatum quoque Inciſæ Marchionatum, qui amœno cœlo, fæcundo
circum agro, vicinio adiacentium vrbium, multa aureorum millia quotannis im-
portaret, quidam ſuſpicaces ferebant: vt habendi ſitim immensùm accenderet;
vtq; auido & complectenti ſpes ſuas, feſtinata tranſactiô ex vſu videretur. Spe-
ciem ipſam facilitatis oblatam referebant, quaſi in hoſtem manifeſtum, quam-
quàm iniqua & iuri gentium aduerſa, foret Rex decreturus. Ante alia recentis
protectionis, & Gallici fauoris memoriam refricatam; paternaſq; Mantuani Du-
cis artes reductas; vtq; cum fortiſſimo Rege hoſte fœdus iciſſet. Sed addebant
ignoratum illis obſequium, quo ab vrbe digrediens Mantuanus Hiſpanum Re-
gem occupaſſet; vtq; apud iuſtiſſimum Monarcham noxæ non foret Italum Prin-
cipem, Germanico ac Gallico affectu ſanguinis vinculo duci, quoties caritas ſuo-
rum externis iniurijs abſtineret.

Ad hanc formam res ſuas Mantuanus in ſpeciem compoſuerat. Iteratis quippe
curſoribus (quoties noua negotia obueniſſent) apud Regem teſtabatur oppigno-
ratam in vrbe fidem, ſibi cum vitâ perennem fore; eamq; omni officij ac pietatis
oſtentatione probaturum. Contra rem aliter habere, multi Mantuanorum ſecre-
tò monebant; non enim aliud abominabilius nomen Mantuano quàm Hiſpanum
eſſe; ſacramentoq; aſſeuerabant, omnem illi ſecuritatem in Gallo Rege conſiſte-
re. Imo conuicijs Hiſpanum faſtum inſectatum; & vlcerati animi ſignum oſten-
diſſe, repetendæ (ſi quando ſe occaſio obtuliſſet) vindictæ. Ferre non poſſe dice-
bant, pari ſe titulo cum oratoribus & miniſtris Regijs per Italiam notari: & ſolitâ
facilitate, vel inter conuiuia queſtum; vt non vno teſte falſus animus pateret. Vt-
que ſibi conſtaret ſæpius die eodem diuerſos affectus in Gallos aut Hiſpanos in-
duiſſe; quibus infenſos hos, illos parum fidentes redderet.

Toleran

Digitized by Google

Tolerari iſta vtcunque poterant, niſi Mediolani & Venetiis miſſis libellis, etiam peiora à Mantuani miniſtris diſſeminata forent. Quandoquidem detectas à ſe Sabaudij literas fingebant, quas Inoyoſæ miſiſſet, in hunc ſenſum: Certiſſima ſibi ſuper Monferrato iura, quibus ſi Iudex æquus obtigiſſet, non diffideret; licet tamdiu agitatæ litis finem, non ſemel per procuratores ac legatos exorati Cæſares diſtulerint, inani ſemper conatu ſuo, apud Aulam cunctantem, & cauſæ ſuæ parùm æquam. Nec enim credere aut Cæſarem iuſtitiæ defuturum, aut detrudi in inopiam, exuiq; auitis bonis nepotes Hiſpanum Regem toleraturum. Recipi à ſe Monferratum, diu per iniuriam à Mantuano poſſeſſum, ſpecie magnificum, cauſæ congruere, vtile vtrique: nec factu difficile. Quæ enim maior potentiſſimorum Regum gloria ſit, quàm erigere depreſſos, ſuſtentare æquitatem; & quos dominari cupiant, debitis ſanguini prouincijs augere? Sic olim erga deiectos, aut iniquis poſſeſſionibus inſoleſcentes, Sueuos olim Cæſares, Saxoneſque, & (quorum gloriam aut æquauerint, aut ſupergreſſi ſint) Auſtriacos Imperatores, ingenti Chriſtiani orbis applauſu vſurpauiſſe. Id intus decorum; potentiores etiam Europæ Principes æmulatione virtutis imitaturos. Reſtitutos à Carolo V. Sfortias, à Gallis Eſtenſes ſuſtentatos, à Pontificibus Romanis vicinos. A Venetis exactos aut reſtitutos Malateſtas; prout ſeditione aut amicitiâ meruerant. Et ſi altiora magnæ gloriæ exempla repetantur, per fœdera, per arma, Romanæ ſedis honorem ac maieſtatem receptæ nomine Germanos, Gallos, Hiſpanos, Venetos, præſtiti obſequij titulo Pontificibus imputare. Porrò certiorem eſſe vtilitatem, quàm vt ſcripto complecti poſſit; ſed auctius indies beneficium temporum acceſſione futurum. Id quòd bono iure ab amico repetatur, vnicum aduerſus Gallos terrâ marive iunctos præſidium eſſe. Eo conſilio Caſalenſem Arcem vanâ ſpecie ac mole, procurrentibus temeritate, & per Alpes inundantibus legionibus hoſtilibus obiici. Mari aduectis Genuenſem tractum, longumq; oppidorum ordinem toto Monferrato occurrere. Vim illam effrænem, ſed ad breuem impetum durantem ſitu & ſpatio fragi; vt cætera per Italiam ſecurâ poſſeſſione firmentur. Nec certè alios ex Gallis metus. Quin imo Alpibus, Pyrenæo, ac Belgio clauſis nouarum rerum cogitationes detrahi; eoque munimine ſecuram Hiſpanam potentiam diuturnitate pacis futuram. Iam Mediolanum vrbem incolarum numero validam, caput rerum Italiæ, meliori parte ſui quâ meridiem proſpectat, latiſſimo Monferrati vicinio ambiri: eo tamen Gallum haud dubiè Mantuani amicum pro arbitrio vſurum; inferendo ſtatim, aut trahendo bello, ſi quando generoſo Principe & Italiam cogitante regeretur. Sic Genuam inexhauſtam diuitiarum fodinam, detractâ prouinciâ quæ promptam annonam ſumminiſtret, velut in compedibus fore; ne vllo tempore mutatis animis in Gallum vicinitate cognitum abeat; quem nouis iterum verſuris imminuat, hauriatque. Emaciatos quippe Hiſpanos Genuenſibus vſuris, parum in poſterum genti auidæ lucri oſtendere. Sic apertum maris Imperium, Arcibus ac claſſibus vallatâ Italiâ, ab Oriente in Occidentem fruſtra minitantibus æmulis manſurum. Nec minus ſuſpectas aut parùm Hiſpanis fidas ciuitates Italas, & ambiguos obſequij Principes ineuitabilis neceſſitatis admoneri: ſimulq; in Regem, nummos, præſidia, opes, vires omnium abituras. Cogitaſſe id olim Philippum II. aureſq; prudentibus dominationis adminiſtris accommodaſſe; ſed fato præuentum, monita ſolummodo, & conſilia reliquiſſe, quæ hæredes æſtimarent, exequerenturque. Ideo negatam Mantuanis Ducibus; poſt tot vota preceſque commutationis nomine Cremonam; quod hac retentâ, Monferratum quoque diuerſo titulo & occaſione aliqua vſurpari poſſe videretur; vt iuſtimè à ſuſpectis aut hoſtibus, ad conſanguineos poſtliminio rediret. De cauſâ olim fuſius actum, offenſumq; quâ imminutione gloriæ ſuæ Carolus Imperator Regis Auus, magnâ iuris, maiori exiſtimationis, & rei

Litera quas nonnulli aſſerebant à Sabaudio ad Inoyoſam datas.

alienæ iniuriâ, ſemet dictatâ Genuæ ſententiâ peruertiſſet: cum dotalitius maritus ac querula fœmina eam prouinciam flagitarent, quam Cæſarea magnitudo ſanguini Orientalium Imperatorum congruentem iudicauerit: & de quâ longâ annorum ſerie Palæologi, Sabaudij, ac Vicecomites ferro decertauerint. Opportunè tum iudicium experiri, cum tranſacta res auctoritate tantùm egeat. Sed nunc idem non ſine ſugillatione, apud Regem repeti, quod octoginta amplius annos, lamentatione ac querelis Cæſarum, poſt Carolum V. neminem mouerit. Nempe ſpecioſiſſimam ferè credi cauſam poſſeſſoris; negligi excluſum; licet ſanctiſſimo iure veniat reſtituendus. Interim Aſtenſem ciuitatem documento iniuriarum ſufficere, quæ placandæ molliendæq; vtcunque iniuriæ conceſſa à Cæſare fuerit; ne in vniuerſum decretâ Mantuano prouinciâ, depulſus ac neglectus ipſe videretur. Iam verò non pecuniam, non militem (ſi à longè ſuam victoriam æſtimare libeat) requirere. Propriam virtutem & honeſti conſcientiam ſufficere; ſatiſq; præſidij putare conniuentiam, ſeparationem cauſæ; & vbi victoriæ vberrimam partem conceſſiſſet, communionem fortunæ. Vmbraculis interim hortorum, & amænitatibus abditum Regem acceſſionem illam, firmamentumque poſſeſſionis Italiæ accepturum; ſimulq; æſtimaturum quàm diuerſo officij genere Sabaudia Domus Auſtriacis, & Auſtriaci Sabaudiæ deſeruiuerint. Sibi enim (cui certo ac veteri iure vniuerſa debeantur) eam partem deſtinare, quàm Inoyoſa Gubernator docuerit, & opulentiorem eſſe, & procul à finibus & nexu Mediolani iacere. Quidquid amico ac conſanguineo Duci permiſſum fuerit, id conceſſione nobiliſſimæ Ciuitatis, & Arcis, adiacentiumq; oppidorum compenſari. Si quid verò Inoyoſa honeſtiſſimos conatus ſuos tumultuariâ militiâ, aut oſtentatione tutelæ, aut continentiâ iuuiſſet, id velle irremuneratum non eſſe: vel de ſuo quamcunque amici operam ſoluturum. Demùm non à Cæſare, non à Gallo, non Venetis, non Pontifice metum armorum imminere; quod Imperator tædio diſſitarum à ſuo orbe curarum elanguerit; Gallus domi vexatus, viros omnes oppignorauerit: nec per ætatem externa tractare poſſe. Imo ſi quid impetu aut dictatu audeat, non deeſſe ſibi lacerandi regni artes; quibus non ſemel vſus ingruentem potentiam eluſerit. Pontificem pacis leges vberius, quàm belli conſilia admittere. Auerſos à rumoribus qui ſedi Apoſtolicæ, aut priuatis rebus ſuis diſpendium reformidant. Venetos Barbarorum metu ſuſpicionibus Auſtriacorum, latronum maritimorum incurſione diſtractione virium non egêre, daturos monita potius quàm auxilium; nec vbi temnantur, aliena diſcrimina ſibi adſcituros. Audiri totâ Europâ præcepta ac conſilia viuendi, neſciri ac reprobari arma: licet interim deſcribant legiones, claſſes adornent; & tamquàm bellaturi, magnis apparatibus terrâ mariq; perſtrepant. Cæterùm quod præpoſtero iuris ordine, executionem ſuâ manu, non apud Imperatorem Iudicem meditetur, ſibi dedecori eſſe non debêre. Quid enim abſurdius quàm beneficio abſtinere, quod tempus & occaſio obtulerint? aut illatam iniuriam (ſerò licet) non vindicare? Imo propè ad ſtultitiam accedere, negotia per quietas & doctoreas artes toties irriſus retractare; aut cauſâ apud Iudicem niti, quam tot annos neglectam ſit expertus; vt iam dubium non ſit ambitione ac dominationis arcanis conſilijs ea Mantuano adiudicata; quæ ſi ſibi iure promiſſa forent, nimia iam & ſuſpecta aliquibus viderentur. Hæc literarum ſumma erat.

Neque tamen nullas ad Inoyoſam à Sabaudio miſſas crediderim; ſed prurigine ſcribendi ac mentiendi, commentandiq; libidine, multa illis addita, multa detracta, pleraque mutata cognouimus; quibuſdam iactandi ingenij ſtudio nonnulla vulgantibus. Ita nouis iniurijs veteres onerabantur; vt ferocius Sabaudius animaduerteret. Iis porrò ſine periculo non fuit, qui apertè ſcripturam illam Sabaudij eſſe negabant, audebantq; auctoris temeritatem, & procacitatis licentiam

accu-

Digitized by Google

accuſare. Sabaudius ipſe miſit ad Inoyoſam exemplar, & ſeriò queſtus eſt impunitatem temeritatem eam eſſe, quæ honori ſuo, & magnitudini Regiæ notam inureret; ſiue auctorem nouitatis ignoraret, ſiue didiciſſet. *Sabaudius & Inoyoſa id ægrè ferunt.*

Nec minus aucta Inoyoſæ in Mantuanos alienatio, vt in conſcios; quod non abſurda de ingenio gentis, ex literis Aſculani percepiſſet. Nos certiſſimis auctoribus accepimus, Sangeorgium commiſſo ſibi à Sabaudio muneri ſtrenuè reſpondiſſe; & quæ honeſta requirenti facere par ſit, fuiſſe executum; minus tamen tractationi fidiſſe, & certiorem in armis quàm fœderibus ſpem habuiſſe. Fortè rectius id veræ gloriæ iter putauerat; aut longiori præuiſu ſuſpectam ſemper habuerat Hiſpani Regis pietatem, cui iuſtitia quàm vis placeret. Sabaudius eò quoque flexerat; quamquàm tentare pacis vias omnes, & approbare humano generi cauſam ſuam maluerit; ne ad arma verſus iniquitatis & ſæuitiæ accuſaretur. Purgatiſſimum Principi illi iudicium fuiſſe ſemper, hoſtes etiam ipſi faſſi ſunt; nouitque Europa omnis, dediſſe illum ingentia documenta virtutum; niſi magnis conatibus illius, aduerſa nonnunquàm fortuna obſtitiſſet. Equidem non Geneua, non Mediolanum, non Galliæ pars vicinior vllius vnquam Principis vires magis formidauit. Sed habet ſors euentus virtuti aduerſos, vt ſola in hoc orbis theatro exerceat rerum arbitrium. Negotiationis quoque cœptæ parem exitum opperiebatur; ſiue modicâ ſpe ſuâ complexus foret, ſiue celeriorem exitum belli crederet. Inſiſtere nihilominus vniuerſis noluerat; quò magis ratio flexiſſet inclinaturus; ne quando euentuum prauitas alterius quàm fortunæ peccatum eſſet. Sed quia non vnâ cauſâ excitatum ſe videbat, coactus eſt quæ parauerat ſtatim exequi, vt famam retineret: vtq; laudaturo Regi cogitationes eius, ſtatim docendæ facilitati paratâ objicerentur; ſi reprobaſſet, parta niſi cum difficultate eriperentur. Vtrinque præuiderat quæſtum, ſiue poſſediſſet quæ cepiſſet, ſiue inania & expilata paucos poſt dies deſeruiſſet. Inoyoſam non eodem animo Sabaudij conſilio acceſſiſſe dicebant: quod enim hic ſuum iuſtitiâ & veteri prætextu credebat, recuperatum ibat; ille amici commoda metitus, ſuam vtilitatem præferebat; quàm putabat non opibus apud Italiam conſtare; ſed dum adminiſtratione Mediolanenſi vteretur, pro Rege ſuo proficere; vt abſcedens latiores terminos reliquiſſe imputaret.

Apud quemcunque Regem ſuffecturæ rationes, diuidendæ prouinciæ credebantur; niſi Hiſpanus magnis Principibus inſolito more, quæ proponebantur ſecus interpretatus foret: dediſſetq; ſpecimen integritatis, cuius memoriam tota poſteritas foret retentura. Compellatus enim, alienam liberalitatem, paratamq; vtilitatem imperruptus tranſmiſit: Amorem incertum, odium ambiguum, ſuſpiciones fœderum, & innocentiam Mantuani iuxta æſtimans, quoties in hoſtiles effectus non prorupiſſent. Peruicère illius frequentes literæ non quidem vt prudentiſſimum Regem illigarent; ſed ne detrahentibus ſtatim crederet: tamquàm apud ſecurum maieſtate ſuâ; nec promptum in ſuſpiciones minorum. Inhumanum quoque videbatur, vicinum nec odij profeſſum Principem ſuo exuere; qui non auditus, non defenſus, totq; annos conclamatam à maioribus ſuis iuſtitiam aduerſus præpotentem Sabaudium inuocaret. Addebant Mantuani, generoſos procerum Hiſpaniæ animos non alio magis incanduiſſe; nihilq; potentius Sabaudias cogitationes obturbauiſſe, quàm vmbracula & otium, quæ libellus Inoyoſæ miſſus continebat; vt occupandi Monferrati facilitas oſtenderetur. Minui enim per hæc fortitudinem, ac prudentiam crediſiſſe; quaſi ſedentarium otium Rex laceſſeret, & alieno increſceret labore. Et hoc maximè condemnatam prouinciæ diuiſionem, reſq; Mantuanas in poſterum æquiori oculo notaras. Sic primam ſalutem ex hoſte fuiſſe dum Regem lacerat; alteram ab Rege ipſo pietatis ac fidei inconcuſſæ. *Rex vulgata Monferrati diuiſionis non aſſentitur.*

Comes Aleramus Sangeorgius.

Comes Aleramus Sangeorgius (de cuius in Mantuanum Ducem vt Dominum ſtudio, ſuo tempore trademus) eâ tempeſtate Mediolani familiaribus curis attinebatur. Hic viſo conſanguinei ſecreto, & obſeruato inſolito more (nam auitis opibus cum magnificentiâ vti ſolitus, ſecretus,& incomitatus noctem exercebat) ſtatim ſuſpicatus inſidias eſt: ſiue ſubolfecerat, ſiue perſpecta Sangeorgij ſtudia ſolicitudinem addiderant. Igitur rarâ in Ducem ſuum fide facti ſeriem perſcripſit,in hanc formam, quam nos Latinè reddidimus. Sibi Mediolani negotia ſuorum tractanti Comitis Guidonis Sangeorgij fallentis & ſecreti ſpeciem obiectam.Ei magnitudini priuatum modum non conuenire. Et quando longo vſu ferocem animum (qui ſe contumeliam accepiſſe crederet) nouiſſet, & erga ſuos quoque hoc nomine auerſionem, ex officio putaſſe, ſi feſtinatâ admonitione ſuſpiciones ſuas aperuiſſet,domumque ſuam contumeliæ ſubtraxiſſet. Audiuiſſe quidem à Taurinenſibus parum grata; non tamen niſi deprehenſo Comite Guidone Mediolani, eâ formâ credidiſſe. Malle inania eſſe ac falſa: ſed vtcunque res cadat ſuſpicari quàm decipi maluiſſe. Raros metum negligentes facere, plures cautiores reddere. Delatæ Mantuam literæ, vt Comitis Alerami fidem probauêre, ſic potiſſimos Aulicorum aduertêre, quibus lubrica Inoyoſæ fides, ſententiâ ſui Domini putabatur. Nam & alij priores Taurino perſcripſerant, iuſſu Sabaudij Mediolanenſi itineri Comitem Guidonem accingi: frequentes ac prolixos cum Duce ſermones,pluresq; in conſilium vocatos. Proinde tot indicibus à ſapientioribus, vel omnibus fides habita; quam ſolus Comes Aleramus torpentem negligentemq; excitauit. Vtrumq; cautius ac ſecretius vniuerſa tractari; tamquam in vicino hoſtis eſſet,occaſiones opportunitateſq; captaturus. Neque tamen præter artes & comminationes toties irritas perſuaderi Mantuano à ſuis potuit, vt peiora metueret; non credente illo eos ſpiritus Sabaudio futuros,eam Inoyoſæ diſſimulationem; vt auſurus Sabaudius foret, arma per Italiam inuito Hiſpano mouere; à quo tot beneficijs auctus,tot honoribus cumulatus (vt dicebat) fuerat. Et iam multos Mantuani ſecuritas traxerat vt contemnerent, quæ meliores ſecretò formidabant. Sed auerſo Duce periculoſum eloqui erat, donec micante Mantuanis rebus lucis ſcintillâ aliquâ; ex conſiliarijs rem eandem toties examinantibus ſciſcitatus eſt, quid metus, quid ſpei crederent; vtq; ſinguli ſenſa ſua ſcripto complecterentur. Ea nobis videre contigit, vt cerior fides iis quæ tradimus eſſet, creſceretq; admiratio lectorum,vbi tantum cæcitatis apud quoſdam inſpexiſſent. Annibal quidem Chieppius, opinione prudentiæ, & confirmata auctoritate potior, fauore inſuper Ferrarienſis, & magno apud Vincentium Ducem fauore prælatus, temnendas minas apertè conſulebat, nec auſurum publica arma Sabaudium differebat. Quam enim eam temeritatem futuram in Principe prudentiæ nomine laudato, vt protectore Hiſpano Rege, comminante Cæſare, aduerſante Reginâ Galliæ, Venetis erga Mantuanum vt filium pronis,Pontifice vt pacem Chriſtiani orbis præferente,ſic vim renuente,& præſente Gubernatore Mediolani bellum audeat; quo tot annos maiori potentiâ inſtructus, & debiliori Mantuano abſtinuerit? Magnum difficultatum cumulum proſpecturum, & ante alia haudquaquàm tractaturum quod ſine exitu futurum cognouiſſet. Quòd ſi vetus prudentiæ Regum reuerentiam,ius faſq; ſpreuiſſet, ſuffecturum Monferratenſem militem, cuicunque ſubitæ eruptioni. Reginam quoque Galliæ ſtatim arma in tumultuantem promoturam; Venetos pecuniâ dites, & certâ in Mantuanos pietatē partem belli capeſſituros. Inoyoſam Hiſpanam maieſtatem armáque ſtatim interpoſiturum. Neque temnendum à Sabaudio periculum Cæſarei iudicij. Cauſæ enim tot annos agitatæ, ſi vim tentauiſſet,iacturam facturum. Stabilire poſſeſſionem eorum quæ occupaſſet, ſuffecturo conatu non poſſe; nixus verò exiguos, & deſpici omninò poſſe, & corrupturos

Miniſtri Mantuani ſcripto alij timeri, alij negligi minas Sabaudij conſulūt.

ſpes

ſpes ſuas. Accedere futuri metum; ſatis gnaro ſi quid per turbas erepuiſſet, aut Monferrato abſtraxiſſet, ea ſtatim reddere debere. Proinde vanam operam irriſui ac conuicio non expoſiturum. Quin potius negotiationibus eò tracturum incepta, quò viderit honorem & vtilitatem flectere, occurrere quoque domeſticam neceſſitatem: neque enim bello validum eſſe, non ſuppetere pecuniam, non militem, non arma in promptu habêre; ſed ereptâ ingenti prouinciâ continuâ irritatione belli, tot irritis expeditionibus eneruaturum, eaque plus minarum quàm virium habere. Non timuiſſe inanes vmbras Vincentium Ducem, bello ſtrenuum, non Gulielmum paci compoſitum; vtrique tamen tantam in Gallis ſecuritatem, quantum præſentia promittant, non fuiſſe. Laudare quidem ſollicitudinem; ſed monere Dominum ne cõſtantię obliuiſceretur. Id pręcipuè Sabaudium à Mantuano deſiderare; vt pauidus nouarum rerum metu frangatur, cogátque faciliorem in emptæ pacis conditiones accedere. Cæterùm non à Sabaudio petendam ſecuritatem (cuius arbitrium penes Reges eſſet) nec formidinem præferendam, cuius æſtimatio turbatori ſit animos additura. Didiciſſe, quin etiam non ſubditis ſolùm ſed & liberis ſuis inquietudine inuiſum eſſe; ſecuturam aut Principum filiorum, aut populorum deſcitionem, aut vtrorumque tolerari belli onera, delectus, iacturam temporis non poſſe; cum interim iniuria agrorum, & quieſcente mercaturâ domi inopia conflictentur, foris periculis. Hæc aliáque iterato Chieppius iactauit, tantâ oris ac vocis conſtantiâ, vt iam victus Sabaudius videretur. Compoſuerat ea apud Ferrarienſem, & fęminili conſeſſu recepta fuerant, licet quòd ſibi non placuiſſet conſilium Dominæ accommodaſſe à quibuſdam diceretur, apud quos fama prudentiæ re maior erat. Peritus quidem Mantuanæ adminiſtrationis ferebatur, ſed præcepta dominationis, & quibus artibus Mantuanus ſolido inſiſteret (nullo ſimilium experimento) ignorabat. Contra Annibal Ibertus Hiſpanæ, Gallæ, Germanæ Aulæ peritus; ſiue apud animum ſuum ſic prorſus ſentiret; ſiue illum conſilij ambiguum magnorum virorum literæ futuri admonuerat, conſulebat. Nam conditiones honeſtas, & quę leuem prorſus iacturam inferrent, recipiendas docebat. Eò proceſſiſſe Mantuanas res, vt pace quàm bello opus habeant. Et quidem Hiſpani Regis animum honeſto compoſitum, procul tamen à præſenti neceſſitate agere. Pleraque turbarum ſtatim emergere, quæ Rex motuum neſcius componere auctoritate non poſſit. Apud miniſtros negotia, & ferè arbitrio tractari. Has eſſe nundinas forenſes, & vberes prouentus, quibus ſingulorum affecta res domeſtica ſubleuetur. Inoyoſam beneficio Sabaudij deuinctum, metu amicorum eius, quos plurimos in aulâ numeret: nec minus Iſabellæ Belgarum Dominæ reuerentiâ (proniorem in nepotes quàm externos) aut pro Sabaudio fore, aut indemnitatem Mantuani neglecturum: non omnia ab omnibus quorum interſit in digitos mitti: Audire querelas & exequi, ius & fauorem, poſſe ac velle iuuare, toto (quod aiunt) cœlo diſſidere. Receptum iam ab adminiſtratoribus regnorum Hiſpanorum eſſe, vt vniuerſa ſponte conficiant Regis placita, niſi iteratis præceptis & importunitate victi recipiant. Statim quippe excuſationes occurrere; & (quod olim Comiti Foentes in quotidiano ſermone erat) non poſſe abſentes pręſentia æſtimare; conſilia poſt res afferri: eóq; permittendum Gubernatoribus, quorum ſub oculis res ſint, & perſpectæ cauſæ opportunitatéſque agẽdorum. Quòd ſi quis oppreſſorum eos animos ſumat, vt lamentationes componere ad Regem audeat, obſiſtere conſiliarios amicos; & accuſati ambiguam aduerſus accuſatum voluntatem in hoſtilem faceſſere. Apud has modeſtiam & rectitudinem orandam. Recepta enim à miniſtro conſilia approbari; reiecta; vel illius exiſtimatione contemni. Nec peccari in ius dominationis, ſi quod magno miniſtro placuerit commendetur. Quid ſibi Mantuanus ſpondere poſſit, nec ſcire, nec quærere: interim id pro

certo habere;non alio ſtabilimento inniti Monferratenſem quietem ac ſecuritatem, quàm Inoyoſæ placito Mediolani, in Hiſpania literis illius & dictato. In Cæſare ſpem nullam ſupereſſe affectatæ quietis ſtudio, egeſtate pecuniæ, ſeneſcente exiſtimatione. Comminationes ſine viribus,& deſpectas& inutiles credere:neque Imperatricem Mantuani ſobrinam intra ſepta fæminarum,ſtrepitus armorum excepturam:ſatiſque ſexui conſanguinitatique facere ſe exiſtimaturam, ſi literas & preces(quarum nullus in bello vſus ſit)interieciſſet. Nec ſi in fæmina quidquam vſquàm ſeueritatis ſit apud Germanos valere;penes quos ſecreto & arcto coërcetur ſexus ille;nec auctoritate,aut officio proficiat. Bellum pacémque (vt cætera)arbitrio Cardinalis Gleſelij contineri:Procerem multò ante Aula potitum;&(veniam dicto cupere)Domino validiorem.Sed eſſe quæ fiduciam Mantuani in hoc quoque minuant,viliſſimos natales, auri cupidinem, ambitionem, æmulatum Imperatricis coniugis.& eorum quibus apud Cæſarem parata admiſſiô ſit; vniuerſa in minoribus vitia fortiora. Ea verò apud callidum & ſolicitum Principem muneribus occupata, ac ſpe maiorum; ne cui pronæ offerentibus aures pareſcerent. Non nunc didiciſſe Sabaudium, quos in vſus optimè pecunia erogetur;doctum artium regnadi,hac primùm reguià profeciſſe.Nec vlli Principum plus numorum,maiori quæſtu ſuo in alios effuſum.Quòd ſi Gleſelius,& qui conſilio Aulico interſunt, Mantuani cauſam vt iuſtam præferant, haud tamen aſpernari munera,quamuis integrâ iuſtitiâ recipi dicantur. Parum hanc regulam obeſſe Sabaudio;cui ſatis ſit, flectere non frangere primo acceſſu animos,& cætera aſperiores mollire. Reginam Galliæ domeſticis ſeditionibus,aduerſus proceres Regni diſſenſionibus, frequentibus in perduelles expeditionibus, quidquid auri Rex coniunx reliquiſſet,profuſis largitionibus abſumpſiſſe. Neque aliâ cauſâ libentius deſciſcere potentiores; quàm vt vidua imbellis Prouincialium tumultus largitionibus redimat. Si parata ſeditioſis præmia ſint, non defuturos turbatores:ſi vacuum ærarium deprehenderint, ituros in rapinas: ſic occupatam internis malis Reginam parùm externis conſulturam. Id notum non inquietis ſolùm,ſed & viduæ;eóque horrere motus omnes, fæminili formidine ſolicitudinem addente. Imo fixum animo hæſiſſe in pace regnare: donec filius lubricum pueritiæ exceſſiſſet.Oſtentata ſemel apud preferoces Gallos arma ægrè deponi; ſed potius abdita requiri,viſa ſectari.In ductores verò exercituum illam abſolutâ poteſtate non eſſe:quos certum ſit cæteris Regni proceribus conuenire ; ne permiſſum arbitrium, illos vſurpatâ poteſtate detrudat. Venetos quidem in ſuo fortes;ſed procul à domo in contemptum abiuiſſe;poſtquàm pauculi maritimi prædones, iiq; viliſſimi, toto Adriatico impunè inſultant, prædas agunt; etiam acie cum Triremibus,quas ſors offerat,congrediuntur; captóſque Venetos ſæuum in modū nullo vindictæ metu dilaniant. Cumq; Auſtriaci Principes tamquàm erga ſubditos protectionem impunitatémque facinorum præferunt. Immodicis expenſis pecuniâ imminutos; nec egentibus poſcentibúſque vniuerſis ſufficere: Multam offerre nec pronum ipſis;nec modicam Mantuano ſuffecturam. Commodantes quoque rei domeſticæ ſolicitos eſſe oportere ; ne cum alij largiantur, ipſi in tempore egeant. Æſtimandum pariter Mantuano eſſe quod æs alienum contrahat;quomodo vniuerſum, aut certis portionibus diſſoluat : an nobili aliquo pignore indemnitati Venetorum cauere cogatur ; quòd tardè datam fidem redimat. Metuere inſuper, ne qualecumque à Venetis miſſum auxilium conatus Sabaudios accendat ; quæque cum verecundiâ arma meditatur, apertè tamquàm prouocatus inferat.De exitu enim (ſiue apud nouatorem Prouincia relinquenda,ſiue veteri Domino reſtituenda ſit) quominus Monferrati exitio terminetur,non dubitare.Pontificem cum Sabaudio mitiſſimè acturum ; ſiue cum abſente & longius ſito;ſiue audaciâ Venetorum monitum cautius generoſis & prę-

ualidis

ualidis principibus minitari: ne ſi quando peruicaciâ obduruerint; & illi fruſtra auctoritas exiſtimetur; & alij exemplô diſcant inanes minas deſpicere. Non nunc primùm Romanæ ſedi aduerſum Sabaudium: traditum iam famæ eſſe occupato Aſtenſi Comitatu, ac retento, quantum Duci illi neglectus acceſſerit, quātum ſecuritatis induxerit. Mutuam oportere reuerentiam eſſe; quæ magni animi Heroëm deuinciat. Præter vires enim, ſubeſſe prudētiam, quà vim inferat, occupet, populetur; & id omne honeſti ſpecie ambiat, oſtentétque. Gubernatorem Mediolani Inoyoſam fruſtra impauido Sabaudio oſtentari, etiamſi parum fidus Mantuanas partes ſequeretur, duceretur ve. Sed illi maximè Sabaudiū credere: nō ignotum vulgo, quātis beneficiis deuinctum habeat: & (quod caput rerum ſit) non ignarum ſolidiſſima ab eo Principe ſperari poſſe operæ præmia, qui vel inuitis offerat; quantò magis cauſâ dominandi pecuniam proiiciat prodigatq́;. Sibi perſpectum Hiſpanorum teſtimonio eſſe, eà potiſſimùm cauſâ miſſum in Prouinciam Inoyoſam; quòd amicus Sabaudio ſciretur; & retinendo in gentis anxiæ amicitiâ Duci validus. Id enim Hiſpanis artibus, & regnandi præceptis conducete viſum, quoties conſilio viuendum foret. Porrò nemini inſiſtere dubitationem debere, quo animo Inoyoſa ſit, eodem Aſculanum Principem, cæteróſque minoris ordinis miniſtros fore: niſi beneficia temporis ac ſeruitutis ludere, & proferendę fortunæ ſpem perditam voluiſſent. Nec enim alio voto mutaſſe Patriam Italo cælo, quàm opum ac honorum deſiderio; nullibi quàm apud Italos proniori. Hactenus quidem Sabaudium vi abſtinuiſſe, cum Germania concors, Galliâ in flore, ſub formidato etiam externis Rege, Hiſpanus victor & metuēdus eſſent: cum armatæ legiones oſtentarentur primos quoſque conatus oppreſſuræ; cum omnes & meliores Mantuani cauſam fouerent; cum fractus Sabaudius ab Henrico Magno Gallo, parum ſecuritatis in Pedemontanis haberet; cum Breſſæ nobiliſſimæ Prouinciæ dominio imminutus, vix inter tot aduerſa reſpiraret; cùm multatus pulſúſque, cæde multorum nobilium à Geneuenſibus; cum Gulielmus Mantuani Auus tefertas auro cameras, gemmáſque in vſum belli reſeruaret; cum Vincentius Pater artem inſuper bellandi calleret; & amicitijs fidiſſimis ſeptus conſtanter minas contemneret. Nunc vniuerſa ſecuritatis præſidia in contrarium verſa; turbatam Germaniam, & diſſidio potentiorum, vix præ foribus Italiæ quietem, Galliam miſerè lacerant, Hiſpaniam ne ſe diutius fatigaret, & vt vires fractas recuperaret, infami concordiâ res Belgicas compoſuiſſe. Fruſtra quippe credi bellum à victore, niſi ſuo ſtudio differri. Succeſſiſſe annorum aliquot pacem, quæ Prouinciæ feraciſſimæ opulentiam poſtliminio reſtituerit. Hinc magnos ſpiritus, & parum obſequij. Mantuæ non pecuniam, quam Dux Vincentius paratus in fortuita, illudendo effuderit; non promptum militem aſſuetudine otij: non Principem rei bellicæ gnarum, aut vſu dominandi firmatum; ſed primâ ab infantiâ præceptis ſapientiæ, & Eccleſiaſticis ſtudiis innutritum: ſed nec Monferratenſis eo numero, iis viribus, eo animo eſſe, vt acrius vrgenti Sabaudio reſiſtant. Leui vtcunque inuaſioni, & comminationi obuiam ituros. Et quando etiam ſuſtinendo bello ſufficiant, Duci, ac fortunæ diffidentes fugam proſpectaturos. Ne ipſis quidem in Reginâ Galliæ multum fiduciæ coaluiſſe; quod reditus & arma, ex ſui ſententiâ non tractet. Neque Aldigherium in Prouincia Narbonenſi numēroſo militi præpoſitum Sabaudio hoſtem eſſe. Intercedere munera, & congruentem bellatoribus animum in cædem ac rapinas. Non alijs illecebris militares animos arctius vinciri. Nihil illi tamen Mantuano commune; cum inſuper æmulatione gloriæ parum Niuernienſi Duci conueniat. Præterea quæ de Venetis dixiſſet, habere recētes ab vrbe amicorum literas, quibus doceretur, apud Senatum plus opinionis quàm pecuniæ eſſe; modica auxilia, non continuata, non fida, vix opportunitati & neceſſitati profutura. Vim auri ingentem ac vacuas legiones quas

Digitized by Google

anxij nutriant,oſtentandis potius, quàm inferendis armis in cœlum non daturos. Ineptè apud præferocem Sabaudij animum metum fingi; quem nec nouerit,nec illabente quidem in ceruicem orbe ſit admiſſurus.Non illi Cæſarem pluris quam Gallum Regem eſſe: Hunc tamen irritatum & iuſtis armis prouocatum, præualuiſſe fortunam quidem,ſiue dicere libeat Regem; ſed illum ne victum quidem, & magna parte Sabaudię exutum infregiſſe animum:quem ſitus prouinciarum,& multitudo ſubditorum ſuggerebant. Quantò audentius Cæſari aut negaturum obſequium,aut cauſas occaſioneſq; excuſaturum. An formidari Germanas acies trans Alpes,abnuente Veneto, forſan & Hiſpano pro Mantuano in Pedemontanis futuros.Iam potentiores imperij Principes poſt Caroli quarti exitioſam imperio Germaniæ libertatis nundinationem, didiciſſe Cæſarem precarium habere imperium.Certò quòd Mantuanorum intereſt crediturum Sabaudium ius nullà vtilitate octoginta annorum lite expertum, certius armis repoſcere. Quod ſi modeſtiſſimè agat,non defuturos ſeditioſos,& belli cupidos, qui cunctantem vrgeant,nolentem impellant. Iis enim proſpectum eſſe quoties Italum bellum conclametur, certatim Tranſalpinum militem accurrere; cui ſe Italorum egentiſſimi ac turbidiſſimi ſtatim adiungant: ſatis ſupérque docti, tum ſtipendij ſummam increſcere, quoties violentiæ ac rapinarum licentia permittatur. Quid ſi Monferratenſium aliqui aſperitate Vincentij, animaduerſione ſeuerâ Gulielmi irritati iras retineant, vindictamque in tempore præſumant? Diu exactionibus, confiſcationibus,deſpectibus fatigatos,optaturos (quod nollet)Ducem & partes. Neque verò prorſus inopem Sabaudium, longo tractu terrarum, nobiliſſimas ac ditiſſimas vrbes poſſidere. Ab his in vſum belli vim pecuniæ conferri, equos, iuuentutem mitti, tantâ promptitudine & caritate, vt tributa & onera cupientibus imponi putes.Pluſquàm ſexcentorum annorum miniſterio inter ſubditos ac Dominum eum amorem coaluiſſe, vt pluris æſtiment ſui Principis voluntatem, quàm vitam, quàm fortunas, quàm liberos. Ridiculam proinde eam alienationem credi par eſſe,quæ apud eius ſubditos fingitur. Imo cùm Gonzagis, Eſtenſibus,Farneſiis,Rueriis,Medicis,non ſemel populi inſidiati legantur, ſolos Sabaudios cum ſuis de caritate in præſentem certauiſſe. Eius quoque populos auidè arma tractare:pluribus ab hinc annis ſolitos pati delectus;& in non inopes expeditiones mitti. Sed & bellum,veteri dicto ſeipſum alere. Deſcriptos iam & deſtinatos, vicinorum populorum commeatus in vſum ſuum; & Monferrati opes tanquàm proprias reputari; quibus militum inopia ſubleuetur. Certum Ducem eſſe,quos ſuorum in prælium duxerit,niſi ditiores domum remittere. Poſtremò orare Mantuanum, quando dicto ſuo fides non habeatur, meminiſſe ad minus in tempore quibus conſultoribus quæ ſententiæ probatæ ſint. Sic enim cuiuſque prouidentiam iudicij documentum facturam.

Hic Iberti ſenſus fuit;quê diuinum futuri,mores Hiſpanæ Aulæ,nec non Germanæ(quibus diutius inſueuerat) fecerant. Et nos traditum eius manu libellum Mantuano vidimus, & hîc latinè vertimus. Vniuerſa enim liberè communicabantur, nequid lateret, quod plenitudinem Hiſtoriæ adornaret. Sed ille tamen parum ſocijs conſilijs, parum Domino placuit: ſiue prævalidis qui ſecuritatem ſuadebant, quibuſq; Sabaudius viluerat;ſiue praua opinio inſtillata Dominum in certam perniciem trahebat. Nam laudantibus conſtantiam famulis, accreuerat Mantuano fiducia,eòque conditiones pacis maiori faſtu, quàm tempus requirere videbatur,audierat:tamquam Imperator,Gallus,& Hiſpanus Reges, Venetus, Pontifex; & (in quo præcipua ſpes erat) Etruſcus numeroſis exercitibus, rerum ſuarum incolumitati forent affuturi. Minora opinione,aut certè cunctatione inutilia auxilia fuêre;ſtatímque apparuit quàm in lubrico ſpes eius ſtetiſſet,qui propriæ virtuti opibúſque, minus quàm ſpecioſis promiſſis confidiſſet. Quod tamen

Non tamen perſuadet.

Princi-

Principibus moris, cum opportunitates ſubſidij tarditate corrumperent, ſpem ingentibus promiſſis fouebant; vt tum cùm peſſimè haberetur, inconſultâ facilitate certam amicitiam maximè opinaretur.

Minima erat eo tempore Vincentij Principis Mantuani fratris auctoritas: Ætas iuuenem negligi ſuadebat; minuſque apud fratrem valebat, quòd literarum ſtudio modicam operam impendiſſet. Hic tamen caſúne, an vt periculum iudicij faceret à Mantuano interrogatus eſt, crederétne inualidum Sabaudium arma Monferrato illaturum; & an contemni conditiones pàcis, ex vſu rerum præſentium opinaretur. Ille improuisâ interrogatione perculſus, reſpondit: Fratris prudentiæ imparem ſe eſſe; ſibi tamen quaſcunque conditiones pacis, etiam directione finium, & Viduæ nuptiis probari. Famulos quidem licet cum fide, de alienâ re tamen conſilium offerre; ſolius fratris intereſſe, an benè res ſuæ domus diſpoſuiſſet. Quamquam deſpecti iuuenis reſponſum, grauius Mantuanum (quàm credebatur) offendit: nec abſtinuit, quin in iuuene timorem ac iuuentam accuſaret; fatali exitio rerum patriæ, vt ij tantùm audirentur, qui perniciosa ſuaſiſſent. Ergo inter diſceptantes, & eluctantes miniſtrorum ſententias medius Mantuanus, quà ſibi videbatur optimè cauſæ conſulere, teſtatâ honeſtare cauſæ, Sabaudij cogitationibus iam bellum ſpectantibus, & rebus ſuis in ancipiti ſitis, cum prius Cæſarem, Gallum, Hiſpanos, Venetos auxilio aduocaſſet, & in Etruſco ac Romano Pontifice, quod ſupererat præſidij collocauit. Hunc auctoritate conſpicuum, illum opibus crediderat multum ponderis additurum. Proinde certâ in vtrumque ſpe Ioannem Magnum à ſecretis conſilijs, & Romanæ curiæ inſuetum, nec minus prudentiâ & dexteritate probatum, datis ad vtrumque Principem literis legauit; ne quam bello cauſam dediſſe, aut communione negotiorum, ſtudio vel negligentiâ abſtinuiſſe crederetur.

Vincentius Mantuani frater conditiones pacis præfert.

Mantuanus mittit Romã & Florentiã Ioannẽ Magnum, opem petiturum.

Præſumpta apud Gentes pro Sabaudio cauſæ iuſtitia videbatur; eoq; referre, ſi amicis Principibus, ſingula ex vero recenſeret; ne apud orbis famam inauditus damnaretur. Rerum ſumma capita quæ expoſiturus mittebatur erant: quâ pietate & obſequio Duciſſam viduam, permiſsâ omni potentiâ coluiſſet: & ne quid illi plenæ auctoritati deeſſet, etiam Ducis nomine abſtinuiſſe. Aſculanum Principem officij ſpecie ab Inoyosâ miſſum, poſtquam promptam comitatem deprehendiſſet, arbitrum rerum Mantuanarum induiſſe: neque eâdem aduerſus vtrumque Ducem fide; ſed proniori in Sabaudium fauore, quo maximè detegarur, Monferrati cupidinem malè diſſimulare. Comitem quidem Martinengum modeſtas Taurino literas detuliſſe; ſed non alio fine compoſitas, quàm vt neptis à Patrui curâ diſtraheretur. Mantuanos ac Monferratenſes proceres, & quibus ſumma conſiliorum inniterentur, diſceſſum viduæ Dominæ, vt dubij veteri non diſſuadere ſolùm, ſed etiam abnuere. Neque penes ſe aut ſuos, ſed Cæſarem tutorem tutorum ſententiam manere. Mantuanam prouinciam in ſeptuaginta paſſuum millia protendi. Intus villas, oppida, arces, colles, planiciem, & ciuitatem magno ambitu copiâ incolarum, lacu, fluminibus ſeptam: vbicunque ſedem vidua delegiſſet, eâdem auctoritate; pari apud omnes reuerentiâ futuram. Incertæ erga ſe caritatis quoſdam pernicioſo mendacio vulgauiſſe, Monferratum iure hæreditario nepti debitum: & licet veriora docti vanas commentationes reiecerint, fouêre tamen ſpes improbas, & illiciris prætextibus famulari. Domi ſuæ ſanctum & incorruptum ius eſſe; neque ârtibus niti, ſed Cæſaris ſupremi Iudicis arbitrium inuocare. Eo nec conſulente, nec iubente haudquaquàm imminuturum prouincias, non agri palmum conceſſurum, non conditione aut loco ceſſurum. Fines quos maioribus ſuis Carolus Quintus ſtatuiſſet, quos natura & vetus poſſeſſio probauiſſet, æternos velle.

E

Neque tamen abnuere ſinuoſorum, & tortuoſorum limitum correctionem, ſi Sabaudius honeſtam viam inceſſiſſet, & magnus in primis Cæſar imperaſſet. Gallos opulentiſſima & firmiſſima ſpondere, Reginam, Aldigherium, Marchionem Trinelli: ſed præferre ſe Hiſpanam amicitiam, cuius fidei vrbe digrediens res ſuas credidiſſet. Hæc vtrique dicenda; & certiſſimis argumentis approbanda Ioannes Magnus acceperat: ſed monendus præterea Etruſcus conſanguinitatis, & eorum quæ Mantuâ reuertens ſpecioſiſſima promiſiſſet, erat. Adhæc poſcebantur terreſtri itinere auxilia: aut (ſi via per alienum agrum negaretur) maritimâ. Poſſe Thyrreno minimâ iacturâ intra Monferrati viſcera penetrari. Vix octo millium ſpatium Genuenſes tenere. Præueniri tamen alienam curam improuiſâ militis expoſitione poſſe. Gloriam facti apud amicum, ſibi fiduciam acceſſuram. Porrò cum militi aut pecuniæ Pontificiæ nihil crederetur, orare ad minus iuſſus eſt, vt paterno amore quieti prouinciarum ſtuderet, & aduerſus corruptorem pacis, retinendæ auctoritati ſeſe nixu omni pararet. Præter hæc alia ſecretiora mandata erant; credituſque velut a longè, Magni Ducis ſororem Catherinam connubio poſcere: aut deſtinatam olim, aut cum Florentiâ Patriam repeteret ambiguè oblatam. Profectus Magnus pronos vtroſque in cauſam deprehendiſſe nunciauit, præſumptæque amicitiæ reſpondentes. Viſa tamen ſunt cunctationis inditia; & cupido vtriuſque in conſilium quàm arma compoſita. Id validius argumentum fuit, non Etruſcum ſolum, ſed & Pontificem, nuptias Viduæ commendaſſe; dederatque documentum Etruſci mater quo teſtata fuerat, non alio vinculo Mantuanam ſecuritatem conſtare, quàm tali coniugio, quo ſuſpiciones & vmbræ tollerentur. Sabaudio de Etruſco nulla cura fuit; ſiue neglectu quem imparem veteri nobilitati, & populorum dominio minorem nouerat; ſiue diſtantiâ: vt nec obeſſe ſibi, nec prodeſſe Mantuano poſſe crederet. Apud Pontificem excuſare cauſam ſatis habuit: vt qui ne Regibus quidem aduerſis concederet quoties bello tranſigendum eſſet. Communis tamen Parentis odium vitare in animum induxerat: vt qui longo vſu & Annalium lectione didicerat, bellantibus in Italiâ Principibus, apud eum ferè victoriam ſtetiſſe, cui Pontifex fauiſſet.

Variorum Principum legationes Mantuam.

Creſcebat interim Mantuæ hoſpitum numerus; quorum alij officiùm, negotium alij attulerant. Quoſdam proprio ingenio nouitatum noſcendarum ſtudio, aut delatos aut miſſos accepimus; conſpirantibus in Mantuani exitium amicis ac inimicis. Comes de Bò à Duce Mutinenſi, Maximilianus Gonzaga ab Etruſco Quintâ Ianuarij affuêre. Mox Diego de Riuos ab Inoyoſâ, eiuſdem menſis nonâ, ne minor Duci quàm Viduæ honos eſſet: & vrgendo negotio, quod honeſtum ac vtile, Mantuano Regius miniſter populari famâ tractabat. Secutus Baldaſſar Rocca-bona à Cardinali Madrutio; nobilis de Pazetis à Duce Sfortiâ Romano, Pompeius Piccol'hommeus à Principe Peretto die decimâ. Franciſcus Vrſinus Marchio Trinelli Galliæ Regum nomine orator vndecimâ; Marchio Horatius Scottus à Duce Parmenſi decima quintâ, Albertus Baldouinus à Gaudentio Madrutio decima ſeptimâ. His præter proprium famulitium, quod oſtentandæ magnificentiæ ſecum duxerant, noui à Mantuano comites & adminiſtri cuique deputati. Nec adhuc priores ad ſua reuerterant. Igitur plena omnis Aula erat, vt immenſo ambitu vix numerum hoſpitum caperet: Neque enim vetus defuncti Ducis familia, adhuc albo ſeruientium expuncta fuerat; & noui Ducis cohors numeroſa erat.

Hoc ſtatu rerum, tot domi modicam quæ à defuncto relicta fuerat pecuniam abſumentibus, tot foris aduerſantibus, & gnaris quâ famâ in Mantuanâ Aulâ haberentur, inter Principem Aſculanum & Mantuanum, illum arte, hunc facilitate vſum, infelix negotiatio cœpta eſt; non alio fine, quàm vt ſi Sabaudio aliquâ in re pro-

re proficeretur, cætera Mantuano in tuto ſiſterentur. Primo certè congreſſu, nec matrimonium Viduæ laudare, nec reprobare apertè videbatur, eò conſilium flexurus, quo occaſio perſuaſiſſet. Sæpè enim auditus fuerat inter familiares ſermones teſtari, de Viduæ nuptijs concludi non poſſe; quando vteri ambiguitate, priuatóne an Duci nuptura foret ignoraretur. Eoque expedire opperiri partum, vt certitudo aut fallacia detegerentur; interim dignitati vtilitatique vtriuſque conſuleretur. Vice verſâ ſi eò tenderet oratio, conceptus vanitatem arguebat; nec diſſuadebat nuptias populo ſalutares: & vbi actius ſuſpicione conceptûs premebatur, ſemel continere non potetat quin ſuſpenſum animum aperiret. Auditus etiam aſſerere; quantum ſibi per coniecturas licuiſſet æſtimare, Mantuanum Ducem verum rerum Dominum, & Viduam vterum non habere. His perplexitatibus diuerſos lactabat, ſiue cuius fidem ſuam perſuadere niteretur, ſiue incertitudinem animi velare. Quæ cum plures obſeruarent; nonnulli auſi ſunt ſecretum Principis tentare, non ne Mantuano conſulerent, ſed vt implicatum ambiguitatibus animum expedirent. Sed ille rectus abditusque vix importunitate interrogantium perruptus eſt, vt fateretur, quando Mantuanus Viduam in animo haberet, debuiſſe fateri conſilium, etiam Parentem orare. Magnitudinem quippe Principis fæminæ ſupra Gonzagos mereri vt prece haberetur. Referebat vetus Franciſci Ducis exemplum; cui poſt vota, preces, ac honeſtiſſimas Sabaudio conditiones oblatas, conceſſa Virgo fuerat, fermè Cæſaris matrimonio abſtracta. Cum minoribus nunc promiſſa, nunc dubitationes interijci poſſe, maiores niſi pace obtineri. Audiebat non auerſum quidem nuptijs Mantuanum; ſed conſilio ſuorum, & quorundam literis attineri, quò minus ſenſa animi efferret: Nec aliò magis Aſculanus indoluit, quàm in Principe libero erga propria commoda rantùm hæſitationis fuiſſe. Nouercali certè odio auerſatam eas nuptias Ferrarienſem acceperat (idque vno ore ciuitas iactabat) vſamque ſermone ac literis; ſummiſſo etiam religionis ſpecie exitiabili Principis Aulæ inſtrumento Siluio quodam Teatino; qui fauore eius & audaciâ præcipuam ſe Reipublicæ partem fecerat; & querelarum quæ falsò in Ieſuitas ingerebantur verè reo, vt apud Mantuanum nepotem pro matrimonio inceſtum perſtreperet; profiteretur; ſi Pontifex Romanus (verbis ipſius ore exceptis vtor) ſolicitatus annuiſſet, non ideo proſperaturum tam profanum coniugium. Equidem tectam blaſphemiam, cum Mantuanus Aulicus exceptam increpaſſet, perſtitiſſe in ſententiâ ſcimus: & quæ dixerat, etiam ſcripto ſe complexurum iactaſſe. Adeo viliſſimo ſacrificulo audacia adoleuerat; vt dummodo cupitis Ferrarienſis obſequeretur, parum proprium periculum, veritatem ipſam æſtimaret. Ea tamen licet horrenda, ſiue exitus reſpondiſſet, ſiue feſelliſſet Sacerdotij ac pietatis nomine adiuta pro certiſſimis accipiebantur. Maximè quod vbi religio in examen vocaretur ſuperatam Mantuani inclinationem cognoſcerent. Proinde ſupprimenda veritas erat, erroris non minus quàm offenſionis metu. Apud peritos tamen ſimilium, impudens aſſertio ingens odium conciuit. Falſa & læſura pro cauſa dici, tam ingenti flagitio non tolerantes. Erant qui ciuiliter citra auerſionem, imo & reuerenter matrimonium cum viduâ reprobarent; nullam aſſerentes nouo fœderi faciendo neceſſitatem, nullum finem tam inſoliti coniugij. Refertos virginibus nobilibus Medicæos lares, eoſque firmatæ multò ante amicitiæ. Habere Eſtenſes, ſupereſſe Germanis quas iungant: & quando idem ſanguis reuocandus in Gonzagam familiam ſit, ſororum viduæ aliquam magis probari. Inſueta & primo auditu horrenda non vſurpanda; neque vbi iure communi liceat, cum priuilegio nubendum. Implacabile Sabaudij

Aſculanus negotium cũ Mantuano incipit

odium, & auerſum paci animum, ſuadere vt alia inducatur. Fratres defuncti Manes offendi, calcato ab alio fratre thoro ſuo, & veluti nudatâ verecundiâ violari. Sed prudentiâ & in Mantuanum caritate certiori; & quantum beneficij reuocata conſanguinitas allatura eſſet gnari; vtq; nullo firmiori vinculo retineri poſſet, ad vindictam, & repetendas res ſuas Sabaudius prouocatus, matrimonium cum Viduâ (continuam iam apud Aulicos ſermonum materiam) commendabant, conſulebantque. Abeunte quippe illâ, non fidem ſolùm ac caritatem Principum minuturam, ſed filiam quoque diſceſſuram; quam Auus amore mollitus, vt rerum ingentium hæredem (quamuis prouincijs excluderetur) circumferret. Eoque proceſſuras in maius ſuſpiciones, & occaſiones diſcordiarum. Si retineretur, curam Neptis apud Patruum matri concordem fore; & ſi quid fato eueniſſet, præſente matre fortunam omnem in domo manſuram. Neque duorum fratrum aut ſororum nouum apud Chriſtianos Principes matrimonium; Haberi apud Anglos & Hiſpanos exempla; ſed & Sigiſmundo Poloniæ Regi, qui nunc rerum potiatur, duas Auſtriacas ſorores obtigiſſe. Licet nec exemplo opus ſit apud Reges & Principes, quoties ſalus populorum, & bona pacis requirant. Prima ſimilium connubiorum noua fuiſſe; non exemplo tantùm ratione approbata. Denique ridiculum eſſe aſſerere apud defunctos ſenſum verecundiæ, & ſimilium ineptiarum eſſe. Cum morte deſiiſſe mortalia; & ſi quo præſentium affectu frater defunctus moueatur, gratum matrimonium habiturum, quod nouerit ſalutem ſuis populis laturum. Quod Pontifex ratum voluiſſet, non religione, non pudore temnendum, ſecuritatem certiſſimam eo arbitrio conſtare. Quippe cauſæ quarum vltrò licentiam permiſſurum. Sibi Theatini dicta hæreſin, aut (quod minimum) pernicioſum errorem ſapere. Eaq; ſi vulgata Romæ forent, periculoſam profeſſori explicationem præbitura. Nil eâ in re opus ſacerdote audaci & obſtrepero. Excludendos tales adminiſtratione rerum, & vbi pœnitentibus conſcientiam obiecerint, ſtandum Pontificijs decretis. Quinimo oſtendendæ conſtantiæ actum de prouincijs eſſe teſtabantur; imminere calamitates; & malè conſulta Monferratum igni ac ferro expiaturum. Vicêre haud dubiè, quibus rationes patrocinium faciebant. Sed nec tanta ſecordia ſectarijs ſuberat, vt veritatem non exciperent, & conuicti, colloquio arguentium abſtinebant. Cæterùm ipſius primùm viduæ reſpectus; mox conditiones ac pacta, negotium inexplicabile reddiderunt. Tantaq; curarum ac difficultatum moles incubuerat, vt cuiuis prudenti certum eſſet, quamquàm vtriuſque populi ſaluti vtiles nuptiæ cognoſcerentur, non tamen ſecuturas. Nam vel apud ipſum Sabaudium, irritam negotiationem videbant (qui collocare quidem filiam non abnuebat; ſed finiri lites, & quæ quis poſſideret decerni prius volebat) & Mantuanus huius illiuſve conſilio agitatus; eandem in horam velle ſe dicebat ac nolle. Quò manifeſtior eorum temeritas eſt, qui apud Mantuanos inſigni mendacio vulgarunt Siluij Theatini monita ac querelas, dictante Sabaudio manaſſe; ne pater ſponte abnuiſſe coniugium videretur; ſed quò minus abſolueretur per Mantuanum ſtetiſſe. Scilicet Sabaudius ſuorum conſiliorum moderatorem Monachum incognitum & abſentem delegiſſet, qui ne Regibus quidem, niſi cum expediret auſcultaret: aut alio medio quàm filio Principe irritam negotiationem reſcidiſſet. Malè notus his interpretatoribus tantus Princeps, & in maioribus rebus illius libertas erat. Nec abſurdum creditu eſt, his nouitatibus offenſum, aſperiorem ſe poſtmodum ſecutæ negotiationi præbuiſſe. Quò ſpectare crediderim, quòd paucos poſt dies Aſculanus cum de matrimonio audiuiſſet, odoratis iam difficultatibus, renidens reſponderit, in eo verti ſalutem Patriæ; ſed Mantuanos bonâ ac celeri fortunâ egêre. Id quippe ſtatim oculatioribus perſuaſit, perperam eorum accuſatum

Sabau-

Digitized by Google

Sabaudium,quæ vulgus commentabatur: ſiue cauſa eadem,ſiue honeſtatis reputatio (quæ apud Sabaudios Principes connata eſt) ſiue conſulta amicorum ; ſiue denique tanti Principis imperium fuit,patuit & aliud liberi animi argumentum; quod non differre , ſed abrumpere cogitatum Matrimonium videbatur. Aſculanus enim congregatis iam proceribus, ac Principe Pedemontano, ſimul ingreſſo Mantuano, habere ſe ingentia quæ proferret dixit ; tum attentis vniuerſis addidit:Indecorum regiis natalibus viduam iuuenem,ſtirpis Cæſareæ;formæ elegantis;& cùm famâ nuptiarum traductam,eodem tecto cum preſumpto ſponſo,nondum marito agere.Quin potius integrâ negoriatione redire ad ſuos debere ; vnde firmatis ſponſalibus , debito generi ſplendori reduceretur. De eodem primum tecto admiſſa ab omnibus ratio,& aſſenſus Mantuanus eſt,dummodo intra vrbem ageret. Quamquam eligi partem domus poſſe, cuius vaſtitas , nullâ alternus communione plures habitatores accipiat. Et quidem ampliſſimæ ſunt Mantuanorum Ducum ædes , adinſtar vrbis,areis, itineribus, palatiis, templis diuiſæ: Inſunt porticus,horti,turres,ſtabula. Nec ad amænitatem vlli Regum plus cupitum;quàm hic habetur. Neq; tamen cohabitatio placuit ; dedecere exiſtimantibus quamquàm tecto diſſitam viduam,in vicino agere. In hæc aſſiduè Aſculanus; & ne ſententia excuſationibus eluderetur , onerabat modeſtiam Mantuani; quaſi honeſtati Principis fœminæ ita expediret.Hic cuicunque voto paratus,ſtatim annuit,permiſitque electionis arbitrium ; ſiue migrare ſe domo cuperent;ſiue manere,tranſlata viduâ in quam vrbis partem voluiſſet.

Aſculanus diſſuadet Viduam ſub eodem tecto cũ Mantuano agere.

Vix iſta finierant , cum Aſculanus & Martinengus tamquàm melius conſulti, cogitatæ mutationi innouare cæperunt ; vt vanæ,& ſanctiſſimæ viduæ iniurioſæ; reditum verò ad parentem ſpecie filialis obſequij ſuadebant. Contra Mantuani, non quidem flagitium ac ſordes in tam ſanctâ fœminâ ſuſpectabant ; quibuſdam tamen extra domum coniecturis arguebant falsò conceptus nomine illudi patriæ,& prætextu noui Domini,qui neſciatur,præſentem ac verum circumueniri. Illud apertius fremebant , indecens & ſubditis oneroſum eſſe ; procul amandari Dominam,cui præſtandum foret miniſterium,& ciuium vota conferenda. Intra domum ac Penates Mantuanos edendum principem , excipiendum patriæ ſinu, alendum,oſtentandum;cui à natali ipſo ſtatim conceptum ſacramentum dicatur. Id continendis in officio populis, & ſolandis iure deberi:nec Ferdinandum Ducem , aut proceres toleraturos prægnantem Dominam alibi , vel ad infidos ſpes ſuas aſportare.An preces graui ſex dierum itinere Thaurinum vſque ſubditos delaturos,vt iuſtitiam illinc ac gratiam referant?Quam fore ciuitatis obedientiam, ſine Domino ac tutrice? cui fidem miniſtros habituros,quos prælaturos,ſuoſne an externos?Quorſum inchoatam nuptiarum tractationem,ſi amoliri ſponſam meditabantur ? Non abſurda in ſpeciem rationum vis,quamquam diſceſſum maturantes conſultores retinuit, impulitque imagine quadam ſeparationis,patriq; & laudantibus propoſitum ſatisfieri.Tum diſputatum de loco quò mitteretur. Gazolum primùm in rationem venit : Id Mediolanenſi itinere, duodecim paſſuum millibus Mantua diſtat:ſed lutoſarum,& per hyemem inacceſſarum viarum cauſa neglectum eſt. Nam frequentari Principem,vltrò citróque commeatibus,oratoribus,infimo famulitio,Duci ipſi intolerabilis moleſtia videbatur. Nec puritas aëris placebat, vallatum foſſa, quæ altâ palude nocua , diros halitus tollere putabatur. Tum Gouernolum ac Goitum in conſultationem venere.Illud tumentis & decreſcentis locus cauſâ,acceſſúſque ac reditus difficultate ſepoſitum.Prælatum Goitum,puro cælo,domo nobili ac amplâ, aridiorique glarea ſtrato itinere. Venationes inſuper,piſcationes,Amnis Mincij delitiæ,eblanditę dubitantibus ſunt, vt eligeretur. Nec tacuit Mantuanus apud ſuos ; vt Sabaudij quoque Mantuæ agentes perciperẽt; ſeparationem Viduæ non ſuſpicione,non honore propoſitam,

Mantuani negant debere abire Viduam . quæ gravida putatur.

De loco extra vrbem diſputatur.

ſed dolum ſubeſſe. Quidni enim potuiſſe Viduam intra ſolitas ædes ſecreta remanere:& Mantuanũ Caſtello(ſic domus antiquæ partem vocant)degere:vnde non niſi per apertum, & paternos famulos obſeruatores, tranſitus eſſet? ſuperiorem eam Principem eſſe omni probri ſuſpicione; nec obnoxiam ſtolide oblatrantis mendacij. Tantam magnitudinem ac ſanctimoniam, vel eo maximè lædi, quod videatur obſeruatoribus & ſecreto egere. Ne parentem quidem ſuſpicari ſimilia potuiſſe. Ideo Gazolum conſciis fallaciæ placuiſſe, quod præcipiti in Padum fluuio promptus Ferrariam receptus eſſet, ſiue Vidua fugam, ſiue Sabaudij miniſtri infantis neptis raptum cogitaſſent. Nec aliâ cauſâ Goitum in vicem, patenti circum agro; & latera tegentibus Venetis electum, quàm vt quod Pado non licuiſſet, terra exequerentur. Id vt ſibi perſuaſum, ſic futuri certiorem ſolicitudinem habiturum. Prudentiores inconſultam lamentationem credidére:& licet Sabaudio diffiderent, caueri inſidias, & ſileri honeſtius arbitrati ſunt. Sed Mantuanus ſimul præuiderat, ne Goiti Arx plus vno acceſſu adiretur, vt munimenta diurnis nocturniſque excubiis ſeruarentur; portæ oppidi ſatellitum globo firmarentur, ne arma inferrentur, ne plures ſimul incogniti admitterentur; ne funes, cathenæ, telæ præter vſus domeſticos importarentur. Longius quoque alios curare iuſſit; ne per negligentiam conſiliis hoſtium (iam ſic vocabantur) occaſionem aperiret. Id omne honori familiæ, & Viduæ maieſtati dari ferebant.

Goitum deducitur

Cæterùm recipientibus & laudantibus Sabaudiis Vidua Goitum cum infante filia delata eſt, addito veteri famulatu virorum fœminarúmque. Quod ædium reliquum in Sabaudios proceres diuiſum, vt pars nulla domus ſine hoſpite ageret. Intolerabilis certè famulis labor erat; cum Mantuæ ad manus parata, tanto vix tractu, & vix in tempore affutura deducere cogerentur. Comitati nihilominus abeuntem omnes ſunt; & Marchio Iulius Cæſar Malaſpina Prætorio præfectus, cum ſexaginta militibus additus, quaſi honori; & cuſtos corporis mitteretur. Suſpicionem manifeſtam fecit, quòd cum Dux Coniunx in viuis ageret, iis ſtipatoribus vallari non conſueuiſſet. Sed accepiſſe in Mandatis Marchio dicebatur, ne pars vlla niſi cuſtodibus munita pateret; eadem diurnis ac nocturnis egreſſibus cura eſſet; excuterentur introeuntes etiam cogniti ſi quid tectum intuliſſent, Vrbani, Aulici, Ruſtici; cauſa aduentus cuiuſque examinaretur: arcíſque pars in fluuium verſa præſidiano excubitore inſideretur. Denique etiam nobilibus à cubiculo imperatum, vt infantem Neptim præ oculis haberent; ne huc illuc puerili leuitate diſcurrentem incuſtoditam relinquerent. Ea ſolicitudo pro Mantuanis erat, ſi ſiluiſſent; ſed illi prudenti ſe temperamento eluſiſſe inſidiantium malitiam ferebant: eóque præter vetera odia, recentem quoq; indignationis cauſam obtulere. Vbi profeſſione conſilij tot nobilium procurrentes ſerui deprehendêre, palam & incuſtoditi occupaturos ſe exceſſus omnes, & clauſuros cœlum ipſum fugienti iactarunt. Quod Viduam Principem ingenti mæſtitiâ confecit. Neque tamen primo ſtatim indici fidem habuit; ſed vbi obſtrui quaſdam feneſtras (quæ eminentiſſimo ſitu, ſubiectam planiciem, vicinoſque Voltæ ac Caprianæ colles proſpectabant) & murorum extrema tabulatis ſepta, ſimul diſpoſitos militares globos, tanquam obſideretur & detineretur vidit, prorupit in lachrymas. Mox publicè queſta; vbi non querelas auditas, nec amotos cuſtodes ſenſit, in iram vertit, comminata patriæ ac conſultoribus, qui puellam regio ortu, conſciâ omni Italia in carcere ac ſecretâ cuſtodiâ haberent. Imminere tempus, quo ipſa ſordido vinculo exſoluta, cuſtodes ſuos agitatos pulſóſque videat, per ludibrium diſiectos: & niſi conceſſiſſent filiam, igni ferróque vaſtatos. Nam ſiue domi ageret, ſiue in publicum egrederetur, vallatam ſe milite, iuſſo aditus omnes ac effugia ſeruare; ne filiam vnicam, amiſſi mariti ſupremum ſolatium in poteſtate haberet.

Ea cauſa vidua queritur.

Hæc

Hæc & ſimilia vindictæ auida iactabat, ore ac oculis iras ſpirans, vt certum eſſet fruſtra amicorum ſolatia, & auctorum excuſationes futuras. Accendebat auerſantem quorumdam miniſtrorum effrons temeritas, qui audientibus Viduæ ſeruis, fateri non erubeſcebant, quo monitore, quâ cauſâ eam curam ſuſcepiſſent. Porro vetus famulatus nondum abſceſſerat; & quibus colloqui Viduæ ſecreto licebat, licet caritate patriæ eluere ſuſpiciones iniuriarum niterentur, conceptámque inuidiam honeſtiori interpretatione mollire, omnia tamen ea in maieſtatem comparata aſſerebant; nec eorum quæ lamentaretur alterius quàm ipſius arbitrium futurum. Imo nec anxiam filiolæ curâ, aut fugæ metum malo vertendum, ſiue patruo ac patriæ onus tutelæ incumberet, ſiue ne ſubditi quidem elabi matrem cuperent; ſed nouo connubio retineri, vt certi amoris argumentum. Rationes tamen ac conſilia parùm valuere, Principe Pedemontano vniuerſa ſimplicius nutriente, Aſculano verò cæteriſque eius ſcholæ alumnis apertius aggerantibus ſuſpiciones, intendentibus iras quò vera aut verò ſimillima obiicere, non calumniis adornata, nec eruditè commentata; ſed ratione & experimento probata cognoſcerentur. Neque enim aſſentandi ſtudium corruperat prudentiam, quò minus excubiarum frequentia, & intempeſtiua ſolicitudo deprehenderentur.

Quidam ſe Viduæ offert, infantem ſecretò abducturum.

Mœrentem Viduam flexo in veſperam die familiaris conuenit, & audiri orauit. Noſtrum ſermonibus diuerſis anxietatem Dominæ leuabamus: admiſſus ac genibus reuereter aduolutus, ſic orſus fuit: Compertum ſibi Mantuanorum teſtimonio, non domum ſolùm, ſed fluuium & agrum circum omnem diſpoſito milite teneri, vt non acceſſus, non egreſſus ex Arce niſi cognito pateret. Se tamen nobile facinus meditatum, qui ignaris cuſtodibus, ſi ſibi placuiſſet, primo conticinio ſublatam trans flumen efferret, & mox currui impoſitam in tutum conueheret. Id vnum requirere, an grata audacia matri futura ſit, cuius miniſterio cuperet incogitatâ arte vires ac ingenium impendere. Continere vidua riſum non potuit; & cum modum viamque ſciſcitata fuiſſet, reſpondit: Non tantam ſibi filiæ curam, vt exponere vtrumque periculo velit. Aut Mantuanos honeſta facturos, aut vim experturos. Apertè ſe iniurias vlciſci: dolo & fraudibus minus validos intendere. Proinde prono ſerui animo gratias agere; ibi filiam futuram, vbi ius & Auus voluiſſent. Peruicaces ſuo damno experturos, malo conſilio irritari potentiorem.

Illa renuit.

Comes Frāciſcus Martinengus.

Paucos ante dies Comes Franciſcus Martinengus mihi ſupra nominatus à Sabaudio legatus, cum duobus Taurinenſibus Senatoribus, & ſexaginta famulis cōmitatus Mantuam venerat. Iam enim miſſo ad Patrem curſore, Pedemontanus matrimonij noui conſilia, votaq; Mantuanorum perſcripſerat. Vt inter colluctantes & obſtrepentes varietate ſententias, paternis monitis concordia ſanciretur. Neque auerſus à conſiliis pacis iuuenilis animus ferebatur, aut in negotio ſimulationem attuliſſe: vt cui, matrimonio honori ſororis, & Parentis prætextui finium compoſitione conſultum videretur. Mite ingenium, & certiſſimæ pietatis, bellum auerſabatur. Niſi defuncti Mantuani Ducis humanitate, amorem Mantuanorum imbiberat: nec (vt ferè) cum obitu conſanguinei deterſum. Crediderat nempe eam in Mantuanis prudentiam, quâ viſis præſentibus & futuris æſtimatis conjicerent, dirimi ſuſpiciones, & occaſiones belli tolli ex vſu eſſe, potius quàm iram validioris experiri. Et mouebant plerique etiam Vincentio Duci placuiſſe conditiones; quibus æternâ pace vtræque familiæ necterentur. Delatæ à Sabaudio literæ, quæ ſummam præceptorum continebant, Dominum de Potrè nobilem Gallum à Reginâ matre miſſum Mantuæ offendêre. Venerat & ipſe cum literis, quibus fœminili facilitate ſpecioſa inſeruerat: Delicatum Nepotis nomen, cura, tutela, ſubſidium, auxilium, & his ſimilia, verbis in amorem adorna-

Dominus de Potrè orator Gallus.

ta; ſed quæ mox rationibus ab Iberto adductis, inania reperta ſunt. Et quidem incauti crediderant, inter iras & arma iam parata ſufficere auctoritatem: ſed exciderat animo vix coniugem Regem toti Europæ formidatum, poſt varios belli euentus, etiam auulſas Sabaudio prouincias, ſolidam pacem à bellicoſo & intrepido Duce expreſſiſſe. Legatio tamen Domini de Potrè Mantuanorum animos ſpe immenſum extulit; apud quos rari cauſas diſcordiæ, & inimici vires nouerant. Hinc vulgatum, per Aulam, per fora, per officinas, ſecurum iam eſſe Mantuanum, in tuto Monferratum, conatus Sabaudij rideri, inſidias Aſculani contemni poſſe; actum de vniuerſâ Sabaudiâ, niſi Dux arbitrium rerum ſuarum Reginæ Mantuani Amitæ permiſiſſet. Addebatur conſcriptum iam militem, in Narbonenſi ſub Duce Niuernenſi tendere, duodecim peditum, tria equitum millia. His nexum Aldigherum ſtrenuum bellatorem; vt niſi Sabaudius modeſtiam retinuiſſet, ſtatim pluribus à locis occuparetur. Deputatam quoque in vſum belli pecuniam, aureorum ſexcenta millia, tot inania, tot vana; non alia aſſeueratione, quam ſi vnuſquiſque oculatus numerauiſſet. Sed Aſculanus Hiſpanâ grauitate, cum vires Gallorum, & eam militiam non deprimeret; monebat tamen temerè credentes, illa maiora vero eſſe: nec pro Mantuano Reginam niſi literas, preces, ac vanas comminationes interpoſituram. Perſpecta ſibi omnia certiſſimis rerum auctoribus; eoq; expedire præueniri tumultus imminentes ſaltem finium directione. Mordebant hæc aures veri indociles, & tamquam inſidiarentur, negligebantur.

Occeperat Februarius nouis & ipſe hoſpitibus oneroſus. Tanta enim aduenarum copia, Aulam, Vrbem, priuatorum domos, ſumptibus Ducis excepti oppleuerat, vt annonæ curatores, & numero & varietate fatiſcerent. Simul diuerſis locis conuiuia inſtaurari oportebat, apparatibuſque epulorum ſtrepebant vniuerſa. Venêre à Cardinali Spinolâ Ferrariæ legato, à Piſcariæ Marchione, à Duce Virtembergenſi, Niuernienſi, Stumenæ, Longauillæ miſſi: & eo famulitio ſtipati, quod Principes deceret. Sed excipiendi cura in adminiſtros multò ante tranſlata fuerat; iuſſiq; conquirere in vrbe, agro, vicinis, quod ad ſumptum immenſum faceret; ne quo domeſticus ſplendor imminutus videretur. Mantuanum grauioribus intendere, rei quæ agebatur magnitudo, & communis ſolicitudo perſuadebant. Quippe prono in ſuſpiciones, plures metum inſidiarum, quàm ſubſidium ſuggerebant. Vix tutum ſe domi, quantò minus apud Monferratum rebatur; ad omne nuncium paueſcens, & opperiens indies grauiora: niſi Galliæ Regina, facilem in formidinem inanibus lactauiſſet.

Colloquium Pedemontani, Mantuani, & Aſculani.

Neque Princeps Pedemontanus, Aſculanus, aut Martinengus feriabantur, indiuidui & communicato inuicem conſilio aſſidui; licet nemo bellum præferret, ſinguli amoliri cauſas pro virili niterentur. Tandem petito Mantuani colloquio, rem acriter & conſenſu aggreſſi ſunt. Hos inter Aſculanus vernaculo ſermone vſus (nec enim proceres Hiſpani, corrumpi imminuive gentis maieſtatem aliâ linguâ patiuntur) cui Mantuanus non ſecus ac Italo aſſueuerat, ſic orſus dicitur: Si mihi vicinus Sabaudius & præſens Mantuanus Duces, eadem fide cogniti, alienam cauſam proſequi diſſuaderent, priuatæ tamen res, & mei Regis honor impellerent, quod eo die obnixè promoturus eſſem, alacrius inter ipſos exequi. Cui enim notum bello aut ſuſpicionibus agitatâ Italiâ, non Mediolanum, non regnum Neapolitanum, non Siciliam, non Belgium, non Etruriæ litora Hiſpanis obnoxia quietura? Sed excidium oppidorum, cædes exercituum, immenſas expenſas eundem motum ſecutura; Hiſpanias Indiaſq; validiſſimis his artubus nexas, miniſtrare copias, arma, pecuniam, eoq; deterendas. Fortunam Regnorum ſubditi ſequuntur, quamquam longius ſiti: & tum peſſimè de eorum rebus agitur, quoties Princeps anguſtijs, bellove conflictatur. Quæ porro ſecuritas eſſe poteſt,

teſt, vbi Sabaudius ne in pace quidem inermis, & præferocib. populis ambitus, irâ ac deſiderio vindictæ ardeſcit; quòd apud Mantuanos Vidua filia, diu neglecta, mox (vt creditur) grauis vtero, cum vnico connubij ſui pignore, redire ad ſuos prohibeatur: Goiti illam velut in carcere detineri, egreſſus aditusq; vigili milite cuſtodiri; & non muros oppidi ſolùm, inſueto præſidio circumdari, ſed pro Aula, Ianuis, cubiculo accinctos excuſſores excubias agere. Non erga ſicarios & vitæ Principum inſidiatores cautius mortales agere; quàm nunc aduerſus nobilem, innocentem, luctuq; filij ac coniugis confuſam. Grauia certè hæc; nec viſa magnâ Mantuani ſatisfactione poſſunt obliterari. Si cui leuiora videantur, æſtimare debere iura vetera, Caroli V. creditas iniurias, & ſententiam expreſſam, ſurreptam, & publicæ quieti hactenus ſemper exitioſam creditam. Reliquit ille quidem præſentia vtcunque compoſita; ſed iecit diſcordiarum immortalia ſemina; quæ vbi Mantuanos hauſerint, etiam reliquam Europam turbabunt. Hæc cum præpotens Sabaudius altiſſimè animo fixerit, magno remedio opus eſt, vt obliuioni mandata vaneſcant. Non aliâ causâ tam facilis in decreta Cæſar fuit; quàm quod non ius ſolùm, ſed nec vires ſepoſiti ac neglecti ſuis ponderibus æſtimauerit; nec aliò certiori argumento docuit, magnâ iniuriâ læſiſſe Sabaudium, quàm vbi Aſtenſem vrbem, recipienti quidem, ſed conquerenti permiſit; quaſi virilem indignationem puerili munere delinire cogitaſſet. Iam verò Mantuano Duci minor indigentiâ pecuniæ eſſe dicitur; nec præter incolas inopes, vlla militia, non parata auxilia, Cæſar otio reſolutus; at trans Alpes proiecta Regina Galliæ, indiga ſæpius opis alienæ. Aderit Pontifex conſilio; qui diſcordias Chriſtianorum, pacto quàm ſanguine dirimi, vel ſuâ causâ cupit. Alterutri decertantium interponere arma rarò, auctoritatem plerumque ſolet: nè quæſtus domeſticus abeat in externos. Nec enim frequentes in eadem domo Pontifices occurrerunt; coq; primo ſtatim auſpicio familiæ ſuæ conſulunt; cui omnis externa turbatio detrahit incrementa fortunæ. Etruſci ipſi aut veteri inſtituto ambigentes aliena negligent; aut ſi militem ſubſidio miſerint, acceſſu Monferrati quacunque properauiſſet, arceri poſſe. Potius decoro ſobrini nomine, conſilium pro re ſummittet. Mutinenſis Dux æmulatione ne cogi videatur, Genuenſes pecuniâ ſuperbi; denique Mediolanenſis Ducatus, non acquieſcent. Perrumpendi omnes; aut ſi tantum virium non ſubſit, cuicunque auxilio valedicendum. Sic ſpes tantùm inanes Mantuanis, Sabaudio vires ingentes ſupererunt. Porrò in Mantuani Ducis conſilijs propria ſecuritas, paxq; Italiæ conſiſtit; ſufficit quippe, ſi implicatos Monferrati limites, apertis ac manifeſtis finibus terminet; aut præſumptam penes Sabaudium cauſæ iuſtitiam, conceſsâ parte aliquâ prouinciæ componat. Nil aliunde ſpei. Proinde mihi cum rationi, tum tempori opportunum videtur, conceſsâ portione reliqua in tuto ſiſtere. Spes ac ſubſidia vt inania & inualida, ſic nihil in ſummam conferent. Reſecanda ergo cauſa diſcordiæ, vt conceſſione leui, vniuerſa ſeruentur. His tali moderamine conſtitutis, etiam in longum duraturæ poſſeſſioni cauebitur. Præſentibus quidem prouideretur; ſtabilis verò nepotum quies, leui pretio comparatur. Liberum tibi Dux futurum puta, depulſis ſimultatibus, & obſtricto amicitiâ Sabaudio, Viduam Principem non apparatu, non expenſis egentem, ſalutari tuæ domus vinculo retinere. Manſura enim eſt; vt viuente Franciſco fratre inter vtrumque fides: & quæ mutuò conſenſu ſanciueritis, Cæſaris Regumq; Europæ arbitrio totam æternitatem valebunt. Accedet Principum filiorum Sabaudij ſacramentum, & Imperatorium decretum, quod liti tot annos agitatæ, commodùm finem imponet. Non præſidio Monferratum, non (vt apud ſuſpectos vicinos) milite egebit, ſecuri ac vberes reditus, nullis expenſis imminuti quotannis repræſentabuntur. Vita ipſa non ſollicitudine grauis, non curis anxia, ſed ſummâ in tranquillitate ac quiete tranſige-

tur. Imo in ciuitate plures annos à Vincentio Patre tuo molliter habitâ, inter ludos ac feſtiuitates quod æui ſuperi permittent, tranſiges. Cæterùm dum interim pacta firmantur, & agendorum ſeries diſponitur, oro obteſtorq́; vt Viduæ Principi vnà cùm filiâ, liberum ad ſuos iter permittas; aut (quod minus formidinis ac ſuſpicionis habet) deduci Mediolanum, tamquàm in ſinum Regis patrui (cuius pietati ac iuſtitiæ fidere te non ſemel ſis profeſſus) vnde firmatis conditionibus noui connubij, ſtatim reuocentur. Id quidem mihi videtur ex vſu; & niſi facilitate conceſſionis Parentis indignatio præueniatur, vindictæ properum; & vim laturum, tamquàm è ſpeculâ video.

Credebatur dixiſſe; cum iterum Sabaudij vires, animoſq́; efferre cœpit; repetebatq́; fruſtra externum auxilium opponi, cui Cæſar multò ante viluiſſet. Simul addidit apud Regem ſuum iuſto æquoq́; locum eſſe: ſed nec aduerſus nepotes, & ambigua arma ſtatim bellum conclamaturum: Plus illi Regiæ exiſtimationis accedere; quoties arbitrio & conditionibus firmari pacem inter altercantes Principes accepiſſet. Obfirmatum quoque Mantuani aduerſus concordiam honeſtam animum, creditam prudentiam non probare. Nec enim decorum nomini continuis quæſtibus & neceſſitatibus fatigare potentiores; quoties in cuiuſq; manu ſit, ſeſe magno compendio vexationibus expedire. Id notare Reges; & cupere vniuſcuiuſque ſalutem iudicio comparari, non ſemper alienam opem requirere. Poſtremò vniuerſa hæc pro certiſſimâ in vtrumque Ducem caritate ſe dixiſſe faſſus eſt: quæ ſi minus placuiſſent, haud dubiè ſecutura belli mala, abnuenti concordiam, non iura ſua requirenti imputanda. Pro profeſſione in Regem reuerentiæ, amore in Sabaudium, publicæ pacis bono, vel cum aliquo rerum ſuarum diſpendio credi, aliquid condonari.

Modeſtè certè Aſculanus communem cauſam proſecutus fuerat, & publicam vtilitatem prudenter conuellendis prouincijs prætuliſſe; ſed Mantuani Viduæ aduerſi, quibus Dux ſingula retulerat, orationem inter faſtum minaſque mediam, vt tempori ac negotio parum congruam criminabantur; ſoliti vniuerſa formidare, vt animus ſuſpicax & infenſus. Excepit Aſculanum Martinengus prudentiæ quidem ſpectatæ, ſed tum tempori obſecutus, & tamquam geminato ictu conſtantiam Mantuani perrupturus. Sibi non recentis Ducis Mantuani odio, ſed vetuſtiori origine compertum eſſe, Sabaudium Ducem antiquo poſitu finium, & veteri limiti non acquieturum: eoq́; multò ante prouidiſſe, vt quoties honeſtæ conditiones temnerentur, haberet ad manus remedia iuri ſuo ſuffragatura. Id cùm ſe extra omnem dubitationem habere diceret, filiam tamen ac neptim primùm velle domum dimitti, in quas prior charitas naturæ impulſu feratur: Nec credere vlli mortalium tantum ſæuitiæ eſſe; vt filio ac coniuge primo in flore iuuentæ orbam, non fotu paterno, non eo quod ſuperſit fortunæ pignore ſolatam velit. Si luctus tempora nouis acerbitatibus ac doloribus non onerentur, amplam nihilominus materiam afflictionis habere; quòd mariti ac filij morte attonita; incerta cui priores, cui vberiores lachrymas perſoluat, cui commoriatur, hæreat. Si quid futuri partus ſpem inſtillet, id quoque lamentabile cenſeri quoties filium defuncto parenti ſit enixura, dimidiatâ lætitiâ, aut exaſperatione nondum excluſi doloris. Placuiſſe haud dubiè cauſam Sabaudio; & ideo miſiſſe Doctores Senatoreſq́; Taurino; ne impetu ac irâ, ſolatium malorum filiæ quæſiuiſſe diceretur; vtq́; penſitatis rationibus prætextuum paternorum, eorum pondus Mantuanus diiudicaret. Iam non ſolo iure ſecuritatem illi contigiſſe, ſed Hiſpani inſuper Regis honeſtiſſimum fauorem ambigentem animum erexiſſe. Habere quippe literas, quibus moneatur; non diſplicere Regi ſanciri inter Duces concordiam: imo quoties à Sabaudio honeſta requirantur, medium ſe primùm, mox fautorem oblaturum. Etiam apud Aulam Hiſpanam cauſæ iuſtitiam agnoſci; nec

ſine

ſine verecundiâ Carolum V. auctorem ſententiæ quoſdam meminiſſe. Tam ſecura,tam parata,tam ingentia ſibi Mantuanum promittere non debere vſurpatâ Gallicâ protectione licentius, quàm vt ſtatim inter Hiſpanorum amicos, non ſumpto fidei experimento recipiatur; & paternâ ſuſpicione minorem. Equidem vt in defunctum nullam ſupereſſe diſquiſitionem, ſic fruſtra apud præpotentem excuſationes ſpecioſè adduci; vbi confirmatæ non vno argumento coniecturæ odiorum, ægrè detergentur. Partem non leuem prudentiæ eſſe & cauſæ,& tempori ſeruire; ducendumque ſe potius quàm trahendum neceſſitati permittere. Nullis adhuc armis impetitum, conſtante veteri amicitiâ, integro honore, aliquid poſſe concedere; quod amor & æquitas non vis expreſſiſſe videantur. Vbi per Monferratum arma perſonuerint, igni ferróque prouincia euertetur, quas ſponte ac libens conditiones non admiſiſſet,à validiori dictatas ignominioſè recepturum. Id ſe obnixius flagitare canere Mantuanum; quod Vincentio Duci patri; pluribus documentis humanitatis obſtrictum agnoſcat. Præceperat ſententiam Mantuanus,non vno monitore doctus,& ab Amitâ in primis Ferrarienſi, quibus fundamentis Hiſpani miniſtri (vt fama erat) perditum res ſuas, Sabaudij auctum irent. Id illum firmiter animo tenere conſuluerant; ne quid facilitate aut amore concederet; vtq; in poſterum,quæ illi pernicioſa dictitauerant,ipſe magnis calamitatibus lueret. Ergo communicato ante conſilio, & firmatus aduerſus metum, ſic omninò reſpondit (exemplar enim à Secretorum intimo habui) Aſculano ſe in primis gratias agere,quod licet ſua commoda pro modo amicitiæ proſequeretur,communem tamen vtilitatem non omitteret; eoq; memorem caritatis publicæ, rerumq; adminiſtrum & arbitrum reiicere ſcelus ducere. Satis ſuperque perſpectam ſibi Sabaudij Ducis aduerſus innoxium ſe gratuitam iracundiam,vireſque: eò acrius detecta,quò magis extra iuſtitiam eſſent. Curaturum tamen prò virili, ne ſuâ culpâ conciuiſſe odia diceretur: neve Rex Hiſpanus falſis relationibus in ſua damna erumperet. Neminem mortalium, cui ius faſq; cordi ſint,ignorare vanis imaginibus Sabaudium motum; quod ademptam filiæ potentiam,additum Viduæ contemptum, & cuſtodijs clauſam accuſationibus maliuolentium didiciſſet. Prioribus adminiſtris veniſſe mendacium; qui non alio certiori obſequio rebus ſuis proficere credidêre, quàm ſi pronum ſuſpicionibus Parentem; iniquiſſimis inſuper nuncijs incitaſſent. Non adeo alienam (quamquàm æmuli) cenſuram formidare; vt aperire conſilia,& palam fateri quibus artibus vſus ſit metuat. In medio Italiæ proſpectu, & inter obſeruatores ea tractauiſſe ſecuritati rerum,quæ criminari non deceat; & Sabaudius ipſe eâdem neceſſitate ſtimulatus fuiſſet vſurpaturus. An eam quæ beneficia, gratiam, munera, ius in alieno diſtribuat auctoritate depulſam cenſeri poſſe? Quinimo auctam illi potentiam; quâ viuo coniuge nunquam ſit vſa. Et ſi quando conſcelerati accuſatores mendacijs blandiantur, Aſculanum tamen, Martinengum, imo & Principem illius fratrem vidiſſe, ſupplicibus populorum libellis ſolam Margaritam,ſub regiâ vmbellâ ſedentem decreta præſcribentem; ſe aut Dominum,aut vteri tutorem, aut ad minus adminiſtrum, ſummo loco amotum, ſepoſitumque velut inter famulantes,tantùm annuiſſe. Nec in ſpeciem hæc,aut in tempus conficta; ſed æternum manſura, quæ Vidua imperaſſet. An Goitum ſpecioſiſſimam Mantuanæ ditionis Arcem,ſaluberrimo cœlo,amæno Mincij decurſu,patenti ad Venationes agro, pro cuſtodiâ ac carcere haberi? An vlli mortalium cui placeat æquitas viſum iri,Dominam,quæque vterum eum ſpe prolis gerat,extra Patriam, procul à ſubditis eunti debere? Num reſponſa ab exteris per Curſores requirenda,& domi tamquàm ſine Domino agendum? Parſimoniam,& ſi quid ſimplicius vſurpatum foret reprehenſione dignum fuiſſe; ſed militem ac ſatellitem Regijs inſignibus ornatum laudari par fuiſſe; vt pro gentis maieſtate comitata videre-

tur: nec aduenæ aut ciues crederent, cum funere Mariti illàm dignitate excidiſſe. Cepiſſe eum morem Franciſcum fratrem: retentum proinde dignitati domus, illius maieſtati. Quod ſi fugæ metum, aut infantis neptis raptum a ſe timeri credant, ferantq; grauiter; cur Sabaudium tot artibus, tot minis cauſas ſuſpicionum aggerere? Niſi hinc dolus ſit, vniuerſa in honorem flectenda: ſi apertè agatur, obſequium non iniuriam interpretanda. Detrahere ſibi Sabaudium perſonam, ac Mantuani conditionem ad tempus induere debere: dum quid iure facto opus ſit, purgato oculo peruideat; & diligentiam alienam, iuſtitiamq; admittat. Gnarum ſibi Caroli V. ſententiam, cupido illius animo altius hæſiſſe; & ſolennitates iuris, iniurias æſtimaſſe: neque tamen magnum Imperatorem ſententiam aut gratiâ dictatam, aut pretio expreſſam protuliſſe. In eâ maieſtate iniquitatem credi ſcelus eſſe: eò quòd inter diſceptantes interpoſito decreto (cum non vno prætextu poſſet) nil ſibi tamen adſciuerit, quò ſibi cadentis inuidiam conciret. Sed & illius prudentiæ vniuerſos imputaturos fuiſſe (ſaltem opinione probitatis) ſi æquo acquieuiſſet; & ciuitate Aſtenſi auctus magnus Dominator, minoribus temperaret. Quod ſi Iudicis arbitrium laceraret (quamquàm aduerſa paucis placeant) arguere apud Imperatorem Iurium æſtimatorem, & vtrique communem debuiſſe; ſibi certè per vim nihil acceſſiſſe; ſed quod dotali nomine Auus ſius quæſiuiſſet, etiam Carolo V. adiudicante, octogeſimum ante annum poſſidere. Cæterùm iactos ſemel præceſſorum memoriâ limites Monferrati, accolarum frequentiâ & vſu notos amouere, ex rerum præſentium vſu non videri. Et ſcire Sabaudium, quò minus Vincentius pater ſuus ſuper eâ re tranſigeret, penes ipſum fuiſſe, incerta, aliena, controuerſa tamquàm ſua offerentem; quæque Cæſar & Rex Hiſpanus non conceſſiſſent. Monferrati præteritorum ſæculorum non vno bello imminuti partem concedere, frangere prouinciæ dignitatem eſſe, nec niſi Imperatoris arbitrio licere. Conſentire vtraque non poſſe; & annuente vno alterum negaturum. Quòd ſi in præualidâ, & inopinâ inuaſione totum Monferratum occuparetur; vt non primam illam amiſſionem, ſic nec reſtitutionem fore. Coniuraturos in cauſæ iuſtitiam Reges & Principes: quorũ intereſit ius Gentium ſartum tectum retineri: ne praua conſuetudo rapiendi aliena aduerſum leges, hoc inſuper exemplo in multorum perniciem valeſcat. Se certè pro virili curaturum ne quis ſuo per vim proficiat, aut imparato inſiliat. Deumq; in primis (cui præruptus animus & iuri contumax inuiſus eſt) aduerſus ruptores legum, & vim non ius experientes inuocare. Affutura in tempore numina noxijs aduerſa, & facinorum pænas exactura. Matrimonium cum Viduâ non abnuere; quoties honeſtè & cum dignitate ſibi foret contrahendum. Sed initam ante Mantuano Duci cum Sabaudio affinitatem, prouinciarum aut oppidorum pretio denuò repetere, in animo non habere. Grauidam interim Dominam, apud ſubditos & ſuos vterum deponere legum placito debere; ne longius ſita iura det, ſubditis præſentiâ ac feſtinatione agentibus. Vbi ſe ſpe nouæ prolis excidiſſe deprehendiſſet, tum quocunque abire licuiſſet, integrum fore. A ſe interim aut præſente aut abſente idem obſequium experturam. Sed Neptim in Patrui tutelâ & domi attineri prorſus debere. Fruſtra conditiones eò verſas agitari; fruſtra conceſſionis formas commentari. Certum & indubitatum apud animum ſuum ſtatuiſſe, aut huic curæ commori, aut Infantem retinere: quando enim illam hæredem Paternæ fortunæ ac prouinciarum æmuli iactent, apud exteros agere non poſſe, nec ſubditos deſeri. Cæterùm non in congeſto auro, non in parato milite, non prouiſu belli, quàm cauſæ iuſtitiâ, ac Catholici Regis æquitate ſpem habere: terriculamenta vel cum ſubditarum ſibi prouinciarum iacturâ contemnere; potiuſque cariturum omnibus per vim & iniuriam, quàm in pace fœdè conceſſurum, quibus auita poſſeſſio, & Cæſareæ ſententiæ exiſtimatio minuantur. Nouiſſe Hiſpanum

Regem,

Regem, pluribus conſilia & officia ſua non obſeruantibus ſolùm, ſed & interpretantibus, nullo offenſionis inditio, ſumptam à ſe cum Romæ ageret Galliarum protectionem. Nec titulos tantùm ſpectari debêre, ſed effectus & artes, quibus ſuſpectam Hiſpanis curam paucos annos ſanctè iuſtéq; ſuſtinuiſſet. Quod ſi innocens adminiſtratio in culpam trahatur, vel inuidis manifeſtum eſſe, non eoſdem ſemper animos, non conſilia foueri: ſed prout ratio & occaſio perſuaſiſſent, in melius feliciter mutari. Rebus ſuis olim Gallum nomen conueniſſe: nunc ne ſuſpicionem quidem vſui: quod excuſari ferè ſoleant, quæ officere nequeunt, accuſentur honeſta ſi metus vrgeat. Se pridem obſtrinxiſſe per literas Hiſpano Regi voluntatem: etiam cum Eccleſiaſtica tractaret, tot aduerſorum quæ minitari audiat ignarum: Ne ſuſcepti voti pænitcat in poſterum curaturum. Ea ſe Principi Aſculano, ac Comiti Martinengo ex tempore reſpondiſſe. Quod ſi cas coniugij leges à Sabaudio proponi ſciat, quibus cum honore acquieſcat, non auerſaturum honeſta, & vtrique profutura. Teſtem verò ante alios arcani Principem Pedemontanum appellare, doctum quo animo ſit, & quantum tribuat mutuæ amicitiæ. Ad extremum cupere ne liberè expoſitis, aperto reſpondiſſe malo vertant: quando de causâ diſceptatione agatur. Ad hæc Pedemontanus ſolitâ ſibi comitate, & manſuetudine: nec auerſus à legibus amicitiæ faſſus eſt obnoxiam voluntatem: & vbi cætera dicto reſpondiſſent, ſe cæpta promoturum recepit. Licet tacitam offenſionem ſubeſſe quidam crederent, conſtantiâ Mantuani, & concitatâ libertate.

Aſculano ac Martinengo pompoſa oratio parum placuit: accuſabant incautum iuuenis in ſua damna animum: & non certiorem aduerſus Hiſpanos caritatem argumentabantur, quàm ante Gallis ſeruauiſſet. Prudentiam quoque in profeſſione mutatæ voluntatis requirebant: quod aut abſtineri facto, aut ſileri lubricitas cogitationum debuiſſet. Nec enim apud Gallos profuturos Mantuano eos ſenſus nouerant: qui non ſecus quàm Hiſpani, totum hominem, integrum ſacramentum requirerent. Dictata inſuper oraſſe videbatur; tamquàm rei magnitudo requirere videretur; vt apertius ſenſa animi nudarentur; quò facilius in concordiam coiretur. His tum vltrò citroq; iactis, cum præſentia minus conſentirent, & altercatione turbarentur, placuit negotiationem de ſummâ rerum in ſequentem reiicere. Temporis beneficio credebant componi animos poſſe, & ſequuturam noctem inſtillaturam mitiora conſilia. Neque ingratum accidit ſtatim tractationem non abrumpi: arriſitq; id non Sabaudio minus quàm Inoyoſæ: vt quæ honeſta animo conceperat, pace non bello obtinerentur. Ipſe Inoyoſa plus apud Sabaudium demereri ſe crediderat, ſi minori metu ac expensâ, rumore nullo, nulla belli famâ turbato Rege, honeſtum amici deſiderium, ſua deſtinata expleuiſſet. Vbi enim primo ſtatim congreſſu, ſpem ſucceſſus non abruptam vidêre, Aſculanus Mediolanum, Pedemontanus ad Patrem curſorem deſtinarunt. Sed ille ante alios eam iuſtitiæ vim crediderat, vt protractum negotium, laſſitudo comminationeſque, quæ ſpem conſilij præferrent, Mantuanum frangerent, iuuenem adhuç magnæ curæ imparem, dictata Auiæ recitantem, rerum inexpertem, belli neſcium, & quantum de ſuo peteretur non peruidentem. Illum tamen (tamquam magnæ fortunæ compoſuiſſent) adminiſtri virium & animorum Sabaudij non eruditi, maiorum ſuorum more, ſperare meliora, nec terreri aduerſis debere monuerant. Conſtantem itaque aduerſus quæcunque à Sabaudio poſcerentur eſſe iuſſerant: & in eo ſitam inchoatam tum opinionem ſui, ſi negaret vniuerſa, ſi durum ſe conditionibus concordiæ, ſi inexoratum præſtitiſſet: denique ſi duraturam totam æternitatem quietem familiæ ſuæ opidulo vno non redemiſſet. Eo patere magnitudinem animi, ſi volens ſcienſque in exitium proprium conſenſiſſet potius, quàm prudentioribus

Res in noctē ſequentem reijcitur.

auſcultaſſet. Cauſam omnem imagine iuſtitiæ finxerant; docuerantq; aduerſus æquitatem,haud quaquàm proſperos exitus Sabaudium habiturum. Præualuêre blanditiæ aſſentantium, licet ſecretò à callidioribus erudiretur, ne adeo certum ſibi ius fingeret, vt potiora ſequi Sabaudium ignoraret; nec ita ſpe Reginæ Galliæ, & promiſſis Etruſcis fideret, vt minas hoſtiles negligeret. Magno eo diſcrimine ſuggerebantur; quòd ſecretò colloqui bonos ac peritos viliora ſeruitia non permitterent; aditus omnes nocturnos diurnoſque obſidentia; & vix vlli mortalium creditâ libertate audiendi conſulta miniſtrorum, literarum argumenta, denique ſententias proferendi etiam aduerſus conſiliarios. Sed quæ amici docuerant, eadem per literas boni Principes roborabant; licet ad firmitudinem & conſtantiam hortarentur nonnulli,etiam præſidia promitterent. Sed vt in ventos inanes abiêre ſponſiones quas acceperat, ita in tot amicos iniurias Mantuanus videbatur,ſi minori fide promiſſa accepiſſet, quàm illi ſpoponderant. Cum inſuper ab Hiſpano Rege nuncius in horam expectaretur; qui doceret an obſequio in vrbe præſtito, eâdem facilitate conſenſiſſet. Et quidem vniuerſi familiares aliena ſubſidia largius promittebant; flexâ in ſuperos animosè causâ; tamquàm perpetuò pietati & recto animo affutura. In has curas, has artes, hæc blandimenta formauerant iuuenis animum, ne vlterius prouideret; & ſperaret deſperaretve alieno conſilio. Quod diei reliquum fuit, Pedemontanus & Aſculanus æſtimatione futurorum impendêre. Mantuanus tamquàm abſoluto negotio, eorum quæ audiuiſſet reſpondiſſetque, certiorem primò Amitam, mox Aulam omnem fecit: vt ſub noctem nemo eſſet, quem falleret exitus diſceptationis.

Vbi poſtero affuêre, Pedemontanus in Aſculanum defixus ac reticens, tamquam alienâ operâ vti vellet, cauſam recentis congreſſus requirere videbatur. Itaque Aſculanus pridie Mantuani duritiem expertus: & eandem iis quæ propoſuiſſet repulſam metuens, ambiguâ nec ſatis expeditâ, longâ verborum ambage proferebat: modò conſilij teſtem Martinengum, modò Pedemontanum appellans. Et vbi reiici rationes nec admitti conditiones, quibus particulâ Prouinciæ Sabaudio permitteretur, vidit; ad ea vertit quæ parùm pro causâ ſtanti tamquàm delegato muneri ſatisfeciſſet,ſi tuliſſet conſilium,& Mantuani ſortem miſeratus foret; metuſque impendentium malorum expoſuiſſet. Mox deſiderium pacis, vota Regis ſui, publicam vtilitatem proſecutus, non ante quò flecteret oſtendit, quàm vbi poſſe Mantuanum ſibique & Italiæ conſulere dixit nobiliſſimo matrimonio, quod certam ſpem prolis, & ſecuritatem temporum ſecum ferret. Nec in tantâ vtilitate leuiſſimam iacturam æſtimandam, quæ ſponte ſubeatur, quæ maiora commoda ſequantur, quæ in gratiam tot Principum fiat. Tum Mantuanus pridianam duritiem præferens, reſpondit: Præterito quidem congreſſu ſatis apertè expoſuiſſe, quo animo erga ſocietatem amicitiamque Sabaudij, nec non connubium nouum eſſet; nunc abſoluere negotiationem ſtatuiſſe; & veluti vno ictu vniuerſa finire. Proinde quando à Pedemontano Principe, parentis ſui placita, & nuptiarum conditiones tacerentur, dicturum liberè quibus ſibi legibus nubendum duceret; vt ſi Sabaudio placuiſſent, non deliberationi cunctatio, non executioni mora eſſet. Tria quippe non mutatione non commutationi varianda præſumere: Inuito, neſcio, & non iubente Rege haudquaquàm contracturum, eâ fide quam Româ diſcedens per literas dediſſet. Veteres & ſub parente ſeruatos Monferrati terminos, ac iura inconcuſſa manere: nil toti prouinciæ detrahi; ne imminentem poſſeſſionem transferre in poſteros, aut emiſſe ab hoſte pacem diceretur. Quod ſi inſuper Sabaudio ſororem ſuam virginem Nurum accipere placeat, doti centum aureorum millia additurum, quò accepta à Fran-

Conditiones quibus Mantuanus matrimonium Viduæ admittebat.

Franciſco fratre pecunia ſuperetur. Id in auro; nec enim vel agri palmum conceſſurum; idq; hoſpitis Principis gratiæ dare; & documento apud murmurantes, per ipſum non ſtetiſſe quò minus concordiam præferret. De Regis animo ſecurum eſſe: nec metuere ne Chriſtianus & pius dominator, oppreſſam iuſtitiam velit: aut neglectâ religione, præter fas omne conſanguinitati indulgeat. Sibi pro comperto eſſe quandiu cauſæ ſtudeat, obſequium ac reuerentiam retineat, arbitrium rerum ſuarum permittat, ridere poſſe inanes formidines, pauoreſq; puériles. Vel indignationis Regiæ reum, de tanti principis clementia benè poſſe ſperare: quantò magis innocentem, & creditum? Ad hæc Martinengus ſibi ante alia placere dixit, quòd ambagibus nudatam ſententiam protuliſſet: præpediri ac trahi negotiationes incertis: nec in re niſi expeditâ tranſigi poſſe. Equidem conſultatione opus non eſſe, an Sabaudius viribus, & (quod exiſtimetur) iure potior, pacta illa in ſui contemptum foret interpretaturus. Vnum addidit, non cupere id poſtremum reſponſum eſſe, ſed rem integram iterùm differri. Plerumque meliora præceptorum tempus ſuggerere: idq; ſi non illius, ſaltem Mantuani cauſâ orare. Tacuit Pedemontanus; cui pro dignitate ſatis videbatur, ſi negotio præſentia tuliſſet auctoritatem: munus obiret Aſculanus, cupitis paternis Rex faueret, Gubernator Mediolanenſis vires oſtenderet. Renidenti tamen ſimilis, & conceptæ altè indignationis manifeſtus. Ferre non poterat generoſus animus, ſecus quàm conuenire crediderat cecidiſſe conſilia: & formidatam Regibus ipſis Patris conſtantiam ab inermi & inualido contemni. Accendebat iras vanitas promiſſionum: quippe datis ad parentem literis (quaſi cum æſtimatione futuri egiſſet) ſpoponderat ceſſurum æquo ac neceſſitati Mantuanum; idq; fide Aſculani, & comitum Aulicorum firmauerat. Verborum quoque perplexitate deluſum ſe credebat; cum enim non ſemel eædem rationes apud conſilium repeterentur, Mantuanus dixerat, per ſe non ſtare, quò minus honeſtis conditionibus duratura pax ſanciatur. Vbi expedire ambages iuſſus ſit, honeſtas conditiones interpretatum; ſi præterito nihil detraheretur, iidem fines conſtanti poſſeſſione ſeruarentur. Sed reuerâ condonare aliquid negotiationi Mantuanus initio voluerat: cum adhuc non Regis Hiſpani, non Etruſci promiſſiones accepiſſet. Sed vbi Galliæ Reginam inſuper ſpem addere comperit, interpretari promiſſa quàm exequi ſtatuit. Si tamen: ſi tamen ea illi in tergiuerſatione prudentia fuit, nec conſulentium arbitrio ſpes Pedemontani eluſit. Sic finitum colloquium vrgente iam veſperâ, & ad ſua cuique diſceſſere.

Martinengus certiſſimæ calamitatis, & imminentium malorum diuinus Mantuano indiuiduus, cum exurgerent, ſecum reſumendi colloquij ſignum dederat. Proinde amotis cæteris, & Paterno in Mantuanum affectu, eoſdem animos, præſumptam in Hiſpano Nepotum caritatem, quæque trahendo in ſententiam iuueni opportuna crediderat, fuſius & arctius refricauit: & præ cæteris inanes à Reginâ Galliæ ſpes oſtendit. Inculcabat non (ſi vellet) Reginam internis & externis tumultibus ſufficere. oſtendere nonnullos ex ipſâ ſecuritatem, quam illa domi non habeat; tantò minus poſſit Nepoti comparare. Pendere ſimilia à conſilio procerum; quos inter rarus ſit, qui niſi præmium oſtendatur, ſit ſententiæ acceſſurus. Æmulatus quoque Principum, & in Niuernenſem Ducem, fortunis ac virtute conſpicuum, inuidiam proſecutus eſt; acrior huic ſpei oppugnandæ, quòd Mantuanum maximè eo ſubſidio fidere cognouiſſet. Nec cæteris abſtinuit; Pontificem nempe proprijs commodis ſtudere; & (quæ domeſticum ærarium non hauriant) preces & conſilia tantùm interiecturum. Quæ cum fruſtra cognouiſſet, in vno Rege Hiſpano cuncta flexurum: Nec alio cardine exitum agendorum verti. Eum tam impium in ſuos non futurum; nec vnis literis eam fidem habiturum, quàm plurium annorum facta in ſuſpicionem vocauerint. Et quia ſeuerus Man-

Martinengus ſecretò iterum inſtat.

tumus dictatæ ſibi forſan ſententiæ hærebat, infractoq; animo ſingula excipere videbatur, eò pertinaciæ Martinengus proceſſit, vt cum caritatem obſequiumq; ſuum ſacramento teſtatus foret, audientis manum prehenſaret, oſculiſq; laceſſeret, ſiue obſequio ac reuerentiâ, exprimere profuturum illi conſenſum vellet, ſiue (quod magis credebatur) teneritudine ac blanditijs conſilium adornaret. Procul tamen minæ & imperioſa præcepta, quibus Aſculanus inſtiterat. Vetuſtam dicebat ſibi cum Vincentio Duce amicitiam interceſſiſſe, & poſterius Sabaudio hæſiſſe: ſi quid aſperius totâ negotiatione in diem præſentem protuliſſet, artibus, iuribus, cauſis, occaſioniq; imputanda. Sic prorſus ſentire; & ſi propria cauſa foret, non aliter æſtimaturum. Bonam fidamque concordiam ſuadere, quam niſi iterato Viduæ coniugio ſperari poſſe nouiſſet. Ætate ac rerum vſu didiciſſe, quibus conſilijs prudentia, quibus temeritas nitantur: Proinde orare ne vniuerſum Monferratum, ſuarum prouinciarum ſpecioſiſſimam opulentiſſimamque leuiſſimæ iacturæ intuitu, niſi exactâ conſideratione exitio dederet. Irreparabiles pacis ac belli errores eſſe. Poſt diſpendium ac damna, inutilem & indecoram Principi eſſe pœnitentiam. Sæpè Reges ac Principes ſapientiſſimos, cæteroquin iure potiores, & paratis in cauſam ſubſidijs tempori nihilominus ſeruiuiſſe. Parum referre quomodo poſſeſſio retineatur; eoſque valere qui fruantur. Eiectos apud exteros vanam ac pudendam commiſerationem manere. Raros communia velle pericula; aut ſecuritatem propriam alieno caſui accommodare. Sic Carolum Quintum blandiente licet fortunâ, & victoriâ validiorem captiuos Germaniæ Principes dimiſiſſe, quod ſciebat, niſi beneficio deuinctos, futuros perduelles. Sic Romanos Pontifices ſanctitatis opinione celebres, Aragonenſibus modò, modò Angioinis fauiſſe; prout curſu fortunæ raptabantur. Sic Sfortiam mediâ in victoriâ, nobiliſſimas Ducatus Mediolanenſis ciuitates Venetis armorum æmulis permiſiſſe; & (vt recentiora in exemplum referantur) ſic Principes Mantuanos Azolæ, Peſcheriæ, ac Lonati petitione abſtinuiſſe. Pleraque metu diſſenſionum, ac diſcordias reductura ſapienter negligi, ſtatimq; micante ſecuritate, vtilitatem apparere; non auro, non poſſeſſionibus comparandam. Eam eſſe Gallorum conditionem, vt iam niſi apud temerè fidentes exiſtimationem inueniant. Præualere Hiſpanos non opibus ſolùm & milite, ſed poſſeſſione Italiæ; & medio inter Mantuanos ac Monferrarenſes ſitu, vt obſequium à volente recipiant, exprimant à nolente. Tandem eò proceſſit vt ſatis oſtenderet, niſi conceſſâ Sabaudio parte aliquâ Monferrati, quietas ipſi res eſſe non poſſe. Tantum conuentionibus honoris ſpeciem appingendam, vt quod coactum ſit, ſponte oblatum videatur. Renouatione connubij ſuppetere colores, vt cum opinione prudentiæ aliquid concedatur, id vero ingenti in poſterum quæſtu rependatur. Cumq; totam diem examini concedi oraſſet, reſpondit Mantuanus, cauſas eundi ſibi in ſuburbanum rus eſſe: & cum meridianæ epulæ colloquium dirimi velint; quod animo ſtatuiſſet ſtatim abſoluere. Gratias quippe caritati illius agere; & relaturum in tempore; ſi quando mutuo officio eguiſſet. Quod ad Sabaudium ſpectet, toleraturum ſe conuelli vniuerſa, & ferro igniq; omnia populari, potius quam agri palmo decederet, aut mutationi finium acquieſceret. Honori tantùm & exiſtimationi viuere; præter dignitatem vniuerſa contemnere; neque per vim aut minas dominationem ante quàm vitam omiſſurum. Sic apud animum ſuum decreuiſſe: idq; credi cupere: ne moleſtâ inculcatione conſiliorum, aut ipſe fatigetur, aut contra nixi repulsâ offendantur. Neque tamen ſuam omninò eſſe ſententiam: ſed Amitam, ſed præcipuos à conſilijs viros monuiſſe; & in eo ſtare famam prudentiæ ſuæ, ſi ſemel placitis in æternum, vel cum iactura hæſiſſet. Quod ſi pluribus roborari rationes cupiat, adiret Amitam, aduocaret Chieppium, audiret ſecretarios: in plano & aperto omnia futura.

Obſtu-

Obſtupuit Martinengus, facilem creditum in mutationibus Ducem, tam obfirmatum in ſeruandis quæ iuberetur, eſſe. Tum itum ad prandium, anxijs Mantuani famulis, quam tracta tot horas diſputatio formam accepiſſet. Mediaſtini ipſi præ foribus ac velis ſtantes, multis Sabaudiorum audientibus garriebant; & velut per laſciuiam iterabant: Ferdinande conſtans in ſententiâ eſto. Sed Mantuanus ſtatim ſolicitudinem ſuorum leuauit; docuitque inconcuſſam ſibi aduerſus omnes fuiſſe conſtantiam; nil gratiæ, nil timori condonaſſe. Sed (quod moris infimis ſeruitiorum erat) epulantem ambiuere, iacientes velut in caſum interrogationes, quibus cogeretur ſingula proferre. Itaque non ante menſæ amotæ ſunt, quàm ſciuère vniuerſi, quid Pedemontanus, quid Aſculanus, quid Martinengus obieciſſent; denique quid vniuerſis ac ſingulis Dux reſpondiſſet. Strenuè nauaſſe dictatæ ſententiæ operam videbatur, quod omnes firmitudinem, & Amitam pręcipuè commendaſſe meminiſſet: cui cum Vidua nuptiæ inceſtuoſæ dicebantur. Pauci quibus altior intellectus reſponſo ingemuère; non ignari quàm leui diſpendio, ingens Prouinciæ vaſtatio arceri poſſit; & quàm graui vulnere durus ille animus foret ſubditos ſauciaturus. Sed eloqui periculoſum erat, obſtrepente licet conſcientiâ; adeo in Amitam Mantuani adulatio inualuerat, & apud improuidos opinio ſecuritatis. Non iuſtum ſolummodo conſilium tenuiſſe Mantuanum, ſed etiam tum auerſatum nuptias fidorum relationibus accepimus: ſiue rogari cuperet; ſiue (quod illi parum amici vulgarunt) ne diutius in eodem propoſito hæreret. Quippe primis ſtatim diebus, non aliam ſermonis materiam habebat, geſtiréq; videbatur ſpe vicinâ, & parum Amitæ dolorem curare: quæ Monachos, Moniales, Conſiliarios, illuſtres fœminas per vices ſummittebat, qui deteſtarentur conſilium diſſuaderéntque.

Ipſe noui Principatus ſtudiis intentus; & extra matrimonium vxorius, dignitatis & ordinis maieſtate ſepoſitâ, decimâ ſextâ Ianuarij die, ſeſe Viduæ non credito more comptum obtulit; pugione ac gladio accinctum, induſioque imbricato conſpicuum. Nec ſatis habuit eo ſe decore perſonatum Matronis aulæ ſeſe offerre; ſed Pedemontano quoque & cæteris viſendum præbuit; gementibus qui purpuram reiectam; & hoc argumento, de eius ingenio coniectandum videbant. Siue enim mimum ſecretò egiſſet; ſiue ſcenas agitaſſet, ſiue choreas duxiſſet, oblectamento animi dari poterat: videri hæc palam oſtentarique nòn ſine contemptu irriſuque ſpectantium: licet vniuerſa amici iocis imputarent; & non neglectâ ſed ſepoſitâ dignitate interpretarentur. Accedebat vanitas creditarum opum: quod enim diei poſt negotia reliquum erat, ſcrinijs aperiendis inſumebat; vt criſtallus, gemmæ, veſtis, & auita familiæ decora in proſpectu forent. Id certè ante alia Mantuani infirmitatem aperuit; quòd pauciora quàm famâ obtinuerat, deprehenderentur, & apud Sabaudium ſcirentur opulentiora. Sed ille ſuetâ animi ſeueritate, parum æſtimato ſtudio, cum maximè rerum ſuarum intereſſet, negotio indormire, ſoluebatur in gaudia; & tamquam Sabaudij iunum ſuperior geſtiebat.

Medio negotiationis ardore, cum Aſculanus ſalutaribus monitis bono Mantuani conſuleret; vtilémque illi pacem honeſtis conditionibus obtruderet; Martinengus inculcatis officiis, ſalutares nuptias ſuaderet; Mantuanus ætate ac facilitate huc illuc conſilijs amitæ raptaretur, Sabaudius inquæſtuoſis Matrimonij conditionibus aſſentiri nollet, improuiſæ ab Hiſpano Rege literæ Mediolanum venêre; quæ Inoyoſam proferendorum Mediolanenſium terminorum deſiderio æſtuantem dicebantur fulminaſſe. His etſi ſtudium viri, erga Mantuanum aſperitas, quæ cum ratione credebatur, & certus in Sabaudium animus non accuſabantur; cautius tamen inſiſtere deſtinatis & modeſtius vrgere infirmiorem iubebatur: ſimul ingratam Regi ſuo operam omittere, tamquàm factorum rationem in tempore redditurus. Magno ac Catholico Principe (cui ob pietatem ac iuſtitiam

Hiſp. Inyoſa ſ bet. ſibi n placere op primi Mantuanum.

F 3

Italiæ arbitrium deberi ſciebatur) dignam ſententiam continebant. Vt qui periculum oblatæ à Mantuano fidei facere decreuerat; & alienas ſuſpiciones nouo Principi non imputare. Complectebantur de Gonzagæ domus amicitiâ nunquàm in ſolidum dubitaſſe: quamuis Patre Mantuani ſuperſtite, callidi obſeruatores pleraque nutriendis ſuſpicionibus detuliſſent. Nunc etiam præſtito ab vrbe obſequio, certiſſimæ in Ducem caritatis eſſe; reſque eius vt proprias complecti decreuiſſe. Inerant etiam ad Inoyoſam mandata; id ante alia curaret, ne quod detrimentum Monferratum pateretur. Optimo iure Hiſpanos hactenus, non fraude aut perfidia imperium etiam Europam protuliſſe; quam eam notam ac gloriæ vibicem fore, ſi recentem Ducem qui pietatem ac tutelam ſuam, irrequiſito officio præueniſſet; qui ſeque ac ſua regio arbitrio permiſiſſet; priuſquàm experiretur adminiſtrationem; nullâ adhuc culpâ, auitis bonis detruſiſſet? Imo ſubeſſe conſilio flagitium; quòd inhonoro prætextu regis ſui famam, & in turpi conſcientiâ polluere cogitaſſet. Vel ſupplicibus hoſtibus facilem ſe præbere conſueuiſſe: Nec alio ſpecioſiori titulo gloriam ſuam conſtare, quàm iuſtitiâ & æquitate quanto pluſ decoris in tutelâ amici reperturum? Nullas ſibi ſuper Monferrato partes: & ſi quando Mantuanus amicitiæ à Rege non requiſitæ renunciaſſet; quas intuliſſet iniurias apertè proſecuturum. Ab domo ac ſuis, à caritate quâ tot Principes ſuſtentet, amoturum. Quoties extra arma egiſſet, bello temperaturum.

Vlceraſſe ante alia Inoyoſæ animum accepimus, reputantem eadem Mantuano a Rege perſcripta fuiſſe: Hinc enim neglectum & contemptum ſui (quodque altius penetrabat) querelas proſpectabat. Et nos exemplar ab liberto ſecretorum conſcio, non inuito Mantuano habuimus. Iuſſerat per literas Rex iuuenem Principem protectioni quam inuocaſſet ab vrbe fidere; nec vmbras aut inanes metus formidare. Apud ſe pro ſecuritate amicitiæ conſcientiam ſatis fore, credideratque cogitationes Inoyoſæ Mantuano fuiſſe perſpectas, eoque congruentia ſignificauerat. Certè non aliâ grauiori peſte arcana regiorum conſiliorum laborant, quàm ſecretorum nuditate. Fuerant etenim inter curarum adminiſtros Mediolani, qui conſilium ab Inoyoſâ Regi miſſum conuicio proſecuti dicerentur, ſecretóque Mantuano prodidiſſe; quod vulgare exiſtimationis honore erubuerant. Acceptis literis ſtatim in vrbem, Venetias in Etruriam, ſed & Genuam ac Neapolim, miſſi à Mantuano curſores, traditis Regiarum literarum exemplaribus: quibus ſupra modum vagare lætitiâ mens cœperat. Et quanquam Pontifex multique per Italiam Principes cordatiſſimi, Regiam integritatem credidiſſent; fuêre tamen quibus popularitas illa præter opinionem accidit; quod apud gentem regnandi auidam vix crederent tantùm modeſtiæ diu futurum.

Sabaudus certè iurium ſuorum, & Regiæ conſanguinitatis æſtimatione, grauiter tulit paratam occaſionem quam tempus commodùm attuliſſe videretur à Rege contemni; & prætextus ſuos à Carolo Quinto ſpretos, etiam in nepote viluſcere. Litteras quoque Inoyoſæ fruſtra miſſas, nec auditum conſanguineum, cui adminiſtret inſignis cauſam probauiſſet. Sperauerat haud dubiè fauorem regium; eatenus tamen optauerat, vt ſi non adiutor, ad minus ſpectator eſſet. Sed dictu mirum quantum animorum ac fiduciæ Mantuano acceſſerit aduerſus propoſitas conditiones pacis; ſtatimque accerſitum Martinengum abijcere concordiæ tractationem iuſſit; Viduæ nuptias niſi proprio dictatu proponebat; monebat denique Aſculanum, cautius ſecum comminationibus agere. Addidit in Sabaudium liberioris animi vota, quaſi negotiationem ex ſententia proſecutus non foret; ſed artibus & adiutore Inoyoſâ incubuiſſet. Attonito Martinengo, nec gnaro quæ cauſa tam fortis pectoris eſſet, protulit Mantuanus Hiſpani literas: lectaſque & commentationibus auctas, quaſi in Sabaudium ſcriptæ forent ſecuritatis teſtes adduxit. Martinengus tamen, cui non vnus offendendi modus, &

virium

virium Sabaudij magnitudo perſpecta erat: Equidem gratulor (inquit) Dux optime hanc fortunam; ſed quàm cuperem quod in Inoyoſam Hiſpanus ius habet, in Sabaudium haberet. Exercitu opus eſt, & prævalido, vt Sabaudius Monferrato abſtineat; & ſi differre in tempus arma voluerit, ſedendo ac minitando Prouincias deteret, tibique infructuoſas reddet: Formidandum ſiue bello occurrat, ſi à longè indignetur, ſcio. Id experimento probare te, nec cupio nec hortor. Nihil ad hæc Mantuanus; ſed conuocatos à conſiliis ſecum ad amitam pergere imperauit. Hic commiſerari calamitas Mantuani poterat: tractauere regias literas primates, Matronæ, Moniales, ſeruitiorum infimi; cæptuſque criminibus ab his illiſve lacerari Aſculanus & Inoyoſa; mox rideri Sabaudius ac contemni: tamquàm abnuente Rege, vis illius omnis occidiſſet. Quorſum (dicebant) attinet iterare pudendas nuptias, quas deſiderium ſecuritatis dictauerat? cur finium memoriam; aut conceſſionum formam recolere? iugulatas eſſe ſpes Sabaudij; nec Inoyoſam aut Aſculanum regium animum mutaturos. Tranſiſſe tempus negotiandi: non ſi filiam, non ſi neptim in poteſtate habeat, Rege abnuente, hoſtem poſſe proficere. Eodem ſimulationem conceptus caſuram: idque altiſſimè famam æmulorum ſugillaturam; quod fraudes iuſtitiæ feciſſent, & dolis intra ſua vallaſſent. Hæc ſecretè, hæc publicè dicebantur, iamq; ſtipatores, baiulique, & otioſorum turba non alio argumento perſtrepebat: vt minus mirum ſit, delatam ad Pedemontanum iniuriam fuiſſe; ſciuiſſeque Aſculanum quibus calumniis apud hoſpitem laceraretur. In aperto eſt, parum rebus Mantuanis profuiſſe inconſultam garrulitatem, acreſque ad vindictam ſtimulos Sabaudio addidiſſe; vt in contemptores non vnâ cauſâ ferox eſſet. Vrgebat ſpes Sabaudiæ munificentiæ, & amico Duci fides data: quam tamen liberare niſi magno periculo licebat; ſiue apertè opitularetur, ſiue Regia mandata eluderet: ſciebat habere ſe Mediolani dictorum factorumque ſuorum obſeruatores; nec deeſſe apud Aulam æmulos, qui non manifeſta ſolùm, ſed etiam ambigua querelis inſectarentur. Iam enim labare exiſtimationem ſuam audiuerat; ſuberantque accuſatores, vniuerſa quæ feciſſet dixiſſetve prauè interpretantes.

Poſtero Mantuanus vt maius ſecuritatis documentum offerret, Goiti agrum feſtiuis venatibus exercuit, vocato ad laxationem animi Martinengo; nec tamen permiſſo de negotio loqui, tamquam abſoluto placito Aulæ Hiſpanæ. Regis animus vulgatus, & Aſculanum ab impetu, & comminationibus in Mantuanum deterruit; ſic Sabaudium mutare conſilia, & vim præferre impulit; ſpe ratam apud Regem bono iure occupatæ Prouinciæ poſſeſſionem fore; & tarda pro Mantuano Mediolanenſia auxilia. Nouerat quàm lentè ab eo obtemperetur, qui inuitus vrgetur, habetque plures cunctationis excuſationes. Quod vt voto reſponderet, diſſimulare conatus, & callidè Inoyoſæ ipſi imponere decreuit. Huic quidem perſpectæ priores Sabaudij cogitationes erant (nam dicebantur conſilia ſociaſſe) eoque crediderat, fraude & dolo nonnulla aggreſſurum; quorum veluti reliquæ ſummæ pignore vteretur. Sed aperto bello decernere obſtante conatibus Rege vix ſperauerat. *Sabaudius ab Inoyoſa conſilia ſeiungit.*

Fuêre qui præſumerent negotiationis initio, minus concinnè res ſuas compoſuiſſe Sabaudium, quòd in miniſtro regio (cuius in ſimilibus nullum arbitrium eſt) plus quàm decuerat ſpei poſuiſſet. Alij fatebantur gnarum Sabaudium quid ſibi de vnoquoque promitteret; ſed imagine communicati ſecreti, & ſpe munerum ſopiuiſſe quamuis perſpicacem: concoxiſſe tamen ſecretò quæ parauerat; quaſi tum ſocium deliberationis, olim eſſet hoſtem habiturus. Scriptum Mediolano Mantuam fuerat, id ante alia Inoyoſam excitaſſe, vt ſagacius negotio inuigilaret, Regiſque Imperio obtemperaret. Quod ſi Sabaudius ad tempus cælare Regij mandati inuidiam: & communione conſilij, cauſas occaſionéſque torquere in

contrarium,aut differre ſubſidia maluiſſet, ſuaſiſſetque ; credebant nonnulli ma-
gno Mantuani damno, & decepto Rege, præſumenteq; quod aſtu negligeretur,
conditione temporum eueniſſe, congruentius rebus ſuis conſulniſſe. Itaque

Id Inoyoſa grauiter fert.

Inoyoſa tamquàm violatæ fidei reus habitus,acriter indignatus eſt. Ea enim re-
rum conditio erat ; vt non honori Regis ſui, non vtilitati propriæ, niſi concordi
Sabaudio prodeſſe poſſet. Sed ille cuicunque reſpectui maior,vt auerſantem de-
ſtinata ſua Regem,ſic inualidum miniſtrum negligebat ; certus ſententiæ, quod
bono & ſibi debito iure non obtinuiſſet,per arma requirere. Documentum quo-
que liberi animi initio dedit; cum enim Hiſpano ſororio cauſæ ſuæ iuſtitiam bre-
ui ac graui epiſtolâ ſignificaſſet ; miſſoq; oratore ſatisfeciſſe muneri videretur;
nec abiectas ad Cæſarem preces miſit , nec Mantuanum præuenire curauit ; vt
certum eſſet plus in ſuis,quàm alienis viribus præſidij ſtatuiſſe.

His fermè diebus cum validiſſimos Sabaudij prætextus,& hæreditatis cogita-
tiones in nepti defuncti fratris filiâ Mantuanus non vno monitore didiciſſet;
ideoq; iam extra domum tutores & curatores imponi ; deſtinariq; qui præſentia
futuris vtilitatibus componerent , accepiſſet ; occupare aſtum , & eludere artes
quibus petebatur nixus eſt. Accelerato quippe curſore , literas ad Cæſarem de-
dit , in hæc ferè verba : Certiſſimam ſibi gratiam crediddiſſe , quod ſanguine plus
vno vinculo nexus, obſtrictus Cæſaribus obſequio, cauſæ inſuper honeſtati nite-
retur. Et (quod pleroſque ſpe fauoris detrudit) non ſua aut ſuorum aduerſus Cæ-
ſaream maieſtatem malefacta conſcientiæ occurrere.Id magnæ fiduciæ initium.

Litera Mantuani petentis tutelam neptis à Cæſare.

Cæterùm & Auſtriacorum Imperatorum æquitatem, & nunquam innocentibus
negata ſubſidia,conſtantiam inſuper addidiſſe ; vt libens vota ſua, infallibili po-
tentioris iudicio æſtimanda proponeret. Artibus & dolo vſos ſupremi Princi-
pis cenſuram vitare ; quem certum eſt nil ſanguini, nil gratiæ dare. Sabaudium
poſſeſſioni Monferrati tot annos inhiantem , poſtquam ſuſpectos iniquitatis Cæ-
ſares, nec ſine graui conuicio queſtus ſit : vt imaginato iuri ſuo colorem aliquem
induceret, vt inanes Neptis prætextus vrgeret : quibus illa parentis hæres credi-
ta , ipſo tutore ac curatore proficiat in domus è quâ exierit exitium , moliri res
nouas, comminari, profiteri. Neque tamen vtilitati Infantis potius quàm deſti-
natis proprijs ſtudere : vt cui certum ſit quocunque titulo aliena occupet , non
diſtinguere. Matrem quidem viduam per æmarem curâ filiæ excludi (quamquàm
fidem, pietatem, prudentiam in eâ non deſideret) præferri tamen à patre,aduer-
ſus leges tot ſæcula ſeruatas. Sed & illam reditum ad ſuos cogitantem , inſuper
facti inuidiam onerare. Non enim longius ſitam,ſubditorum commodis in tem-
pore poſſe proſpicere : nec debere ſex dierum itinere oraturos iuſtitiam fatigari.
Ducenta ferè paſſuum millia Taurinum Mantuâ diſtare : ſic indigentium tardas
preces , tardiora fore remedia : & miniſtrorum abſente Dominâ impotentiam,
vniuerſa ſus deq; verſaturam. Non eam eſſe prouinciarum amplitudinem , vt
Principis abſentia poſſit excuſari. Duas omninò eſſe , quarum altera , ſi abſen-
tem Dominam imploret,poſſit ante querelas conſolari. Viduæ reditum vtrique
Genti deploratum : Auum verò ſibi tendentem præſentem potentiam medita-
ri, futuram ſecuritate adornare. Proinde orare, vt quod iuris gentium ſit,Man-
tuæ quoque ſeruari vellet ; depelleretq; earum rerum adminiſtratione : quem
antiquæ ſimultates , & lis tot annos agitata , bono iure ſuſpectum reddiderint.
Quòd ſi enim Neptim conceſſam accepiſſet , orandam paternam caritatem , vt
ſuperſtitem eſſe deſideret. Nec enim callidum Principem latere, ſi quid fortuiti
infanti eueniſſet , ſtatim in matrem abire : à matre in parentem : ne qua condi-
tione credatur nuptias filiæ conſulturus, aut permiſſurus. Non potuiſſe auerſam
Mantuanis fortunam , magis congruentem cupidini hominis occaſionem offer-
re : Nec illum ante initam cum fratre conſanguinitatem , opulentiorem, oppor-
tunio-

tunioremve conditionem ſomniare. Cæſarei muneris eſſe, ne fortuita & vana vero & honeſto anteſtent; neu colores aut quæſiti, aut oblati, ſinceram rerum formam immutent. Eſſe Mantuæ defuncti Ducis germanum; cui fato permiſſæ prouinciæ debeantur. Et ſi à Nepti excludatur, non arceri caritate; quando iura ſanguinis tolli non poſſint. Nullo ſecuriori præſidio puellam committi (ſi hæres credatur) poſſe; quàm amori Patrui, cuius è Gente ac ſanguine vitam acceperit.

Octauius Caprianus.

Octauius Caprianus Mantuanus Patritius, ſed vetuſto apud Cæſarem miniſterio Germanos gratiâ tranſgreſſus, & conſilij Mantuani gnarus, coràm præceptis & officio functus eſt. Eadem quippe efficacius proſecutus, detexit à Sabaudio ſuſpiciones, & cauſæ ſui Ducis honeſtatem appinxit. Non in nobili viro diligentia; aut in Imperatore feſtinatio remedij deſiderata. Rem omnem in eo verſari docuerat, ne cunctatione inutili, daretur nouatoribus occaſio turbandi: ſimul ſperauerat fore, vt Sabaudius iudicio præuentus, verecundiâ aut reuerentiæ retineretur. Periti magnitudinis Sabaudij ſecus interpretabantur: quem enim cauſæ iuſtitia impellebat, non Cæſarem, non Reges ab incepto reuocaturos credebant.

Decretum Cæſaris quo Mantuanus deputatur tutor pupillæ relictæ.

Cæterùm cupitis Mantuani nemine reclamante; non citato, non audito Sabaudio Cæſareum decretum interpoſitum eſt, in hæc verba: Sacram Cæſaream Maieſtatem intellectis ijs omnibus, quæ in negotio Mantuano, ratione tutelæ & educationis Principis filiæ Domini Ducis Mantuæ relictæ pupillæ, hinc inde producta & exhibita fuerunt, benignè decreuiſſe, & reſpondiſſe Dominum Cardinalem modernum Mantuæ Ducem, tamquam proximiorem defuncti Ducis agnatum, dictæ pupillæ tutelam habere: ita tamen, vt in omnibus, conſenſus & auctoritas Dominæ matris Viduæ; ſi ſcilicet in eadem domo ac ditione ſit, adhibeatur. Benignè autem polliceri, ſacram maieſtatem ſuam, tamquàm ſupremum tutorem ac Dominum & Imperatorem, protectionem ſe dictæ pupillæ, pro paterno quem erga ipſam gerit affectu, ita ſibi curæ futuram; nec quod hîc loci fieri non debeat fiat. In eadem verba eiuſdem anni menſe Nouembri, ſimile decretum à Cæſare manauit; in eum finem petitum à Mantuano, vt accuſans Sabaudius præuentionem dolumq;, geminato (vt dicebatur) ictu feriretur. Qui in Curiâ Mantuano fautores aderant, aut conſultores, aut proceres, æquiſſimum dicebant adeſſe filiæ infanti matrem; nec eâ ignarâ præcipua rerum adminiſtrari. Sed quando paternam domum procul à ſubditis prætuliſſet, Patrui Ducis tutelæ committi debuiſſe: nec vllum adeo æquitati aduerſum eſſe poſſe, qui abſentem & ſuſpectam Auum præferat. In confeſſo eſt, hoc quoque adminiculo Mantuanum ſpe ſubleuatum; vt qui crederet bono iuri inniti res ſuas, fautore ante alia Cæſare; cui obloqui flagitium eſſet. Nouerat quidem præſumpſeratq; (vt cuique ſua iura potiora ſunt) incorruptam apud Germanos Imperatores iuſtitiam; officijs tamen in contrarium metuebat; quæ aſſidua in eum finem ingeri audiebat, vt præpoſitus Auo, curâ pupillæ exigeretur. Sed neque Sabaudius Cæſareo decreto opus habere crediderat; nec ſperauerat ſe inaudito facilem Imperatorem in decreta futurum.

Potiſſimam Mantuanus formidinem ob Iſabellam Belgij dominatricem conceperat; quæ amore viduæ ſororis filiæ vim, & auctoritatem interpoſitura dicebatur. Et erant domi praui relatores, qui monebant, Hiſpanum quoque eo flectere: niſi ſecretum coniugium difficultates expediuiſſet. Sed acerrima Sabaudij indignatio fuit, obteſtantis non eam primam injuriam ſibi Germano Principi ab Auſtriacis Cæſaribus illatam: ſimulari non poſſe occulta odia: vt nullis ſuis cauſis, ſic ardentiſſima, & apud recti æſtimatores damnata: nec finem habitura, aut offenſas ceſſaturas: donec familiam omnem (ſi ipſis per vires licuiſſet) funditus perditam vidiſſent. Veterum Saxoniæ Ducum ſimultatum pœnas rependere.

Sabaudius indignatur.

Digitized by Google

prorſuſque vt eiuſdem ſanguinis vrgeri; ne auctus debitâ iuribus ſuis potentiâ (quamquam retinuiſſet obſequium) antiquum ſplendorem Regum reduceret; aut viri ſuſpectus euaderet. Addebant atrociora amici; quibus Sabaudij iniuriæ ſine modo videbantur, & arma prouocare; quæ excepta, vt præter voluntatem Ducis fuerant, ſic Mantuani cauſam promouêre. Modeſtius lamentari videbantur; qui conſilium Aulicum culpabant; probraq; in ſuaſores & adminiſtros ingerebant: eôq; Decretum tutelæ ſurreptitium, non citato, non audito Sabaudio appellabant. Vix admiſſum magni Principis oratorem; & tamquàm de re leui ac receptâ latam tutelæ ſententiam; quæ contra ius naturæ tamquàm conuictum perfidiæ & immanitatis Auum curâ depelleret; matremq; vſurpatione erga filiam caritatis prohiberet. Parum olim amicum Hiſpanis Matthiam Cæſarem, veterique ab eo odio datum; vt in nepotibus Rex lueret, cuius maieſtate tutus eſſet. Ferre non poterant vix tentato iudicio, & in ipſo limine diſceptationis, dici Sabaudium à Mantuano causâ victum: nec illum octoginta amplius annorum continuatâ lite quidquam profeciſſe. Vulgatum Mantuæ fuit, literis à negotiatore Mantuano Pragâ datis miſſum à Sabaudio curſorem cum Epiſtolâ iniuriam deprecante; vt inconſulta ſententia reuocaretur; aut (quod minimum) ad tempus ſuſpenderetur; locum rationibus, ac iuribus ſuis fore confidente; beneficiumq; è tempore opperienti. Sed creditæ iuſtitiæ, & rei ſemel iudicatæ fruſtra obſtrepitur apud Aulam, ſemel decretis ſolidè inſiſtentem; neque opinantem, certiora quàm à Mantuano proferri poſſe. Huius cauſam nulli acriùs indoluerunt, quam amici; vbi didicerunt Sabaudium præuentum; & præter ſententiam Cæſaris, diuturnamq; poſſeſſionem, etiam tutelam acceſſiſſe; ne Sabaudius Neptis reſpectu vteretur. Hinc enim inextricabiles difficultates impendere; vtq; Sabaudium tenacius iure ſuo vſurum, ſic Mantuanum aſperiorem ad conditiones concordiæ futurum; quaſi fautorem Cæſarem inueniſſet. Hac causâ (quia licentius eloqui conſueuerant quæ cogitaſſent, auſi quidam ſunt Cæſarem obliquâ inſectatione, procuratores verò noui decreti apertè accuſare: minitariq; vbi veriora Imperator didiciſſet, expreſſum à parte decretum reuocaturum. Non Sabaudium, non Viduam, non innocentem infantem ſententiâ læſas; ſed Regem Patruum; cuius honore æſtimari ſingula exactius debuerint. Poſſe neglectum inter conſanguineos mouêre iras, etiam arma; prout huic illive fauiſſent. Aderunt ab Inoyosâ miſſi, qui oratoris & obſeruatoris partes obibant; minus itaque prudentiæ in iis fuit, quos Mantuani caritas, & Patriæ dilectio impulerat, in faciem conquerentis reſpondere. Publicè etenim, vt inter philoſophicas diſputationes, contendebant; honeſtiſſima fuiſſe Cæſaris placita; nec æquius potuiſſe rebus infantis puellæ conſuli, quàm ſi abeunte matre in ſinu Patrui educaretur: apud ſuos, in eâ domo, in eo cœlo, quibus natales accepiſſet. Interrogatam quoque infantem reſpondere erudierant, nolle ſe ad Auum proficiſci; ſed domi apud Patruum manere: quaſi eo ius conſtaret, quod puellula vix primas voces exprimere gnara, protuliſſet. Et Hiſpani qui cum Aſculano erant; ne deeſſe ſuis viderentur, id nimirum cauſæ eſſe reſpondebant, cur Mantuæ retineri puella deberet. Incaleſcentibus animis (vt ferè vſu venit quoties æmulatione certatur) nobilis Mantuanus, non tamen in ſenium fines Patriæ tranſgreſſus, auſus eſt recentibus veteres cauſas addere, Sabaudiumq; iniuriarum fraudiumq; accuſare. Etiam coniugium Viduæ cum defuncto Duce, perniciofum populis fuiſſe aſſerere: nec aliâ causâ conſenſiſſe parentem, quàm vt repens aliqua occaſio emergeret, quæ ſeneſcentes prætextus ſuos vegetaret. Sic à tenui initio ampliaſſe maiores ſuos quos primum locos occupaſſent, à Gallis, Mediolanenſibus, Genuenſibus ac Monferratenſibus detraxiſſe portiunculas, quarum coitione prouincias formarunt. Ducem Carolum ipſum Viduæ Parentem, calcatam à præceſſoribus viam inceſſiſſe:

inceſſiſſe: ſed infauſto omine; cum dolo Marchionatum Salutij aggreſſus eſt. Luiſſe tamen debitas inquietudini pœnas; & nobiliſſimæ prouinciæ conceſſione multatum. Magnitudo viri, vt neminem reſpondere permiſit, ſic magis diſplicuit ſecutis honeſtiora conſilia; maximè quod Mantuanus acceſſiſſe ſententiæ, & commendaſſe vniuerſa diceretur. De magno ac libero Principe modeſtius ipſos Reges loqui, etiam ſentire: Diſplicere dominantibus conuicia, quæ in pares iacta, poſſint mox ipſos quoque notare. Hinc in Mantuanum graues querelæ; vt detractionibus fauentium, & criminationibus audacium conſenſiſſet: Puerile ingenium & facile mutatu, in ſecunda & aduerſa, erroribus & pœnitentiâ feſtinantem appellabant: non Cæſaris, non Regum tutelâ dignum; ſed mobilitate iudicij lubricam fidem præferentem: daturum pœnas in tempore nugarum ineptiarumque. Tuebantur contra Mantuani (fors eſt ita ſenſiſſe) aduerſus Dominum ſuum daturos Hiſpanos veri affectus argumenta, quandocunque protectionis eguiſſet: neque ſecius Gallos affuturos. Certam quoque in Venetis & Etruſco ſpem habere; neque Pontificem patrocinio defuturum. Denique ſubditos populos pro honore ſui Domini, omiſſo lare, neglectis liberis, poſtpoſitis domeſticis curis, præcipites aduolaturos, quoties turbari accepiſſent. Multa bellatorum millia Mantuano agro, plura Monferrato eruptura; quæ poſſint vel inſultantem finibus hoſtem coërcere, vel non inuendicata cadere. Et quando nullâ innocentis Ducis ſolicitudine Hiſpani teneantur; ſuarum ad minus rerum cauſâ Sabaudium obſeruaturos. Non enim Mediolani, non Belgij ſecuram poſſeſſionem, quoties per Italiam pro limine Hiſpani dominij, diuerſi exercitus, robore amicorum vtrinque fulti, concurrant. Hæc aliaq; licet abſente tum Pedemontano timidi & incauti effutire non verebantur; quæ certum erat mox ad ipſum nec non Aſculanum fidos delaturos.

Nec maiori ſe ſecreto Aſculanus continebat; aſperatus repulsâ negotij; & licentiâ vocum; quas aſperiores opinione Mantuæ vulgari compererat. Ingens Pedemontani manſuetudo fuit; qui licet infanda dici de Parente accepiſſet; ſimulationem tamen in extremum retinuit, ſpe ſecuturæ pœnitentiæ, aut vindictæ præmaturæ. Itaque feſtinatis equis Taurinum reuerſus eſt, profeſſus nihilominus ante, ſe Mantuani officiis cultum ampliſſimè. Cauſa diſceſſus varia ferebatur. Plerique auerſatum vim Paternam, & præſente Aſculano concordiam prætuliſſe; imo apud Patrem non ſemel teſtatum maiori apud ſuos ſororem Viduam, quàm Mantuæ haberi potuiſſe. Neque id caſu; ſed quod Mediolani vulgatum; nec minus in Patriâ didiciſſet, prorſus abiectè & anguſtè iuuenem habitam. Quidam ſecretiora eoq; incertiora commentabantur: detuliſſe nempe ad Parentem conſilium: iterandas ſororis ac Mantuani nuptias, quieti publicæ commodaturas: nec aliud Italiam in votis habere, aut exteros Reges. Eleonoram enim Mantuani Ducis ſororem virginem, vix decimum quintum ætatis annum ingreſſam ſpecie ac moribus Regiam fortunam præferentibus, nullâ auerſione contemplatus ferebatur: dignamq; crediditſſe, quæ ſorori ſuæ Viduæ obliterandis familiarum odiis, conceſſione mutuâ componeretur. Ab honeſto ac parato iuuenilem animum non abhorruiſſe, citra flagitium erat; vtroq; habebat commendationem; & ſiue formâ, ſiue virtutum concentu Princeps virgo iuuenem illexerat; ſiue probabili ſecuturæ quietis coniecturâ traheretur, in conceſſo erat, nobiliori ac digniori flammâ, crudas familiarum iras facilius excoqui non potuiſſe. Nec inanis (ſi fuit) cupiditas cum affectum indiderat: apud Pontificem, Venetos, Reges exteros pro comperto habebatur: nec aliud frequentius vulgi ſermonibus tractabatur: apud quem ferè conſenſus veri præſumptionem habet. Sabaudius ipſe filij deſtinatis non infenſus admiſiſſe tractationem dicebatur: licet vtrumque matrimonium pactorum pondere, & contrahentium duritie vanuerit. Callidio-

Pedemontanus ad Patrem redit.

res eam ſub ſpecie deſiderij reſcindendi coniugij formam vſurpatam crediderant: quod penes Sabaudium prætextus ſuo modulo ducerentur; ſpeſq; illius creſcerent, quoties Mantuano non conueniſſet. Id vbi ex voto ceſſiſſet, pauore ac vi deiicere cõſtantiâ Mantuanum cogitaſſe; recente dominatione, tot domeſticis aduerſis, foris conſultoribus quaſſatum. Sed ea Principum conditio eſt, vt quæ liberè agunt, apud vulgum licentiâ commentandi examinentur; appinganturq; euentibus ſecretæ nonnunquam cauſæ, quas nemo ſomniauerit.

Sic quidem de Pedemontano ac virgine ſorore Mantuani, Mantuæ & Mediolani ferebatur: quod nos relectâ in auctores qui prodiderunt fide retulimus; ne præualidum rumorem ſtudio neglexiſſe diceremur. Eorum quæ coram Mantuano agebantur, ſolicitum & intentum Inoyoſam nil fallebat. Siue Aſculanus per literas admoneret, ſiue ſecretis exploratoribus (quos neceſſaria dominationis inſtrumenta nouerat) arcanum Ducis obſediſſet. Itaque vbi negligi a Mantuano minas Sabaudij (quæ Cæſari ac Regi ſuo reprobabantur) fruſtra conditionibus inſiſti, & Viduæ vterum ferè deprehenſum vanitatis, minus prætextibus reſpondere vidit; ne omiſſa negotiatio nulli in poſterum vſui eſſet, aut abuſa Regis voluntas putaretur; quaſi ſtudio omni pacem vellet; & vt Sabaudium cætera inexorabilem, hac ſaltem ſpecie retineret, Mantuanum denuò literis aggreditur: orat, obteſtaturque, vt Viduam Dominam cum filia, tollendis rumorum occaſionibus, apud Ducem Mutinenſem tam diu deponi vellet, quoad pacta coniugij firmarentur. Offerebatque non Mutinenſis ſolummodo, ſed Cæſaris ac Regis ſui fidem, futuram in tuto infantem; & niſi matrimonium abſolueretur, in paternam domum redituram. Conſilij cauſa non vna erat; ſed ante alia neceſſitudo ſororis, & honeſtatis prætextus afferebantur. In eo vanitas, in hoc turpitudo credita; quaſi ſanctius alibi quàm Mantuæ Vidua actura foret; aut ea pudicitia (quæ in nulla Principe certior fuit) alienâ cuſtodiâ indigeret. Ne petulantiam quidem vulgi, aut mentiendi licentiam, tantum dedecoris in animum inducturam. Sed cùm perſiſteret Inoyoſa, & Sabaudij ea ſententia diceretur, diu diſputationibus inter annuentes laudanteſq; certatum: Plerique non Cæſari, non Regi, non Mutinenſi fidem defuturam rebantur: negotio tamen vnde pax Italiæ penderet moras interjici criminabantur: & poſſe ſpem populorum ſtatim expleri; ſi quod vſui ſalubre nouiſſent, tranſegiſſent. Fuêre nihilominus qui ſecretò muſſitarent; fraudemq; cui vanitas poſtulati colorem faceret, ſuſpicarentur: Cur enim fratris Pedemontani & tot procerum arbitrio, cum eædem ſuſpiciones vrgerent, Goitum delectum, vbi Vidua procul à recto Mantuani ageret, faſtidium mouiſſe: Cælum, ſolum, ædes, venationes, piſcationes examinata vt placerent, arriſiſſe omnia, quæ nunc nullâ cauſâ damnentur? Cur vt apud matrem filia habeatur, quod domi ſit apud exteros quæri? Num apparatum Regium & expenſas tantæ hoſpitalitati congruentes defuiſſe: Prorſus ſine modo exercitatam munificentiam; & quidquid ſplendoris excogitari potuerit, in amicos collatum. Scilicet Imperatoris Regiſq; expectandam voluntatem, non vt arbitrium habeatur, ſed vt Sabaudio plus temporis texendis quæ meditatur, accedat, Mantuanus inter hæc immenſitate expenſæ, & curſorum multitudine hauriatur. Haud dubiè intoleranda imperari. Nam ſi honeſta placuerint, cur paratas nuptias Patrem non vnâ præuaricatione diſtuliſſe? Diſplicuiſſe forſan Ducis indolem, fortunam, ingenium, & à potentiſſimis Germaniæ Principibus genus ductum? aut in virgine ſorore, non id decoris ac virtutis innitere, quo deceat regias ſponſas adornari? Si veteres Monferrati limites manere, nil auitis prouinciis detrahi, centum inſuper aureorum millia ſororis nuptiis ſuperaddi placeat, nil cauſæ eſſe, cur populorum lætitia, vota generis humani, pax concepta differatur. Quod ſi honeſtiſſimæ conditiones diſpliceant, tranſiſſe

Inoyoſa orat Mantuanū vt Viduam cum filiâ, tamdiu Mutinæ eſſe velit; quoad negotium matrimonij abſoluatur.

Id & placet & diſplicet.

prorſus ſpem omnem. Fruſtra in plures formas verti negotiationem, mutari agendorum ſeriem, noua proponi: Nec enim vllis vnquàm blandimentis Mantuanum ſententiâ deceſſurum. Iam verò alieni arbitrij nonnulla eſſe, nec ſponte Mantuani poſſe tranſigi, à quo tam anxiè requiruntur. Sic infantem neptim inuito Cæſare, & reclamantibus ſubditis, quorum cauſa agatur, paterno limite pedem non elaturam. Quæ ſi hæres ſit, teneri patruum reddendæ rationi totius adminiſtrationis: ſin præter dotem nil habeat; & dotari in tempore à Patruo debere; & ſexum ætatemque propinquioris ſubſidium requirere. Quamquàm non ſemel diſputata fœminarum iura docuiſſe, prouincias Monferrati in mares abire.

Hæc & ſimilia ſolitâ licentiâ Mantuani iactabant: indignato Sabaudio faces ſubditurì; vt non repetendis iuribus potius, quàm ſumendæ vindictæ causâ procurreret. Alij quamquam deſiderio ſubeſſe artem aliquam crederent: id tamen Parenti ſolatium concedendum dandumque candoris Chriſtiano orbi documentum conſulebant. Per ſeria & iocos, non alium animum fuiſſe; nec ex Sabaudio fraudem metui, vbi Cæſar & Rex ſecuritati reditus infantis & annuiſſent, & cauiſſent. Pleraque initijs tractationum diſplicere, & quamquàm difficilia negotio expediri. Quoties arbitrio patrui Neptis habeatur, ſatis Imperatoris decreto obtemperatum; nec breui abſceſſu, & (quoties placeret) libero reditu, negligi mandata. Commiſſam tutelæ neptim eſſe, non ambitu domus circumſcriptam, non carceri mancipatam. Poſſe ac debere Patruum, vbi cautum ſibi vidiſſet quoquo terrarum puellam mittere, ex arbitrio redituram. Non alijs ſermonibus hactenus Mantuanus intonauerat, quàm fixum ſibi, ius, ac placita Cæſaris nixu omni retinere, nec facilitate delinquere: cuius (ſeu præuiſa ſeu ſubita contra quam voluiſſet eueniſſent) accuſaretur. Nec enim teſtari apud Proceres, Aulicos, plebem intermittebat, ſi Viduam Mantuæ agere voluiſſent, non defuturum quantum per vires liceret, obſequium: ſin abire placuiſſet, apud ipſos poteſtatem fore: neptim à ſe non dimiſſurum. Id vt apertius, quàm magno negotio expediret, ſic anxiorum interpretationibus vulgaretur: erantq; qui auriti teſtarentur, id non ſemel ab illo ſacramento firmatum: diraſq; ſibi ac domui imprecatum, ſi precibus aut officijs ceſſiſſet. Et quidem tertium iam diem irrita conſilia inculcare deſtiterant, quibus id in votis erat, niſi à peritioribus admoniti, in bono Principe, cum execrationibus ac repulſarum vehementiâ conſtantiam langueſcere; ſi in poſterum nouæ preces offerantur, pati facilitate deſiderio eorum acceſſurum. *Mantuanus ſacramento affirmat ſe puellam non dimiſſurum*

Vix illuxerat cum mediaſtini ac viliſſimi ſeruorum cubiculo Principis ſucceſsêre. Hos inter Abatinus (ferè is ludio Aulæ; & ſecretas voluptates Ducum miniſtrare ſolitus erat) in hunc vt linguæ licentiâ proniorem conuerſus Mantuanus, quid in ciuitate agereṭur, quibus ſermonibus domus intenderet, eſt ſciſcitatus. Ille non aliud ore vulgi agitari, reſpondit, quàm poſſe ac debere concedi infantem Auo matrique: ſiue Taurinum, ſiue ad Mutinenſem interim abituram. Vanas ſpes eſſe Sabaudij: nec alio documento magnitudinem ſuam quàm contemptu ſecreti hoſtis efferre. Quod non mater longis gemitibus ac lachrymis; non Pedemontanus grauibus conſilijs ac monitis, non Inoyoſa inculcatis precibus expreſſerant, peruicit libertas Aulici famuli; vt acceſſitis qui diu id fruſtraque flagitauerant, vltrò annueret, præfatus ſolummodo conſenſu orantium ſe victum, vt auderet (parandæ apud omnes gratiæ) vel periculoſa tractare. Vbi conſiliarij aduenêre; & promiſſi fidem ijs qui popoſcerant datam acceperunt, primo ſtatim auditu horruêre; ſed quia id quoque apud Ducem exitioſum erat; è re ſua cognouerunt, ſi neceſſitati ac tempori paruiſſent. Tranſiſsâ ſilentio re; aut accommodato conſenſu; cum iam probationes meditabantur, *Sed mox mutatur.*

Digitized by Google

quibus Mantuanum præſentem excuſarent, abſentes Principes per literas crudiciunt. Earum exemplar vicino cuidam Principi à Comite Chieppio miſſum, ſic continebat: Mirum videri poſſe inuictum hactenus ad Viduæ querelas Mantuanum: nunc ne oratum quidem, facilem ſe votis Aui ac Inoyoſæ præſtitiſſe: vt infans relicta, donec certiora tempus & negotiatio attuliſſent, apud Mutinenſem Ducem cum matre haberetur. Quamquàm ne facilitatem quidem fuiſſe: ſed vbi eam curam Mutinenſem abnuere accepiſſet, annuiſſe: vt ſe pariter rogantium moleſtijs, & Inoyoſæ precibus expediret. Quid eâ in re conſilij concoquat Mutinenſis, nec ſcire: nec ſi recipiat laudare. Multum enim referre, cuius ſe rei medium præbeat, quas explicet ambages: & id apud animum ſuum reputare debuiſſe: vtcunque res ceſſiſſet, inuito aut non iubente Imperatore, periculum eſſe tam ingentia tractaſſe. In eum ſenſum alij alia diuerſis præſcripſerunt: quibus iam vna cura erat excuſare Dominum, non admonere: quando illud iniuſſi cum laude, hoc ne iuſſi quidem cum gratiâ facerent. Cæterùm vt Mantuani voluntas innotuit, cito curſore Hiſpani Mantuæ agentes, Inoyoſam docuêre, verſum in vota animum: eoq; detrahendum tempus pœnitentiæ iuueni inſtillatæ voluntatis.

Idq; Comes Chieppius excuſat.

Inoyoſa certior fit ac lætatur.

Id Inoyoſam certè ſecundum præteritas difficultates ingenti lætitiâ perfudit. Videbatur Mutinenſem ac Mantuanum arbitrio rexiſſe. Nec dubitabat ceſſurum hunc productâ negotiatione, qui iam recepiſſet, ſe ancipitia, & ſummæ rerum aduerſa facturum. Sabaudium Regium ſororium, & Viduam, Neptimq; ſic in ſuam gloriam valeſcere credebat: quod facti ſeriem, & euentuum fortunam, ſuis conſilijs imputaret. Regredi proinde raptim curſorem primùm Mutinam, mox Mantuam iuſſit, vt facilem illum hoſpitalitati redderet, hunc propoſiti laudaret retineretque.

Sed Ferrarienſis diſſuadet, ſummiſſa quadam Iuliana moniali.

Ferrarienſis minima iam ſecretorum parte honorari ſolita, poſtrema fuit, quæ Nepotis Ducis paratum tradendæ infanti animum aperiret. Itaque ſimultate Viduæ, auerſione Sabaudij concita, à lamentationibus & querelis in conuicia prorupit, violari Cæſarem, ſpes familiæ mergi, hoſtibus audaciam, amicis formidinem eâ conceſſione accedere. Dimittendam matrem vt ad ſuos quos pertulerit, reuertatur; retinendam Infantem, non quòd hæres, aut rerum domina ſit, ſed documento conſtantiæ, & ſtabilis aduerſus Cæſarem obſequij. Erat inter ſacras eius Cœnobij virgines, Iuliana quædam cui plebeij natales erant, ſed opinione prudentiæ, & longo miniſterio Ferrarienſis, Ducíq; ac domui iuxta cura. Hanc immittere deterrendo Nepoti viſum; & fœminæ conſilium in vim

Qua perſuadet Duci pœnitentiam.

eualuit; vt non pœniteret ſolùm, ſed anxius quomodo ſe promiſſo explicaret, ex ſuis inquireret, proferretque. His difficultatibus illigatum, præter ſpem omnium ſors liberauit; ſeu ſponte, ſeu conſilio doctus, quantum de ſuo peteretur, & quibus ſe moleſtijs illigaret, ſtatim Inoyoſæ aperteq; reſpondit; eum ſe depoſiti honorem remittere; nec niſi iubente imperatore, & tractaturum; quæ prior ille ſibi aduocaſſet. Vt Inoyoſam præter ſpem grauiſſimè repulſa offendit (numquam credito auſurum ſuis deſiderijs obniti Mutinenſem; licet illum matura deliberatio mouiſſet; ne ardua ſiniſtrè abitura, aut aliena culpa ſuæ incuriæ à potentioribus imputaretur) Mantuano tamen nolenti fuit; qui fortuita in ſapientiam vertens, oblatam pœnitendi occaſionem promptè amplexatus eſt. Cum

Dux Mutinenſis recuſat.

Mantuanus cum Inoyoſa de Mutinenſi queritur.

enim emorientem ſui apud Mutinenſem amicitiam coram hoſpitibus accuſaſſet; eò querelis progreſſus eſt, vt culpam omnem in abſentem reijceret. Quæ tamen nimia, cum adminiſtri faterentur (ne Mutinenſis lamentationibus fractus, quod primò auerſatus fuerat admitteret) ſtatim in molliora conuertit: addendo repulſæ cauſas, & velut excuſando, quem paulò ante vt inofficioſum damnauerat. Compoſuit itaq; ad Inoyoſam literas plenas conſtantis fiduciæ in hanc formam:

Quam-

Quamquam vrbe in Patriam reuerſuros; ſeque ac res ſuas Hiſpani Regis arbitrio permiſiſſet; quem fidei validæ compertum, recepturum obſequium non ambigeret, vix tamen gubernaculis Reipublicæ admotum fidei exemplum obtuliſſe, conceſsâ nepti ſi Mutinenſis breuem hoſpitalitatem affinitatis admiſiſſet. Neque id inane fiduciæ documentum; mediis in ſuſpicionibus ac comminationibus, pignori obtuliſſe ſummam rerum; de quâ tot literis, tot oratoribus diſceptetur. Id ſe propriis curſoribus Imperatori ac Hiſpano Regi ſignificaſſe. Cæterùm in poſterum niſi Cæſaris ac Regis placita ſectaturum; & quam callidius cultam apud alios fidem inuenerit, cautius exercitaturum; ne nouo neglectu etiam odia prouocare videatur. Spretam à Mutinenſi Neptim, neglectam facilitatem ſuam, res in priſtinum reduxiſſe. Illam apud ſe fore; nec vllis in poſterùm precibus vt abducatur acceſſurum; iure cum omnibus actum, nil gratiæ daturum. Inerant verba & ſententiæ accuratæ aſperitatis. Quibus lectis Inoyoſa dicebatur ſtatim fidem habuiſſe. Niſi ſubitis perculſo, artis in eo iuuene arguendæ, qui nôn imperij, non fortunarum ſuarum causâ poſſe diſſimulare credebatur, deerant argumenta.

Aderat Pedemontanus, qui aliquot hebdomadas abſens, circa Martij medium à Parente reuerterat; nouo nobilium comitatu ſtipatus, vt ſororem in Patriam reduceret. Iam enim fruſtra limites & partem Monferrati iactata Sabaudius didicerat; eoque reſcindi negotiationem omnem iuſſerat; ne cum armis liceret, precibus ac negotiatione aliquid expreſſiſſe videretur. Pedemontanus tamen incomparabili comitate denuò Mantuanum aggreſſus eſt, vt conceptum rigorem remitteret, pateretur que cum matre infantem Mutinam diuertere. Tempore difficilia complanari, nulla ſuorum iurium, nulla fortunarum iacturâ poſſe; & Inoyoſæ, & conceptæ ſpei amicitiæ gratificari. Id ſibi dari, qui fidem integram negotiationi attuliſſet, cupere: Non enim reiecturum Mutinenſem iteratas Inoyoſæ preces; & quod hactenus noluerit, publico deſiderio condonaturum. Ad hæc Mantuanus (ſiue dulcedo morum Pedemontani impulerat; ſiue certus conſilij, duraturam Mutinenſi repulſam crederet) ſtatim & liberè reſpondit: quamuis id per literas Inoyoſæ negauerit; & ſæpius conteſtatus ſit, negatam ſemel hoſpitalitatem, non amplius probaturum; id tamen amicitiæ tribuere; vt ſi Mutinenſis receperit, paratus ſit Neptim eò mittere; donec ipſe cum Patre in rei ſummam conueniret. Data acceptaq; fides; certiorq; per literas Pedemontani Inoyoſa redditus, quo in ſtatu Mantuana conſilia eſſent; & poſſe omiſſam tractationem reſumi, ſpe certâ futurorùm. Non alio gratiori nuncio lætatum Inoyoſam accepimus, aut diſtuliſſe ad paucos dies negotiationem didicimus, niſi quod aduentantem Mediolanum Viduam accepiſſet, & re Pedemontano communicatâ certius agenda diſponi poſſe credidiſſet. Id enim ante alia in mandatis à ſuo Rege habuerat; vt Sabaudij ac Mantuani animos conciliaret; ne occaſione prætextuum communi totius Europæ malo inuicem colliderentur. Iis quorum in manus noſtri labores venerint, ſuperfluam indaginem ſingulorum viſam iri non ambigimus; quòd inter armorum apparatum, & prurientem iam amore belli Italiam, tam leuia conſectemur. Plurimis tamen acceptam ſolicitudinem futuram credimus; quia nec leuiſſima ſine arte, nec forte, nec fortuita ſine ſtudio euenerunt.

Pedemõtani tamen precibus flectitur.

Idque literis Inoyoſa docetur.

Patritius quidem Mediolanenſis eâ tempeſtate Romæ erat; qui (vt mos magnatibus) non alio exercitio tempus fallebat, quàm officiis & ſtudio nouitatum. Datis itaque ad Secretarium Mantuanum literis, orauit quo in ſtatu res Domini, quâ in ſpe eſſent, perſcriberet; cui ille ſic reſpondit. Vix morem ſibi gerere licet, adeo graues curæ latus incurrunt, adeo frequentes curſores recipiuntur, leganturque; adeo continuis diſceptationibus exercemur.

Viduam coniugio nolente patre non accipimus, curantibus Hiſpanis non reijcimus. Ille nos terroribus quatit, & poſſeſſionis Monferrati anxios detinet, Hiſpani promiſſis lactant, quæ vana metuimus: Dux noſter tot domi malis, tot foris occurſantibus, non auxilij ſolùm, ſed & conſilij eget, quamquam obſtantibus fatis difficile ſit pro tempore conſulere. Ipſa nos hoſpitum multitudo conſtantiâ detrudit; quibus non prouidendum regiâ munificentiâ ſolùm, ſed excipiendi, comitandi, audiendi ſunt, doniſque honorandi. Numerum inire difficile eſt, laboraturâ audientium fide. Nam defuncto Franciſco Duce, quamquàm totâ ferè Europâ Legati adueniſſent, paucos tamen intra dies expleto munere ad ſuos reuertebantur; & diſcedentis locum recentior, non turbatâ domo occupabat. Sed qui à Sabaudio venêre Magnates viri, & longa ſeries famulorum, integros iam tres menſes magno nos onere preſſerunt. Quibus, ſi Hiſpanos Mediolano ab Inoyoſa miſſos addas, ſeptingentorum numerum explebunt. His toto quadrageſimæ decurſu (prout vires ac valitudo cuiuſque eſt) decore regio luxuque aulico epulæ inſtruuntur. Accedit vetus Mantuani Ducis familia, ſeptingentos ferè complexa; quam vt augeri ratio temporum non ſinit, ſic imminui ſeruitij & hoſpitalitatis neceſſitas prohibent. Meruêre præterito miniſterio ne meliori Principis fortunâ excluderentur. Totius diſtrictus, lacus, amnes, piſcinæ, paludes hauſtæ ſunt; ſolum nomen viuaria retinent: eoque oportuit Benaco & Mari ſubſidium accerſire; ſtrepentibus itineribus commeatuum copiâ & varietate. Mille aurei diurnam expenſam non adæquant. Conuectionis difficultas quoque negotium faceſſit. Quod enim Mantuæ naugio haberetur, plauſtris Goitum deducendum. Currus vrbani & Aulici labore fatiſcunt. Supereſt alia in oratores impenſa; quos donis ornatos dimitti, conſuetudo Principum obtinuit. Et nos quidem Sabaudij aſtu tantam hoſpitum multitudinem credimus adueniſſe; vt congeſta domi pecunia ſi quæ fuerat, inutili erogatione perdatur; ſimul vt tractâ in longum negotiatione, illi tempore res proficiat, Mantuanus Curſoribus, Legatis, hoſpitibus tenuetur. Redijt Mantuam Pedemontanus magno comitatu inſignis. Quid paret, quò ſe res inclinaturæ ſint dij norunt: Nobis proſperè euenire vt cupimus; ſic nouis ac nouis ſuſpicionibus exterriti diffidimus. Hic epiſtolæ ſenſus fuit. Vrgebat interim Sabaudius filiæ reditum; eò acrius, quò grauius tulerat negatam à Mantuano matri filiam. Quâ causâ Mutinenſis Princeps, cito curſore monitus eſt, ſi Viduam (cuius ſororem matrimonio habebat) videre vellet, Goitum properare. Et affuit cum coniuge expectato citius, Goitiq; ſex dierum moram egit; cum interim itineri neceſſaria, comites, vehicula, famuli, adornarentur. Non alij Principi Regia fortuna magis congruere viſa; ea morum concinnitas; is decor vultus erat. Et (quod vniuerſos amori illigauit) non in eo grauitatem comitas, non maieſtatem corruperat humanitas: & cum nunquam exueret Principem, nullibi inuiſum faſtigium præferebat.

Princeps Mutinenſis Goitum cum coniuge.

Eo tempore licet venatui ac piſcationi ſolidi dies inſumerentur; ſeſe tamen tractandi negotij occaſio offerebat: nemine adeo immanitatem exuto, vt inter Sabaudium & Mantuanum, atque adeo inter Europæ Principes concordiam non vellet. Hos inter Comes Martinengus (quem vnum didicimus ſeruorum plenam fidem, & aduerſus vtrumque Ducem eundem animum attuliſſe) teſtari non intermiſerat, integra adhuc omnia; nec magnâ re opus eſſe, vt cum Viduâ quies Gentium Mantuæ retineretur. Minimam certè aiebat cum Sabaudio facilitatem, fortunæ & honori Mantuani nihil detrahere; imo flagitium in publicam vtilitatem cedere, ſi minus conſilio dato paruiſſet. Acrius alij, vt iacta à Martinengo bonæ pacis fundamenta acerbis ſententiis quaterent, dicebant; non

Comes Martinengus indeſinenter pacem premonet.

concesſio-

conceſſionem magis oppidorum quæ ferebatur, quàm ſpontaneam oblationem Sabaudio deberi, neque enim laxioribus finibus Maximo Principi opus eſſe, qui regnet ampliſſimè; & Hiſpanum Gallumq; Reges ſui æſtimatione detineat) ſed dandum à Mantuano documentum, quo genus humanum doceatur, bono iure quæ popoſcerit, accepiſſe. Id durum Mantuanis auditu erat; tamquàm ne priuato quidem tolerandum. Nec defuēre qui prorumperent; & conuiciis arrogantiam faſtumq; proſcinderent. Neque enim dictatam ſententiam, aut Sabaudio ipſi ſummo Principi tantum ſuperbiæ eſſe; vt ſi quando Mantuanus annueret, id illi improperari vellet: A ſuſpecto enim Duce niſi cum illius decore ſatisfactionem expectare. Pedemontanus ac Mantuanus certiori caritate agere videbantur; facilitate ac officio certantes; tantâ vniuerſorum lætitiâ; vt hôc maximè ſalus quieſq; populorum niti crederetur.

Hæc cauſa ſermonum fuit, vt plebs & Aulici tranſactum inter vtrumque de conditionibus nuptiarum circumferrent: & quamuis diſcederet Vidua, poſtridie reuerſura putaretur. Siue vtriuſque ea mens fuerat, ſiue Mantuanus mutatus tradendæq; Mutinenſi Duci infanti compoſitus, eam ſpeciem præbuerat. Inter ſecutes & laqueos nunquam ſatis coercita linguæ petulantia eſt; quò minus mirum, conuulsâ in partes Aulâ; vbi Principes arctâ familiaritate vterentur, repertos fuiſſe qui crederent vulgarentque, nuptiarum fidem tacitis ſponſionibus inter Pedemontanum ac Mantuanum ſancitam fuiſſe: Vt Pedemontanus Eleonotam virginem Mantuani ſororem, Mantuanus Viduam matrimonio acciperent. Quod vt vtrique non abſurdum, ſic inane; & commentantium interpretationibus inuentum exitus docuit: Nec enim auctor famæ erat; & vtrique Principes ſecretò orati aperire arcana, vel cariſſimis & fidiſſimis abnuerunt. Credebatur nihilominus matrimonium cum Viduâ in propinquo; ſi Pedemontanus moræ omnis (quæ Parentis iuſſa tardaret) intolerans, pauculos adhuc dies Goiti ſubſtitiſſet: non enim retractatas ſæpius conditiones Inoyoſa; quique communem cauſam officio aut caritate proſequebantur, omiſerant: & facile erat nondum adultis odiis, nec aggeſtis nouis diſſentionum cauſis, vetera obliterari componive. Sed Pedemontanus Sabaudij inculcata mandata; & obſtrictam alieno arbitrio voluntatem excuſabat. Fidem profeſſio merebatur; quod filiorum nemo paternis præceptis religioſius obtemperaret.

Pedemōtani & Mātuani familiaritas cauſam opinioni dedit, vt vtrique conueniſſe conditionib. nuptiarum crederentur.

Mantuanus interim duabus curis ad miraculum intendebat: altera officioſa, odioſa altera erat. Cum enim in magnos hoſpites ingentia recti animi argumenta, regiâ hoſpitalitatis inſumeret, in eo grauiter offendebat, quod infantem diſpoſitis ſatellitibus, tamquàm in furtum deſtinatam cuſtodiret. Vallata ac ſepta omnia erant. Arx ambitu vigilibus, porta ſtationibus firmata; feneſtræ quâ foras proſpectus eſt ferreis cancellis obductæ; denique carceris imago omnibus obuerſabatur. Quod ante alia matrem ſolicitudine ac mœrore afflictam cruciabat. Viceſimâ ſextâ menſis, iter omnes ingreſſi Cannetum celebre Mantuanæ ditionis oppidum conceſsēre eò vſque comite Mantuano. Miſerabilis certè ea ſpecies viſa, cum vidua iuuenis paucos ante menſes filio ac coniuge orba, diſcedens filiæ vnicæ nec in poſterum forſan amplius videndæ diuelleretur. Quò maior conſtantia, & firmius aduerſus lachrymas pectus fuit; eò plus apud circumſtantes pietatis conciuit. Nec enim ſingultibus præpedita, aut fœminili lamentatione ſolura in ſupremos filiæ amplexus corruit, ſed fronte tenus contrectatam, & delibatis velut blanditiis, tantùm admonuit, Meminiſſet quâ Matre eſſet; Patrui interim auiæq; quos Parentum vice foret habitura, morem gereret: ea ſibi proxima ſubſidia & ſecura. Innocenti puellæ, calcatam à maioribus virtutis ſemitam ingredienti, nequaquam ſuperos defuturos. Salutato poſtremò cœtu omni, cum illa hilari ac ſereno obtutu ſororem quoque complexa foret, exciuit ma-

Vidua cum Pedemōtano Mediolanū proficiſcitur, relictâ Mantuæ infante.

cum Viduâ pœnitentia. Quippe recurſum in vrbem ſtatim Amita cum fidiſſimis aggreſſa fuerat, turpitudinem coniugij, & minas metumq; Sabaudij obtrudens: quaſi liberò ac ſui iuris Principi, iuſſu alieno nubendum foret. Idem ſex ſeruorum (quibus non aliâ facilitate Mantuanus conſilia, quàm proceribus aperiebat) ſiue iuſſi, ſiue vt blandirentur, eunti cubitum, experrecto, inter epulas, ſeria, ludos inculcabant. Mediceæ quoque familiæ fortuna, & ex eâ vtilitas, ſi contraxiſſet nouas nuptias, ob oculos ponebantur. Forſan & ſecretæ ſponſiones interceſſerant; quæ cum animo anxio obuerſarentur, huc illuc conſilij incertum agebant. Placuit itaque componi literas ad Inoyoſam, quæ tales erant. Quod rerum ſuarum ſtudio aſſiduus, nullam procurandæ vtilitatis ſuæ occaſionem elabi ſinat, apud ſe perennem gratamq; memoriam fore. Sed in eo præcipuè ſitam caritatem eius, ſi æquiori animò ea æſtimauerit, quæ negotij ratio concedi prohibeat. Eo in numero diſceſſum infantis pupillæ eſſe; ſibi exitioſum: Matri verò regreſſum Mutinam omninò indecorum. Vt gratiæ olim Neptim conceſſiſſet; ſic recuſatam, denuò nec poſſe, nec debere permittere. Non defuturos reconciliationi ac concordiæ ſecuriores modos: & nuptias quas requirat, nullibi honeſtius quàm reuersâ ad patrem Viduâ ſanciri poſſe. Sciret interim, magnis cauſis conſtare conſilium ſuum. Abnuere ſe enim, quæ abolita nullo ſuo conſenſu reſumerentur. Neque tantâ vtilitate intus eſſe, vt quod ſibi cupienti ſemel negatum ſit, nouis aliorum precibus habere velit. Cum Goiti Vidua ageret, quamuis temeritatis à ſuis argueretur, non ſibi tamen ſententiam diſplicuiſſe, cuius cum occaſio in aperto eſſet. Per Ducem Mutinenſem ſtetiſſe, quò minus res abſolueretur. Nunc eò rem inclinatam, vt neptim in poſterum illi concedere tutum non putet, qui longâ tergiuerſatione, & reiectis tot precibus, tempus inſidijs quæſiuiſſe videri poſſit. Sed mirari in primis quomodo, literarum quas ſuper eâ re paucas ante dies miſiſſet oblitus, ei tractationi denuò manus applicuiſſet; quam abruptam omiſſamq; profeſſione & tempore cognouiſſet.

Acceptis Mantuani literis Inoyoſa, furore percitus, & irâ inſolito ſibi more tumens; fidemq; quam ipſe Sabaudio ac Pedemontano obtulerat, requirens, prorupit; ſponſionem à Mantuano datam obteſtans: Nempe Mantuani literis quas acceperat, cum Mutinenſis hoſpitalitatem renueret, vt ſubito calore dictatas; ſiue integrum apud ſe rei arbitrium crederet, parum crediderat. Quamquam Pedemontanus addidiſſet fiduciam expreſſæ denuò promiſſionis; quamquam aliter epiſtolis Mantuanus ſignificauiſſet. Vt Pedemontanus potior in fide haberetur, toties mutatus Mantuanus perſuadebat: quâ tamen arte lubricum animum, & facilè nouitatibus huc illuc abeuntem retineret, neſciebat. Id conatui ſuo & quieti publicæ, quam regio iuſſu curare ſatagebat, prorſus obſtare nouerat. Veteribus enim odiorum cauſis, nouas iniurias, quas potentior Sabaudius non foret condonaturus, adiici, & geminari difficultates in bellum erupturas. Neque literis expoſtulare poterat, quod eundem animum à Mantuano per Epiſtolam accepiſſet. Sed qui participes veritatis fuerant, etiam Mutinenſem eâ deliberatione offendi querebantur; cuius promiſſo diffideretur, in leui causâ; quæque Mantuani quàm Sabaudij commoda magis reſpiceret. Mutinenſis vbi quod inuitus complectebatur non placere vidit, riſu profuſo mutationem excepit; lætatus non concedi ſibi, quibus alienâ importunitate acceſſiſſet: & eo ſe negotio expediri, quod à nemine totam gratitudinem, aut plenam gratiam promitteret. Nec diſſimiles fuêre literæ ad Pedemontanum à Mantuano datæ; quas Princeps tumentibus oculis exceptas, parum abfuit quin coram Curſore diſcerperet. Retinuit impetum connata modeſtia, & paterna reuerentia; cui communicari debêre cognouerat. Earum hic ſenſus fuit: Audentius hactenus tutelam Neptis ſibi ab Imperatore commiſſam in diſcrimen, promiſſione Mutinenſis receſſus addu-

Inoyoſa indignatur Mantuano.

Literæ Mantuani ad Pedemontanum.

xiſſe : tandem verò cognouiſſe, quantum de ſuo peteretur : nec poſſe incolumi reuerentiâ deſtinatis cupitiſq; aſſentiri. Quippe non Amitæ ſuæ ſolùm, Fratriſq;, ſed & totius Mantuani populi querelis quati ; & niſi abſtitiſſet, rem ſeditionem ſpectare. Potuiſſe Mutinenſem facilitate annuere, cum Vidua Mantuæ agebat: Reiectam ſemel curam ſe quoque proieciſſe ; & alij tempori, alia conuenire. Hæc Gregorius Carbonellus Diocæſarcæ Epiſcopus, & Diuæ Barbaræ apud Mantuanos Abbas, qui vtrique literas detulerat, commentationibus auxit, vt perſuaderet licuiſſe ſine notâ Mantuano abrumpere pacta, ac negare, quod olim non recipienti conceſſiſſet. Ante alia gratum Sabaudio accidit promiſſis Mantuanum non ſtetiſſe : non quod contemptum Principis filij ioco duceret (vlciſcendi quippe vires & deſtinatio ſuberat) ſed quòd rupta ab æmulo fides cauſam ſuam Europæ omni probaret ; liceretq; honeſtiſſimo titulo ad vim vertere, contra iuriſgentium violatorem.

Pedemontanus Mantuano literis reſpondet.

Pedemontanum itaque per literas queri & acceptam iniuriam agnoſcere iuſſit ; ne ſecreto ac ſilentio cauſæ alienæ concedere videretur. Tales fuerunt, Quas Celſitudo tua ad me literas dedit, ab Epiſcopo Diocæſarienſi accepi : à quo quæ in mandatis habuerat didici. Negare tamen non auſim, nouum & inexpectatum accidiſſe mihi, cum poſtremam tuam voluntatem didici, datæ mihi cum Mantuæ eſſem à Celſitudine tuâ fidei, & à miniſtris tuis firmatæ, omninò pugnantem. Cæterum ego cum ſorore propediem apud Ducem parentem erimus, cunctorum ſeriem explicaturi. Nec dubito quin pro ſummâ illius prudentiâ, congruum rationi ac tempori remedium ſit reperturus.

Diocæſarienſis Mantuanum fruſtra excuſat.

Non deerat Diocæſarienſis qui excuſaret ; fatereturq; Mantuani nomine, illum primum expectatione deluſum ; eoq; negotiationi, quæ iam expiraſſet, reuireſcenti, conſenſum præbere noluiſſe. Scite illum quibus olim cauſis annuerit; nunc grauioribus, negare. Rem ante finitam, tetrahi in apertum ; vt ex iure non foret, ita nec apud illum locum habituram.

Hæc aliaq; Sabaudium non fefellerunt : qui iam non vnâ cauſâ prouocatus, delectus militares habere, turmas equitum recenſere, belli duces, arma parare, & propius Monferrato ſuccedere videbatur. Prorſus animo magni Principis inſederat, neglectum ſui, Filij iniuriam, Filiæ Viduæ cauſam nixu omni proſequi: nec niſi oblatâ ſatisfactione concedere.

Sabaudij animum tardè Inoyoſa cognoſcit.

Vim eam mentis nondum introſpexerat Inoyoſa, Hiſpanâ cunctatione ſolitus exequi vniuerſa ; nec exiſtimans, nullo ſui Regis reſpectu auſurum Ducem bellum apparare ; rerum Italiæ arbitrium omne apud ſe indubitatò putans. Nec deerant qui armorum ſpeciem incutiendo tantummodò terrori oblatam dicerent ; vt Mantuanum quem comitas in vota non illexerat, metus impelleret. Solida Sabaudio prudentia erat, eumq; inermem Inoyoſam ac cunctantem Mantuanum, nullâ vi ſuâ validum, & alieno tantùm ſubſidio fretum, in rem ſuam videret, vt palam exercitibus ſe vallauit ; & bellum non Mantuano ſolùm, ſed cuicunque obſtanti apparabat. Vulgauerant quoque Mantuani plus æquo ſtudioſi, tantâ Sabaudium aduerſus Inoyoſam caritate non fuiſſe ; vt ſi renunciare amicitiæ opus foret, vtilitatis acceſſu ſuperſederet, ipſum verò Inoyoſam officij requiſitum, auro emptum, & ingentia præuaricationis præmia opperiri iuſſum ; ſimulationis imagine excluſiſſe. Quod vt atrocius quàm vt ſummo viro obijci poſſet, diſpoſiti obſeruatores Mediolanum perſcripſerunt.

Inoyoſa iniurias fert conſtanter.

Et Pr. Vincentius increpat authores.

Nec tamen Inoyoſa, cui hæc Mantuani dictata eſſe ferebantur, ſolitam ſibi conſtantiam omiſit, aut iniuria loco ſe detrudi paſſus eſt ; ſed queri cum Diocæſarienſi ſatis habuit : non Mantuani gratiâ curas ac labores, ſeu belli, ſeu pacis, ſed officij ac Regiæ voluntatis ſubire teſtatus. Cum eâ licentiâ Regium miniſtrum lacerari Vincentius Mantuani frater audiret, annuentes primùm increpuit ; & in fratrem conuerſus auſus eſt ſilentium & moderationem temerarijs, certo metu

impe-

imperare: iniuriæ inconſultæ acerbum exitum omnibus deprecatus. Erubuit Mantuanus fraterno conſilio,& cum illi ætatis imprudentiam,otium,emancipatam luxui vitam improperaſſet, proditum ſe ab Hiſpanis miniſtris ſublato clamore, ita vt altero cubiculo diſſiti exaudirent, inclamauit. Tum Vincentius: Quando,inquit,in fratrem natu maiorem reuerentia,tibi imprudentia eſt,ſecretum iners otium; curarum ac negotiorum vt decuit, libera conceſſio, vita luxu fluida, ne ſermone quidem in poſterùm offendam. Domus noſtræ commune bonum, Hiſpanæ potentiæ maieſtas, noſtra me ludibria ſtimularunt, vt in communi causâ proloqui auderem. Vt enim prudentiſſimè Roma diſcedens, teq; ac res noſtras Regiæ tutelæ commiſiſti: ſic ſtabili propoſito oportuerat,optimi Regis arbitrium, magni adminiſtri officia experiri: eoſq; audaciæ arguere, qui propriâ inſolentia communia pericula inuitant. Non tulit ſententiam Mantuanus, ſed ſeſe in ſecretum proripuit, multa in fratrem impotenter (quem ſtolidè ferocem dicebat) multa in quoſdam Hiſpanos ingerens: exitio domus ſuffectura, ſi quos læſerant,vniuerſa fuiſſent executuri.

Laborabat interim Mediolani Diocæſarienſis,vt Mãtuani in Inoyoſam vulgatas iniurias clueret: perſuaderetq; fiduciam illum certam retinere. Simul matrimonium præferebat vt ſpem vnicam pacis ſecuturæ. Iam Pedemontanus Mediolano profectus, Vercellas ad Patrem venerat,deploratis rebus, & eluſæ fidei confuſione accenſum.Hic quidquid honoris aut iniuriæ à Mantuano accepiſſet, executus, lætum parentem deprehendit filiæ reditu. Quòd eo pignore Inoyoſam prò arbitrio tracturum negotiationem metueret.

Diocæſarienſis Mantuanum apud Inoyoſam excuſat.

Pedemontanus cum Vidua Vercellas.

Sed hic licet quæ in Sabaudium, & Pedemontanum parum humanè Mantuanus admiſiſſe videbatur, geminaſſe difficultates, & inexplicabile conſilium reddidiſſe viderentur: fixam ſibi tamen pace potius quàm bello proficiendi curam non omiſit: ſed modò capto ex proceribus conſilio, modò à Diocæſarienſi monitus, ſalutare populo vtrique coniugium agnouit. Vtq; tandem in ſummam tranſigeretur opportunum Epiſcopum deprehendit, ſi coram, mixtas rationibus preces Sabaudij attuliſſet. Itaque cito curſore ad Mantuanum miſſo orauit, vt Diocæſarienſem eà cauſâ ad Sabaudium Vercellas legaret: Poſſe Sabaudium nondum ſumptis armis inexorabilem, & minimâ conceſſione delinitum, ad ſanciendum cum filia matrimonium inuitare. Scripſerat; maturè diiudicaret quam nouo Principatu, toti vitæ ſuæ & magnæ domui viam faceret; quod pelagus auderet; in quas neceſſitates, erogationes,diſcrimina ſeq; & amicos mitteret. Sic tutelæ Regiæ inſiſtere debere, vt nullâ ſuâ culpâ periclitatus crederetur; nec volens ſcienſq; nullâ neceſſitate fatigaſſe magnum Regem diceretur. Pelagus, neceſſitates, diſcrimina quamquàm intus vera, inuiſa tamen Mantuano fuerunt: ac ſi placare iras, & lenire indignationem potentioris, niſi cum exiſtimationis diſpendio concederetur. Quia nihilominus ſecuritatem, fiduciamq; ſuam frequentes metus intercurrebant, conſilium non eſt aſpernatus. Et quâ licuit feſtinatione Diocæſarienſem Vercellas ire imperauit. Neque tamen aliis matrimonij legibus acquieſcere voluit, quàm olim cum Aſculano tractauerat. Quod ſi iungendo arctius fœderi, ſoror quoque Virgo à Sabaudio requireretur, non abnuere: dummodò corpori prouinciæ nil adimeretur. Vt tamen certioribus limitibus implicati Monferratenſes agri dirimerentur, ambirenturq; nonnulla permutationis nomine offerret; quorum æſtimatio arbitrio prudentium inniteretur. Denique ita negotiationem admitteret,vt nullo colore cupitas ſibi nuptias oſtenderet. Et ſi facilem Inoyoſæ deſtinatis vidiſſet,etiam preces in conſenſum ambiret. Iunxerat Vidua Ferrarienſis literas, ſponſalium quæ metuebat, auerſabaturq; formidine; quibus Epiſcopum hortabatur arte & lenocinio abſtinere; & vt languentem tractationem ſtatim vaneſcere ſineret.

Mantuanus Diocæſarienſem Vercellas mittit ad Sabaudium Inoyoſa conſilio.

Quidam non cupitam Diocæſarienſis legationem Inoyoſæ Mediolano perſcripſetant; ſed oblatâ ab eo concordiæ ſpe ſtimulatum; vt apud Mantuanum intercederet, quod apud anxium futuri & paci populorum operato facilè fuit; ne quid intentatum inauſumve prætériiſſe videretur; quod poſſit Principum diſcordias obliterare.

Qui morum æſtimatione incipit vileſcere.

Vrbe Diocæſarienſis Vercellas venit, monachali faſtu, domeſticâ familiaritate, & concinnitate morum non quæſitâ, ſtatim ſui faſtidium conciuit apud Aulam vniuerſa ſpecie Regiâ æſtimantem; & Principem titulo tenus à Regiâ maieſtate diſtantem. Equidem plus in Monacho fidei quàm eloquentiæ, integritatis quàm ciuilitatis, & dicto ſcriptoq; eadem confuſio erat; eoq; parùm ſuffecturus creditus retinendo Sabaudio; apud quem nobilitas & gtauitas præcipuum locum habebant: & fateri ſolitus erat, ſplendorem, numerum, ornatum magnæ domus, ſibi ſtatim oculos animumq; perſtrinxiſſe. Tot Principes Duceſque, tot nobiles & adminiſtri, ſpecies ipſa Sabaudij; etiam in ſeueritate reuerendi, non aliâs eam magnitudinem expertum confuderant, turbauerantque. Cæterùm vbi fidei literas protulit; quâ cauſâ veniſſet expoſuit: Mantuani nempe iuſſu, & Inoyoſæ conſilio. Et quia benignè exceptus fuerat, auſus eſt magnum Principem monitis coërcere; ne paratam Mantuani amicitiam abnueret; ne veteri prætextui; ne nouis iniuriarum imaginibus fideret. Antiqua exoleuiſſe; recentia vana & inania: Mantuanum magnitudine ſuâ, etiam potentiorum ſubſidio ſecurum. Reſponſum à Sabaudio accepit plenum regiæ ſeueritatis: congruam ſuæ domui occaſionem ſuperos miſiſſe: qua irriſa hactenus iura ſua reſumeret: & filiæ ac filio illatas iniurias vlciſceretur. Neminem hactenus impunè tantam familiam ludificatum. Quod Monfertatum ſpectet, eas prouincias à Carolo V. Cæſare, aut potius malè eruditis adminiſtris, violatis tot præceſſorum Marchionum decretis, calcatoq; iure gentium (apud quas liberæ conuentiones, & dotalitia pacta ſacra eſſent) maioribus ſuis auulſas. Adeſſe vltores ſuperos, & vires animoſque cauſæ addidiſſe. Quæ inhumaniter in filiam Viduam admiſſa ſint, & iniquè in filium, neglectu, contemptu, fide violatâ, plura & certiora eſſe quàm vt excuſentur. Nihilominus cum ſibi facile ſit, vi adempta repetere, & iniurias immeritas proſequi; concotdiam tamen anteferre; ſi debitâ ſatisfactione vetus error, noua culpa corrigerentur. Iubere proinde quid finiendæ diſceptationi afferret, eloqui. Tum Diocæſarienſis, paratam ſui Ducis in mutua coniugia voluntatem offerre ſe dixit: Satisfactionis nomen inuiſum (nec enim aut deliquiſſe, aut cauſæ quæ conttouerteretur ſuccubuiſſe) ideoq; ſeponere. Permutationis nomine, duo aut tria oppida, ſed diſſita, ſed minora concedere, quibus Monferrato auulſis tortuoſi Monferrati limites æquarentur. Sororiæ dotis nomine centum inſuper aureorum millia offerre: hæc ſe Oratorem ferre; quòd ſi exutâ perſonâ priuatus; & diſceptantium commodis ex æquo amicus audiatur, concordiam vtrique proficuam perſuadere. Tum vetuſto, & apud Magnates pridem abolito dicendi compellendive modo reuocato addidit: Hinc Gallos, illinc Hiſpanos pro Mantuano fore. Illos ſanguine & affectu nexos: hoc receptæ protectionis, vſurpâti iam Italiæ arbitrij, & nimiæ Sabaudij potentiæ ſuſpicionis causâ. Acceſſuros Venetos amore Gonzagæ domus, mox Pontificem, vt erga filium, poſtremò Germanos Principes; qui magnum Etruriæ Ducem armis opibuſque validum ſecum trahant. Inuadere quidem extrema Monferrati; populari, & prædari oppida nullo præſidio munita, excindere villas poſſe; etiam ciuitates obſidione cingere; & vniuerſis minitari: ſed excidium alieni ſoli; ſuorum ſubditorum expensâ & ſanguine, denique ſtatus ſui diſcrimine procuraturum. Nec enim vlli mortalium, qui arcana dominationis, regnandiq; leges calluerit, dubium eſſe: & adempta læſo Domino reſtitui debere, & apud victorem præter cædes ſuorum, pecuniæ prodi-

prodigentiam, agri proprij vaſtationem nil reliquum fore. Rapinas & ſpolia, facto & prædatione parta, militi ceſſura. Denique ſuperſtitem fore pœnitentiam, & apud poſteros infauſtæ expeditionis memoriam, cauſâ ſuâ, cauſâ alienâ. Quod ſi iniurijs acceptis ad vindictam ſtimularetur, quidni primùm à filiâ requireret, quo decore, quâ reuerentiâ, quâ auctoritate ſeu Mantuæ ſeu cum Goitij ex arbitrio egit, habita fuerit. Et ſi modeſtiam Viduæ accuſet, offenſarum tolerantis: cur famulos, & miſſos Taurino proceres ſacramento non cogat fateri veritatem? Eam eſſe vim conſcientiæ, vt mentientibus linguis, fronte, oculis fateatur. Modò cauſas non ſuppetere: cur puella infans, ſeu hæres rerum, procul à domo ac ſuis; ſiue tantùm è familiâ apud exteros nutriri debeat. Conuicium Cæſari fieri, ſi decreti ac commiſſæ Mantuano tutelæ accuſetur. Et ſi procurriſſe facilitate & amore Mantuani putetur, non indecorum Sabaudiæ magnitudini, apud ſupremum Dominum conqueri, & Mantuanum iniuriarum arceſſere. Pedemontanum Principem fruſtra in amicum & obſequentem Principem, voce, literis inuectum: quòd ſpretam non ſemel à Mutinenſi neptim illius, fas non ſit retractatione abolitæ negotiationis denuò concedere. Quin potius locaret Viduam filiam Mantuano, huiuſq; ſororem inſignem virtute ac formâ, Virginem filio coniugem adſciret: coalitâ caritate faciliorem in vota vtrumque fore: certaturo pietati paternæ genero, vt quod maximè poſſet Soceri gratiæ largiretur. Ad hæc Sabaudius reſpondit; niſi compoſitâ lite de matrimonio ſe actum abnuere. Intempeſtiua conſilia, vanas minas, denique curam ſui gratis oſtendere: ſe pro virili curaturum, vt nouerint vniuerſi, ſicut procul à cauſâ Mantuanum, ita ſe à metu eſſe. Ad extremùm renidens (iam enim colloquio exarſerat, & diu Epiſcopo oranti patientiam accommodauerat) Mi Domine, inquit, accelerata nimis tua aduerſum me ſententia eſt: concoquendum tibi diutius conſilium; vt quid opportunum Duci tuo putes, rebuſve noſtris conducat dijudices. Noueris interim, nil magis à noſtris moribus alienum formidine eſſe. Itaque doleo te fruſtra tantum itineris ſuſcepiſſe; ſi non aliâ ſatisfaciendi, aut honeſtâ concedendi licentiâ aduenisti. Nec diutius immoratus, in cubiculum ſeceſſit, aperto odio; & haud dubijs mali, quæ parauerat inditijs. Compertum mihi eſt proceris Mediolanenſis teſtimonio, ideo placuiſſe Inoyoſæ Diocæſarienſem; quod libertatem hominis agnouiſſet; nec ſuppeteret, cuius audaciam experiretur; quique apertè nullâ formidine retegeret, quæ ſcire illum deſiderabat.

Nec quicquam profecit.

Mantuanus interim diuerſis amicorum literis monebatur, aut modica petenti Sabaudio concedere; vt ſi aſperitatis viam inſiſteret, aduerſus non dubiam vim, infirmiora Monferrati communire. Et quamquàm futuri ambiguus, comparare arma, conſcribere militem, commeatum in tutiora conuehi ex vſu ſciret; robur tamen ætatis, peritia agendorum, pecunia deerant: & prauis inſuper miniſtrorum conſilijs vrgebatur: vt abiectâ curâ ſui, nullo intus præuiſu, ſeq; ac res ſuas Regis Hiſpani (quem inuòcauerat) tutelæ prorſus committeret. Alij negligendos Gallos: plures & gratiores, non auſurum Sabaudium dicebant. Quidam vt in Monferratum properaret ſuadebant: Sufficere nempe prouinciam retinendo Sabaudio, ſi præſentem Dominum, auxilium poſcentem, & periculum obeuntem ſpectauiſſet. Præcipitia placuerunt, maluitq; vim Sabaudij experiri, quàm lenibus, honeſtis, & vtilibus conditionibus, ab omni Europâ laudatis auſcultare. Aliquot aureorum millia, cum militum Centuriâ in Monferratum miſit: datæ ad curatores prouinciæ literæ; vt populares in armis eſſe, deduci annonam in vicinas ſibi Arces, exerceri iuuentutem iuberent. Deſcripti quoque Centuriones ac Tribuni è Tyronum numero, vt certiora exequerentur: & (quod caput rei erat) præcipites Curſores ad Cæſarem, Gallos, Venetos, Lotharingum, Etruſcum dimiſit: quibus ingruentem neceſſitatem, præſens periculum exponebat: atque

Mantuanus ſibi timens Monferratenſibus parare bello neceſſaria iubet.

Mantuanus amicos ſubſidio implorat.

miſſa auxilia maturè tranſmitterent orauit. Cunctatione ſtrangulari agendorum opportunitatem, ſalutem ac ſecuritatem omnem in præuentione ſitam docens. Sed ante alios ad Galliæ Reginam Amitam ſcripſerat, vt mouentem ſe Sabaudium, à tergo adoriretur; & niſi ab armis diſceſſiſſet, exitium prouinciarum eius trans Alpes minaretur. Id verò ſtudioſiſſimè Sabaudius cauerat; & non præſenti magis quàm præterito edoctus munimenta præſidijs inſederat; & Duces populis dederat; aut ſecuritati aduerſus irrumpentes futuros, aut bellum diutius tracturos. Dictu mirum, tot Principum, tot nationum, tot amicorum quos Mantuanus ſubſidio aduocauerat, vnam mentem, eandem deſtinationem fuiſſe; concordia ſcilicet, non bello opus eſſe: faſſoſque honeſtiſſimis conditionibus pacem oblatam, amplectendam illi fuiſſe, qui vniuerſis iure poſſet diffidere. Tot amicorum graues expenſas, ſuorum diſcrimina, vetuſtam cum Sabaudio amicitiam, aut non profeſſum odium mereri Mantuani facilitatem: & commune malum, minimâ munificentiâ rectè redimi. Etiam qui auxilia mittere in animum induxerant, quietem prius laudare; quæ ſi cum honore exprimi ab hoſte non poſſet, tum ſe militem & pecuniam expedituros profeſſi ſunt. Præter Venetos (non vt Sabaudium infringerent, cui quod Italus Princeps eſſet æqui erant, ſed ne Mantuanus alienâ fiduciâ corrumperetur) nemo auxilio accurrit. Imo plus ex amicis damni, quàm ex Sabaudio Monferratum retuliſſe, eorum fide qui interfuerunt, ſuo tempore reddemus.

Mantuano præter Venetos nemo aſſiſtit.

Cæterùm cum Mantuanus conciret auxilia, & populos Monferrati Edicto paratos eſſe iuberet, Sabaudius grauiora diſpoſuerat, quibus in ſuam cauſam vteretur. Multa peditum, aliquot Equitum millia ſub ſignis numerabat; quibus ſtrenuiſſimos Duces, & longo belli vſu eruditos impoſuerat. Sed Inoyoſa non mutato tenore morum, & propoſiti peruicax, vt turgentes Principum animos amicitiâ componeret, vocatum Sabaudij oratorem placidè orauit, vt miſſis literis Dominum ſuũ abſtinere bello ſuaderet: Non adhuc adeo fractam negotiationẽ, & tantũ contumaciæ partes induiſſe, vt ſpes pacis prorſus langueret. Viuere adhuc conſilia, & quamquàm aſpernata, retinere tamen procurrentes in exitium ſui, mixtâ ſpei formidine. Paruit Orator; id ſolùm vitans, ne ea Dominus monita, à ſe oblata reputaret. Reſpondit Sabaudius, quò minus odium Inoyoſæ aduerſum ſe præſumeret, præteritis amicitiæ argumentis retineri. Poſſe nihilominus perniciem tranſmiſſi conſilij, fiduciam ſuam (licet conſtantiſſimam) quatere: vt depulsâ loco ſuo fide admittat ſuſpiciones mali animi. Cur enim prohiberi ſe ſecuritate & defenſione ſui, tum cum maximè Mantuanus ſubſidia conquirat, munimenta viſitatoribus augeat, noua ſuorum præſidia, noua exterorum auxilia ſolicitet? Scire, & (ſi proſpicere animus fuit) Inoyoſam didiciſſe; quibus lamentationibus Reginam Galliæ inquietauerit, Venetos, Etruſcum, ac Lotharingum, quibus precibus in ſubſidium conclamauerit. An minitantem inſultantemque, & contemptu ſui audentiorem, negligentiâ reſolutus, proſpectauſque patiatur? Modicas quidem Mantuano vires; ſed ſi quos aduocauit vniuerſi concurrant, iam non perfunctoriam rixam; ſed facto ac nomine verum bellum finibus Mediolanenſibus imminere. Non ſufficere Mantuano iniurias ſuas ac ſuorum, bellum inſuper moliri; Imo quod Europæ Hiſpano nomini iniquum, aut certè non amicum ſit concire. Ingentes motus rerum leuiſſimis olim cauſis conſecutos, ſatis docere, quid hæc poſſit turbatio parere: Sibi quidem certum eſſe, ab eo geminatis iniurijs nil caſu actum, qui parum validus, arma tantum & diſcrimen audeat. Omitteret proinde, cœpta, & tot Principes promiſſis exſolueret; aut ſe in hoſtico armatas legiones inducturum.

Inoyoſa queritur quod Sabaudius bellum apparet.

Hic Mantuanum accuſat

Cum prudentiâ diligentia fuit, eoq; creditum conſilium, nec in poſterum reprehenſum. Vertit itaque ad Mantuanum, in quem culpam recentis conſternationis

tionis conijceret. Literarum ille modus fuit: Nouis Sabaudij literis, nouas querelas excipere; quòd mediâ in tractatione pacis, potentiſſimi Principes in communia damna conuocentur; quod ſitu æuoq; delapſa munimenta reſtituantur, quòd miles frequentior præſidijs imponatur, quòd pagani ad arma vocētur, quod Duces quærantur, quod fines inſideantur; denique quod ſpecie manifeſti belli, ſilens abſtinenſq; prouocetur. Equidem nōdum proiectam negotiationem pacis, Diocæſarienſem Epiſcopum adhuc Vercellis eſſe; commercia curſoreſq; amicos vltrò citroq; commeare. Proinde abſtineret vmbris ac ſuſpicionibus, ſeſeq; ac ſua regiæ tutelæ crederet. Quantum enim exercituum, quantum armorum, aut numeratæ pecuniæ haberet; vt quamuis hoſtilitate opus foret; aut præſumere bellum in Sabaudium, aut propulſare illatum poſſit, ſe vi omni pacem quam iuſtâ lege Rex ſuus dixiſſet, curaturum; parenti amicum fidúmque, contumaci aduerſum futurum. Abſtineret interim per fines Mediolanenſes bello neceſſaria tranſmittere; quamuis enim proficere Sabaudium nolit, fidei incertitudine offendere aut turbare nec quidem velle. Tutum ſe Inoyoſæ promiſſis Mantuanus videns exiliiſſe gaudio dicitur; & refricantibus ex Sabaudio timorem comminatus, mentis inopes & ſecreti ignaros appellando. Deſtitit itaque oſtentatione qualiſcunq; paratus; & in ſummam quietem datus obtemperauit. Et licet comparatis hactenus non abſtinuerit, futuri tamen ſolicitudinem omnem excluſit. Qui tum Vercellis agebant, tamquam indubitatæ veritatis retulerunt; Viduam paternis blanditijs ſubfrigidè exceptam, domeſtico famulo ſeriem futuri; & cogitationes belli aperuiſſe, vt Mantuani per Monferratum, feſtinato nuncio admonerentur; poſſentq; repentinam incurſionem obiectis impedimentis ſuſtinere. Interpoſiturum ſcilicet arma ad primam famam Inoyoſam, & rem pacis proſecuturum. Id ſupra fidem omnem, & morum Sabaudij periti, & quibus prudentia facem præferebat, eſſe crediderunt. Vt enim ne belli quidem Ducibus, niſi occaſionum momento Sabaudius communicare conſilia ſueuerat; ſic Vidua ſemel Mantuâ expedita, cogitationem nuptiarum (quas auerſata potius fuerat, quàm concupiuerat) proiecerat, paternis placitis & cuicunq; fortunæ prorſus compoſita, tantò minus gnara arcanorum. Intemperantia ſuſpicacis ac prauè ſagacis miniſtri fuit, qui ſpeciem adpinxit futili mendacio, quaſi illa cupiuiſſet, ambiuiſſetq; cum certum ſit veterum illius famulorum conſultis non ſemel oppugnatam deſiderijs omnium liberum conſenſum abnuiſſe: & ſi quando Pontificem, Hiſpanum, Gallum, & Cæſarem ipſum auctores coniugij nominatos audiuerat, poteſtatem ſui prudentiæ paternæ (vt decebat) permiſiſſe; non aliud prolocutam quam ſe ſui iuris nec eſſe velle nec cupere.

Inoyoſa iubet Mantuanum paratis belli abſtinere.

Iam Mediolano Comes Guido Sangeorgius (longa ſermonum materia) ad Sabaudium reuerterat; aut morbo implicitus, quod dicebatur, aut ſimulatione morbi, vt ſuſpicaces rebantur, domi totos dies agens. Quod enim obſcuro noctis, & lecticâ vectus ad Inoyoſam deferretur, horrore ſæuæ hyemis vitato, dolum & artes interpretabantur. Porrò incertum, qua ſpe dimiſſus ſit, & in quas conditiones vtrique concordiæ conſenſerint: licet miſſæ Mediolano ad Mantuanum literæ continerent; fraudes eo ſecreto inuolutas, vt certius ferirent. Vitatum autem publicum congreſſum infamiæ metu: nec enim præſumptâ licet cauſæ iuſtitiâ virum nobilem apud exterum perduellionem agere debuiſſe; quod in Sabaudio rem ſuam proſequenti, virtus ac prudentia fuerat, in Sangeorgio flagitium dicebatur. Id vel verius credidit Mantuanus; vel damnabatur, quod ſolito ſibi more neglexiſſet; donec exequi perſuaſus eſt, ſatis intempeſtiuè, & magno ſuo malo.

Comes Guido Mediolano Taurinū redit.

Hoc ſtatu rerum, cum maximè Diocæſarienſis concordiæ pacta ſanciri, ſimul matrimonij leges finiri procuraret, Sabaudius eâdem inanium inculcatiōne laſſatus; quando ſatisfactionis viam non iniri, non formam, abolendæ

controuerſiæ proferri vidit; ne irriſus diſtractuſq; vanâ ſpe ſoporaretur, teſtatus ante dolorem ſuum; & pro ſe non ſtetiſſe quò minus amabili concordiâ, & condonaret iniurias, & viuis iuribus ſuis cederet, ad apertam vim conuertit; vt mitiſſimus audiendæ quietis, ſic acerrimus prouocationis vltor. Vel enim ſi præueniſſet apud ſe operæ pretium remanſurum: vel habito iam pignore proniorem Mantuanum in honeſtæ pacis conditiones futurum nouerat. Sed quia ne præſentibus quidem prætextus noui belli, aut iura diſceptantium Ducum ſatis proſpecta ſunt; poſſuntq; tempore & interpretationibus diuerſa tradentium corrumpi; vt cuique labores noſtros lecturo in promptu ſint, vtriuſque rationes præſcribere placuit, iudicio Iureconſultis permiſſo, ne Hiſtoriæ rationem excedamus: quamquàm nobiliſſimi Græcorum hanc maximè viam triuerint, Herodotus, Thucydides, Pauſanias, alij: vt cognitione rerum lectorum animi explerentur.

Sabaudius bellum infert Mantuano.

Sabaudij iura ſuper Monferrato.

Et quidem Sabaudius notiſſima præferebat: quòd primâ Maij milleſimi trecenteſimi triceſimi Theodorus Marchio Monferrati, Violantam filiam ſuam
1. Aimoni Sabaudiæ Comiti ſolenni ſtipulatione deſpondiſſet: cumque caritate filiæ, & in generi gratiam pleraque vtriſque fauorabilia conceſſiſſet, Violantam inſuper & filios quos ſuſcepiſſet, Monferrati Marchionatus hæredes decreuerit; ſi quando ipſe aut filij ſui, abſque legitimâ & naturali prole maſculâ deceſſiſſent. Id dotales tabulas continere; & bono iure ad ſe deuolutam dominationem defuncto poſtremo Bonifacio Marchione præſumebat. Margaritam enim Bonifacij ſororem tum ſuperſtitem, quæ Federico Marchioni Mantuæ enupſit, à Bonifacio fratre fuiſſe excluſam: Violantam tamen prolemque eius inſertam ſucceſſioni manſiſſe; vt quibus Theodorus Auus multò ante deficien-
2. tibus maribus ſuis ſubſtituiſſet. Accedebat non ſolùm præferendam fuiſſe Violantam Margaritæ, ſed magis Sabaudium marem è fæminâ: cum diſceptante Margaritâ ac Carolo, ipſe (quod maſculus eſſet) potiorem locum mereretur.
3. Nec minus iurium è Blanca Gulielmi Marchionis filiâ aſſerebat; quæ Carolo primo Sabaudio nupſerat. Hæc cum Carolum coniugem ſupremis tabulis hæredem inſtituiſſet, diem ſuum obierat; non feudalium ſolùm, ſed allodialium
4. quoque iurium dominio legato. Quæ antiquiſſima nouis quoque iuribus roborabat: Caroli enim quinti Imperatoris ſententiam; quam mali arbitri ac conſultores dictauerant, non vno nomine iniquitatis arguebat: quod ambiguis ſuſpectiſque verbis vſus, plus temporum conditioni, quàm iuri tribuiſſe videretur: quod Mantuano non ea ſolùm de quibus controuertebatur, ſed etiam ne requiſita quidem conceſſiſſet; quæque multos ante annos in alios poſſeſſores
5. abierant. Denique quòd cum tam ingentem prouinciam competitori ſuo adiudicaſſet, æris alieni rationem nullam habuerit: quod tamen ab hærede reproduci Diuino & humano iure debuerit. Quippe Blancæ Caroli primi Sabaudij coniugi Bonifacius Monferratenſis Marchio, è fratre nepti, octoginta ducatorum aureorum millia dotis nomine promiſerat: nec eam ſummam, aut vſuras in præſentem ſoluta; cum tamen onus illud in feudalia & allodialia tranſlatum foret. Id arbitros litis à Carolo Quinto impoſitos ante alia decernere debuiſſe: vt cum faciles ſe conceſſione præſtitiſſent, auaritiæ nomine
6. in reſtitutione alieni non accuſarentur. Poſtremò viceſimâ ſeptimâ Ianuarij milleſimi quadringenteſimi triceſimi quinti, Ioannem Iacobum Marchionem Monferrati, iuſtiſſimis cauſis Amadeo Sabaudiæ Duci, quanquam abſenti recipiente tamen Ludouico Principe filio, & Aquenſem ciuitatem, & quidquid oppidorum trans Tanarum Padúmque omnes, ſuæ tum iuriſdictionis eſſet, dono conceſſiſſe. Nec minus ſpecioſo titulo eadem die Ioannem Iacobum Marchionem ſuo ac poſterorum ſuorum nomine ab eodem Amadæo Sabaudio eaſdem prouin-

prouincias, in feudum nobile, antiquum, auitumq; accepiſſe; & eâ causâ fidem obſequiumq; ſacramento obſtrinxiſſe. Hinc extinctis maribus vniuerſis, qui in feudum illud vocabantur, deuolutam eam ad ſe prouinciam: nec potuiſſe Margaritam fœminam ſupremo Domino poſſeſſionem extorquere. Hæc præcipua iurium Sabaudiorum capita profetebantur; quibus non minus quàm nouis iniutijs, & opportunitate in prouincias vt rem ſuam arma cõuertit.

Mantuani iura ſuper Monſerrato. Sed Mantuani iura diuerſa erant: Et Federicus Dux cum Margaritâ coniuge contra nixi, apud Cæſares iura ſua ſuſtentauêre; vt ſiue deuolutâ in Imperatores prouinciâ, nouâ inueſtiturâ; ſiue coniugi ſibiq; debitâ (quod peruicerunt) latâ ſententiâ adiudicaretur. Dicebant veteribus tabulis Theodori in Aimonem Sabaudium conceſſionem continentibus, haud quaquàm fidem congruere; quòd non vnius Scribæ rogatu, non plurium teſtium obſignatione (qui ſeorſim aduocati fingantur) firmamentum habeant: eâ in re impoſturæ ſuſpicionem eſſe: quâ enim coniecturâ credi poſſit, Theodorum Marchionem poſſeſſæ inueſtituræ gnarum (qui & ipſe hæreditatem à fœminâ matre accepiſſet) aut cum maximè opus haberet, ignoraſſe? Vel poſtpoſitis filiabus neptibuſque, tantam in exterum potentiam transferre voluiſſe? Nec minorem a Cæſare difficultatem eſſe; quo neſcio & irrequiſito, in aperto ſit, nobiliſſimi feudi Marchionatus titulo inſigniti poſſeſſionem tranſmitti non potuiſſe. Pariter contra inſtituta gentium Theodorum factutum fuiſſe; ſi Neptes Abneptesque iure ſuo imminutas detruſiſſet; ortuq; ac ſanguine in eam fortunam genitas (vt alicui inducerentur) ſepoſuiſſe. Abſurdi quoque arguebant, quod Sabaudius in ſuam cauſam retulerat, excluſam non minus Margaritam quàm Violentam à ſuperſtite maſcula prole fuiſſe: eóque pari causâ ſe à fœminâ marem præferendum Mantuanos nempe Duces Federici ac Margaritæ filios. Quandoquidem aut ſemper fœminas hæreditate excludi; & tum pro Mantuanis Caroli Quinti inueſtituram, defuncto iam Bonifacio valere: ſuperſtite Patruo non conſentiente ſolùm, ſed & iubente petitam, & Cæſare tamquam rem ſuam concedente: vel marium defectu includi fœminas; & tum parum rationi conſonum credi, præferri debere Violentam multos ante annos excluſam, Margaritæ poſtremi Marchionis nepti; quæ vltimum maſculum regnantem, iure ſanguinis hæres immediata tetigerit. Cur non enim oporteat Bonifacio Neptim è fratre potiùs, quam longo ordine diſtantem ſuccedere? Denique Blancam Gulielmi Marchionis filiam, Caroli Primi Sabaudij coniugem fruſtra & irritè marito reliquiſſe, quod ſuum non eſſet; ipsâ omni Monferrato excluſâ; ob ſuperſtitem ſtirpem maſculam, quæ Violantam quoque eadem causâ expectatione deiecerat. Caroli Quinti ſententiam honeſtius rectiuſque interpretandam; nec detortis in prauum verbis, ad examen vocandam. Cæſares dictorum ſuorum bonos interpretes eſſe; qui ſuo in vigore ſententiam manere voluerunt. Imo & dotem Blancæ (donec facta ſolutio doceatur) Sabaudijs debitam continere. Neque referre quo fundamento, aut quibus bonis cautum debitæ pecuniæ foret, ſeu feudalibus, ſeu allodialibus; dummodo hæredes ſoluere teneantur. Allodialibus quidem Blancam publicis tabulis tenunciaſſe; nec proinde, ſi quando ſolutio deberetur, imaginarios fructus (qui ſupra ſortem adaucti retrahantur) eâ paulò poſt ereptâ numerandos. Feudalia legitimo hæredi integra deberi, quæ niſi conſentiente Cæſare poterant obligari. Porrò Ioannem Iacobum fruſtra prouinciam quâ poſteros ſuos exuebat, extero donaſſe; & ab eo qui acceperat, feudi titulo iterum receipiſſe, præſtito (vt aiunt) fidelitatis ſacramento: Nec enim nobiliſſimum feudum, neſcio Imperatore, nec ſuis Imperio iuribus reſeruatis, in alium transferri potuiſſe: directumque Cæſaris dominium, & auulſum ſupremæ maieſtati, licuit

in Cæſaris ſubditum rejicere. Manifeſtam quoque vim dicebant, quâ coactus Marchio Monferratenſis fuerit, calcato iure ſuo, libertati ac vexationi propriæ conſulere. Ad extremum ſcripturarum & infeudationum, antiquiſſima teſtimonia conferebant; quibus Mantuani probare nitebantur, Monferratum ex ſui natura & vetuſto inſtituto, feudum nobile, rectum, auitum, liberumque eſſe: & proinde non alienabile. Exempla verò quæ aduerſum afferuntur falſo niti. Nec quòd Marchionum aliqui diſtraxerint, iuri ſucceſſorum quidquam detrahi: non enim licenter acta, legem Cæſari facere, aut feudi naturam inſtitutionemq; eo non præſcribente mutare.

Sabaudij iura ſcripto complectitur Senator Taurinenſis.
Cui reſpōdet Comes Chieppius Mantuanus conſiliarius.
Iterum Antonius Faber pro Sabaudio.
Senator Mediolanenſis Cataneus pro Mantuano.

Ea partium iura cenſebantur; quæ vt partes longâ lite fatigauerant, ſic Sabaudium angebant; quòd tot annos diſputata; nec à ſecutis Cæſaribus reuocata ſententia, nec pro Mantuano confirmata forent. Sed tamen quia cauſam præferebat, cuius multi ignari erant, Senatorem Taurinenſem, virum doctrinâ ſpectatum compendij nomine complecti, & vulgare iuſſit. Huic ſtatim Comes Chieppius Mantuanus diſpunctiones addidit, controuerſæ diu rei ſtudioſus; & qui adminiſtrationi multos ante annos impoſitus (vt ſpecimen ſuffecturæ virtutis daret) quæcunque inſeri poterant cauſæ vtilia à Iuriſperitis corraſerat. Vniuerſa hic ſub auctorum nominibus transferre ſuperuacuum credidimus; quod nec vulgatorum exemplarium inopiâ laboretur; & paucos ante annos Antonius Faber eleuati vir ingenij, nec eloquentiæ rudis nobili volumine Sabaudij iura proſecutus eſt; Mantuani verò iuſſu, Cataneus Senator Mediolanenſis, impari (vt conſenſus obtinuit) opere reſponderit; licet illud Mantuani Senatus nomine, Mantuæ typo prodierit. Hæc vtcunque valida, rem omnem conficere non putarunt, ij quibus perſpecta ſingulorum iura erant; & veteres tabulæ probantes abnuenteſque. Quidam cœptâ diſputatione Mantuanum ſcripto reſpondiſſe compendio volunt: ſed nos confeſſione Ducis Comitiſq; Chieppij didicimus, ei illum moli manus non admouiſſe. Licet contineri impetus bullientis animi quorundam non potuerit; qui carminibus inter Aulicos ſparſis; poëticâ leuitate Sabaudij conatus ridere auſi ſunt, cum interim Sabaudius Mantuano totiq; prouinciæ lamentationum & querelarum vberem materiam, expugnatione oppidorum, cædibus, populationibus, incendijſq; offerret.

Sabaudij in numero militum deſerebendo prudentia.

Quamquam Sabaudius certam deſtinatis belloq; prudentiam attuliſſet; non pari tamen exercituum vi ſemper vſus eſt; ſed auxit imminuitq; copias, prout cupitis expedire crediderat: ferè moderatus, ne paganos hoſpitalitate frangeret. Proinde dum tenui re egit; & vexando carpendoq; Mantuano ſuffecturum militem ſub ſignis habuit; in Cæſarem obſequens, in Hiſpanum non iniurius, in Gallum reuerens fuit: ſiue connatâ modeſtiâ prouocare inimicitias potentiorum nollet; ſiue incertus quam in partem, audito bello forent inclinaturi: denique ſecurâ reconciliatione, quoties in concordiam Mantuani conſenſiſſet. Satis magno Principi fuerat tumultuum initio Principibus Europæ propulſandæ iniuriæ, & repetendo iuri ſuo ſuffecturas artes oſtendere; laſſatum ſequentibus expeditionibus militem hoſtili opulentia ſubleuare, & diuturniori bello confirmare; nec minus de ſui apud Mantuanum neglectu vindictam ſumere; quæ ſecutâ pace non elueretur. In hoſtem & iniurium iſta fieri iure gentium diſſerebat. Præcipere enim ſatisfactionem deſtinauerat; nōn ignarus aduerſus fas, Hiſpanos, Galloſque, quantumcunq; profectum illius, liuentibus oculis proſpectaturos; auctamq; Monferrati acceſſione potentiam, non Mediolano, non Galliæ extremis, plenâ ſecuritatem promiſſurā. Sed plus ſollicitudinis apud Hiſpanos fore; & vicinio Mediolani, & prætextibus proprijs; ne Iſabellam Hiſpani Regis ſororē, ipſe honore & opibus regijs æquare (quod illi promiſſum fuiſſe dicebatur) meditaretur. Non omittebat interim Sabaudius bonas dominādi artes; quas minores Principes vtiles apud poten-

potentiores, non ſemel experti ſunt) literas nempe, querelas, legatos, & (quæ rarò ſpernuntur) munera: vt ſi viribus inferior Mantuanus quæſtum oſtendiſſet; causâ & fauore præueniretur, primo iam auditui fide oppignoratâ. Adornabat hæc probationibus & argumentis, ne pretio venales emptos ſe crederent, ſed officium interpretarentur. Id erat nouiſſe conferre beneficium, & maiorem quæſtum retrahere, quàm ſi vſuræ miſſam pecuniam credidiſſet.

Qui apud Sabaudium recens Monferrati deſiderium crediderunt, ſiue iniuriam filiæ, ſiue neptis retentionem recuſarent, craſsâ ignoratione & præteritorum iniuriâ laborarunt. Indignationem quidem iniurijs prouocatam; quæque à Mantuanis dicto aut ſcripto vulgata ſunt, ſtimulos addidiſſe non negauerim; ſed Caroli Quinti ſententia altius animo hærebat, quàm vt dolorem aut inuidiam facti diſſimularet. Audiuerat Parentem queri de iniuſtitiâ ſolitum, prouinciamq; iuri regnandi, non honeſto datam; & recenti adhuc vulnere ingemuiſſe didicerat; quaſi cauſæ ſuccubuiſſet; ſolatiaq; amicorum auerſatum; qui arcanorum incallidi facilem decreti reuocationem promitterent: addidiſſeq; Cæſareas in ſimilibus controuerſijs ſententias, tardè & vix exprimi; vbi autem latæ ſint nullis euentibus retractari. Neque receptionem niſi turbatâ iterum Italiâ & potentioribus mutuis decertationibus diſtractis ſperandam. Id ipſum à Patruo Gulielmus Mantuæ Dux acceperat, eoq; pecuniam coegerat; vt inter breues turbas, aut ſeruaret depoſitum, aut poſſeſſionem continuatam erueret. Tranſmiſſa ab Emanuele in Carolum indignatio, & cupiditas repetendi quod è domo rebatur; quòd ad vtramque familiam ſuperſtitem lis hactenus tracta, excreuerit duratura. Certioris quoque ſpei aliquid ei affulſerat, contractis cum Catherinâ Hiſpani filiâ nuptijs; illum quippe gnarum offenſionis & cauſæ rebatur: Aut enim nudaturum tutelâ magni Regis Mantuanum, aut fautorem cauſæ habirurum; ſiue in totum reſtitueretur; ſiue diſcordiam honeſtis condirionibus finiuiſſet. Hæc Principi Gallici ſanguinis potiſſima coniugij cauſa credita; ſi enim dos pecuniâ æſtimanda fuiſſet; nemo Europæ Principum honeſtius locare filias credidiſſet. Vno ac eodem neceſſitudinis vinculo, & Gallos & Hiſpanos retinere ſperauerat; ne in pace cauſam ſuam apud Cæſarem mergerent; aut ſe turbatis rebus opprimerent.

Sabaudius nuptiis cum filia Regis Hiſpani ſpē aliquam recuperandi Monferrati conceperat.

Ea cogitatio & tempori & perſonæ congrua, haud quaquam Gulielmum Ducem Mantuanum fefellit, Principem populorum ac domus ſuæ curæ natum, & nullo non tempore ſolicitudinibus intentum. Eadem per liretas plerique Hiſpanæ Aulæ magnates monuiſſe feruntur ſiue Gulielmi caritate, quam ille munificentiâ parauerat, ſiue Sabaudij inuidiâ; quem nondum ſua magnitudo affectui, & reuerentiæ vniuerſorum expoſuerat. Exploratores quoque annuis cenſibus corrupti, & miniſtri, multo auro ſecreta Aulæ rimati docuerant, non aliam totius Curiæ ſermonis materiam eſſe; & actum de Monferrati poſſeſſione, ſi tractationem nuptiarum, tempeſtiuus exitus clauſiſſet. Multus in erogationes cum exploratoribus Gulielmus erat, dicere ſolitus, non aliud validius ſuſtentandæ dignitatis inſtrumentum eſſe. Videre lireras in Mantuano Archiuo nobis contigit, ab Hiſpano nobili miſſas; quibus nondum profecto in Hiſpaniam Sabaudio matrimonij causâ, monebat ſecuturas nuptias; quibuſque conditionibus firmarentur: Et haud dubiè Monferrati partem pretium negotiationi facturum. Nec enim aduerſus Generi preces, vbi ius quæreretur, clauſum obfirmatumq; ſocerum fururum. Inter cætera quæ à Comite Chieppio & Petrozanno labori noſtro opitulatura habuimus, Siluij Calendæ Gulielmi à ſecretis ſcripturam vidimus; miſſas ab Hiſpania ſuſpiciones roborantem: ea talis erat. Didiciſti, Dux Sereniſſime, quo in diſcrimine res Monferrati, famâ Hiſpani coniugij, ſitas credamus. Siue enim priuatorum literæ in examen vocentur, ſiue ſecretariorum tuorum

Id ſubodoratur Gulielmus Mantuanus.

Exploratorum relatu.

Et Silij Calendæ conſilio.

cæteris componantur, certum eſt, non aliud ambire nouum ſponſum, quàm Soceri omnem caritatem; quæ cum exteros omnes, tum Mantuanos in primis Duces excludat. Neque arduum probatu credo præceſſores tuos, maiori Gallos quàm Hiſpanos amore complexos fuiſſe; ſiue Franciſci Aui tui res geſtas; ſiue maiorum, & Ioannis Franciſci primi Marchionis præcipuè æſtimentur. Dotem in pecuniâ Sabaudio dici, non ignarus arcanorum audio, à Rege vnici filij parente; & plura Imperio complexi, quàm vt filias perſunctoriè deſpondeat. Quam metuo ne Monſerratum Soceri conniuentiâ, cupiditati Generi oſtenſum ſit; cupiantq́; Hiſpani Gallum Principem, dicendæ regiæ filiæ doti ſuccedere. Id vt caueas oro; nec enim dubium eſt, plura conuentionum hoc matrimonio ſileri, quàm dotalitijs tabulis vulgari. Prudentem virum fuiſſe Calendram, non Gulielmi ſolùm & Vincentij Ducum, ſed & totius Patriæ teſtimonia fatentur. Et quidem apud Hiſpanos Gulielmus pro Gallo habebatur; & fidem opinioni Ludouicus illius frater fecerat, in Gallias illud ad ſeruitium profectus. Credi ab anxio Rege quæ acceperat poterant. Itaque à Gulielmo miſſus in Hiſpanias cum literis orator, quarum ea ſententia fuit: Non magis Imperatorem & Hiſpanum Regem ſcire quâ humanitate ac iuſtitiâ Monſerratum Gonzagis Mantuæ Ducibus adiudicatum ſit, quàm ſe gratâ recordatione recolere; exactis primò tota prouincia Gallis; mox ab Hiſpanis poſſeſſione tenentibus, permiſsâ. Vtq́; impoſitis ſecura dominario eſſet, ingentis diſceptationis controuerſiâ compoſitâ. Id licet bono iure decretum fuiſſe non abnuat, vt tamen beneficij magnitudinem gratitudinemq́; intendat, in eo ipſo gratiam fauoremq́; admittere; quod feudo ante ſententiam conceſſerit, mox viſis iuribus, debitam adiudicauerit. Caroli V. Cæſaris id donum; ne in magni quidem Imperatoris filio abolitam apud ſe ac ſuos gratiæ memoriam velle. Vtq́; ipſe inuito tanto Rege, non Monſerratenſi non Mantuæ poſſeſſioni ex integro fidat; ſic ſi diuini parentis ſui decreta rata voluiſſet, nutu repreſſurum nouatores inſidiatoreſque. Carolum Sabaudium Regijs nuptijs (quas ipſe cæteroquin fœlices cupiat) immodicè elatum, arcanas cogitationes non continere; ſed & cupere, & minitari; vt non Mediolanum ſolùm, ſed Mantuam quoque Monſerrati diſcrimina ſint delata. Nullas quidem ſuas in Sabaudium iniurias agnoſcere, ſed inſuper quod obſequio ſemper coluerit gnarum eſſe; eoq́; non credere ſanctiſſimum Regem alienis ſpolijs recentes filiæ nuptias inſignire velle. optimâ fide Cæſareæ ſententiæ Federicum parentem obtemperaſſe; & (ſi per iuſtitiam licuiſſet) excluſam, ſpem ac curam omiſſurum fuiſſe. Neque enim in magno Cæſare irritè aut flagitioſè errorem vnquam præſumpturum. Cupere & orate, ne immeritum & vicinum Principem Generi dolo ac turbis obijceret; recti animi argumenta maiora apud filium non inuenturum. Eas literas Calendra intimus ſecretorum dictauerat, quarum nos hoc loco exemplar latinè fecimus.

Hiſpanus Sabaudium conſilio retinet.

Nouerat forſan Rex non vmbras, aut inanes metus eſſe quos Gulielmus deprecabatur; ſed cum eadem à dominicis adminiſtris accepiſſe diceretur, Sabaudium per internuncium admonuiſſe fertur, ne calore nuptiarum Monſerratum ſibi deſtinaret; aut oſtentatâ Soceri potentiâ, ſe populorum inuidiæ exponeret. Eſſe illi Cæſarem vtrinque conſanguinitate nexum; qui nullo in diſceptantes affectu corruptus vera à falſis ſit diiudicaturus. Et quidem non potentiori ſolùm, ſed cui ſuperi rerum arbitrium permiſiſſent, parendum eſſe. Honeſto quàm ſanguini apud ſe potiorem locum fore. Qui pro Gulielmo apud Aulam erant, indefeſsè cauſam illius fouebant, metuſq́; Regi exponebant; quibus faſtiditis, vt ſe lamentationibus expediret, Duci Terrænouæ tum Mediolani Gubernatori, ac Sancio de Padiliâ Regiæ Arcis præfecto imperauit, vt ſecuritatem omnem Gulielmo ſponderent; perſuaderentq́; ne nuptias in cuiuſquam perniciem celebratas

Et Gubernatori Mediolanenſi ſecuritatē Mantuani commendat.

bratas arbitraretur. Vtraſque literas Mantuæ vidimus; quarum extremo conſilium addebatur; ne ſe hoſtium Hiſpani nominis familiaritate ſuſpectum potentiori redderet.

Dux quidem Terrænouæ Gonzagæ domui amicus arctius incubuerat, Regiſq; promiſſo fidem ſuam obſtrinxerat. Eas Gulielmus ſecuritatis teſtes exſcriptas Romam, Venetias, Mediolanum miſit: tum primum reſpiraſſe inter ſuſpiciones creditus; & Monferratum ſecuræ poſſeſſionis iudicaſſe. Siluit tum Sabaudius, quamquam Regijs nuptijs acceſſionem patrocinij bono iure præſumpſiſſet: cum Hiſpanæ nobilitatis non egeret: vt qui Cæſaribus & Regibus ad faſtidium conſanguinitatibus iungeretur. Nec tamen excluſit futuri ſpem omnem, iurium ſuorum opinione, & modeſtiæ. Simul natis è filiâ nepotibus caritatem naturæ apud Auum aliquid molituram rebatur. Nutriebantur hæc obſequio; & aſſentatione potentiorum, quos Regiæ filiæ amor, aut dona Sabaudij fautores cauſæ inuenerant; vt apud Regem aſſidui Sabaudiam prolem, res ſuas, ſuſtentarent. Ea certè munerum magnitudo fuit; vt aurum, gemmas, aulæa æſtimantes, per iocum fateri non erubuerint, plus Sabaudium ſponſum donaſſe, quàm accepiſſe. Sed ſi altiora noſtris deſtinatis repetitero præfari liceat, me non lectoris patientiam exercere, aut voluminis magnitudinem ſpectare; ſed ea quæ tum abolita videbantur, in præſentem ſcenam miſeriarum retrahere; vt compoſita præterita præſentibus, querelas Sabaudij ſuis euentibus adaptem.

Annus quippe milleſimus quingenteſimus nonageſimus octauus illum acriter ſauciauit; recentiq; vulnere vita illius cicatrix adhuc, diducta eſt. Nam ſpe rerum ingentium in eam diem ſuſtentatus, tum primùm excidit; & veteri iniuriæ nouas accumulans cauſas, indoluit. Iſabellæ coniugis ſuæ ſorori (quam Alberto Archiduci Auſtrio collocatam nouerat) Belgium in dotem ceſſiſſe, magnum imperium, propriâ tantùm cauſâ ægrè tulerat. Sibi enim alterius filiæ marito nil obueniſſe quod potentiam intenderet, Mediolanumq; vt rem hactenus inauditam ſileri. Excludi ſe ſpe promiſſorum; nec recuperandis quæ iniuriâ amiſiſſet operam aut fauorem impendi querebatur. Non iuris, non modeſtiæ, non ſanguinis rationem habitam; etiam lamentationes in vanum iactas cum neglectu recipi. Fruſtra certè à Mantuano vim ſuam (quam nondum intuliſſet) accuſari, à quâ ipſe Parenſq; abſtinuerint; vt alienæ gratiæ munus experirentur: cum nihilominus ludibrio temperantia haberetur, videretur modeſtia. Toleraſſe quidem Patrem, quòd habitâ in compedibus dominatione, Hiſpani Aſtium & Saniagum, Galli Pinarolum & Sauilianum retinerent; erga vtroſque fidei pignus: ne cui decertantium vnquam ſuo periculo famularetur. Se verò olim ætate; mox ne Rex amicus, demum Socer offenderetur quieuiſſe. Ciuitates porrò Regum ſuorum imperio impoſitos ſtatim reddidiſſe. Sed Ludouicum Niuers Ducem Gonzagi ſanguinis, & antiqui odij retinentem, ſopitas offenſiones ſuſcitaſſe; quòd excedere Pinarolo & Sauiliano, vix Regio imperiò voluerit: quodque dum vltrò citroq; Curſores permeant, ad Pariſienſe Parlamentum conſilia cauſaſq; retinendi mittere auſus ſit; & profiteri eâ ceſſione, ſpes Italiæ apud Gallos emori. Infringere Sabaudiorum Ducum potentiam eâ imminutione cogitaſſe, licet Galliæ amor prætenderetur. Recolere animo Regem debuiſſe, nobilem Pedemontis partem Salutium haud procul Taurino, apud Gallos eſſe: Inſtare ceruicibus, & veluti propinquitate minitari; tutos Carmagnolæ præſidio, in quod ſecurum receptum habeant. Ea ſaltem acceſſione proficere Genero debuiſſe; & collato beneficio, potiorem vtilitatem ſibi recipere. Mediolanũ in eodem verſari diſcrimine, quoties Galli tam nobili munimento vſi Italiam cogitaſſent; ab ijs ſemper vbi ciuilia bella deſierint, experitam. His alijſq; Rex fatigatus (quando vera objiciebantur, conditio temporum, ſciſſa in partes Gallia inuitarent; & ſecretæ ſubinde minæ

Sabaudius olim queſtus de Hiſpanis.

Digitized by Google

Gallorum exciperentur) audentem Sabaudium,generoſumq; conatum eius non retinuit; niſi forſan ambigenti ſtimulos ad agendum ſubdidit. Monſerratum excepiſſe dicebatur; cuius ſecuritati ante,& Gulielmo & Vincentio Mantuanis Ducibus cauerat.

Marchionatus Salutij Alpium accliuia, longo quinquaginta ferè oppidorum tractu ſeruat. Vetuſtam nec incolis validam ciuitatem habet; ſed inſuperabilem munimentis arcem Carmaniolam continet; apparatu bellico, qualis magnis regibus congruit inſtructam; vt ſi quando Italiæ deſiderio Galli æſtuaſſent, & tormenta & arma ad vſum depoſita inde reſumerent. Bellagardam accipio tùm prouinciam Regis iuſſu tenuiſſe. Hunc Sabaudius auro aggreſſus ſtatim domuit; receptoq; Marchionatu ſua præſidia impoſuit. Quæ Sabaudium cauſa detrahere viſceribus ſuis toties infenſum hoſtem, & inſignem ditionis ſuæ partem recipere compulit, Bellagardam quoque ad irreuerentiam ſacramenti adegit: quod inteſtinis ſeditionibus Gallia nutaret; nec in quem Regem flecteret appareret. Diſpendioſam Sabaudio acceſſionem fuiſſe docuit euentus; & plerique ante rem memorant,quemcunque in Regem aſſumptum eam iniuriam vltum iturum fuiſſe. Sed Sabaudius magnitudini ſuæ fidens,etiam Galliæ extrema tentare non dubitauit, bello ſtrenuus, & animi excelſus. Vbi res ac potentia in Henricum Quartum,magnum nomine ac factis Regem ceſſit, ante alia Salutij cura incidit. Bellatum acriter inter potentes Principes; & ſi eas præſidio Generi opes Hiſpani contuliſſent, quas promiſerant, ſpecioſo ſpectaculo, illinc Regem Gallum, hinc Ducem Sabaudium, par ſtrenuiſſimum præliatorum certamini fortuna commiſiſſet. Cæterùm bello ac negotiationibus, Salutium apud Sabaudium remanſit; Clementeq; VIII. Romano Pontifice, per literas ac legatos obteſtante admonenteque, ne diutius belli malis ſeq; ac ſuos affligaret (iam enim partem Sabaudiæ Henricus Rex bello cœperat; nec dimiſſurum ſe ſacramento affirmauerat, niſi paria Salutio, etiam vberiora vicinio Galliæ accepiſſet) pax in eas leges ſancita eſt, vt Breſſa prouincia, fœcunditate agri, ac populorum numero Salutio non inferior,Gallis (quorum limitibus prætendebatur) accederet. Deprehendiſſe Henricum Hiſpanas artes, ab amico teſte didicimus; & verſo in eam rem ſermone addidiſſe, Noluiſſe Hiſpanum Gallum vicinum experiri; eâ ſe tamen facilitate eſſe; vt ſi reliquum Imperij ſui, eadem æſtimatione voluiſſet, promptè foret conceſſurus. Hiſpano nomini parum æqui crediderant, conſilio Gentis Breſſam incomparabili damno Gallis conceſſam, vt Salutium auelleretur: ne qua ſede Galli cis Alpes tuti,Mediolanenſem Ducatum,Regnumve Neapolitanum (quibus veteri iure adſpirant) aggrederentur: eoq; alieno damno rebus ſuis conſuluiſſe: ſimul cognitâ Sabaudij magnitudine, quamquàm longè diſtantis vires augerent; vicini, læſi, & nonnunquàm minitantis fortunam attenuare voluiſſe. Quamquàm prudentiores, nec in hos illoſve proniores faterentur,Gallos in Italiam properantes; nullis Pedemontanæ armis poſſe retineri: ſiue populorum caritas ac vicinium perſuaſiſſent,ſiue oppidorum aliquot poſſeſſio daret animos. Regi tamen Gallo Breſſam,maximè loco Salutij placuiſſe conſtat: ne per Sabaudiæ fines hoſtiles copiæ in Belgium (quod Henricus haud dubiè animo verſabat) traducerentur.

Haudquaquàm poſt Breſſam Sabaudiæ auulſam Dux pari lætitiâ agere videbatur; ſed memoria damni prudentis Principis hilaritatem mœrore confudiſſe. Suberat cogitatio (vt ferebant) nunquam voto Hiſpanos reſpondiſſe, & iam tot annos,apud non verum Dominum Monferratum ſummâ in pace durare. Immotum Cæſarem cauſæ non accedere; nec Socerum fauore accurrere. Neque tamen deſponderat animos, tempore,curâ, & occaſione,quod honeſtè requireret poſſe reſumi. Mali quoque ſerui,& Domino niſi ad ſatietatem prodigo tanquam

inimico

Mantuanus Taurino per litteras monetur Sabaudiū de Monferrato ſeriò cogitare.

inimico infenſi, quæ Taurini audiuerant, in maius aucta Mantuam tranſmittebant. Alij auctorem Sabaudium (referebant) apud Hiſpanos, vt Monferrati vice Cremonam Mantuano permitterent; eaq; mutatione nonnulla in filiæ gratiam & demulcendis iuribus ſuis largirentur. Quoties nouos fines,commutationeſq; proponeret,meditationes arcanas ſubeſſe,& latere conſilia innumerabilibus difficultatibus implicata. Hæc Mantuanus potius vt erant,quam dicebantur interpretatus, prouiſu paratuque, nec credidiſſe ſe indicibus; nec pro falſis (quæ non probarentur) ſe accepiſſe oſtenderat. Aliquot annos nouis expeditionibus diſtractus Sabaudius, ſecuritatem Mantuano feciſſe videbatur; donec expletâ externâ militiâ,animum veteri prætextui applicuit. Nullæ adhuc generoſum animum ſtimulauerant: Cauſâ tantùm Mantuanus obſtiterat, eoq; vis aperta illata non fuerat: & donec inexorabilem ſe Mantuanus pactis præſtitit; donec auerſus concordiam ſuadentibus fuit, ſatis habuit Sabaudius, quod non ipſe poſſideret æmulo turbare ac corrumpere. Metu enim incuſſo prouinciam,& Ducales reditus conſumebat:quoties quinquaginta Equitibus comitatus, in venationem procedebat; aut prouinciales ſuos ad cenſum vocabat,Mantuanus pro finibus delectos ſtatuere, vicina ſuſpecto oppida præſidijs firmare, trepidare ad omnem Sabaudij motum cogebatur. In has curas Anani prouinciæ reditus pendebantur; fatigabantur ſubditi,quies excutiebatur.

Simulauerant ſe quidem hactenus Mantuani,non formidine,non expenſâ anxios, & dummodo prouinciam retinerent, etiam Mantuanos reditus libenter impendere: ſed nec idem animus, nec vires eædem diu durare poterant; quin Cæſaris & Hiſpani Aulam acerrimis querelis inquietarent: præſentibus ſemper vetera iungentes,vt cum fide lamentatio acciperetur. Vincentius enim ad vitam amœnam,& ſeucrioribus regnandi conſultoribus reprobatam natus, dederat ad Hiſpanum nouas literas, eo ſenſu: Fidem ſuam aut regio experimento indicatam; aut obſeruatum cuſtoditumq; ſe, non vno argumento approbaſſe. Non Monferratum ſolùm, ſed Mantuanum Ducatum quoque, pignus recti animi obtuliſſe; ne qua pars ſua,immunis obligatione eſſet. Non aliud in ſuâ manu fuiſſe quod obſtringeret; ne quotidie ſuſpicionibus laceraretur, premereturque. Modicam ſibi à Patre pecuniam relictam,adminiſtris regijs conceſſiſſe; daturum arces ciuitateſq; ſi regiam tantùm voluntatem, non etiam miniſtrorum arbitrium agnouiſſet. Erubeſcere nihilominus iterum de domo queri,& eum de vi poſtulare,quem regius ſanguis ante alia venerandum Europæ reddat. Sed Cæſarem Turcico bello præpeditum & grauiora proſpectantem interpellare noluiſſe. Eò honeſtiorem querelam ſuam cauſamq; fore,quod Parentem appellauiſſet. Odioſum denuò geminatis moleſtijs Monferratum objicere, eaſdem Sabaudij iniurias,minaſq; deprecari. Vetuſtiora præſentibus fidem facere: ſe quidem tum primùm didiciſſe, ſuperſtite adhuc Gulielmo Patre Annibalem Grappellam Trino præpoſitum, multo auro ad defectionem à Sabaudio ſolicitatum; vt calcatâ religione ſacramenti,nobile oppidum arbitrio promitteret: ſed illum generoſo obſequiò commendatum, & flagitium auerſatum, turpiſſimæ proditionis pretium remiſiſſe; mox Parentem certiorem feciſſe, vt vigilantior in prouinciæ curam intenderet. In ea tempora Sabaudij artes incidiſſe,quibus eruditus Pater fuerat, & conatus inimici eludere,& populorum fidem prouocare; culpis ſuorum ignoſcendo,& in benè meritos certiſſima beneficia conferendo. Has domi artes Paternas fuiſſe; cum nihilominus Hiſpanum Regem ſummam ſecuritatis crederet. Quod Auus Paterq; ſupplices,id ſe iterum rectam mentem afferentem orare; ne Sabaudium Generum,amici & obſequentis Principis iniuriâ creſcere vellet. Michaël Albæ Epiſcopus ad Regem queſtus detulerat; hæc aliaq; objiciens; vt anxia ſeruitus Domum gratiam obligaret.

Vincentius Mantuanus cum Hiſpano de Sabaudio queritur per litteras.

Ad hæc Rex breuibus, ſed quibus maieſtas ac pondus inerat, fertur reſpondiſſe: Retentus Sabaudij impetus, ne impatientiâ longæ litis (quod ſtatim poterat) finem iuribus ſuis ſtatim imponeret. Nos quidem querelarum cauſas niſi alieno relatu didicimus; Archiui tamen Mantuani ductu cognouimus Grappellam quemdam per ea tempora pecuniâ à Gulielmo donatum, anguſtas res ſuas ſubleuaſſe; & ſeruatæ Principi ſuo fidei Mantuæ commendatum. Decreto non facti Hiſtoria ſolùm, ſed & ratio ſubeſt; ipſamet verba inſero: vt nouerint populi Monferrati, plus præmij fideles noſtros à nobis expectare poſſe, quàm pro perfidiâ apud hoſtes eſſent reperturi: Additâ fidei gloriâ, quæ illos apud omnes ornabit.

Annibal Grappella ob fidem donatus à Gulielmo Mantuano.

Erat Calandra à ſecretis, vt obſignatio teſtatur. Vtcunque ea ſe res habuit; cum varios congeſtæ pecuniæ vſus Gulielmus præſumeret; retinendæ ſubditorum fidei, non aliam potentiorem dicebat. Supererat Cæſar quem oraret admoneretque. eò Carolum Gonzagam è Mantuæ Marchionibus, ſummæ virtutis Principem, digniſſimum auguſtioris fortunæ miſit. Non alia quàm apud Hiſpanum querela fuit; nec diſpar reſponſum. Iuſſus quippe dicitur Sabaudius comminationibus abſtinere; & iura ſua apud Aulam cœptâ lite experiri. Non defuturum illi ſecundum fas & æquum iuſtitiam; nec vllum gratiæ locum, potiorem honeſto apud ſe formidandum.

Etiam cum Imperatore miſſo Carolo Gonzagâ.

Sabaudius tot querelis concuſſus, licet conſtantiam certumq; eiuſdem tenoris animum retineret, vim diſtulit, vt cauſæ finem modeſtiâ vrgeret. Non ita tamen mala ſua preſſit; vt quibus obſtantibus res ſuas recuperaſſet, obliuiſceretur. Nudare Hiſpana protectione Mantuanum, & querulo vices reddere nixus eſt, qui diſtrahi famam ſuam auctore illo didicerat. Et quidem Iulius Cornutus Genuenſis, infimæ ſortis miles; & Mantuano ardente Pannonico bello famulator, cum Taurini ageret, res ſuas nobili mendacio efferre meditatus eſt; deditq; ad Mantuanum literas feſtis Redemptoris Natalibus, alterum ante exitum Vincentij menſem, in hæc verba: Sabaudius non tranſigi pacta permutationis impatienter queritur; vtque Celſitudinis tuæ cauſam apud Hiſpanos deterat, fraudes ſuas in illos fateri non erubuit; vt delato cogitationum ſocio, ipſe Iudex abſolueretur. Accuſatio fuit, quòd Galli Regis, longâ per Italiam, Gallias, & Germaniam peregrinatione gratiam quæſiuiſſes; quod pleroſque Principum illexiſſes, ſpes ſuas & priuatam operam addituros; quoties Gallus Rex armatum ſe Italiæ obtuliſſet. Tuo ſuaſu Belgas ad conſtantiam, & concordiam animatos: & ſemper Auſtriacæ domui infenſos Venetos, Etruſcum, Eſtenſem. Nec Romano Pontifice abſtinuiſſe, quem Senenſi origine obnoxium Gallis credideris. Eâ cauſâ Neapolim proceſſiſſe, vt conſilia cum proceribus communicares. Idem Romæ cum Vrſinis, Sfortia, cæteriſq; Hiſpano nomini alienis tentauiſſe. Germanicam peregrinationem tuam, prætextu valetudinis, & ſalutarium Spadenſium aquarum fuiſſe; vt prauas deliberationes Mauritio Naſſouio, Duci Virtembergenſi, Comiti Palatino obtruderes. Denique feſtinatam Galli Regis expeditionem; vt Italia non vno latere quateretur. Conſultores, & belli futuri ſeriem preſſiſſe. Querelam ſatis probabili colore adornari, quod ab Aldigherio Marcieu Curſorem miſſum cum literis acceperis; quibus non exigua ditionis Mediolanenſis pars tibi promittebatur, ſi leui comitatu, annonâ ac armorum apparatu, tranſgreſſas iam Alpes copias adiuuiſſes. Hæc te ignorare meum obſequium non ſinit. Vale.

Iulius Cornutus Mantuanus deceſſit Sabaudium ad Hiſpanum querelas miſiſſe.

Hominis literæ indormientem iam præteritis Vincentium excitarunt, vt ſui excuſationem aggrederetur. Quamquàm enim falſo Sabaudium delatorem accuſauerat, veri tamen ſpeciem res habebat: neque enim aut Curſorem Marcieu, aut promiſſa Aldigherij abnuere poterat. Inſtabant miniſtri vt documento fidei tractationem ac literas ad Comitem Fuentes deferret. Nam ſi ea alieno

relatu

relatu didiciſſet,honeſtæ & inculpatæ ſuſpicioni locus apud Hiſpanos aperiebatur; ſimilium defenſiones quamquam honeſtiſſimas vix audiri; tantò minus obliterari radicatam iam & altè receptam ſuſpicionem. Sed generoſo Principe indignum Vincentius credidit, aliena conſilia quibus non acceſſiſſet,aperire. Impleri officium quoties communione hoſtium abſtinuiſſet ratus; nec ideo ſe Hiſpanos læſurum, quod à Gallis nonnulla ſibi ſub fide credita tacuiſſet. Quæ tamen ſecuta ſunt tempora, magno rerum ſuarum periculo, eo temperamento vſum Vincentium docuère. Cum enim apud Comitem Beneuentanum, ac Conteſtabilem Mediolani Gubernatorem id præcipuè obijceretur, quòd ſiluiſſet, vt incautiores Hiſpani circumuenirentur; conſiliarium domeſticum cum literis ab Aldigherio miſſis receptiſq; Genuam proficiſci voluit; vt crimen obiectum & creditum dilueret, innocentiamq; oſtentaret. Eo maximè conſilio Gallorum non acceſſiſſe probabat, quod multos ante menſes Rex Belgium,& Italiam bello deſtinaſſet,quam Vincentius in auxilium aduocatus foret. Alios verò Principes ſtatim requiſitos debitoq; conſenſu bellum apparaſſe. Teſtabatur itaque Mantuanus,cà ſe vilitate non eſſe,vt cæterorum acceſſio non haberetur: Non minus ſibi virium, & amicitiarum, quàm primo loco adſcitis,ſi nauandum decreuiſſet, eſſe. Quod ſi vetus ſibi negotiatio, & conſcientia clandeſtini belli fuiſſet, nouis literis quibus inuitaretur opus non fuiſſe.Nullas Hiſpanorum iniurias occurrere, quas vltum iret, nullas minas quas caueret. Imo ſtudia ſua maximè quieti compoſita æſtimanti manifeſtum futurum, vſurpatum ſibi votiſq; petitum otium pace contineri debuiſſe. Certum eſt quocunque auctore ſuſpiciones Hiſpani admiſerint,magnâ Vincentium moleſtiâ confeciſſe; & arduum negotium feciſſe,vt ſeſe excuſaret. Oſtendère Hiſpani ſe credere,licet reuerà diffiderent; & non probatam ſeditionem,ſimulatione excipiendam rati, intentioribus oculis in Principem filium conuertère; vt ſi quid paterni conſilij prætuliſſet,ex eo de patre coniectarentur.

Mantuani miniſtri. Duci conſulunt excuſationē ex vſu eſſe.

Et ille perſuadere conatur Hiſpanis ſuam innocētiam.

Ducis interim familiares hortabantur Vincentium vt exturbatis ambiguis totus in Hiſpani cultum inclinaret. Nec Cardinalis filij fortunam Gallorum æſtimatione cogitaret: inconcuſſas res ſuas ac ſuorum fore, ſi ſtabilis in Magni Regis obſequio manſiſſet. Imminutam Sabaudij poteſtiam ademptâ Breſsâ, non temnendam illi manum Nobilium ad Geneuam amiſſam, Gallorum in Sabaudium proſpera Ducis exiſtimationem ſugillaſſe. Parte aliâ qui ita Hiſpanos nouerant,vt Gallorum non obliuiſcerentur, docebant; quantum Breſſæ iacturâ Sabaudius excidiſſet,tantum illi roboris Salutium vicinio,ac munimento contuliſſe. Plures Sabaudio Nobiles ſuppetere,quam in Monferrato plebeios numerari. Imparem quidem cum Gallo pugnam,rem tamen omnem Duci prorſus ingloriè non tranſactam. Nihil foris illi,nihil intus metuendum occurrere. Deprecandas ſibi opportunitates, nec nimium conſanguinitati fidendum. Quoties Gallus voluiſſet diſtrahere Sabaudium bello,aut officio poſſe retinere. Scire illi & vires eſſe,& pectus exiliens ad pericula,fortiq; conſilio potius quàm ſpecioſo accedere. Nec medij defuère, qui inter Hiſpanos & Gallos abſtinere profeſſione ſuaderent; laudarentq; cum Sabaudio amicitiam, & præmiſſo matrimonio honeſtas conditiones duraturæ in longum pacis præferrent. Aut eo nexu plus fiduciæ in Sabaudio; aut ſi quid contra pacta turbaſſet, plus ignominiæ contracturum. Quod vitæ poſtmodum Vincentio fuit,contractis nuptijs ſecurius egit:ſiue Franciſcus Princeps Gener officio Sabaudium detineret; ſiue promiſſa à Vincentio finium æquatiq; iras illius molliuiſſet.

Vincentius Mantuanus conſilijs ſuorum diſtrahitur.

Qui tamen cauſas & arcana ſcrutabantur, toleratum diu deſiderium vix impoſterum rebantur; quando non alia opportunitas,centeſimum iam poſt annum affulſiſſet, honeſtius & facilius ſua repetendi. Et quidem ſtatim agnouiſſe occa-

ſionem, & procurrentem ſinu excepiſſe certum eſt; quæq; iudicio peragi oportuerat, cum ratione diſpoſuiſſe: ſed eo deceptum, quod aduerſaturos conatibus ſuis Hiſpanos non credidiſſet, aut neglexiſſet. Cætera vt ageret maturaretq; conſulebant. Hauſtæ apud Mantuanos, quas Gulielmus opes reliquerat; vis auri ingens à Vincentio profligata, æs alienum grande conflatum; Tributis, Collationibus, Venditionibus, Nobiles, Ciues, ruſticos Monferratenſes imminutos; Filij non niſi tamquàm duraturæ in perpetuum paci educati; amicitiæ vtilitate æſtimatæ, eoq; pauciores; Ferdinandus nouus Dux pangendis carminibus operatus, belli ignarus, audenſq;, eoq; dolo expoſitus; Galli intus conuulſi, & ciuilibus ſeditionibus lacerati; minuſq; capeſcendis externis armis validi; Cæſar valetudine ac inopiâ pecuniæ conflictatus; Hiſpanus caritate nepotum (admiſſis ob Vincentij peregrinationes ſuſpicionibus, & Galliæ tutelâ à Duce Ferdinando vſurpatâ) aut ſibi amicus, aut nemini futurus; ſoror Regia Iſabella Belgij Domina hactenus titubans, mox amore Nepotum victa. Grauia hæc opportunitatis conſilia, alij inſuper promouebant, Pontificem nempe domeſticas res ſuas curaturum; armaq; periculoſa ac diſpendioſa vitaturum. Etruſcos parſimoniâ notos, non expenſas ſolùm, ſed & diſcrimina neglecturos; ſed nec quidem coniugium auſuros; quod in turbatam bello familiam, & dominationis incertam ſororem enubere, perdere crederent. Gubernatorem Mediolani Inoyoſam & Aſculanum Principem, quoſcunque progreſſus ſuos iuuaturos: & ſi Rex prohibuiſſet, mandata (vt iam non in tempore) eluſuros. Multa interim poſſe euenire, quæ non præuiſa, poſſint rerum faciem immutare; auxilia amicorum, militem, pecuniam, commeatum, capta bello oppida, & ſibi metuentes collaturos. Denique aut eam repetendi Monferrati opportunitatem eſſe, aut fore in poſterum nullam. Quò minus deſtinatis exitus reſponderit, aut Hiſpani obfuêre; aut Principum animi ſecretis cauſis mutati ſint vt diuerſa maluerint.

Sabaudius prudenter occaſione vſus eſt.

Iſidorus Aſtij Epiſcopus.

Iſidorum quemdam à ſacris confeſſionibus Sabaudius inter intima conſilia habebat. Hic iurium ſui Domini peritus, fouebat cogitationes belli; vt quod illi per vim auulſum fuerat, armis repeteret, honeſtamq; ſatisfactionem à debitore quamquàm nolente exprimeret: cum interim Siluius Teatinus mihi ſupra nominatus à Ferrarienſi immiſſus Mantuanum indefeſſè obiurgaret, ne perpetuam domus ſuæ pacem; ſuas ac ſororis nuptias, parte vllâ prouinciæ redimeret: in eaſdem nugas reuolutus, quas paulò poſt, diem ſupremum agens ſerò damnarint.

Taurini tum temporis Petrus Boſius agebat, vir callidus, & ſecretis Aulæ rimandis intentus; non prece, non præmio in eam curam à Mantuano miſſus, ſed inquies; & curioſus detectis alienis conſilijs exerceri. Is ſcriptis ad me Mantuam literis, ſacramento amicitiæ obſtringere fidem auſus eſt, Principem Pedemontanum, quamquàm deberi ſibi Monferratum Cæſaris iniuriâ ademptum crederet, & inſuper Mantuani offenſionibus vrgeretur, Parentem tamen vim inferentem initio fuiſſe auerſatum. Id per obſeruatores ad Patrem delatum fuiſſe in cauſâ referebat; cur ſecretò primùm admonitum, etiam publicè formidinis incuſſiſſet. Caritatem erga Mantuanos in bono Principe, & mitioribus deliberationibus prono obſtitiſſe dicebat, ne Mantuanum vſque in exitium odiſſet. Nec de Principe contentus, plus in Comite Franciſco Martinengo conſtantiæ aſſeuerabat. Qui licet Equeſtri Sabaudij ordini adſcriptus, & veteri domus obſequio familiaris eſſet; nec conſilia tamen, nec preces admiſerit; vt abruptâ antiquiſſimâ cum Mantuanis Ducibus amicitiâ (à quibus hoſpitalitate Regiâ non ſemel exceptus fuerat) hoſtilia indueret; tenax propoſiti, & ſponte abſens, cum de bello agetur. Eâ cauſâ cum Mantuani querelas didiciſſet; ſatis habuiſſe reſpondere; ſe, quâ fide in Sabaudium foret, vitæ opumq; diſcrimine probaturum. A Petro rem compoſitam; vt ſecutum famam ea præſcripſiſſe, dicere non auſim, euentu tamen de-

men deprehenſum eſt, fuiſſe ſtatim à Comite teſtatam ſibi cum Mantuano amicitiam: & auditum frequenter, communicato cum paribus ſermone, profiteri, Cæſaris illud iudicium eſſe. Et vidimus illum conſilio aſſiduum non deſtitiſſe concordiam promouere, pacis medium, & ætate graui Taurino frequenter Mantuam delatum: licet fortuna magni viri conatus eluſerit. Alij pietatem quidem viri fatebantur, Venetorum tamen cauſâ aduerſus Mantuanum arma tractare noluiſſe. Non quòd Veneti pro Mantuano magis, quàm pro Sabaudio eſſent; ſed quia turbari bello Italiam noluerant; nec leuibus minorum Principum motibus, Hiſpanos & Gallos in partes prouocari.

Cum indignatio Sabaudij, & ſuſpicio belli detecta eſt, ſtatim diſceptari in Aulâ cœptum, quis in eam curam ſuffecturus deligeretur. Adſcire externum fides non permittebat; domeſticorum rati militiam nouerant; præter illos qui Pannonicum bellum tres quatuorve menſes cum Vincentio Duce experti fuerant. Hos inter Carolus de Rubeis potior viſus. Nobilitas natalium, commendatio Ferrarienſis, ſpecies ipſa valuerant: Niſi Ferrantes Caroli pater tormentorum bellicorum apud Venetos præfectus, & amicus Mantuanis Ducibus, filij cauſam ſuſtentauit. Miſſus itaque in Monferratum Carolus cum ſupremo imperio; non certis mandatis, ſed è tempore, cauſis, occaſionibus conſilium agendorum capturus. Deſtinatio viri haud dubium multorum inuidiam excitauit; vt ante rem acria contra Mantuanum odia fouiſſe; & auerſum ſecretis cauſis animum habuiſſe diceretur: orto verò bello plus ſecuritatis minitante & inſtante hoſte habuiſſe; quàm vndequaque erumpentes coniecturæ vellent; & grauiter cunctatione deliquiſſe referebant; quod periclitantibus raptatiſque popularibus, feſtinato ſubſidio non accurriſſet. Eorum quæ bello aut pace euenerunt inditium feciſſe, partem Hiſtoriæ ſcimus; ſed neque prouocare odia in animo eſt; nec in re difficili & ambiguâ alienam prudentiam eleuare. Rumores eorum tempore tradere inſtituimus; vt facta ſciantur; conſilia aut alienâ fide, aut coniecturâ æſtimentur. De præteritis ſine diſcrimine, de viuentibus præſenti odio traditur. Et nos libenter hac curâ abſtinuiſſe, niſi priuatis ſtudijs implicatos, prompta ſingulorum cognitio impuliſſet.

Mantuanus mittit Carolum de Rubeis Gubernatorem in Monferratum.

Qui ſtatim ab inuidia carpitur.

Ea quidem de Carolo fama erat. Hunc apud Caſalenſes, nullius pauoris aut ſolicitudinis inditij manifeſtum Epiſcopus Diocæſarienſis Vercellis adhuc agens, obſeruarúſque ne quo argumento Sabaudij deliberationes agnoſceret, triplici nuncio excitauit. Monuit parare Sabaudium res nouas, proiectaq; negotiatione improuiſum pro finibus futurum. Sed modicam manum, & præcipuos nobilitate tantùm apud ſe habere. Hos firmatos animo populares prouinciæ minimo negotio poſſe propulſare. Prior mentito Monachi habitu dimiſſus eſt, alter à nemine requiſitus aut excuſſus, tertius cuſtodes feſelliſſe dicebatur. Nam conductitius equus ad fores Palatij ſtabat; & vulgatum famâ fuerat, velle Diocæſarienſem ad ſuos priuati negotij cauſâ ſeruum mittere; qui ſtatim remitteretur. Milites cum abiturum opperirentur, dimiſſum prius fuiſſe neſciuerunt. Itaque Rubeus admonitus eſt, quid in futurum ex Sabaudio ſpei eſſet. Ille facili in minores licentiâ prorupiſſe dicebatur; ſtoliditatem, inſipientiam, temeritatem arguens; tantâ ſermonis ac comminationum vehementiâ; vt nemo in poſterum dicere ſententiam auderet: ſimul addidiſſe; nulla Sabaudij conſilia ſibi ignara; habere motuum (ſi qui agitarentur) certiores delatores: Proinde quorum hoc munus non eſſet, ne metus inanes incuterent; carceribus ac triremibus eam ſe petulantiam correcturum: in contemptum enim & irriſum iſta conquiri. Quibus plus auctoritatis erat, amore ſui Principis, & prouinciæ commiſeratione, non deſtiterunt fateri, orare, fidem vigilantiamq; bonâ fide requirere. Perſtitiſſe in eadem opinione dicitur; & vim Sabaudij, tamquàm ſcenæ fabulam con-

Diocæſarienſis Rubeum periculi admonet.

tempſiſſe. Vtq; deſtinatis ſuis ſubeſſe ratio videretur, aliquot nobilium in ſecretam domus partem inductis, & propoſitâ Monferrati tabulâ (quaſi iam iam hoſtem in vinculis habiturus, ſic excepiſſe: Triplex Sabaudio iter eſt, quoties irrumpere Monferratum velit: aut enim Trinum, aut Moncaluium, aut Albam aggreſſurum. Singulis à ſe ita prouiſum; vt ſi ille Trinum vertiſſet, ipſe illico Verruam aſcenſu facili caperet: ſi Moncaluium aggrederetur, ipſe Ciuaſſum præciperet: ſi Albam proceſſiſſet, ipſe Aſtium feſtinatâ irruptione fulminaret. Pluribus ſimul intendere, non egeſtate pecuniæ, non militum paucitate; non Hiſpanorum ac Gallorum metu (qui tempus non ſint conceſſuri) Sabaudium poſſe. Iam quot paſſuum millibus vicina oppida diſſideant, quot arma, quot equos; apud quos certa aut dubia fides ſit, perſpectum ſibi. Sic fruſtra Sabaudium metui, apud quem vniuerſa ſint difficultatibus inuoluta. Multò ante ſibi prouiſum, vt tormenti bellici ſigno explosione dato, erumpant viginti peditum millia, multæ equitum alæ: Prouinciales omnes & expertæ pro ſuo Duce fidei, quos vetus in Pedemontanos vt æmulos odium in pugnam mittet. Ijs ſe copijs non arcere ſolùm, ſed vltrò etiam bellum inferre poſſe; cogereq; Sabaudium ruptæ pacis pœnitentiâ, pacta inuocare. Tacere affutura inſuper Mantuano auxilia; & Hiſpanos, Gallos, Etruſcoſq; certatim ad ſigna aduolaturos; pompoſa in ſpeciem apud intus mœrentes & palam laudantes, vt confecto iam ex voto bello diſſeruit: reſolutus in ſecuritatem (quam populares negligentiam appellabant) ſucta belli Ductoribus in pace ſtudia ſectatus eſt. Si qui Mantuani curâ per ſilentium ingemuêre, aut Rubei incuriam dicto aliquo notarunt, his ademptæ adminiſtrationes quas habuerant dicebantur; & quò irreparabilior lapſus eſſet, proditionis crimen inuſtum. Suſpicionem durante bello ægrè diluas, apud abſentem Principem potiori proniorem, & criminationibus audiendis occupatum. Cæterùm præſidem Monferrati, nemo ſiue odio Tribunorum Centurionúmque, ſiue fortunæ culpâ, peius vnquàm Rubeo audiuit; gnaro tamen quibus flagitijs, apud Mantuanum notaretur; nec (vt forſan oportuerat) ſimulatione aduerſus miniſtrum vſum. Quia iam Rubeus vapulare apud Aulam cœperat; nec magni Principis miniſtri exiſtimatio (vt moris eſt) protectorem repererat, ſtatim vulgatum eſt, nil æquè Sabaudio animos addidiſſe ac Rubei negligentiam. Nouerat quippe non deeſſe Monferrato iuuentutem, non animos periculis occurrentes, non proceres expeditionem inuitantes; & vbi Ducis contemptu vniuerſa corrumpi vidit; tamquàm nullis amplius hoſtibus, ingenti fiducia accreuiſſe.

Inuenti ſunt tamen qui illum excuſarent.

Sed ne in conſceleratos quidem; nedum in virum nobilem; & (vt honori nobilitatis credere decet) innocentem, vniuerſi conuicijs incurrunt. Aliqui meliore animo abſentes & indefenſos protegendo; interpretando mollius alij, aut minuunt inuidiam, aut extinguunt. Itaq; mirum non eſt, cum vniuerſorum ordinum querelæ Rubeum depoſcerent ad pœnam, non defuiſſe, qui alieno illum imperio paruiſſe circumferrent. Prohibitum ſcilicet, dicebant, à Mantuano apertè bellum facere, aut occaſionem odiorum Sabaudio offerre. Idq; plures ante dies Inoyoſam, vt ſalutare, Duci propoſuiſſe; imo & per literas certâ fide obtinuiſſe. Aulæ quoque Hiſpanæ literis Mantuanum credidiſſe, quibus Regis imperium continebatur, vt ab Inoyoſâ protegeretur: cunctatione Inoyoſæ profeciſſe Sabaudium non minus quàm propriâ virtute; illumq; ambiguitatem ſuam Mantuano inſtillaſſe, quæ Rubeum quoque vincierit. Imo apud amicos, cum Mantuam Rubeus rediiſſet, quibus mandata continebantur oſtendiſſe; quibus nec abſtinere armis, nec opportunitate vti iubebatur, ſed eluctantium verborum plenas: vt quę proſperè euenissent tantùm Duci imputari poſſent, aduerſa in Rubeũ vt iniuſſa flecterentur. Hinc primùm acerrima Caroli odia in Mantuani quoſdã miniſtros, vt detractores & in-

Rubei cum miniſtris Mantuani ſimultas.

& incredulos, niſi abſtinuiſſe armis imperio Domini docuiſſet. Non minor indignatio quòd ſe opprobrio expoſitum (vt aliena formido ignoraretur) ſuo dedecore voluiſſent. Simultates nihilominus apud vniuerſos plenam fidem non inuenerant; credentibus callidioribus, inter concordes ad perniciem Domini ſimulatas inimicitias: & cuicunque tandem prouincia permitteretur, tutius certiuſq; perderetur.

Vt pronus in iram aduerſus miniſtros nonnunquàm Mantuanus erat, ita pœnitentiâ properus; quæ tamen aſperatum nobilem famuli animum non demulcebat. Subditorum reuerentia ac charitas in Principem, nonnunquam manſuetudine ac clementiâ; rigore interdum & ſeueritate, interdum fato quodam eſt. Dominorum alij, optimo licet temperamento imperandi, ſuorum ſe amori inſinuare non poſſunt. Diuerſa à cæteris Mantuani conditio erat; vt qui eandem intra horam facilis & rigidus, iratus placatuſq; ſubditorum mentes inconſtantiâ cruciaret. Non eadem apud ipſum quæ prærerito voluntas; non virtuti ſemper honos idem: vt miniſtri quid ſectarentur fugerentve, accurato licet prouiſu diuinare non poſſent: licet in Duce naturam, non prauum animum accuſarent. Fortunæ itaque arbitrio volutandos raptandoſq; ſe permittebant. Ea præcipua auerſionis à Domino cauſa erat; vt volubilitate diffamatus, ne eorum quidem quæ interdum rectè egiſſet gratiam à ſuis referret. Quoſdam iuuenilis ætas ſolabatur, qui è tempore beneficium expectabant; perſuaſerantq; ſibi, illum vſu regnandi profecturum; & iuuentutis lubricum procedenti æuo correcturum. Prudentiores mutationem morum deſperabant, in eo qui non paribus non ſenioribus auſcultaret; & quod (certa principis iuuenis pernicies) & vniuerſa ſe ſcire crederet, & credi vellet. Sed (quod Rubeum Marchionem ſpectat) qui tum in Aulâ militiæ præcepta, & delegatam poteſtatem tractauerant, adhuc ſeu proprio, ſeu Domini auertendo dedecori fatentur, nec iuſſum illum armis abſtinere; nec fuiſſe imperium exequendum, quamquam iuſſus fuiſſet; ſed oblatâ occaſione, cum modicâ manu Sabaudius Trinum obſideret erumpere, & deſtitutis ſuccurrere. Potuiſſe fugari obſidentem fors erat, etiam obſideri; dum Mantuâ aut Etruriâ accirentur auxilia; aut Inoyoſa pudore flagitij, & regij deſpectus verecundiâ, armatas legiones bellantibus Ducibus interpoſuiſſet. Parato receptu haud dubiè ſibi Sabaudium conſulturum fuiſſe; ſi cautos & audentes Monferratenſes, Rubeus paucis hoſtibus ſuperfundens terrorem intuliſſet. Prouinciæ quippe ſitum, populos, arma, etiam conſilia explorata Sabaudio fuiſſe; in eam curam maximè intento, quò diutius captandæ occaſioni ſtuduerat. Nam ſuperſtite Mantuano Duce Vincentio, ferebatur ruſtico habitu in ſui diſſimilitudinem indutus, & aſello, quem palearum faſce onerauerat, inſidens, Caſalenſem Arcem eâdem die bis circumiuiſſe; numeraſſe propugnacula, murorum altitudinem æſtimaſſe, latitudinem profunditatemq; foſſæ oculo dimetitum; tormenta, ſitum, excubiaſq; notaſſe audaci & diſcriminis pleno facinore; ſi cuſtodiæ impoſiti exploratoremque ſuſpicati, è vicino plumbeâ glande ipſum petiuiſſent. Eam rem vulgatam & accuratiorem Vincentium in res ſuas, ſic ſuſpectum magis Sabaudium in res ſuas reddidiſſe dicebant; ſiue amicum ſiue hoſtem agere maluiſſet. Eâdem prorſus curâ, cum Franciſcum Principem generum, patris iuſſu tum Monferrato impoſitum officij titulo apud Caſalenſes inuiſiſſet, certis paſſibus munimenta caſtelli, & vrbis ambitum recenſere viſus dicebatur, laudato interim loco ac molibus; quaſi vniuerſo in generi ſui gratiam beneficiumq; placuiſſent; pleraque tamen iacientem quibus turgentis animi ſuſpicionem oſtendiſſet. Magnam Arcis ſtructuram, immenſam murorum magnitudinem, fruſtra eo in ſolo acta, cui ipſe perpetuò tutor futurus eſſet. Id tamen opus formidine à Vincentio Duce properatum, vt ſuas iniurias augeret, inuidiamque vicino conciret, falſum fuiſſe.

Quo nomine Mantuanus à ſuis odio habetur.

Omnia hæc domeſticum famulum magnâ charitate, ac periculo ſuo ad Franciſcum detuliſſe; ſiue pronus in Soccrum ſuſpiciones excluſiſſet, ſiue recepiſſet, oſtentaſſe quidem iuuenem certam ſecuritatem; quam tamen Vincentius Pater, literis & oratoribus acriter caſtigaſſet; monuiſſeq; filium eam vel in amico diſcrimini obnoxiam. Specioſa hæc Rubei cenſuram apud Mantuanos incurrerant, vt Sabaudio infirmitatem, Rubeo ignauiam, Mantuano decus appingerent: cum tamen certum ſit, non aliam Rubeo ad manus apud Caſalenſes militiam fuiſſe, quàm quingentorum popularium, & imbellium; quos fama cœpti belli horrore concuſſerat. Pauci nobilium Mantuanorum qui illud ad bellum proceſſerant; nec diſſolutionem Trinenſis obſidij auſuri, nec ſuffecturi erant.

Comes Ardizinus Faà

Capitaneus Bechesinus.

Comes Ardizinus Faà Trino Gubernatoris titulo præſidebat, viuente olim Vincentio Duce impoſitus, in filiæ Virginis gratiam, quæ tum Margaritæ Sabaudiæ apud Aulam inter nobiles puellas famulabatur, cui Camillæ nomen erat. Hæc datura labori noſtro eſt ingens argumentum. Comes igitur, cum Sabaudius Trinenſem irruptionem meditaretur, fortè aberat, relicto qui locum teneret Capitaneo Becheſino; quem Trinenſes quacunque causâ inuiſum, eo in honore menſes aliquot tolerauerant. Exercitus Sabaudij Duces nihil omittendum rati quod futuram expeditionem iuuaret, odium popularium in Becheſinum ſibi proficere rati, literis ac promiſſis ciues Trinenſes aggreſſi ſunt, oſtentatione neceſſitatis ac præmiorum. In eo numero non defuêre quos timor, odiumve conſtantiâ dejiceret, facili conuerſione ab irâ miniſtri in Principem. Cæterùm pararis Sabaudio, pecunia, immunitates, quæque vænalem animum loco mouent oblata, vt accincti ſignum irruptionis exciperent, portaſq; neſcijs, aut fruſtra obnitentibus cæteris aperirent. Nec minus ſi aduerſus conſtantes integroſque bellandum foret, arma reſumerent. Pauciores quàm pro numero erant; ijque ſopitis belli initijs, pro rebellibus delati ad Mantuanum ſunt, vt ſuo loco referemus. Ergo vbi ordinem tempuſq; compoſita; & paratos oppidanos ad iuſſa Sabaudij didicerunt, lætitiâ elati Ducem conuenerunt; ſatis negotiatione profectum docentes; & quamuis pauci nouum Dominum voto præueniſſent, ſufficere tamen deſtinatis cogendiſque cæteris, quas ipſi ſponte leges ſubierint, accipere.

Trinẽſes ad defectionem ſolicitantur à Sabaudijs.

Sabaudius agendorum conſilium à ſuis requirit.

Adhuc Diocæſarienſis Vercellis agebat, totus in matrimonium Viduæ & Mantuani; licet in ſummam Sabaudio non conueniſſet: cum hic ſatisfieri bonis iuribus ſuis: ille ne nomen quidem ſatisfactionis audire vellet; & quoties difficultates inciderant, Ducem ſuum appellaret; à quo arctiſſima ſe accepiſſe mandata; nec excedere niſi cum culpâ poſſe profitebatur. De Venetorum auxilijs, Etruſci armis, omnes ambiguè diſſerebant; de Mantuani facilitate, ſi ſtatim conceſſis illigaretur, nec ſpatium pœnitendi foret conueniebant. Suſpenſa res futuri incertos omnes, præter Sabaudium detinebat. Medio quippe diei Comitem Guidonem Sangeorgium, Comitem Verruæ, & Iſidorum Bernabitam, ſolitos tractare Domini ſecreta; & haud dubiè prudentiæ probatos, intra cubiculum aduocauit; agendorum formam proferre iubens: Non quod arbitrio regendum ſe permiſſurus foret; ſed experimento, an miniſtri ſui eodem ſecum iudicio vterétur. Agnouit Verruenſis certum propoſiti animum in Duce, mutatione conſilij; & omiſſione formæ quâ olim dubia expediebat. Quoties enim Principatus negotio agitabat, miniſtrorum quemlibet ſeorſum eloqui quæ ex vſu crederet, mox ſcripto firmare volebat; antequàm diuerſos in diſputationem facti deduceret. Multa gratiæ, plura inuidiæ dari ſciebat, ſi præſentes interrogarentur; & præſentiam Domini turbare mentem reuerentiâ ac formîdine didicerat. Ingentium quoque rerum momenta ſtudio & maturatione egere nouerat; quæ vtraque in ſubditis non rarò

deſiderari

deſiderari expertus fuerat. Sangeorgius permiſiſſe cæteris conſilium viſus eſt (vt qui Verruenſis impulſu in id bellum tractus crederetur) & pro tempore reſpondit: Cupere ſe Domini placito manu ac labore obſequi; quamcunque ille partem agendorum delegaſſet, ſe acriter capeſciturum: ne actu apud inuidos ſuſpectus, tot annos vacuum ſeruitium præſtitiſſe videretur. Muneri ſe ſuo ſatisfacturum cognoſcere; quòd recepto generis humani conſenſu didicerit Monferratum in relictam pupillam infantem deuolutum, tamquàm paternorum bonorum hæredem: nec poſſe perfidiæ accuſari; ſi pro creditâ Dominâ aduerſus incertum Dominum, tutori à naturâ inſtituto operam impendiſſet. Neque tamen pacto incolumitatis rerum ſuarum, aut promiſsâ impunitate accedere: liberum, nec vllis legibus deuinctum, conatus quos honeſtos putet promoturum. Scire ſe grauibus Mantuanorum Ducum iniurijs prouocatum, & ſponte Vincentij præſtito fidei ſacramento, cum Annunciatæ Virginis ordini aggregaretur, apud bonos & fortes excuſandum, commendandumque. Habere arctas per Monferratum neceſſitudines: promptos recepturum, cunctantes inuitaturum, rigidos ſollicitaturum. Armorum exercitio ſtuduiſſe; quid iuris in cauſâ ſit, nec ſcire velle, nec interpretari; ſufficere ſubdendis ſibi calcaribus famam Doctorum, decretum ſui Domini, & certam apud ſeruos obedientiæ gloriam. Pro tutore ſe ac Dominâ dimicaturum, donec ius faſq; ambages expediuiſſet. Quò manifeſtior eorum impudentia eſt; qui datis ad Mantuanum literis teſtati ſunt, non operam, non miniſterium ſuum Sangeorgium Sabaudio obtuliſſe, niſi pacto indemnitatis. Parum callidi magnitudinis Sabaudij, animorumve Sangeorgij erant; neque enim Sangeorgius fortunas ante decus habuerat; aut his monitis Sabaudius egebat; vt fidem boni famuli remuneraretur. Verruenſis ætate & ciuilium rerum vſu ante alios creditus, Mantuano veteribus odiorum cauſis aduerſus erat; quæ tales ferebantur.

Cauſa indignationis Comitis Verruenſis aduerſus Duces Mantuanos.

Marchioniſſa Caluſij poſtremis teſtamenti tabulis, à coniuge hæres dicta; Rondizonum quoque oppidum eodem iure poſſidebat; inſigne vtrumque municipium, & octoginta ferè aureorum millibus æſtimatum. Diu inter competitores nuptiarum ſollicitata Vidua fuerat vniuerſis eam fortunam poſcentibus; qui ſe dignos nobilitate ac opibus profitebantur. Arcano dominationis niſi domeſtico deberi credebatur, exteros vt ſuſpectos ſpe detrudi. Verruenſis longâ apud vrbem Romam negotiatione gnarus res ſuas creuiſſe, & acceſſione Caluſij ac Rondizoni, augeri opes exiſtimationemq; familiæ, aſſiduis precibus apud Sabaudium peruicit, vt poſtremo cum Vincentio congreſſu oraret Mantuanum, ne filius illius Viduæ Marchioniſſæ amore tactus, à ſperatis diu nuptijs arceretur. Et quidem Sabaudius preces attulerat; addideratq; conſilio communem vtroq; nomine ſubditum futurum. Neque tamen totum beneficium diutius dilatum; nec ſponte ſuâ, ſed officio expreſſum contuliſſe Vincentius videbatur. Paucos poſt annos Comes Maſinus (quem Caluſij Marchioniſſæ maritus priori teſtamento ſucceſſorem inſtituerat) queſtus de iniuriâ apud Vincentium fuerat, quod augendis dotalibus opibus ſuis Marchioniſſa illicitè ſtuduiſſet. Cumq; tabulas protuliſſet, eam iuriium ſpeciem exhibuit, vt coactus Vincentius fuerit Senatui Caſalenſi cauſam committere. Id Verruenſis tamquàm initium excidij ſui accepit: proſecutus tamen litem eſt; & præcedens teſtamentum falſi accuſauit. Secuta Vincentij ac Franciſci Ducis mors, ſuſpenſam menſes aliquot litem attinuit, metuebaturque, ne ſecundum Maſinum ſententia vulgaretur; ſi diſputationi tempus & pax ſuppetiuiſſent. Medio temporis cum Marchio Caluſij Principem Pedemontanum comitatus Mantuam fuiſſet; infra conditionem ſuam cultum ſe, & minori quàm decuerat honore habitum indoluerat. Hæ apud Verruenſem cauſæ irarum; quas Mantuanus neglectu & deſpectu fouebat; ne in amicos quidem ſolitus of-

ficia ſtudioſâ caritate proferre. Vix crediderim minas quoque Mantuani illum excepiſſe; quaſi Caluſium ac Rondizonum propediem apud Comitem Maſinum futurum eſſet. Hic cumulus auerſionum erat; & quia ardente bello prouinciâ, parum legibus reuerentiæ; & grauioribus exercendus Mantuanus ſciebatur ſubditorum lites non expediturus, vtiles turbas putabatur Verruenſis ſuæ cauſæ futuras. ſic itaque fertur excepiſſe. Si iniuriarum magnitudo, quâ Carolus V. & ſecuti Cæſares, mox Vincentius Mantuæ Dux erectâ apud Caſalenſes Arce, poſtremò Ferdinandus occupata malis artibus Neptis tutelâ; pariterq; eluſa Pedemontani Principis fides æſtimarentur; ſi hinc Gallorum ſeditio, Hiſpanus conſanguineus, Belgij Archiduciſſæ caritas, Inoyoſæ vetus amicitia, ambitum Sabaudij viribus Monferratum, paratus ad manus miles, ſubditi obedientiâ & amore exilientes, ſui Domini prudentiâ, & non vnâ expeditione probata virtus: illinc Caroli de Rubeis fiducia, Mantuani erga belli artes inſcitia; ſparſum diuulſumq; per viſcera Pedemontis Monferratum, trepidantes pagani, viciſſim Mantuano inuiſi, & ſpreti tributis, tamquam bello capti conferantur; aut vili ignauiâ deponendam ſpem omnem recuperandæ prouinciæ; aut certum eſſe eâ opportunitate, fortunam ſe in Sabaudij ſinum penitus effudiſſe; vt ſecundum Deos in ſua poteſtate ſit, an nobiliſſimorum populorum, & ſibi optimo iure debitorum acceſſione, decorari gloriam ſuam, & augeri familiæ res velit. Etiam quando retinere per vim in animo habeat; aut ſubſidia Principum affutura Mantuano reſpiceret; approbaturum tamen Europæ magnatibus, quibus viribus ſit; & liberâ reſtitutione, non alieno arbitrio ea redditurum, quæ poſſet repetere quandocunque libuiſſet. Iam incerta belli caſuſq; præliorum, & emergentes inter ambigua occaſiones (quæ ſæpe ne ſomniantibus quidem Regium faſtigium obtrudunt) inchoatam bello iurium diſceptationem (cum poſſeſſio cauſæ iuſtitiam præſumat) aut conatus in ſolido locatura; aut veteri prætextui nouas cauſas, noua decora additura. Quem in armis haberet militem, licet magno bello minorem, occupandis tamen quæ deſtinaſſet, ſufficere; ſi celeritate ac ſecreto admoueretur. Quod apud Mantuanum manſiſſet inter competitores ac poſſeſſores, Cæſarem medium honeſtis conditionibus aures accommodaturum: ne quod inferre bellum non poſſet, præferret; aut reuerentiæ Cæſareæ neglectum procuraret. Vanam eſſe, vel Poëtæ teſtimonio ſine viribus iram; & inferiores ſuperioribus obſequentes formidine accedere. Meminiſſet non alium totâ Europâ Principem, plures militiæ Duces, fortiores Tribunos numerare. Malè olim ſumptas expeditiones; aut Sabaudiam aduerſus Regem potentiſſimum; aut Geneuenſem aduerſus tutiſſimos internis & externis præſidijs rebelles, nobiliſſimo facinore; & ante alia vtilitate non vulgari ſigillaturum. Proprios nepotes bono iure proficere, propulſari iniuriam, lateri accreſcere amica ſubſidia, ingratum Hiſpanis eſſe poſſe, extra omnem fidem credere. Non ſemel Italiam ſeſe occupantibus obtuliſſe; quoties prætextui virtus iungeretur: ſic Mediolanum in Franciſcum Sfortiam, Veronam, Patauium, Brixiam, Bergomum, Vicentiam, Cremam in Venetos, Mantuam ac Regium in Gonzagos, Bononiam in Bentiuolos, Romandiolam in Malateſtas abijſſe. Laboraturum ſe copiâ ſi vniuerſa cenſeat, quæ mutatione temporum Dominos quoque mutauerunt. Quoties ius faſq; conterantur, iuſtitia vapulet, aliena raptentur, turbatas res ferè ex vſu legitimorum Dominorum eſſe: Aut redire in veterem poſſeſſionem quæ flagitio adempta ſint; aut alia in vicem ſuccedere: ſæpe hæc quoque præteritis addi ſi honeſtas cauſæ viam ſternat, virtus amoueat diſijciatq; obſtantia. Sic Anglum inter ſeditiones Gallicas; Venetos decertantibus inuicem Pontificibus Romanis ac Cæſaribus, occaſionibus intentos accreuiſſe. Harum tamen aliquibus non ius, non certas cauſas inuaſionem perſuaſiſſe. Manſiſſe tamen quæſitam armis dominationem; & diuturnitate in legitimam poſſeſ-

poſſeſſionem abiuiſſe. Tolerari certè à Sabaudijs non poſſe penetrare nouos ac vxorios Dominos in Taurinenſis agri viſcera, & Pedemontanam omnem, interiectis Monferrati oppidis velut findi ac diuelli: exteros parato receptu ſcelera ac pericula audere; populares vicino effugio flagitiorum Aſylum proſpectare. Si Salutij Marchionatus opulentiſſimâ Breſſæ prouinciâ mutatus ſit, quid agendum ſtruendumq; vt Pedemontanæ pedicæ detrahantur; vt ab hoſtibus tuti populi laceſſant ſecuram pacem; vt ius faſq; valeant? Recipi oportere quæ veteri iure Sabaudiorum ſint; & eà proferendum imperium, quà debilior vicinus, imo hoſtis, imo intruſus inſideat. Genuenſes ac Mediolanenſes multa quoq; debere; ſed poſſeſſorum magnitudinem æquitatem ſuffocare. In re clarâ ac certâ, in paratis, ſub oculis aut illudentium Regiæ potentiæ, aut commiſerantium ſilere, ius ipſum quamquàm honeſtiſſimum corrumpere. Hæc Verruenſis oratio fuit; libello quem aliquot ante dies obtulerat non diſſimilis. Nec ſecretum obſtaſſe credendum eſt quò minus vulgaretur. Quibus enim argumentis coram Duce ſuo vſus eſt, ea dedit in publicum, ſiue vt cauſæ honeſtatem aperiret, ſiue vt deliberantes, & ſocios acciret, & partes. Adhæc Iſidorus: conſilium ſui Domini bono iuri nixum fateri; nihil alieni requiri; quæ vi detracta ſint, vi recipi; coniugium Viduæ cum Mantuano, plus habere fœditatis quàm cauſæ; denique iuſto ac poſteritati prouideri. Sinere externos potentiam minuturos, quam domui debitam, & honori Italiæ ſuperi obtuliſſent. Cæterùm non ſe belli artibus magno Principi, & de ſe optimè merito famulari ex deſiderio poſſe; id vnum tamen ſolatij afferre, honeſtiſſimâ cauſâ amiſſas res illum ire repetitum: & ſecuturam Generis humani commendationem, quæ ferè iuſtitiam ac fortitudinem complectatur.

Aliquot poſt menſes explorator Taurinenſis Mantuano, religioſi viri ſententiam tranſmiſit; quæ tanto ab Aulicis faſtu, tam acerbè excepta eſt, vt publicè nonnulli quererentur; faterenturq; mirandum non eſſe, ſi in Religionis ſeueros profeſſores plerumque graues expoſtulationes audiantur. Dicebant inhorreſcere vnumquemque poſſe vbi vir Bernabita, ſacris Sabaudij confeſſionibus præpoſitus, iuſti ac recti leges præferens, iuris ciuilis ignarus, & ſupra vulgum haudquaquàm eruditus, vim approbare contra ius faſq; audeat, tueri fraudes, ſuadere bellum, Cæſarea decreta irrita, poſſeſſionem honeſto titulo vſurpatam, matrimonium quod Pontifex, Imperator, Principes proponerent, ſuaderent, ſpernere ac damnare. Incaſſum hæc, vt cætera iactabantur; ingentia quippe meritum, virtus eadem hominem ad Epiſcopatum euexit; docto Sabaudio congruentiâ pietati beneficia rependere; & inanes vulgi rumores accumulatâ beneficentiâ confundere. Receptum à Sabaudio conſilium eſt; quod ille multo ante concoxerat; & in quod magnis cauſis deſcenderat. Non adhuc Diocæſarienſis excluſus colloquio, aut reiectis conditionibus ad ſuos dimiſſus fuerat: Itaque hærentem ambigentemque, quo inclinatura negotiatio, quâ ſine lites tollendæ forent, miſſus à Sabaudio Senator admonuit, vt niſi molliora in concordiam; & honeſtiora pacta connubij afferret, bellum ſibi pro foribus eſſe ſciret. Maturandæ deliberationi adhuc eam diem à Sabaudio concedi; verſâ, quamquam annuiſſet, audire plura nolle. Reſpondit Diocæſarienſis, ſi quæ in mandatis accepiſſet vniuerſa expoſuiſſe; nec velle Mantuanum de ſuo quidquam offerre; nec poſſe oratorem conſtantem Domini animum firmitudine dimouere. Ergo redire Mantuam, & parati iam belli nuncium ad ſuos ferre iubetur.

Mantua ſententia Iſidori accuſatur.

Sabaudius Diocæſarienſem à ſe dimittit.

Flexo in noctem die Sabaudius, cum teſtatus vltores ſuperos, & inuitum ſe arma tractare profeſſus foret, Trinum profectus eſt. Comitabantur pedites quingenti, ducenti quinquaginta Equites, raptim deducti, & è pluribus millibus in eam expeditionem delecti. Maiores haud dubiè copiæ ſuppetebant; ſed capere aſcenſu oppidum, & excipere machinis imparatos cogitauerat; affuturis alijs ſi

Et Trinum aggreditur.

I 4

trahenda loci oppugnatio in longum foret. Recipere municipium non diripere, non perdere, non ſæuire in miſeros animus fuerat; & Mantuano ante alia infenſi ſpem dederant, qui ſucceſſum conatui deſponderant, ſi imparatis Sabaudius ſuperfunderetur.

Oppidi conditio

Trinum nobiliſſimum oppidum Monferrati eſt (ſi Epiſcopatus honorem excipias, & adiacentia munimenta) Caſalenſi ciuitati ambitu ferè par: incolarum pro ſitu frequentia non reſpondet. Quippe iiſdem mænibus agrorum impedimenta, ac pecora continentur; ſiue veteri (vt inter arma) conſuetudine, ac ſpe ſecuritatis; ſiue vſu ciuium ambientum agrum fabricis non impedire, & domi ſtabulantia armenta curare. Commeantibus hinc inde negotiatoribus mercatura frequens eſt: medio enim ſitu Genuam, Mediolanum, Taurinum, ac Caſalenſes proſpectat: Irriguis circum pratis, fertili planicie, alluentem agrum Padum, vix altero milliario fundit; vnde per vniuerſam Longobardiam facile commercium ac paratum, deuectas merces inducit, transmittitque. Hinc copia rei nummariæ, & mercaturâ dites incolæ. Ambitu mænium quinque ferè ciuium millia continentur. Murorum non rudis, aut cuicunque irruptioni peruia firmitas eſt: ſtagnantis aquæ foſsâ obducitur; aſſurgunt certo mænium dimenſu turres & propugnacula, non quæ recens induſtria, aduerſus vires regias, & diuturnas obſidiones inuenit, ſed vetuſtiori ingenio educta; & nouâ curâ, quantum per rem licet, in ſecuritatem interno aggere ſolidata. Circumfuſam haurire paludem fruſtra quis conetur; obſtat ſcaturigo è vicinis collibus inexhauſta, & decliui adiuta. Portarum in ſpeciem magnum robur, quòd humilioribus latioribusq; turribus, obliquè tegantur; nec niſi ſublicio ponte adeantur, tortuoſo primùm itinere, mox non vno obice viâ præpeditâ. Cum multos ante annos Italia, ac Pedemontana præcipuè belli incendio flagrarent; nec oppugnationum induſtria in eam virtutem excreuiſſet, quibus nunc etiam munitiſſima ſtatim ſternuntur; eâdem foſsâ, & non latiori aggere, Trinum Gallorum impetum diutius ſuſtinuiſſe fertur, Principe de Angio, aut Pottiers Ducibus; Creſcentino prius, Palazolo, ac Dezana in poteſtatem acceptis, fruſtra inſultantibus. Et quidem ingruentem mœnibus hoſtem præuiderant incolæ, cumq; importato commeatu ciuium ſuorum animos confirmaſſent, plures in præſidium affluxerant; induxerantq; pretioſiſſima, cum coniugibus liberiſque. Auſi quin etiam fuerant aperto congredi; & iteratis eruptionibus laceſſere hoſtem præualidum, virtute ac mœnibus ſecuri. Sexageſimum fermè ante annum, ſecuta pax muniendi incuriam inuexit; ſed non Trinum præteritæ neceſſitatis ſuæ oblitum tua neglexit: Vetera munimenta, vallum, foſſam, muros, portas eodem firmamento ſeruauerat, Mantuanorum Ducum monitu; ne ſecutis licet inter Sabaudium & Franciſcum Ducem nuptijs fidentium; eundem hoſtem eſſe, & peiorem, quò callidius tegeret odium abderetque. Modicum nihilominus præſidium cum Sabaudius conſilium occupandi agitaret, inerat: ciuium imbellium manus, ſoluta diſciplina militiæ, compoſitiq; omnes in pacem creditam & ſecuritatem. Monitum Franciſcum Ducem accepimus, non Trinum ſolùm, ſed quæ verſa in Sabaudium, repentino excurſu facilè opprimerentur, pluribus ac lectioribus firmare: neque tamen paruiſſe; ne Socero diffidere, aut metuere in præſumptione charitatis videretur. Sed domeſtica anguſtia, quam immodicis effuſionibus Pater induxerat, & commeatus inopia, in causâ fuiſſe quò minus obtemperaret. Paganis in Trini cuſtodiam electis Becheſinus licet à Franciſco Duce impoſitus fuiſſet, tamen parum tutelæ contuliſſe dicebatur, ciuibus priuatis cauſis inuiſus; quaſi non experimento rerum, non natalibus, non gratâ comitate, populares in cultum ac reuerentiam ſui pellexiſſet. Proditoria quoque amici cædes, & vilior mercatura objiciebantur: ferebaturq; non alias artes dignitati contuliſſe, quàm quibus hactenus innotuiſſet. Ea nos quòd ſectari

ſimilia

Digitized by Google

ſimilia inane eſſet, pro compertis non tradimus. Sed ille odij ſecurus vniuerſos terrore ac comminationibus turbauerat; & quò obſequentiores dictis redderet, & imperio plus exiſtimationis adiungeret, faſtum rigoremque, vt aduerſus inimicos induerat: Reuerentiam diſciplinæ, & honorem Ducis appellabat. Id apud tumentes nauſeanteſq; minus obedientiæ, plus indignationis conciuit; neque tamen aſſecutus eſt, vt ſe formidari crederet. Perſpectum id Sabaudio, ac Sangeorgio; quorum commodis iræ militares hoſtium, & Dux deſpectus multum addere videbatur. Certum eſt eò auerſionis pleroſque Trinenſium proceſſiſſe, vt Sabaudio potius cùm ignominiâ cedere, quàm obtemperando cum Becheſino vincere mallent. Miſſas ad Rubeum Trinenſium ciuium querelas ex ſcripto vidimus, & preces orantium, amoueret hominem adminiſtratione nobiliſſimâ; moribus, genere, famâ parùm acceptum: plus obedientiæ capitaneo quem non inuiti accepiſſent fore profitentes. Becheſinus tamen ſuâ ſe conſtantiâ inuoluit; & quod temporibus ſuſpectis promptè recipitur à Principibus dubitantibus, perfidiam accuſauit; quam priuati odij ſtimulis augebat. Miſerrimi Monferratenſes, vt ſemper, ſic tum grauiſſimè eâ calumniâ laborarunt: Rebelles, infidi, hoſtes, proditores, apud Mantuanos frequenter audiebant: nec à præfectis quicquam peccabatur, quod perfidiæ innocentium popularium non imputaretur. Nihilominus Rubeus, aut mutare Duces arbitrio non poterat; aut petiti Mantuâ conſilij deliberatio poſt factum & occaſionem habebatur; cum interim agendorum opportunitas elaberetur; & Sabaudius (quod militarem prudentiam ſapit) alienâ cunctatione, ſuâ feſtinatione Mantuanorum cogitationes magnis effectis præueniret. Non deerant qui apud Rubeum importunè agerent, id ciuium gratiæ condonandum; quorum fidem vicina oppida forent ſecutura: vt dubiis in rebus aucupandam ſubditorum gratiam; ſic apud ſuſpectos plus amori quàm viribus dari. Quod alieni iudicij Rubeus nouerat, ſuum abnuendo faciebat; nutriebatq; odia Trinenſium; luenda tot cladibus. Perſpectum id Sabaudio etiam ante bellum fuerat; qui ſcitè in negotium intendens Domini ac ſubditorum affectus detexerat; ſiue in pace cum ſatisfactione Mantuani; ſiue inter arma, laceſſitus iniuriâ, agere decreuiſſet. Imo verò haſtenus apud Mantuanos deſiderata diligentia infælici exitu hic diſputationibus vſurpata eſt. Cum enim ante bellum quid de Trino ageretur, inter delectos Rubeus in examen vocaſſet; alij quamquàm ſecuris rebus, & nullo ex Sabaudio metu exterum militem inducendum; ciues longè à mœnibus ac portis habendos, nec præfectorum mutationem ex vſu eſſe differebant. Quippe procul accitos nullâ domeſticæ rei formidine trepidantes alacrius in hoſtem certaturos; proditionem aut metu detecturos, aut deliberantes in officio retenturos. Ciues enim rerum ſuarum damno, excidio agrorum, prædatione villarum fractos; nec minus ſpe veniæ, ſi deditionem properauiſſent, ſtatim inuecto hoſti ſeq; ac ſua permiſſuros. Contra qui ciuium cauſam tuebantur, vniuerſas fortunas intra mœnia, certam fidem, & è Sabaudio pauorem teſtabantur. Illæſa coniugia, integras res fore, ſi conſtantes hoſtem arcuiſſent. Externa præſidia fidem integram corrumpere; & damnare bonos omnes perfidiæ, quæ non probaretur. Sibi vt conſulerent permittendos Trinenſes, ſumendumq; vel è ſuſpectis conſtantiæ experimentum.

Strepitoſis iſta diſputationibus examinata ſunt, ridentibus prudentioribus in præcipiti intempeſtiuam ſapientiam, cum cætera ſine curâ eſſent. Seorſim vtriq; a Rubeo laudati; &, tamquàm tempus ad integram deliberationem requireretur, è cõſueto nihil immutauit. Summâ interim ſecuritate omnia tranſigebantur; cum non Dux nouos præſides ſufficere Trino poſſet, non miles ad manus eſſet; & ambigua fides, non conſuetis moribus, non nouis legibus pacem promitteret. Aderant a fidis miſſæ literæ, quæ popularium ſecretas cum Sabaudio conditio-

Digitized by Google

nes, & tranſitionis pacta continebant: ſed cunctantibus Mantuanis viſus eſt Sabaudius fabulam agere; nec ante ſeria arma tractare creditus, quàm incenſæ villæ, & occupata prouinciæ pars, terrorq́; latè fuſus excuſsêre torporem. Tantam hoſtis ſecuritatem, fermè in ſui neglectum Sabaudius interpretatus fuerat; quaſi obſtante nemine, ſuas res repeteret. Tantum generoſitatis & excelſi animi ſuberat; vt vincere quàm occupare, cogere quàm negligi mallet.

M.DC.XII. Viceſima ſecunda Aprilis erat milleſimi ſexcenteſimi duodecimi, cum ille in Trinenſem expeditionem proceſſit, non intermiſſo quidem per noctem itinere; ſed ita moderato, vt & profectioni & ſucceſſui tenebræ ſufficerent. Reſolutos ſomno oppidanos circumuenire ſtatuerat, vt improuiſus inſultus terreret hoſtem, & victoriam aperiret; non clauſi ſubito malo competerent; non vicinorum locorum incolæ audito Trini periculo accurrerent. Pettardo (quorum aliquot curribus vehebantur) portas oppidi perrumpere ſperauerat: non quod in eo ſpes omnis ſita eſſet, ſed vt famam celeritate præuerteret; nec præſtitâ ſibi à fidis operâ, rebellantes à Mantuano detegerentur. Satis quippe officij ſibi præſtari crediderat, ſi corrupti conſilio integros ſoporauiſſent: aut benè agendæ rei occaſionem negligentiâ præbuiſſent. Id niſi deſtinatis ſuffeciſſet, vim apertam & conſpicuam ſeceſſionem, (quæ cæteros aut cogeret, aut inuitaret) oppetiebatur. Sabaudium Pedemontanus ac Thomas Principes ſibi comitabantur. Aderant & magni nominis viri; quos inter Sangeorgius copiarum ductor, & vniuerſi exercitus locumtenens; honore (vt par erat) & ſtudio partium prælatus.

Pettardus. Pettardus bellici inſtrumenti quoddam genus eſt, non longitudine porrectum, ſed cauum laxumque: quod igneo puluere refertum, affixumq́; portarum clauſtris, vbi ignem poſtico excepit, diſijcit obſtantia, & hianti ſinu viam expedito militi facit. Furto valet, aperto congreſſu impar eſt; huiuſq́; quàm reliquorum recentius inuentum; neque ob locorum difficultates, ſitumq́; portarum (quæ nec adiri interdum, nec ille rectè affigi poteſt) ſemper probatus. Accedit conuectantium diſponentiumq́; pernicies; qui ferè detecti propugnatorum ictibus ſupernè, dextrâ ac læuâ lacerantur. Irritè quoque nonnunquam figitur; ſiue cum opportunè ignem non concipit, ſiue cum neceſſitate minorem rupturam facit; quæ vix gregarium accipiat. Et quia machinamento non ita Sabaudius fidebat, vt ciuium charitatem negligeret (quos ſuggreſſis iam ſuis auxilio futuros rebatur) ſcalas magno numero conuexerat; vt ſi Pettardus patentem irrumpentibus viam non feciſſet, aſcenſu clandeſtino, aut certè deturbatis loco Trinenſibus mœnia occuparet. Sub creperæ lucis exordia Gallos trecentos (quorum miniſterio in bello vtebatur) Duce Comite Rouiliaſco, nobili ac ſtrenuo iuuene; quiq́; bonis artibus operatus, iuuentam ac militiam illam decorabat, ijs qui Pettardos applicaturi forent adeſſe iuſſit: ne qua vis inexpectata cancello valuis præfixo ſuccedentes turbaret, arcerêtve.

Sabaudius Trinum Pettardo adoritur. Trinenſes nullâ imminentium formidine; ſiue Ducis ſui præſentium pro ſecuritate interpretarentur; ſiue illos ſopitis iam ignibus nocturnâ vigiliâ fatigatos reſoluiſſet; ſiue denique præ foribus dies cuſtodum (qui licet in pace habebantur) diligentiam laxaſſet, altiſſimè ſtertebant. Ergo primi Pettardi impetu cancellatæ fores diſiectæ ſunt; ſecundi non eadem fortuna fuit; quod infirmiter hæſiſſet, ignem non accepiſſet; denique ſecuta fracturâ armatum militem non admittebat. Fragor tamen ſomniantes quos opprimi oportuerat, excitauit. Tum conclamatum intus ad arma, ab ignaris adhuc, internuſve hoſtis, an externus ingrueret; quâ parte vrgeret, quid cauendum; cui maximè prouidendum foret. Auxit periculum nobile mendacium, ab ijs qui Sabaudium recipi cupiebant, vulgatum. Cum enim in Vercellenſem portam, quam Sabaudij petierant, impetus popularium verteretur; aduerſam excitato ingenti rumore, in diſcrimine

agere

agere conclamatum eſt: artem hoſtis accuſantes, qui tormenti bellici ictu Vercellenſem concuſſerit, vt deſertam nec cuſtoditam perrumperet, ſcanderétque. Iam ſcalas admotas & niſi vniuerſi accurriſſent, oppidum in poteſtate inimici futurum. Id quoſdam auertit, poteratq; ſtratagema rem conficere; ſi aut nouo Pettardo tentatæ fores; aut mænia geminatis ſcalis obſeſſa forent. Bechefino non omninò impoſitum; qui ante alios conuocatis ſclopetarijs; cum ciues omnes in ſubſidium appellaſſet;coronâ muros cingere,aduerſam partem quam tum nemo oppugnabat, additis pluribus firmare, demùm in eos qui cum Pettardis venerant plumbea glande fulminare omnes iuſſi. Iam dies illuxerat, & armatas cohortes Sabaudij detexit; in quas certiori ictu ciues collineantes, nonnullos confecêre; nobiliorum quidam ſauciati ſunt. Hos inter Hermanſus, & Tornonus Barones Sabaudij, nec non commendator Motta, quem Sabaudius Rouiliaſco comitem dederat; vt bellorum expertem, & vniuerſa pericula nullâ ſolicitudine adeuntem. Apud Trinenſes pauciores nec cogniti exploratores erant; iique præferocibus conſilium inſtillabant, vt certam obſidionem metuerent. Ne tamen ſegni conniuentiâ, ſua ipſi mala nutrirent, aut ipſis cunctantibus Sabaudius plures ad eam expeditionem conuocaret; ſtatim ad Rubeum miſêre, qui obſeſſos ſe referrent; non tormenta,non puluerem bellicum, non arma, non militem habere; etiam internas fraudes; & è Bech ſino Duce diſcordiam(ſupremam obſeſſorum perniciem) metuere. Sabaudium cum duobus filiis,& ſtrenuiſſimo miniſtro Sangeorgio obequitare campis, raptare omnia, minas iraſq; ſpirare. Iam alas hoſtiles equitum, cohorteſq; peditum diuerſos locos inſediſſe; numeroſiorem hoſtem,quàm qui tumultuariè ſucceſſurus ſperaretur,eſſe. Neque dubitandum Vercellarum vicinio prouincias inimicas, fronti ac lateribus circumdatas, veteri in Monſerratenſes æmulatione, aut in partem victoriæ, aut belli aduolaturas. Proinde ſi publicam rem; & ante alia nobiliſſimum municipium ſaluum vellet, eiuſq; incolumitate magna ſecuritatis initia, & reliquorum fiduciam parare,ſtatim auxilio ſuccederet: ſpem omnem in feſtinatione ſitam; quando Sabaudius fulminis in morem feriat ante quàm minitetur. Qui venerant coram interrogati, eadem etiam atrociora augendæ formidini referebant, numerum equitum peditumque; vim hoſtium Duceſq; attollentes: ſiue vt acceleratum auxilium exprimerent; ſiue timore conſternati apud non metuentem amplificatione opus eſſet.

Trinēſes ſui periculi Rubeum admonent.

Rubeus quidem improuiſo nuncio perterritus, poſtquàm publicè conuiciatus legatos eſt; pauidos, ac degeneres ad pericula appellando (& erant nobiliſſimi ciuium fidiſſimiq;) citum curſorem Mantuam,plures per adiacentia oppida diuiſit. Fidem eorum qui detulerant eleuaſſe dicebatur,non neglectu ac ignauiâ,ſed vt pronos Caſalenſes in timorem, erigeret, animarétque. Porrò cum hactenus ſermone & comminationibus ferociſſimè in hoſtem egiſſet; re in manus datâ, factis plus ponderis ineſſe deprehendit. Mittendi nuncios per prouincias ea ratio fuit,vt Ponteſtura,Moncaluium,Niza,quæque validiora,& viciniora hoſti erant, retinerentur, in ea pagani cum familijs, commeatu & fortunis ſeſe reciperent; & infirmiores exemplo aut ſubſidio iuuarentur. De Trino actum iam crediderat,deſperaueratq; remedio; nec enim aut pecunia erat quæ in milites erogaretur;aut Trinenſes tormentis bellicis muniti inſtantem Sabaudium mænibus & tectis depellere poterant. Iterum tamen accuſatus apud Mantuanum eſt,quod conſuetum Monferrati Gubernatoribus morem; quoties repentina inuaſio metueretur, omiſiſſet. Bellici enim tormenti trinâ exploſione adiacentia oppida moneri conſueuerant, vt raptim ad arma concurrerent, & Caſalenſes peterent. Eâ diligentiâ cum plura paganorum millia accingerentur; tum quoque crediderant, vel inuito hoſte, immitti Trinum auxilia laborantibus ſocijs; vel oſtentatâ

Rubeus accuſatur quòd oppida vicina ictib. tormentorum periculi non admonuerit.

cominus acie pelli loco potuiſſe: præcipuè nondum aucto Sabaudio; nec temerè ſuos in diſcrimen daturo. Alij nil omiſſum referebant; quo Trini ac reliquorum municipiorum ſalus curaretur; ſed fato quodam (vt cum diuerſa apud diuerſos accuſarentur) optimum illud factu fuiſſe, quod nemo aut criminabatur, aut præuiderat. Nonnulli quidem Rubeum, vt violentiæ nimium horrebant; maluiſſeq; putabantur, quamquàm profuturum vniuerſis conſilium ſupprimere; quàm exercitas Gubernatoris ſimultates, vt flagitia ſui Ducis odio luere. Id erga Principes opinionis tenaces, & in iniurias conſulentium lubricos innatâ garrientium licentiâ vſurpari, non vno exemplo didicimus. Erant alij, qui inuidiâ hominis occulυêre conſilium; ne communicatio prudentiæ inuitum erudiret ad gloriam; vtq; ſilentio vindictam ab eo vt inimico ſumerent. Horum Rubeus medius, quia à Mantuano plenam poteſtatem non acceperat, ſciſcitari tamen conſilium procerum, & ſecretò admittere cogebatur. Longa & faſtidioſa inuicem diſceptatio fuit, vt ſententiarum litigioſa agitatio: cum modo rejicerentur quæ conſenſu recepta fuerant; modò reprobata denuò examinarentur; modò nuncijs, modo Rubeo intonaretur; nullibi fides, nuſquàm concordia eſſet; ſuſpicio, inuidia, querelæ gliſcerent: vtq; in trepidatione, & plebs partem ſe conſilij faceret; nec impoſiti negotijs prouiderent; in id tantùm intenti vt imputationes negligentiæ purgarent.

Diſcordia conſiliorum Rubei.

Quibus attentior quàm turbatæ res poſcebant Mantuanus, vt parum agendis conſulere poterat; ſic miniſtrorum iras nutriebat in exitium prouinciæ & publicæ rei. In eo cœtu quietiores erant, qui mittendos Mantuam nuncios conſulebant; ne quid inuito Domino fieret, quod turbatæ pacis inuidiam à Sabaudio, ad ipſum transferret. Poſſe cœptorum pœnitere Sabaudium, niſi infirmioris audaciâ prouocaretur; & tum culpam miniſtri, omnium exitium fore. Militares viri Principis quidem mentem requirendam; ſed interim milite Patrio vi obuiam eundum, cogenda Trinum auxilia, longius ſita nouis delectibus ſolidanda contendebant. Vtriſque conſilium in ratione fuerat; ſi procul ambitionem habuiſſent; & priuatam viciſſim iniuriam publico bono condonaſſent. Optimis legibus æmulatio repreſſa, exſurgit tamen miras per artes, & honeſti locum occupat; vbi iuſti æquiq; reuerentia, & trahentes in præceps turbæ præualeant, quem modeſtiæ reſpectum crediderimus? Executioni nihilominus Rubeus intendebat, ſingulorum ſtimulis excitatus, & in omnia verſus; ne quo deliquiſſe apud Ducem peruinceretur. Præterita cunctatio promptitudine diluenda erat; vnicuique ſatisfaciendum; vt inimici quò minus apud Mantuanum detraherent, retinerentur; amici in charitate durarent. Simul Inoyoſâ arbitro ſecuturam quietem quæ ſibi imputaretur credebat; ſed angebatur arcto imperio, & præfinito iure bellandi; quod ſtrenuos in primis ductores peſſumdediſſe veteres Hiſtoriæ prodidêre: Liberum enim exercitus Ductorem, neque detrahentium interpretationibus expoſitum, adhæc formidine ſupremi Domini ſolutum; nec opinantem leuiſſima aut fortuita errata, ſibi exitio futura eſſe conducit. Tam exquiſita in Hiſtoriam referre me pleroſque ægrè laturos ſuſpicor; quos expedita factorum ſeries iuuat; animum in finem anhelantem illico ad vlteriora tranſmittens. Sed nec exactæ euentuum cognitioni (quam Mediolano, Genuâ, Taurino, Mantuâ, contraximus) breuitate reſpondere licet; & ex re eſt ſingula nouiſſe, abditaſq; ſucceſſuum cauſas, ijs quibus adſcribuntur componere.

Erat tum Mantuæ aſſidua & pernicioſa peſtis Aulæ obtrectatio in vſu; fatalis miniſtrorum liuor, facilitas ad omnes auditus noui Ducis; vt iam plus domi quàm in Monferrato; plus in circulis quàm caſtris confuſionis ac tumultus eſſet. Non lamentationes centurionum, non querelæ ſubditorum, non accuſationes æmulorum fatiſcebant. Et plus negotij miniſtris erat in purgandis quæ ſeu falſa, ſeu

vera

vera objiciebantur;quàm obeundis quæ imperabantur.Et licet infirmitate Mantuanus propugnare ſua non poſſet ; quod ſuberat virium diſcordia miniſtrorum corrumpebatur.Id Domino ac famulis perſpectum erat:ſed quia omnes ſuo munere fungi oportebat vt concordiâ rectè factorũ remedia malorum quærerentur; eo magis res exitium ſpectabat,quo minus in cõmune bono ſtudio conſulebatur. Proinde Rubeus vt Domino temporiq; ſeruiret, compoſuit literas pauoris ſpeiq; medias.Cum enim Sabaudij exercitus irruptionem,incertam Trinenſium fidem, populorum diſcrimen metumq; expoſuiſſet; ſuam induſtriam,paratum cuicunq; periculo pectus offerebat. Et ante alia orabat,ne calumniantibus,niſi ipſo audito fides haberetur. Cum Caſalenſes diſceptarent,vltrò citroq; nuncij mearent,iam Sabaudius Trinũ obſidione cinxerat.Pettardi enim vis deſtinatis nõ reſponderat) ſpe certâ propediem oppidum in ſuam poteſtatem venturum. Sauciorũ quidem ſorti indoluerat; tamquam initia belli vulneribus ac ſanguine ſuorum delibaſſet: ſed ante alia famæ metuebat; quam agendorum exordijs, prout ceſſiſſent honoris ac dedecoris in futurum plurimum continere nouerat. In animo habuerat ſui reuerentiâ plura quàm vi vrgere;partem gloriæ reputans,ſi primi illius conatus validiores,cæteros formidine impuliſſent. Munimẽtorum Trinenſium conditio dederat animos : nec enim eam firmitudinem ſciebat,quæ longiorem obſidionem toleraret:nec intus tormenta haberi,quæ longius hoſtem dimonerent. Conſcios interim & fide obſequij illigatos,Sangeorgius inſtigare,vrgere,admonere promiſſorum: niſi celeri miniſterio affuiſſent,meritũ omne corrũpere: captam ciuitatem illorum beneficij non futurá docere;ne alios in eandem operam expectarent; ſibi gratiam & præmia expectarent.Illi quàm ſecretiſſimè licerer tranſitionem malebant;hortabunturq; quatere mœnia,nõ aggeratâ humo validâ,nullis intus inſtrumẽtis,quibus vis externa arceretur;ſed auerſione Ducis,& odio Domini nutatia.

Sabaudius Trinum obſidet.

Præcipuus defectionis adminiſter Iſidorus Viſcontus erat, qui bonas domi artes magno facinore honeſtare ſatagebat.Is iactis extra mœnia literis certiores Sabaudios fecerat,parum in ciuibus erga Bechefinũ reuerentiæ & obedientiæ eſſe; quàm minimè Rubeo militem competere; neq; diſpoſitos Monferratẽſes ſtatim ad iuſſa. Si qui cunctatione hæreant,vbi ferreis globis lacerari ædes ſuas,& illato hoſte domeſticam fortunã periclitari vidiſſent,tamquam parata apud Mantuanũ excuſatione,& ſupremâ neceſſitate actos deditionem properaturos.Serere ſe interim diſcordias, ambigua apud integros,certa apud ſuæ deſtinationis ſectatores diſſerere,quæ addito timore ſtatim in bonam frugem euaſura ſperarẽt.Vbi Mantuam delatum Pettardum irritè Trino appenſum, impẽdentis iam Trini periculi ignari,in ſolitas otioſis vanitates vulgus labebatur. Pompoſo quippe,nec apud omnes quidem credito mendacio vulgarunt, gratum Sabaudio contigiſſe,ſtratam illico Pettardo portam non fuiſſe;ne ſpecioſiſſimum municipium,impetu eodem caperetur diriperetúrque.Alij abſurdiora:Sabaudio rerum optimo æſtimatori appingebant, ſpeciem eam belli potius placuiſſe : vt cui certum eſſet, quæ cæpiſſet retinere nõ poſſe;ſed obæratos milites,nuditate infælices aut pannoſos,& quibus plura ſtipendia deberet,quacunque liberalitate recreare cogitaſſe ; etiam prædæ licentiâ;quæ benè meritá,maleq; ſolutam militiam reddit obſequentẽ. Commilitones enim anguſto denario ſuam fortunã non metiri (quibus ne victui quidem ſit ſatis)ſed inter pericula,vulnera,ac mortes volutatos,populationes tantùm furtaq; proſpicere:his proficere,his audere:eâ deniq; licentiâ Duces miſerrimorum gratiam inire. Si quid integri interim Sabaudius in deditionem venire voluiſſet (cum circumfuſè villæ quamuis auidi ſatellitis cupidinem explere poſſent) non amore feciſſe credendum,ſed quo integra plus in vſum belli cõferrent.Præcipuã Sangeorgius contumeliâ lacerabatur : nam gregarij militis fide dicebatur,ipſum apud centuriam eam militiam aſpernantem teſtatum, duorum menſium expedi-

Iſidorus Viſcontius.

tione, tantum vnicuiq; ſupellectilis ac pecoris fore, quantum libuiſſet: Raperent proinde, violarent, ſæuirent; immunes malorũ fierent, qui ſeſe ante neceſſitatem dedidiſſent. Breuem laborẽ eam pugnam abſoluturũ, & ingenti præmio lauteam apportaturũ. Sed ille prouecto iam bello ingenitâ nobilitate ſuâ cõfudit calumniã: nec.n.niſi in hoſtẽ ferocire ſuos paſſus eſt; aut vllâ innoxios iniuriâ violari. Pauci ærumnas aut damna ſenſêre; niſi quos inſcio Duce, furori victorũ, ardens bellum, ſecretum, neceſſitas obtulit; ab omnibus inter præliorũ incommoda reputata, & excuſata. Modeſtiſſimè tum Rubeus apud Caſalenſes agebat; & inſtituto prioris vitæ mutato dulcem comitatẽ induerat; cœperatq; vim periculi, magnitudinem Sabaudij ſeriò æſtimare: & proferre agendorũ conſilia, opportuna tempori, Mantuano vtilia. Suadebat rei ſeriem ad Inoyoſam præſcribi; ſubſidium Hiſpani Regis, arbitriumq; toties promiſſum repetere; orare ſocios, & veteri fœdere deuinctos ſolicitare; Venetorũ potẽtiam quacunq; id arte licuiſſet, nullâ Hiſpani ſuſpicione implorare; populum interim Mantuanum armare; honoris ac miniſterij ſtimulis excitare nobilitatem; cogere vndecunq; pecunias; & (in quo nõ inanis ſpes eſſe credebatur) Etruſcũ auxilio inuocare: magna ac ſecura remedia; ſed quorum nec prompta nec facilis expeditio eſſet. Periti quippe ſecretorũ nõuerant, Inoyoſam ſimulaturum Mantuani caritatem; ſed nequaquàm iniuſſu Regio apertũ bellum tractaturum; corrupturum interim opportunitates, & plura conſilio quàm vi executurum. Socios raros & ferè egẽtes eſſe: Venetos diu iam bellis externis implicitos & exercere Auſtriacos & exerceri: nec ſparſuros vires; aut plures belli cauſas accumulaturos. Etruſcum pecuniâ ditiorem, quã facto ſit credi: Ferdinandum quippe nullâ totius Imperij ſui acceſſione ærarium à fratre relictum auxiſſe; ſed & ingentibus erogationibus annuos reditus anteiſſe. Proinde promptè copias non miſſurum; vacuo iam cultoribus Senenſi tractu; & Florentino agro infœlici.

Mantuanus præfert Venetos & Etruſcum in ſuum auxilium.

Veneti tamen & Etruſcus ante alios Mantuano placuêre; cum iam certam ſpem in Gallis ſtatuiſſet; placuitq; ſententia, nullo Hiſpanorum reſpectu, vndecunq; ſeſe patrocinium oſtendiſſet, confeſtim recipere. Inoyoſam quoq; pro ſuſpecto & infido haberi pars conſilij fuit; vt in exitium populorum vniuerſa concurrerent. Qui Rubeum pridem inuiſum habuerant; vbi iam ardeſcere bello Monferratum vidêre, priuatim accuſanda, ob eam paratas ſuſpiciones in Ducem flexere. Excidium nempe & vaſtitatem prouinciæ imminere; non potius ingruentibus Sabaudij odijs, quam ſuſpicionibus Hiſpanorum, quas Rubeus Gallicæ fidei homo (eo parente genitus qui plures annos Venetorum ſeruituti deuinctus eſſet) Monferrato impoſitus, intendat; quod ſolicitudine ac curâ, haudquaquàm æmuli tum Reges tuerantur. Rarò filios à parentibus deſciſcere; ſed ferè cum natalibus eundem animum, eadem in potentiores ſtudia imbibere. Et ne quâ excuſatione iudicij ſuſpicio expungeretur, ſtipendium à Gallo Rege penſionis vocabulo Rubeum accepiſſe; cum Pariſios profectus, nobilis Aulicæ coniugio fidem obſtrinxiſſet; in mediâ iam tractatione armorum, & belli quod Italiæ inferebatur. Mores quoque (vt tempore & conſuetudine) apud illum Gallici arguebantur: quòd apertus, incuſtoditus, procurrens, & (ſi formidinem demas) temeritate lubricus videretur. Quod ſi vetera familiæ ſtudia recolerentur, etiam cum Parmam Rubei imperio poſſiderent, Gallos affectu fuiſſe. Sub Carolo VIII. militaſſe; & apud Ludouicum plures annos quẽdam eiuſdem familiæ meruiſſe. Vtcunq; ea res habuit, certum eſt retinendæ Gallorũ caritati, & in primis Reginæ, quæ hominẽ matrimonio deuinxerat, è tot nobilibus ſubditis, eum à Mantuano electum. Non ſine ſpecie ea querela viſa: & augebat coniecturam impudens quorundam iactantia; cum in circulis ac cubiculo, vna Gallorum fiducia præferretur. Sabaudij partium ſtudioſi Inoyoſam ſuſpicionũ monuêre; & per Hiſpanam Aulam vulgauêre, dátibus ſtrenuè operam amicis, quos plurimos Sabaudius æſtimatione ſui, & collatis beneficijs ſibi obnoxios reddiderat) vt crederetur. An in fide prælatus Mantuano fuerit, nec quæſiui-

Rubeus Hiſpanis ſuſpectus eſt eò quod eſſet Gallicæ fidei.

mus, nec didicimus; ſiue quia in ſuâ metuendus vicinis erat; ſiue vetus ſuſpicio diffidere cogebat: quia Gallus & Hiſpanus retinere certum Arcium numerum voluerant; ne in hunc illúmve pronior, operam accommodaret. Sed Sabaudius criminationum & obſeruationum non ignarus, cum apud Hiſpanos pleraq; euacuandis quæ obiiciebantur per literas diſſeruiſſet; vtile cauſæ ſuæ crediderat, ſi licet intus neglexiſſet, foris tamen metuiſſe accuſationes videretur; non pœnæ metu, ſed iacturæ amicitiæ: ſtabili ſemper fortitudine animi; vt blanditijs, officijs, promiſſis exoraretur. Minorum ordinum Principes liberè profitebátur, cuius cauſam præferrent; licet ille honeſti prætextu, in controuerſis cauſæ iuſtitiam ambiret; quamdiu Gallus & Hiſpanus æmulationes exercuiſſent, ab vtroque ſecurus.

Rubeus à Mantuano iubetur Arcem Caſalenſem munire.

Viceſimâ ſecundâ menſis acceptis iam Rubei literis, quæ ſolidum metum incuſſerant, reſpondit Mantuanus, ne cunctaretur ſtatim in Arcem Caſalenſem ingentia præſidia, & quátum poſſet annonæ inducere: voluntarium ad hoc militem deſcribere; & ciuitatis muros diurnis nocturniſq; vigilijs ſeruare; diſpoſitos certis locis curſores habere, qui Sabaudij motus & obſeruarent, & deferrent. Sic Ponteſturam duo millia cum quingentis miſſi; datuſq; Capitaneus Eques N. Riuara, magni animi, magnis natalibus iuuenis; qui vt ætatis deſpectum virtute confuderat, ductâ altiori foſsâ, & elato aggere, ſuffectûrum conatibus ingenium, tum, & cum poſtmodùm occaſio incidit, & Mantuano & Sabaudio approbauit. Pôteſtura non ignobile Monferrati oppidum, quarto à Caſalenſibus lapide ſitum, antiquorum munimentorum veſtigia, pugnatis olim bellis diſiectorum retinet. Occidentem collis imminens; Septentrionem Padus alluens, cætera ars muniuit. Nobiliſſimas intus ædes Monferratenſium Marchionum opibus eductas, & à Franciſco Principe Vincentij Ducis Mantuani filio cum præeſſet, noua ſpecie ac ornatu ornatas continet. A municipio Camino Scatampis Comitibus ſubdito, in Caſalentia vicinia, non alio aditu Padus admittentibus ripis tranari poteſt; ob aluei profunditatem, vadiq; incertitudinem. Amnis quippe magno decliui effuſus, licet humilioribus interdum aquis defluat, impetu tamen deuolutus, vix promotas aduerſum naues admittit. Ponteſturæ facile trãſmittitur; magno nauigio in eum vſum comparato; quod validis funibus ac tignis nexum, in hác illámve ripam conuertitur. Ingentia hic pondera, & clitellarios mulos tolerat. Muniendæ Pôteſturæ ea quoq; ratio fuit; ne propinquo vrbis inimicus tutò conſideret, aut peruio ad arbitrium amni, auderet aggredi vlteriora. Nizam quoq; incolarum numero & opulentiâ maiorem, plures prouincialium deducti ſunt: Præerat Ioannes Antonius Arcaſius; quem militiæ prouectum Sargentem maiorem vſurpato vocabulo appellabant. Minus præſidij oppidi conditio permittebat; licet quicunq; ea clauſtra poſſediſſet, adiacentia omnia tutaturus crederetur. Spatioſæ ac fœcundæ vallis medio inſedit; quâ negotiatores Genuâ Mediolanum, & per omnem eam oram diſperguntur. His paucos poſt dies Manfrinus Caſtilionus Præfectus datus: ſiue Arcaſij ſtatim pœnituerat (quod Rubeus inuiſum habuiſſet) ſiue Caſtilionus militiæ non rudis; & inter nobiles à cubiculo Mantuanis Ducibus longo miniſterio probatus, implere locum poſſe credebatur. Capitanei vulgatum etiam in minimos & ignobiles titulum auerſatus fuerat; impulitq; Mantuanum, vt ſi placuiſſet, locumtenentis vltra Tanarum appellatione inſigniretur. Huic vt exercitui ciuibuſq; neceſſaria prouideret, commeatum annonamq; curaret; denique partem ſolicitudinis capeſceret, additus Antonius Roërius. Magnâ hæc diligentiâ peracta ſunt: poteratq; ſeruari ad plures menſes prouincia, & operoſior locorum expugnatio Sabaudio reddi; ſi quæ tardè inter trepidationem ac diſcordiam, ingruente ſuſpicione maturè fuiſſent accelerata.

N. Eques Riuara Ponteſturæ præficitur.

Ioannes Antonius Arcaſius Nizæ.

Manfrinus Caſtilionus.

Caſalẽſium ſolicitudo.

Hæc apud Monferratenſes ſolicitudo erat: ſed non minor ciuitatis Caſalenſis metus inſederat; cum pleriſque ſuſpecta ciuium fides eſſet; recenti adhuc

quod Vincentius Dux diſcrimen adierat memoriâ; & de quo præteritis Gonzagæ libris tradidimus. Deſpecta in eam diem Sabaudij magnitudo eam vniuerſos aduerterat; vt eum cui ſe impares nouerant feſtinatione ac ſtudio præuenirent. Denſioribus itaque excubijs dies noctesq; muri inſidebantur; & ex eo ipſo ſuſpicio; quod ciues per vices agere vigilias,& inſueta ſibi arma tractare cogerentur. Nec enim pecunia ſuppetebat,quâ externus miles,& ſtipendiarius deſcriberetur. Intenderant Rubei metum inductæ prouincialium cohortes, & frequentes annonam conuectantium manipuli; in plateis,vijs, porticibus, templis tendentes; adeo validi; vt in eorum manu ſitum videretur, in quem Ducum decertantium ciuitas foret abitura. Miſſus quoq; Vincentius Guezzus Equitum ſclopetariorum præfectus, vt Caſalenſem planiciem Moranum vſque explorando luſtraret: ne quâ parte inopinatus hoſtis,parum validis & metuentibus ſuperfunderetur. Non exitu, non prouiſu vtilis tot hominum labor fuit; certo Sabaudio viſcera Monferrati non ante penetrare,quàm extrema & ſuſpecta ſuo milite firmauiſſet.

Rubei cura Mantuanè laudatur.

Conſilium nihilominus ratione commendatum; & publicè laudatus Mantuæ Rubeus, quod ſecuritatem vrbis cæteris nutantibus prætuliſſet: cum interim Inoyoſæ auctoritas, & miles Mantuâ tranſmittendus tollerent animos,ſuaderentq; nonnullis diligentiæ ac ſubſidij metu, feſtinatum Sabaudij ad ſuos regreſſum fore, tumultuario impetu & exercitu imminuti, qui maiora viribus aggreſſus eſſet. Deſiderium ſuum nimiâ ſpe circumdederat;nec enim prædatum Sabaudius ſuos; aut egentem rapinâ militem in eam expeditionem deduxerat; ſed paratum bello,& quæ veteri iure ſua crediderat reciperaturum. Dubitari non poterat tenues illius initio copias,acceſſione prouincialis militiæ,formam nobilis exercitus breui habituras. Et docuit exitus. Nam vix à Vercellis tormenta deuexerat; & iam plura bellatorum millia ſub ſignis numerabantur. Creuerat quoque nobili Equitatu;ſpecioſiſſima pars virium eius,& belli neruus. Iam Trinenſium deſciſcentium expectatio ſenuerat; & officij expectatio Sabaudium fatigauerat;culpabatq; creditam fidem,ac eluſum bene agendæ rei tempus. Proinde præmuniri ad Trinum caſtra iuſſit;non metu duraturi belli,aut affuturi clauſis auxilij,ſed ne quo militia ſua diſciplinam deſideraret.

Sabaudius munit caſtra ad Trinum.

Quà Vercellæ ſpectabant peditatus omnis longo ordine tendebat; vias omnes & ambitum murorum aggeribus complexus. Equitatus pars maior in effuſam planiciem Caſalenſes contra præmiſſa, infeſta omnia excurſionibus ac terrore Monferratenſibus reddebat. Corona quæ iam Trinum vallauerat ſpe auxilij deſtitutum, etiam Rubeum, mittendaſq; à Caſalenſibus copias arcuerat. Sabaudius ruſticæ caſæ ſucceſſerat, intra moſchetti ictum ſitus, ſi Trinenſes deſtinaſſent; aut quæ certius eminus ferirent tormenta habuiſſent. Mirabantur copiarum Duces,tantum in Principe ſecuritatis. Sed eos ille metus, ſolitâ ſibi magnitudine animi ridebat, cum aliqui ad omnem ſclopeti fragorem contremiſcerent. Nondum ſatis compoſito loco ſuos diſpoſuerat,cum quati mœnia quinque omninò tormentorum operâ iuſſit.

Hercules Niger.

Præerat machinis Hercules Niger,vir magni animi Belgico ac Sabaudio bello exiſtimationem nactus. Acceſſit nobile Sabaudij ſtratagema: cum enim foſſa altiori aquâ aſſurgens haurienda eſſet,& congeſtâ humo complananda; Pagani Monferratenſes in eam curam operamq; coacti. His Sabaudij ductores dati, qui cunctantes vrgerent,& ſtrenuè nauantes obſeruarent. Sed Trinenſes cum feſtinari Patriæ exitium viderent; & eos ictibus exponi,quibus caritate originis,etiam affinitatibus iungebantur; tum primùm ſeriò metuentes de deditione cogitare cœperunt.Quoties enim collineari ictus,& obuerti in ſe ruſtici ſclopetorum ora videbant;patriam,neceſſitudinemq; profeſſi & nomine compellatos ciues orabant, ne in ſe innoxios ſæuirent: ſed incolumi municipio & integra conſanguinitate potentiorem admitterent. Sic alieno ſanguine vlciſci Sabaudius iniurias,ſeruatis ſuis prudenter inſtituerat.

Sangeor-

Sangeorgius interim Ducis ac gregarij munere defunctus, non ita Trinenſes vrgebat; quin procerum Monferratenſium animos, in ſuam cauſam pelliceret. Stabiles in Mantuani fide nonnulli; alij ambigentes nutantéſque deprehenſi; quidam apertè deſciuerant; ſi ius ac vis valuiſſent, benè ſe Mantuanum Sabaudio mutauiſſe credentes. Non defuêre qui ſimulatione auſi ſunt veterem Dominum præferre; licet ſecretò fidi Sabaudio ſcirentur. Hos inter vir nobilis, nec mihi vrgentiſſimis de cauſis nominandus, citum Curſorem ad Mantuanum miſit cum literis, in hunc ſenſum: Dux Sereniſſime, Comes Guido Sangeorgius affinis meus & Celſitudinis tuæ hoſtis, quas acceptutus es literas, mihi per militem tranſmiſit. Hunc nec reſponſo dignatus ſum; nec mea aduerſum te fides merucrat, tam ingenti flagitio ſolicitari. Pridem decreueram fortunas omnes rapienti exitio permittere; & cum liberis ſeruitutem ſeruire potius, quam præſtitum tuis maioribus tibíq; ſacramentum violare. Id vt rebus meis ac filiorum conducat, tuamq; gratiam merear obnixè precor. Datæ vigeſimâ quartâ Aprilis 1612.

Nobilis Mantuani incertitione edds quibus literis ad defectionem a Sangeorgio ſolicitatur.

Sangeorgij porro literæ quas inſeruerat tales erant: Decreuiſſe Sabaudiæ Ducem viribus ſuis ac neptis infantis ſuſtentandis, eodem tempore pluribus locis Monferratum aggredi. Et quamquam Trinum nondum deditionem feciſſet; ſperare tamen haud diuturnam obſidionem toleraturum. Id cupiuiſſe amicum virum non ignorare. Eius enim vtilitati profuturum ſcire; ſi omiſſis incertis & afflictis rebus, ſeſe in Caſtra conueniſſet; vbi multo honore futurum. Poſſe ac debere cæteros eodem officio prouocare; & apud illum plus gratiæ ac præmij futurum, qui citius ſalutare conſilium capeſſiuiſſet. Tales Sangeorgij literas fuiſſe; nec receperim, nec abnuerim: quamquàm profeſſum hoſtem hoſtilia tractauiſſe probabile ſit, & virum fortem quod Sabaudij ſacramentum acceperat, non aliâ conſtantiâ, quàm datam poſtmodum Mantuano fidem ſeruauiſſe.

Iam Palazolum ac Fontanilum Monferrati nobilia oppida rumorem belli conſternationemq; vicinio exceperant. Itaque modicis viribus in formam cohortis aggregatis ſubſidium laborantibus ferre cogitabant; vt comminationibus Rubei; & eorum qui ſuum obſequium Mantuano alieno diſcrimine approbare nitebantur hortatu; ſic conatu irrito aduerſus paratos. Pauciores quippe erant, quàm vt recepti mænibus Trinenſium ſecuritatem afferrent; aut vt per armatum, intentum, obiectumq; properantibus hoſtem, dolo aut ferro ſibi viam facerent. Quod ſi vniuerſi eodem impetu in periculum Trini accurriſſent; haud dubiè plus Sabaudijs negotij incubuiſſet; quàm vt ſtatim in obſeſſos præualerent. Commendator Mottæ, non integrè ſolidato vulnere quod ſub portis acceperat; diſpoſito per tecta & inſidijs opportuna peditatu; ſclopetarios equites in aduentantes immiſit. Præuiderat minori conatu pauculos & incompoſitos ruſticos diſjici poſſe; vniuerſos (ſi conferti conueniſſent) prælio profligandos. Nondum enim totâ mole cæteri ſequebantur. Plures quoque Motta præmiſerat, vt copiarum numero terreret, ſuccedentes, & nullo vtrinque ſanguine, illi in ſedes ſuas, Sabaudij victores in Caſtra reuerterentur. Vbi pagani vicina tetigêre præcipitantur in inſidias. Itaque non pugnam, non ſociorum aduentum expectare auſi, ſparſi per diuerſos notos ſibi calles ad ſua redierant; vim hoſtium numerumq; augentes, ſiue metus ſpeciem multorum obtulit; ſiue aut trepidationi ſuæ aliquid honeſtatis appingerent. Eorum quidam ſeſe abdiderunt; alij prægraui armorum ſarcinâ leuati, expediti profugerunt. Sexaginta fermè acto globo, ac ſtrenuiſſimis in tergum ac latera diſpoſitis; cum itineri ac prælio pariter intenderent, euaſerunt; congruam tempori virtutem præſumentes; quòd & impares pugnam vitauiſſent; & compoſiti nec laceſſiti in ſecura euaſiſſent. Neque Motta abnuentes fugientes ve pertinaciâ conſectandi inſecutus ad exitium eſt: vt qui occupare incolarum charitatem quacunque facilitate iuſſus foret; ſatiſque ſe

Palazolenſes & Fontanilenſes iuuare Trinenſes nituntur.

A Commendatore Motta fugantur.

egiſſe crederet; ſi Trinenſes expectato auxilio fruſtratus foret; ſimul deſperatione meliorum ad deditionem impuliſſet.

Auditum id Caſalenſes ſolitâ inter ancipitia formidine acceperunt: licet ferociores teſtarentur, non alio certiori argumento innoteſcere poſſe, anceps non minus Sabaudio quàm Mantuano bellum tractari; ſi Ducibus popularium conſtantia in periculis fuiſſet; aut prouincialis militia in maſſam cogeretur. Sed reuerà vicini diſcrimine trepidabant; longius ſiti nec belli malis expoſiti, vt audaciùs expeditionem præliumq; loquebantur; ſic Mantuani iuſſa opperiebantur; an ſua ipſe tueri mallet; vel alieno arbitrio perdenda relinquere. Rubeus quoque iam prima obſiſtendi tempora prodidiſſe dicebatur; quæ in ſua commoda Sabaudius vertens, famâ ipsâ pro munimento ac bello vtebatur. Palazolenſes & Fontanilenſes profligati, ſacerdotem ſuæ gentis per nota diuerticula ad Rubeum misêre cum literis: per ſe non ſtetiſſe quominus Trino ſuccurreretur; ad famam diſcriminis ſociorum paucis ad mænium tutelam relictis, cæteros feſtinato profectos, vt ſubſidium laborantibus ferrent. Sed grates numini habendas, quòd circumuenti ac detecti ad vnum omnes mactati non forent. Facilem illis acceſſum ad muros obſeſſorum nunciatum: ſed vidiſſe ipſos totam planiciem numeroſiſſimis Sabaudij copijs inſideri. Itaque incolumitati ſuæ nota itinera, & non auſum inſequi Mottam conſuluiſſe. Quid facto opus eſſet perſcriberet; ſe interim vicinos ad arma concitaturos, obſidionem ſociorum, Sabaudij vires etiam quorundam inſidias ſignificaturos. Vbi vniuerſi ad manus & bello parati aduenisſent, promptiorem imperiorum executionem futuram. Hos Rubeus obliquè inſectatus, vt degeneres neglexit; iuſſit tamen in armis agere; nec niſi mandato aperta audere. Auditi motus fama; ſtatim vniuerſos Canaueſi populos exciuit; quos aut Mantuani amor, aut in accolas Pedemontanos vetus æmulatio ſtimulabant. Mutuò ſibi manum porrigere; & auxiliares copias per delectus educere parabant; vicinio ſibi potius quã Trinenſibus metuentes. Hos quoque internis ſuarum prouinciarum viribus opprimere, facile Sabaudio erat: ſed exuturos conſtantiam ſperauerat, quoties amicorum caſum didiciſſent: receptóque Trino tamquam compedibus irretiti, ſui tutelam omiſſuros: ſiue magnitudinem Pedemontanæ militiæ, ſiue ſeſe à ſuis diuiſos æſtimaſſent.

Hi tamen ſe literis apud Rubeum excuſant.

Canaueſium autem ſibi metuens arma capit.

Sed congruente conſilijs prudentiâ, vbi ſubſidij ſpe deſtitutos Trinenſes vidit, eos admonuit per literas; vt ab armis diſcederent; nec rerum ſuarum exitio tranſigi in cauſâ mallent. Veteres ac nouas aduerſum ſe Mantuanorum Ducum iniurias Trini obſidione vltum iſſe; non vt amicis populis perniciem acceleraret; ſed vt melioribus ac iuſtioribus Principibus dignos, mitiori imperio contineret. Sæuum ſe niſi in prouocantes hoſtes futurum. In Palazoli ac Fontanilis ciuibus ſpecimen pietatis dediſſe; quos innoxios, immeritos, & à Mantuani Ductoribus ad lanienam oblatos, cum trucidare potuerit, incolumes tamen & non ſatis properatâ fugâ ſeſe ſubtrahentes, abire permiſiſſe. Arma tantùm & ſarcinas, quæ metu obieciſſent, collegiſſe. Suadere itaque vt opulenti & intacti, periclitantium miſeriæ à longè ſpectatores eſſent. Id ijs quos exercitui ſuo præfecerit in mandatis dediſſe, vtq; debito pridem Domino feſtinato obſequio parêre non abnuerent. Moram omnem contumaciæ imputandam. Modeſtiſſimis hæc verbis, quæ in faciem ſuauiſſimè blandirentur. Conſilij (vt didicimus) ratio fuit; vt integros in partibus haberet. Quippe eorum qui ſponte acceſſiſſent operâ, coerceri teluctantes ſocios poſſe nouerat; & vniuerſos collatione pecuniæ bellum iuuare. Fortitudinem quoque crediderim prudentiæ ceſſiſſe; ne nondum celebri victorijs expeditione ſuâ, validiſſimi eius tractus incolæ, acceptis armis, & accitis propinquioribus plus negotij facerent, Trinenſemq; deditionem traherent.

Sabaudius eos populos monet ſecuros fore ſi armis obſtinuiſſent.

Valida ac numeroſa Canaueſigens eſt, pace opulenta, bello ſtrenua. Arces eâ

regione

regione deſideres, ſitu tamen pleraque munita, breui arte adiuta, aduerſus longiores oppugnationes firmari poſſunt. Quod cætera ſpectat, nulla per Monferratum prouinciа, nobilioribus & opulentioribus oppidis inſidetur. *Cananeſum* Præcipua cenſentur, Caluſium, Verolengum, Rondizonum, Candia, Caſtilionum, Marcenaſcū, Barrium, Foiſium, Volpianum, Orium, Montelongum, Cuzelium, Sangeorgium, Luſinium, Cieonium, Fauria, Riuaria, Forum, Buzanum, Lenonium, Rocca, Coirum. Præter hæc frequentes villæ agrum omnem interſecant; ruſticorum numero dites; & capeſcendæ militari diſciplinæ non abſurdo. Acceptis Sabaudij literis, quidam nullo amplius conſultore belli ſtatim quieuêre. Alij cum imprudentiam inimici accuſarent; quod capere epiſtolâ nobiliſſimam Monferrati partem præſumpſiſſet, occaſionem Ducemq; proſpectabant, à quibus ad arma vocarentur. Nonnulli ferociam prætulêre: vallare ſe temporarijs munimentis, & inducere tolerandæ oppugnationi neceſſaria auſi: ſed ijs adhuc conſultantibus, immiſſus ſtatim poſt literas miles, hoſtiles conatus obtriuit. *Etiam militis mittit noua copia illorum repreſſuros.* Profugos & tamquàm Mantuanum præferrent ſeuerè vltus eſt. Nam aliqui in captiuitatem abducti cū coniugibus ac liberis. Alijs domeſticæ opes abſtractæ, & direptione in milites ſupellex diuiſa. Sed hæc & ſimilia calamitatum exempla ſuo loco referemus.

Quatebantur interim muri Trinenſium continuis ictibus; & in ædes infeſti globi iaciebantur. Plus id mali ciuibus, quàm vtilitatis Sabaudio afferre videbatur; cui iam certum erat gloriam & victoriam in feſtinatione conſiſtere. Pars vna mænium certo ictu & iteratâ fulminatione impetenda videbatur. Itaque Sangeorgius lacerari ictibus turrim conſulebat, quæ veteri ſtructurâ, & amplitudine murorum, certum propugnantibus auxilium promittebat: Sabaudius propugnaculum portæ imminens, quati volebat; eo enim integro & portis præfixo, *Tormenta in quæ loca directa.* inuturum acceſſum militis cognoſcebat: Tracto in præceps nullam obſeſſis fiduciam defenſionis fore; ſuos verò eâ ſecuritate prouectos appoſitis ſcalis in ciuitatem euaſuros. Accedebat & ex ciuium formidine ratio; eo enim directa ictuum collineatio, & ædium ruina oſtendebatur: vt illi rerum ſuarum damno ſuperati conſtantiâ deciderent. Id plus terroris laturum fatebatur; & promptam ſine ſanguine victoriam promittere. Nec enim propoſitum Sabaudius omiſerat, vt deditі ciues, & rabie militari intacti in ſua commoda tranſirent. Porticus vetuſta erat obiecta munimento quod excidio deſtinabatur: hæc cœno & congeſtâ humo repleta patrando operi deſtinata eſt. Parte alia Hercules Niger tormenta aliquot viæ lateri diſpoſuerat; vt latiori ſcopo plus ruinæ ſequeretur, faciliorq; oppugnantibus acceſſus eſſet. Prouecto iam die concuti ac lacerari nouâ vi mænia cœpere, cum ciues interim tantùm ictus numerarêt, & momentis imminens exitium metirentur. Becheſinus rarioribus ictibus & irritis, vt animos eſſe ſibi, ſic non ſuppetere vires oſtendit: Nec enim aut tormenta, aut puluis igneus deducta fuerant; quo præſidio credebatur ad dies aliquot, in gloriam obſidionem reddi Sabaudio potuiſſe. Sed ſine milite hæc tranſmittere non licebat; & prædam Rubeus, non laborantibus auxilium obtuliſſet.

Inter hæc Trinenſes excidio agri, & fortunis omnibus metuentes; ſi hoſtis per vim irrupiſſet, deditionem Becheſino ſuadebât, iam enim cultiſſima camporum proteri; frugiferas arbores in munimenta hoſtium cædi; & ſparſas toto agro ædes dirui proſpectabant. *Trinenſes Becheſino deditionem ſuadent.* Contra Becheſinus ſubſidium è ſuis è Mediolanenſi Gubernatore præſidium, decus fidei, & pulſi hoſtis eam primam gloriam proponebat: Quæ fruſtra erant apud gnaros infirmitatis rerum ſuarum, eóque formidantes. Sæpius eodem die diſputationibus res agitata eſt; peruicaci eorum ſententiâ, qui vel in ſummâ pace Sabaudium præferebant. Trahere ſe negotium, & ſingulorum deſideria eludere crediderat Becheſinus; donec tandem precibus & conteſtationibus ſuperatus, proceſſurum ſe in colloquium promiſit. Sed non niſi

popularibus vtilia, & Mantuano honora pacta recepturum. Sabaudium iam fidi Trinenſium monebant, vt leges arbitrio diceret; arta domi omnia; ſubſidij ſpem inanem; & populares in nouum imperium geſtientes eſſe. Ille tamen paratis licet rebus moderationem præferens audiri conditiones iuſſit; retinendæq; maieſtati Gareſij Marchionem, & Sangeorgium nominauit, qui coram mandatis fungerentur. Moram omnem excipi imperauerat; vt in cætera tractabiles ſe laborantibus offerrent, voluit. Becheſinus itaque Tridui inducias paciſcebatur, quibus moneret ſocios, quo in ſtatu oppidum eſſet, cui omnes diſcrimini obiecti forent. Et niſi præfinito tempore auxilium affuiſſet retinendæ obſidioni validum, tum ſe liberam, militi tamen honoratam, ciui ſine noxâ deditionem facturum. Neminem intra mœnia eſſe dicebat, qui tribus Mantuanis Ducibus ſerie ſacramentum non dixiſſet: ſe nobilem militiam ſectatum; niſi cum dedecore ac ſui Domini iniuriâ, nullâ adhuc deditionis neceſſitate, cedere loco poſſe: eoq; vniuerſos excuſandos, ſi Patriam aduerſus hoſtes tutati, Principum ſuorum (quos tales crediduſſent) iuſſu, ſibi conſuluiſſent. Sangeorgius decoris militaris rationem habiturum Sabaudium, & ciuibus ſecuritatem fore reſpondit; ſi ſtatim victores recepiſſent. Dilationem perniciem laturam. Non intactos enim cognitione iurium ſui Principis eſſe; quem humanæ ac diuinæ leges pulſo Mantuano, debitam ſibi prouinciam repetere iubeant. Addidit ſapientius Becheſinum facturum, ſi omiſſâ irritâ peruicaciâ, ſtatim annuiſſet: ſic enim gratum, & cum merito apud Sabaudium obſequium futurum: Vbi vim expectaſſet, non præmia à victore, ſed cunctorum ciuium nomine pœnas daturum. Becheſinus militem ſe non Doctorem fateri; & à quo curæ oppidi impoſitus ſit tantùm, ſuiq; officij meminiſſe: Sabaudij an Mantuani ius potius foret ignorare: repentinam deditionem, niſi apertè proditionem induiſſet, ſibi & infamiæ & exitio futuram. In hæc facta diſceſſio. Et Sabaudius cunctationem omnem auerſatus, vt cœptis & progreſſui aduerſam, ſine concluſione Becheſinum dimiſit. Vbi intra munimenta fuit, medium populus excepit, metu anxius, & amore indemnitatis in fortiorem corruptus. Proinde repetitæ lamentationes, & excidium illius oppidi ſuæ aſperitati imputandum. Nil intus Becheſino eſſe cuius iacturâ indoleſceret: ciuibus verò honeſtatum coniugum ac filiarum pudicitiam, rem domeſticam, vitamq; ſingulorum, pectus mœrore conficere. Sacratarum quoque virginum recordaretur; quibus tota circum Regio, neceſſitudinibus necteretur. Non vnius oppidi iacturam; ſed multorum populorum calamitatem eam fore; ſi Sabaudius validior & iratus inanes excuſationes & irritas defenſiones diſieciſſet. Hæc intus; Foris repetita eſt murorum ſuccuſſio, continuis ictibus aſſidua; & eò acrior, quod dilationem ſibi perniciosam Sabaudij crederent: ſiue properaturis in ſubſidium Monferratenſibus, ſiue Inoyosâ metu regiæ indignationis aduerſaturo.

Eius cum Sabaudio primum colloquium.

Et irritum.

Caſalenſis interim nobilitas, apud Rubeum palam expoſtulare cœperat, quòd ante ora ſociorum; nobiliſſimum municipium obſideretur; & publicâ & Principis ignominiâ; nec ſummitterentur auxilia, quibus in diſcrimine conſtituti ad firmitatem iuuarentur. Experiendum aliquid dicebant, dolo aut fortitudine; quàm turpi ignauiâ fateri vilitatem; & implorantibus ſubſidium amicis, in vtramque aurem obdormire. Conatus omnes Sabaudij in vanum caſuros, ſi Trinum ab eo magnâ vi & fruſtra oppugnatum foret. Famæ ac victoriæ initium idem eſſe: abſceſſu hoſtis feroces populos reddi. Quòd ſi externum militem auerſaretur, patrium ne prohiberet; quin propero auſpicio animorum ſuorum inimicorumq; periculum facerent. Fœlicia Sabaudij initia, frangere accolas; & annonâ auctum hoſtem, alienis quoque viribus alienos oppreſſurum. Tum Rubeus idem ſibi in animo fuiſſe reſpondit; ſed Arcem vrbemq; Caſalenſem nudare præſidio; cuius ſecuritate ſumma rerum inniteretur, vt Trinum rarus nec ſuffectu-

ſuffecturus miles immitteretur; vt fugatus res amiſſas teſtaretur, ex vſu rerum præſentium non credidiſſe. Etiam ne medio itinere interciperetur formidare. His enim vt præſentem ſecuritatem imminui; ſic modicam dubiámq; ſpem non firmari. Cæterum cum Rubeum numero & ætate auctoritateq; conſpicui circumſtetiſſent; niterenturq; vt ſui Ducis honori concederetur; ipſe quod ſuarum partium fuerat, executus, vinci ſe precibus ſaſſus eſt: non ita tamen; quin periculoſam miſſionem, & omni circum agro Sabaudio milite inſultante non profuturam teſtaretur. Sui quoque Equitatus inopiam accuſauit; cuius in planicie ſumma vtilitas eſt; & ſine quo pedites vix forent obſtantia perauſuri. In eam itaque curam Vincentius Guazzus delectus eſt, vir nobilis ac magni animi; quiq; ardua ſponte requireret teſtandæ virtuti. Diurno itineri omnes diffidebant, tot circum armatis omnes aditus ſeruantibus. Nox opportunior viſa, inter anguſtias callium, Equitatus Sabaudij excurſiones; fuſum cœlo quantum nunquam hactenus imbrem, & denſiſſimas tenebras: non properantibus non obſiſtentibus vtiles. Centum fermè & quinquaginta peruasêre, Trinóque recepti ſunt; modica lætitia; quod non inferendo, non tolerando bello ſuffecturus numerus cognoſceretur. Cæteros Sabaudiorum ſtrenuiſſimi Equites conſectati, per inuia ſibi diſiecerunt. Plures formidine conſternati, & quò inter tenebras errarentur ignari, proiectis ſerdè armis (vt expeditiori fugâ elaberentur) Moranum diuerſis itineribus vnde venerant regreſſi ſunt; inimicum vniuerſa inſidentem, fortitudinem Sabaudij equitatus, deſperationem ſubſidij, ignauiæ prætendentes. Et quidem Capitaneus Lanius Mediolanenſis, vix lateri cum nonnullis centurijs peditum fortiſſimæ iuuentutis hærere iuſſus fuerat, ne quem in oppidum peruadere ſineret: ſed ille cum pleroſque retinuiſſet fugauiſſétque; pauculi tamen illi, vigilias & diligentiam hominis feſellêre. Creditum à peritis fuit, potuiſſe Monferratenſium plures diſpoſitas inſidias ſuperare; ſi aliquot Equitum alis, obuium hoſtem excepiſſent; flexiſſentq; à vexatione peditum in ſe vim inimici, & ad tempus ſuſtinuiſſent. Sed hunc rerum Monferrati exitum, & quæ inter infauſta proceſſu operis trademus æſtimanti, clarum fiet conſilij ac virium inopiâ, ſimul fato, eo bello Mantuani exiſtimationem concidiſſe. Conſpiraſſe in exitium prouinciæ, interna & externa mala videbantur: adeó vt nec bona proficerent; nec niſi cum occaſio vanuiſſet cognoſcerentur; malaq; ſtudio & induſtria procurata.

Rubeus 180. milites mittit Trinenſibus ſubſidium.

Cæteri à Sabaudijs fugantur.

Honofrius Mutus Romanus Ducis Canemorti frater; & è familiâ Sabaudio Duci lõgo annorum ſeruitio famulatus, equitatum omnem imperio regebat. Hic itaq; vbi adeſſe Monferratenſes, & immittẽdi Trinũ auxilij conſilia iniiſſe didicit è tranſuerſo limite deuectus, & inter primos ſublato clamore, inſidiarum neſcios perculſit fuditque. Quidam eâ trepidatione ſeſe vepretis abdidêre: alij in foſſas ſiccandis pratis cauatas præcipitarunt, nonnulli arborum ſummitatibus adrepsêre; & vniuerſi vicinâ iam luce, cum inſequentem neminem viderent, ſparſi & incerti Moranum contenderunt. Equitatui Sabaudio pretium laboris fuit, eos qui fugerant victos credidiſſe; & deſperandi in poſterum auxilij documentum Trinenſibus dediſſe. Eam noctem Sabaudius inſomnem egerat: non quòd ductoribus ſuorum minus fideret; ſed quod ſine parte diſcriminis neſciret in bello agere. Sciebat id tempus deſtinatum auxilio Trinenſibus; & primi qui ſucceſſerant, excitauerant cuſtodias, quæ rem docerent. Vim ingentem accingi nunciabatur, plura hominum millia, & cum Ducibus Equites quadringentos. Proinde relicto in caſtris modico præſidio, tanquam cum deliberato iam hoſte dimicaturus, vnà cum Principibus filijs accurrerat. Haud procul Trino à ſuis didicit, trepidatione fuſos Monferratenſes, omiſſis armis fugâ ſe Moranum recepiſſe; Trinum pauculos inermos & inualidos ingreſſos, abſumpturos annonam potius, quàm ſubſidio futuros. Laudata ſuorum virtute; & monitis ne raras excubias, aut incuſtoditas

Honofrius Mutus.

Sabaudius accurrit aduerſus auxilia venientia.

noctes agerent, redijt in Caſtra, vnde mœnia indefeſsè quatiebantur.

Id docentur Trinenſes.

Quod hactenus fidei ac conſtantiæ in ciuibus fuerat, aduerſæ res, & ſubſidij deſperatio corrupit. Nec ſibi in tempore Sabaudius defuit; ſed tormentorum fragore, fugam hoſtium teſtatus eſt; nec ſpem vllam reliquam noui auxilij docuit. Iniectæ quoque intra mœnia literæ certiores ciues fecerant, Rubeum magnum Mantuani Ductorem, expeditos in ſubſidium ac diſcrimen miſiſſe. Ipſum verò intra mœnia ſubſiſtere voluiſſe, pudore conſcientiæ & ignauiæ, vitatiq; periculi. Ponteſturæ clauſum torpentemq; opperiri exitus famam, vt proſpera ſibi, aduerſa formidini miſerorum, quos lanienæ obiecerat, imputarentur. Maiora quoque tormenta Vercellis conuehi; & plures in eandem expeditionem accingi; vt clauſi contumaciam ſanguine ac fortunis luant.

Trinenſes Becheſino conuiciãtur.

Sabaudio interim Trinenſium proniores cœpta promouebant; & Becheſino conuiciabantur; quòd ferocem & præpotentem Dominum in miſerrimorum ciuium perniciem, peruicaciâ irritauiſſet: quos (niſi ſtatim dederentur) iam in cædem ac prædam Victor deſtinauerit. Vbinam ſecura illa auxilia forent, quæ initio malorum, tam prompta tam valida promiſiſſet, requirebant: vbi deſcriptus exercitus qui in hoſtilem agrum populabundus immitteretur? Vbi tormenta quibus obſeſſor longius à mœnibus diſtineretur? Iactantiam nempe, & inani ſpe lactatam expectationem fuiſſe. Sedentem Rubeum apud vrbes, ſuorum querelis & miſerijs aures obſtruxiſſe. Ille communi atque adeo neceſſario pauore abſtractus, quod initio vigoris prætulerat, amiſit; honoratam tantùm deditionem proſpiciens; quâ incolumitati populorum, & impunitati ſuæ apud Mantuanum conſuleretur. Iniquiſſimè eam deditionem vniuerſos accepturos nouerat; non iacturæ tantùm, ſed & initij belli cauſâ. Hinc enim futuri præſumptionem, & ſucceſſuum finem pendere: vt nullum oppidum propriam infirmitatem accuſare falsò poſſe videretur, aut exemplum imputare; cum Trinenſes ferre Sabaudium nondum auctum non potuiſſe dicerentur. Frequentioribus interim ictibus Sabaudius, obiectum propugnaculum, & nutantia iam mœnia fodiebat. Collectiſq; Trinenſis agri ruſticis, vndiq; vim ingentem ſarmentorum conuehi imperauit, quibus foſſa in ſummum repleretur, tamquam ſtrato ponte, & per apertam tormentorum ruinam iam iam ſuggreſſurus. Miſeri pagani amicorum ictibus expoſiti, quamquam inuiti Sabaudio miniſterium, operamq; conferrent, vt hoſtes tamen habebantur. Vtrique exitioſâ clementiâ, pernicioſâ conſtantiâ conflictabantur. Nec militaris diſciplinæ partem vllam Sabaudius omittebat, quo firmitatem obſeſſorum frangeret; & feſtinatâ victoriâ cæteros timore quaſſaret. Aduerſâ parte oppidi Sangeorgius ſtimulatores admouerat, qui vanam fiduciam continuò exprobrarent, ſuaderentq; ne perditis iam rebus, & victore exercitu agrum omnem poſſidente, breuiſſimæ propugnationis gloriam, cum honoris iactura, cædibus, rapinâ componerent. Et fuêre Sabaudiorum nonnulli, tantâ ſecuritate; vt haud procul pinnis murorum collineantes in ſe Trinenſes obiurgarent; iuberentque iniuriâ abſtinere; niſi propediem deſtinaſſent, vniuerſum quem habeant ſanguinem, pro quocunque illato vulnere rependere.

Vis extera, & inſolita conſtantia, iam tertium Becheſinum concuſſit: non enim preces amplius, ſed vis ac minæ populi audiebantur; niſi ipſe medius pacis in colloquium vltrò proceſſiſſet; & innocentis populi fortunas neceſſariâ ac ſalutari deditione ſeruauiſſet. Vidit Becheſinus tempori ac fato eluctari intempeſtiuum eſſe. Itaque aſſumptis ciuium nonnullis; ne inuitis ipſis tractaſſe conditiones, aut

Becheſini alterum cum Sabaudio colloquium, & ciuium oratio.

arbitrio feciſſe deditionem videretur, Sabaudij colloquium requiſiuit. Vbi coràm fuit, pauca pro dignitate ſuâ, incolumitate ciuium præfatus, copiam ſocijs fecit, quæ voluiſſent eloqui. Sic egiſſe accepimus: Tertius iam dies, Dux Sereniſſime, voluitur, ex quo infœlicis municipij noſtri mœnia, domuſq; continua ſucceſſione tormen-

tormentorum flagellantur. Intus præter incolas ſeruilibus artibus intentos; nil militum, nil præſidij, nihil armorum. Deſunt tormenta limitaneis munimentis haberi ſolita, commeatus bellicus, annona, pecunia. Noſtrorum Principum cura omnis, præter Caſalenſem Arcem, Mantuam tantùm proſpectat. Negligimur vt alieni, contemnimur vt exteri; cuicunque occupaturo obiicimur, vt parum validi, parum fidi. Gubernator Monferrati, non conſilio, non auxilio adeſt: cumque formidini noſtræ intoner, obſidij ſolutionem, inani præſumptione à longè opperitur. Dux Mantuanus cui hæreditarium ſacramentum præſtitimus longè abeſt. Pauci intra mœnia qui auxilio miſſi fuerant recepti, iners numerus, nec par labori: cæteri fuſi fugatique, rerum noſtrarum ſecuritatem proiecerunt, vt ſibi cauerent: tantò minus alienam curare poſſunt, ſperantve. Quod non ſtatim acceſſerimus & vim potius quàm promptam gratiam experiri maluerimus, vt duraturi aduerſum te in fide obſequij ſecuriorem te reddit, ſic addit gloriam; tamquàm non proditione, ſed virtute ſubegeris. Ignaris quo conſultore vterentur, alieni imo proprij iuris neſcijs, & dictatam ab alijs ſeruitutem ſecutis, ſolito magnis victoribus more condonabis. Contemptu ac neglectu didicimus, parum poſſeſſoribus iuris eſſe in eos, quos ſummo in diſcrimine deſtituerint. Id certè nos aut alteri adiudicat; aut vindicat in libertatem. Obſidionum incerta nos æſtimaſſe non abnuimus; ignari nempe recuperaturuſve, an tantùm ciuium animos tentaturus adueniſſes; tumultuariéne impetiti, an iuſto bello occupati eſſemus. Et honoris quoque cogitatione admoniti; ſine vi & armis cedere, proximè perfidiam tangere. Recténe an cum flagitij notâ apud conciues noſtros omiſſo veteri, & cui tot annos inſueueramus Domino, nouum adſciſceremus ambigebatur. Prior auditus nobis, & cum lacte teneritudine caritatis hauſtus occupauit rudes animos. Serò licet, non vno monitu literiſq; amicorum didicimus, vetuſtiori iure Monferratenſes tuos ſe credere, per Cæſaris iniuriam detractos; & quò ſpecies errori eſſet, apud Mantuanum depoſitos, ne in poſterum redderentur. Superuenit vis quæ ſubditos ſacramento exſoluit; quoties oppreſſi ac lacerati, nullâ præſtitâ pietate deſtituuntur. Rabies quoque ac petulantia cohortium turbauerat animos; ne ſtatim admiſſus miles ſæuitiâ ac libidine, domos, templa, imo tuas res fœdaret, raptaretque. Si quos vulnera ac belli caſus ſauciarunt, ſuſtuleruntve virtuti imputandum; quam pro nouo Domino firmiorem indies futuram promittimus; quò paratius ſubſidium tui exercitus, tua ſiſtet magnitudo. Cæterùm ſi duraturos in fide, & ſecuritatis certiſſimæ vis, ſolitam tibi etiam apud perduelles aduerſus deditos clementiam indue. Noxæ nobis non ſit infirma & vtilia arma tractaſſe; eaq; ductorum impulſu, quibus in tempore parêre iura gentium ſuadebant. Sin intactæ à prædatione fortunæ noſtræ, libera ciuium corpora, pudicitia impolluta; arma retineantur. Demùm quæ multorum annorum decurſu, indulta priuilegia, immunitates vſurpauimus, in poſterum firmentur. Sic validos ſubditos & benigniſſimo Principi obſtrictos ſtabiles habiturus es; non vi, non conſilio in diuerſa mutatos: ſuccede in res tuas; & omiſsâ decertatione, tamquam victor apud nos duc triumphum.

Ad hæc Sabaudius, ſolitâ ſibi comitate laudare conſilium; quòd ſe prævalidum precibus adiiſſent, non iniurijs, non longiori contumaciâ aſperaſſent. Municipio antiqua iura ſeruari iuſſit; non ſolicitari fœminarum honeſtatem, procul vim eſſe; & quod ciues ante omnia orauerant, hoſpitalitatem (quam corrupto vocabulo militia Diſcretionem dicit) prohibuit. Sacramento quoque teſtatus eſt, non plures ſe præſidiarios quàm retinendo oppido ſatis foret, inducturum; annonâ ſolito pretio vſurum; & militi proprias ædes, priuatâ pecuniâ paraturum. Quin imò verſus in Sangeorgium imperauit, vt apud exercitum, id ſibi voluntatis eſſe teſtaretur. Qui Sabaudium conſuetudine nouerant, & negotiationi interfuerant, plo- *Sabaudij reſponſum.*

nam illius fidem,nec vlli vnquam mortalium imminutam fatetur; ſed quoſdam, militiæ ductores (cum futuros in officio vniuerſos ſpopondiſſent) ſecreto monuiſſe, ne elabi opportunitatem ſinerent: Ditem populum iniurias ſegniter laturum; ſi ante deditionem Sabaudio obnoxijs temperaretur, cæterorum querelas fruſtra fore. Hos enim quamuis in exitium non dedantur pro hoſtibus receptos. Portò pauca ciues apud Sabaudium locutos; nec deſcriptâ oratione vſos quoſdam aſſerere ignarus non ſum. Quamquam enim ſpecioſè concepta,& opportuna occaſioni videatur,locum tamen precibus potius quàm eloquentiæ fuiſſe ſcio. Sed & in noſtras manus ea oratio venit; Italo idiomate conſcripta; quam & Ormannus Medicus à conterraneo acceptam tradidit, iuſſo à ciuibus coram Duce communem cauſam complecti, & meditato temperamento recitare; & nos huic loco latinè verſam inſeruimus. Siue itaque executus fuerit; ſiue confuſione præpeditus, eadem diuerſis verbis eſt executus; id certum eſt,& tempori & veritati argumentum congruiſſe.

Becheſinus interim Trinum feſtinatè regreſſus, & dato diſceſſus ſigno, externam militiam ad principia conuocauit;vt quâ horâ Sabaudius ingrederetur, ipſe cum ſuis aduerſâ portâ recederet. Intempeſtiuam ſolicitudinem interpretati ſunt, quòd cum amiſſis iam rebus in concionem proceſſiſſe vidiſſent; & fidem (cui iam locus nullus erat) efferre,commendareq́; audiuiſſent. Sed in extremum profiteri conſtantiam,& ciuium conſenſum in deditionem accuſare,partem gloriæ fore ſperauerat. Vtraque Trini portâ patefactâ obuerſâ Moranum Becheſinus cum duabus fore peditum centurijs exceſſit; alterâ Sabaudius cum liberis totoq́; nobilium comitatu mœnibus ſucceſſit. Proſecuta circiter duo peditum millia, equites trecenti (vt ferebatur) numero delecti; ne qua dubiæ fidei, aut cum Monferratenſibus amicitiæ ſuſpicio res nouas inferret. Nox ferè ingruebat,& ciues in Mantuanum proni,captatam hinc eludendæ fidei occaſionem referebant: vt inter turbas & tenebras, nec ſatis prouideri deſiderio victorum poſſet; nec licentia accuſari. Obliti ſcilicet,parata omnia ſe Sabaudio ante obtuliſſe; & compoſitis difficultatibus,adornatoq́; apud omnes hoſpitio aduocatum. Sed vbi miles intra mœnia fuit,queri curatores cœperunt,ptouiſui tempus non ſufficere; & cum ſubſidium aduerſus cœli iniurias oraretur, reſponderunt; plurium dierum eam operam eſſe; donec vacuæ ædes tentorijs deſtinarentur; & ciues omnes eo onere leuarentur. Tum copiarum Duces indignatione incaluêre: ita nempe receptis hoſpitibus de tecto prouiſum,& oblatas ingreſſuris neceſſitates? Commodius in caſtris ad tormentorum fulmen incaleſcere; & contubernio frangere dium potuiſſe; quam intra domos aduocatos oratoſque. Trini ſine lare, ſine vtenſilibus,per plateas & porticus ſtratos vento & pluuiâ conficiendos. In cædem ac vindictam ſpectare res videbatur; niſi reiectâ cunctatione, comitas præteritam negligentiam excuſaſſet. Diſcretione itaque (ſic vocant) nec delicatè recepti.Idem intra cubiculum viginti,ſtrata paleis areâ habiti. Sed ex Sabaudio metus erat: quem milites vt præmijs effuſum, ſic legum ſeuerum vindicem non ſemel experti fuerant. Ægrè tamen tolerat militem ſuum,ad paratas res vocatum, omnium egentem medijs in plateis deſtitutum. Dolorem auxit Chatellarius nobilis Sabaudius eadem nocte ſublatus. Graui is vulnere in obſidione ſauciatus fuerat,cum ſtrenuam Duci ſuo operam nauaret. Et ſpes aliqua primo ex curatione affulſerat; ſed recrudeſcens dolor, & fuſus impendio ſanguis, artis induſtriam omnem ſuperauit. Voianus Rouiliaſchi Vexillifer præter ſpem ſuis redditus eſt, quamuis non abſimili ictu in extremum periclitatus diceretur. Trinenſes hoſpitalitatem victorum auerſari,cum cæteras curas amiſiſſent, in id tantùm intendebant vt milites ſæuitiæ & immodeſtiæ quocunque titulo accuſare poſſent. Quæ ſe dixiſſent iniquè toleraſſe, impendentia onera mollire poſſe confidebant. Ea certè

Sabaudius Trinum ingreditur.

Eius miles malè habitus initio.

certè quæ plurium dierum fortunâ euenerant, vt immania in publicas tabulas retulerant; quorum inuidia Sabaudij pietatem concire, vel mitiorem imperijs impoſitionibuſq; reddere nitebantur. Itaque inter arma familiaritatem, victoriæq; lætitiam, hæc quærebantur: duas pauperum ciuium ædes ſupellectile imminutas, culcitram vnum, ſindonem alterum deſideraſſe; tres mulierculas (quæ pridem tamen corpora quæſtui proſtituerant) in contubernia ſeductas; duos omnino pueros annis & conſuetudine ad pariendum geſtientibus, noctes aliquot fruſtra domi à conſanguineis expectatos; & ſeptimum poſt diem demùm dimiſſos. Hoſpitibus nonnullis vini amphoras aliquot, alijs pullos facetiæ imagine expreſſos. Tres equos, duos mulos clitellarios in vſum militarium impedimentorum dimiſſos, furto abductos; fœno ac palea Equites ſtabula oppleuiſſe; domeſticas lignorum ſtrues, & tabulas aliquot igni abſumptas. Sed fœminæ ac pueri in petulantiam ac libidinem ſepoſiti lamentationes intendebant; quamquam ſponte cupidinem militum ſecuti, & honoris iam ſecuræ quæſtum prætuliſſent. Continua plurium annorum pax, malorum belli obliuionem induxerat; & quæ ne quietis quidem rebus curioſè Principes conſectantur, boni ciues inter arma lamentabantur. Scilicet domus integræ, non exhauſtæ, intacta honeſtarum fœminarum verecundia, ſanguinis parſimonia, corruperant animos malorum belli ignaros, vt diſciplinam militarem rigore exercitam inter flagitia cenſerent. Sed tamen amicos monitores nacti, abſtinere ſimilibus vanitatibus iuſſi ſunt; ne eas ineptias conſectantes, veris mox damnis humanitatem docerentur. Sequenti vniuerſi ciues, quibus aut publicæ rei cura commiſſa erat; aut quos priuatæ opes inuidiæ victorum obiecerant, tamquàm reuerentiâ ſecuritatem Sabaudiorum mollirent pro Curiâ adſtitere: orantes, vt videre Ducem, & coram accipere mandata liceret. Inconſultâ enim querimoniâ irritaſſe iuſtam Principis indignationem crediderant. Aderant nonnulli pro Mantuano nixi, quantum ſtudio poterant ciuitatis exitium procurantes: in aurem nempe cuiuſque trepidantis ſuſurrantes, refrixiſſe præteritam Sabaudij pietatem, vi vniuerſa tractari, plures milites ingreſſos mœnia, quàm ſecuritati victoris opus foret; intonantes ac faſtu turgidos Duces copiarum circumire; ſecreta conſilia anxius agitare; quique externo hauſtum aquæ ſummiſsè orauerant, receptos iam, & rerum dominos adſcitos, vinum, epulas, & præcommoda cubilia requirere, non imperio, ſed expoſtulatione: promiſſam à Duce in caſtris caritatem, poſtquam inducti ſecuritatem attuliſſe viſi ſint, haudquaquam expectationi reſpondiſſe. Terram opulentam, dites incolas, inexorabiles aduerſus minimas largitiones eſſe querentes. Intelligebátur hæc à nonnullis. Nec enim illud tempus locumq; exprobrandi eſſe; & arbitrium victorum, rationis vicem obire. Ergò vtilius rationi mutare conſilium, ſtatim conferre omnia, ſciſcitari cupiditates, deſiderijs occurrere, deteſtari quæ impatientiâ dixerant; denique mitiorem erga ſe militiam, quàm alijs pacem; ne moræ quoq; culpa oneraret inuidiam, aut inculcatione præceptorum cunctatio expianda foret. Et ſilere & eloqui parum tutum videbatur: nam Sabaudio obnoxij fidis Mantuano ſuſpecti erant; & vtrique mutuò obſeruantes ſolicitè victorum gratiam aucupabantur. Nec conuicijs abſtinebant: Illi hos intempeſtiui obſequij nimis ſtudioſos; & eorum curâ tractam in tertium diem deditionem, viq; acceſſiſſe dicebant: iſti contra perfidiam (nemini acceptam) incuſabant. Et ſibi quidem vetus ſacramentum honeſtiſſimo prætextu excuſationi fuiſſe. Illorum promptam mutationem, ne Sabaudio quidem ſecuram dicebant: Perniciosiſſimam eam fidem eſſe, quæ perfidiâ commendaretur; nec recti animi locum apud eos eſſe, quos inconſtantia mutauiſſet. Supremum malorum diſcordia ita inſederat animis, vt non aliud municipium acrius in ſuum exitium conſenſurum fuerit; ſi victor vniuerſos perdere voluiſſet. Sed Sabaudius cupitam in ſuſpectis æmulationem amplexatus eſt; & pari in omnes caritate

concordiam commendauit. Ductores quidem copiarum, Iſidorum, alioſq; quorum operâ vſi fuerant anteferebant; non aliâ hoſpitalitate vſi, & iuſſis cæteris eò commeatum conferre; quod & ſibi & hoſpitibus abundè eſſet.

Nondum in publicum proceſſerat Sabaudius, ideoq; & amici deſiderio languebant; & inuiti ad deditionem pellecti metu angebantur. Prouecto enim iam die adhuc videndum ſe Sabaudius non obtulerat; & dubitabatur auerſari expectantes: quippe nonnullos lamentantes acceperat, ob cædes ac vulnera; & oppidanorum maiorem viribus peruicaciam. Incuſati quoque fuerant, quod in Sabaudium ac filios certo ictu ſæpius collineaſſent; vt obſidionem parricidio ſoluerent. Sed cõſueta Duci mora fuit; & in multam noctem tracta negotiatio, matutinam quietem expreſſerat. Tandem proceſſit in publicum magno nobilium virorum comitatu; bello quàm paci compoſitus, excepitq; ſupplices, & amicè compellauit.

Sabaudij ad Trinenſes ſermo.

Præuenti Ducis comitate ſunt; qui gnarus quò ciuium oratio ſpectatura foret, paucis ſe expedire ſtatuerat. Longo belli vſu perſpectum ſibi, inter confuſionem militarem feſtinationemque, neceſſaria poſcentium, potuiſſe aduerſi quid accidere aduerſus militarem diſciplinam, & leges à ſe exercitu dictas. Verùm vt nullo ſuo iuſſu iſta, ſic præterita ac futura pœnis coerciturum. Cupere interim, vt repentino tumultui, & cohortium neceſſitati teſtando obſequio aliquid condonarent. Si præteritam contumaciam, & iras victorum exercituum æſtimaſſent, patienter quamcunque calamitatem toleraturos. Ne oppidum coronâ cingeretur, mœnia vi militum perrumperentur; vniuerſi inter arma reperti trucidarentur prohibuiſſe pietate ſuâ etiam in victos. Itaque quamcunque iacturam, inter minimos cenſerent; & paucorum leuiumq; diſpendium, vniuerſorum ſecuritate penſarent. Sibi in poſterum eam curam futuram, vt onera deprecaturis præterita vexatio cedat in partem: fidem tantùm requirere; quàm ſi violaſſent, ferro & igni foret vindicaturus; cætera ipſorum arbitrio committere. Tum obuerſus in Sangeorgium, reliquoſque copiarum ductores, nominatim etiam compellato Commendatore Manta Equite Hieroſolymitano, & viro probatæ militiæ, quem Trini Gubernationi deſtinauerat, parari neceſſaria præſidiarijs manipulis; & exonerari ciues moleſtâ hoſpitalitate imperauit. Fidem interim & certum animum ſpondentibus Trinenſibus, & in omnem vſum operam. Tum in ſecretum ſe recepit; non publici formidine, ſed prudentia; quod nouis ſubditis inter arma, & ſpectatam Mantuani caritatem fidere ex ſapientiæ famâ non liceret. Trinenſes calamitatem quæ bellum infert inexperti, & à Sangeorgio iuſſi ſunt inter cuſtodes admiſſoreſq; primos ſeruare aditus, vt imperijs Domini prompti occurrerent: & vanis querelis abſtinere; quas intempeſtiuas victoria, iniquas ipſorum contumacia reddidiſſet. Paternum id monitum fuiſſe conſtat: ſi enim incautos obſtrepere inanibus, & nimiam victos libertatem præferre permiſiſſet, vi militari cum fortunis omnibus abſtracti forent. Docuerat Sangeorgius quid ex præſenti vſu eſſet; ſuumq; patrocinium oſtenderat; ſi tempori compoſiti, occaſioni paruiſſent.

Vbi cum Sabaudio fuit, de erogatione in milites faciendâ egit; quam centuriæ virtute meruerant requiſiuerántque; ciues iure victoriæ, & pretium ſeruatæ ſingulis domus debuerant. Auditus à circumſtantibus eſt ciuium cauſam vt ſuam agere: Inops municipium, raros pro magnitudine incolas; opes in paucos eoſque negotiatores diuiſas; mercenarios cæteros, & diurnâ operâ ſuſtentari ſolitos, promptos nihilominus omnes ad iuſſa. Domini quoque pietatem meruiſſe, quòd deditionem à Becheſino inuito aut cunctante expreſſiſſent. Domeſticas facultates Mantuanum immodicis exactionibus tenuaſſe. Itaque orare ne ſupra vires contributionibus premerentur. Erogandum in milites aliquid erat; & pagani qui expugnationi operam præſtiterant ſarciendi erant. Nouæ quoque

expedi-

Google

expeditionis conſilium concoquebatur, ideóque collationi intendebatur. Decem aureorum in auro millia Quæſtores Sabaudij ab oppidanis exigi conſuluerant; & quia more belli vniuerſa cum feſtinatione properabantur; vnius diei ſpatium præſcriptum, intra quem ciues pecuniam producerent. Peſſimè cum illis actum fuerat, niſi Sangeorgius medium ſe moderationis obtuliſſet. Nam apud Sabaudium teſtatus eſt, vnius diei diligentiâ eam ſummam cogi non poſſe, quam vniuerſi ciues vix poſſideant. Molliora imperanda, vt promptum miniſterium, & vires nouis neceſſitatibus ſuffecturæ ſupcreſſent. Negotiatione fortunas ac pecuniam omnem ciuium conſtare. Quod ſi ſemel vniuerſa exprimantur; vt mercaturam ſic quæſtum deſitura; vnde victum ſibi populus, Principi portoria ac Tributa conferant. Trinenſes ipſi apud publicanos & iudices obnixè agebant; orantes ne amici iam oppidi fortunas omnes perditas vellent. Non ſe quidem onera deprecari; ſed immodicas collationes ferre non poſſe. Nec quidem credere in pœnam iſta præſcribi; ſed neceſſitate belli; in quo accelerata deditio, coactus Becheſinus, & vetus caritas pietatem mereantur. Quod ſi vniuerſi incolæ quidquid æris domi habeant, in vnum conferant, decem aureorum millia non numeraturos. Nec credendum auaros, & pecuniæ congeſtæ diu incubantes eam abdidiſſe; quos tamen deſignari difficile ſit, ob profeſſam diu ab ipſis paupertatem. Non alio certiori medio cæteros Monferratenſes paratos, aut adhuc dubitantes illecturos in ſpontaneam ſeruitutem; quàm ſi dato facilitatis documento, apud clementem victorem admiſſionis promptitudinem fidémque, bono pretio æſtimari didicerint. Siue ſic prorſus ſentirent; ſiue quicunque color excuſationi quæreretur, oratio valuit. Et quidem apud coactos honeſta ſimulatio eſt; cum exitus docuerit plures in fide Mantuani etiam apertâ profeſſione manſiſſe: Sabaudióq; proniores non tum primùm, ſed ante oſtentatam obſidionem, futurorum conſilia agitaſſe. Exactores id ſtatim lucrati, quod ſponte Trinenſes in partem deſiderij deſcendiſſent: ab expenſis Ducis, parandâ obſidione, & deſcribendo milite orſi ſunt; vt ſubterfugere compenſationem, operæ, commeatus, bellici pulueris, niſi peruicaciâ ciues poſſe dicerentur. Neque enim ſtipendium illud, ſed repens, & ſimul interiturum donatiuum fore; quo tectis hoſpites, muris vigiles, externas excubias adimerent. Paueſcerent omnes impoſitiones immortali ferè tributo. Quæ ſemel imponerentur, ſoluerentur, obliterarenturq́; ne in rationes vocarent. Pedemontanorum meliorem conditionem non futuram; quos ſcirent vix dimidium illius Duci ſuo ſoluere; quod Monferratenſes anguſtiati ac laceri, in annos ſingulos Mantuano penderent. Num armatos exercitus, & tutelam ſociorum, aduerſus intruſos & tyrannos, ſine pecuniâ & ſociorum opibus nutriri poſſe: Hos nihilominus certum eſſe, fortunas & honorem ciuium, redditâ gratiâ tueri. Et cum ratione quædam minoris pretij, pro maiorum conſeruatione impendi. Vbi modus adſit (quod ſe caritate amicorum curaturos ſpondebant) querelis temperarent. Nullius vnquàm municipij ſecuritatem apud Victorem minori collatione comparatam. Ciues ſe non abnuere pro viribus iuuare pecuniâ partes teſtati ſunt; ſed inter incolas magnam inopum & obæratorum copiam; eoq; ſi grauis exactio imponatur, vniuerſum onus in pauculos ac ditiores abiturum; è quorum numero ij maximè ſint, qui odio Mantuani nominis Sabaudium maluerint: & hæredes priſcæ fidei, recipere vanam ac deſideratam ipſis ſeruitutem; Capitaneum verò Becheſinum maturam, & ſine ſanguine deditionem properare impulerint. Tum interrogati quantum proferre cogitaſſent; & moniti, ne re minimâ oblatâ illudere pietati Domini viderentur, manſuetudinemve potentioris aſperare, aureorum tria millia obtulêre. Illi renidentes, hanc quidem ſummam certò nos reproducturos, dixerunt, ſcimus; ſed quâ fronte eam vilitatem, Domino noſtro nomine offeramus, ignoramus, ne (quod ferè vſu venit)

Trinenſes iubētur pendere decem millia aureorum. Sangeorgius huic ſummæ intercedit.

diminutum ſpontaneum obſequium in crimen vertat. Orati tamen, medij clementiæ Ducis accedere; quantum auri promiſerant retulêre. Nec Sabaudius tenuitate oblationis irritatus eſt (niſi neceſſitas vrgeret, aduerſus omnes gratuitæ pecuniæ erogator) ſed tamquam liberam donationem, laudato ſtudio recepit; pauca pro tempore addens; ex quibus ſilendi neceſſitas cognoſceretur. Fiſci ſui, ac ſuorum ſanguine potius bellum proſequi ſe velle dixerat; quàm nouorum ſubditorum querelis, & pauperum lamentationibus pulſari. Ea magni Principis prudentia ac moderatio erat; vt ſeueritate, comitate, ſimulatione, blanditijs opportunè vteretur: ſciretq; etiam ab ijs quos belli calamitas offenderat, ſpontaneam gratiam exprimere. Inter victoriam & acceleratas expeditiones, vbi non iuri, non honeſto apud potentiorem locus eſt, alterum iam diem ditiſſimi oppidi erogatio examinata eſt; non alio certiori pietatis argumento, quàm quod victorum cauſam victor tueretur. *Trinenſes quatuor aureorum millia Sabaudio pendunt.* Quatuor omninò aureorum millia produci à non repugnantibus placuit; quæ ſtatim exſoluta, leuitatem oneris teſtata ſunt; non abnuentibus ciuibus plura imperari potuiſſe. Et Sabaudius quod vlteriora meditaretur, ſicur exiguæ pecuniæ exactione tempus terere abnuebat; ſic gratam habuit, feſtinatione ac voto ciuium ſimilia expediri. Collatio nihilominus expectatione & viribus minor; æſtimationéque temporis & neceſſitatis impar conſuetudini credita fuerat. Eoq; paucis peditum manipulis, equitumq; turmis, per diſcretionem hoſpitalitas imperata. *Et hoſpitaliter milites recipiunt.* Ea munificentia tolerabilior ciuibus futura ſperabatur; quòd frumento ac vino domi congeſto, facilius commodis militum, quàm ſi impendenda pecunia in omnes neceſſitates foret, conſuleretur. Nec opinio fefellit; certantibus eo officio Trinenſibus, ne alterius caritas potior diceretur. Leuia hæc & beneficijs à Sabaudijs collatis quæſita ſciebantur: maiora Duces ſepoſuerant, diſtulerantque, veluti promptè receptâ ſeruitute ſecutura. Foſſa obſidione aut ſitu repleta, mœnium refectio, turrium eductio; & quæ olim ſecuritati parata fuerant; quæque imminenti periculo deſiderabantur curari iuſſa. Ne regreſſus forſan in poſſeſſionem Mantuanus peiora iniungeret, minuſq; numero præſidium prætextui fuerunt, vt ea ſeruitus ſpeciem haberet libertatis, publicâq; ſecuritas eblandiretur. Hoſpitalitas tamen, expenſæ, & labor inſolitus Trinenſes perculêre, vt apud Commendatorem Mottæ cæteroſq; belli Duces partem onerum denuò deprecarentur. Cumq; priuatas ac publicas erogationes, ſuis quæq; titulis lamentarentur; vt plus efficaciæ excuſationi eſſet, addidere tanta in commune ciues egeſtate arctari; tantam ad inopiam pleroſque olim dites deuolutos; vt ne Mantuano Duci quidem, maturatos pridem reditus in præſentem pendere potuerint. Plenam ciuium pignoribus Curiam; quæ Magiſtratus debitoribus abſtulerit; inopiâ tamen raros redemiſſe: quoſdam ne cogitare quidem. Aduerſam cœli tempeſtatem, ſegetem plurium annorum pruinâ ac grandine depaſtam; lapidata ſæpius vineta eſſe; intercidiſſe mercaturam; aduectas ab exteris res ex vſu vendentium non extruſas; denique non aliud malorum compendium quàm tolerato bello euenire potuiſſe. Expergefacti eâ lamentatione Sabaudij miniſtri, cum libros publicarum rationum proferri iuſſiſſent, mille & quingentos aureos veteris cenſus, adhuc Mantuano fiſco debere deprehenſi. Eam rem vt exilem qui rationes ſubduxerant aſpernati ſunt: quia tamen Trinenſes alienæ iam poſſeſſioni ſucceſſerant, & Mantuanus irrupiſſe in iniuſtum dominium putabatur; vt id quoque conferrent, miſtis communationi blanditijs peruicêre. Et quia publica exactio impoſſibilis erat, alienum æs cogere imperati. *Reditus quoque maturos Sabaudio ſoluunt.* Id ſtatim à ditioribus repertum; vbi mutuantibus publicis fortunis caueri viderunt, ne qua occaſio iræ eſſet: ſatis comperto in recenti victoriâ aduerſus pauperes ſæuitiam ſanguine, in opulentos prædatione conſummari. Cæterùm manebat Sabaudijs metus, ne

quamuis

quamuis direptione ac cædibus victor temperauiſſet; vbi tamen Hiſpanus aut ſi qui alij, amiſſas res Mantuano redditum aduenißent; eorum quæ ſponte obtulerant odio, & hoſpitalitatis collationiſq; inuidiâ ciues mutari faciles, vetus ſacramentum reſumerent. Iraque conuocatos religione illigari placuit; vt iuramenti reuerentiâ conſtantius in officio manerent; & perfidiæ nulla impoſterum excuſatio ſuppeteret. Paruêre vniuerſi permiſsâ ſui poteſtate, & amiſsâ pridem negandi libertate. Fidis & auerſis Sabaudio id ex voto euenit; ſiue prorſus mallent; ſiue mitius imperium tamquàm in ſuos futurum præſumerent. Hæc Trini nobiliſſimi oppidi fortuna fuit; quod nullis intus viribus, non præſidio, non armis validum; inter metuentes & audentes corruptum, ſummâ in pace; & nullis ex Sabaudio ſuſpicionibus agebat. Accuſabant quidem Mantuani, quorundam perfidiam, & integris adhuc rebus acceleratam deditionem: ſed nec ſpes vlla obſeſſis in conſtantiâ eſſe poterat, & irritatus dilatuſq; ad plures dies Victor, vltus fuiſſet cunctationem, prædâ ac cædibus promiſcuis. Formidinem ſociorum, imparem auxilio Rubeum, procul agentem Mantuanum, rerum omnium inopiam, vacua apparatu belli & propugnatoribus mœnia æſtimauerant; non alio quàm conterranei iudicio: qui vbi verſum illuc cum exercitu Sabaudium & tormentis rem agi didicerunt, ſtatim de oppido actum faſſi ſunt.

Et ſe iuramento illigant.

Quâ die Sabaudius Trino potitus eſt, partem militum in impoſitum vicino iugo oppidum Gabianum miſit; vt ſeu vi, ſeu oſtentatâ clementiâ, in deditionem pelliceretur. Incolæ certâ victoris gloriâ, nullo honore ſuo, ſtatim miſſos receperunt, occupatos ſe dixerunt: cum non munimento, non duce, non præſidio firmati, tamquàm ſummâ in pace agerent. Et exemplum Trinenſium exprobrabant; quos validiores ſubita vis oppreſſiſſet; & à Rubeo expectatum auxilium eluſerat. Formidauerant populares, ne excidio Patriæ futuram virtutem intempeſtiuè & irritè proferrent; ſeq; ac vicinos nullâ ſpe meliorum præcipitarent.

Gabianũ in Sabaudios.

Cum adhuc Trinenſem obſidionem Sabaudius cogitaret per fidum nuncium literas ad Alexandrum Guerinum Cheraſci Gubernatorem dederat; quibus cum iura ſua breuiter præſcripſiſſet (nõ enim probanda ſeruo cauſa fuerat) imperabat, vt vniuerſo quem apud ſigna cenſebat milite Albam Monferrati ciuitatem aggrederetur. Monuerat certum ſecreto locum fore, ſi impararis ac neſcijs ingrueret. Nullam toto eo tractu ciuitatem âſcenſui & oppugnationi magis obnoxiam; nudata munimentis latera, portas carie diffluere, foſſam alto cœno refertam; non iuuentutis, non armorum intus eſſe, quod aduentum validi hoſtis ferre poſſet. Celeritate tamen ac ſilentio ante alia opus: & magni conatus præmia, ſtrenuè geſtâ expectaret. Ille ſui Principis mandata, quàm auerſam fortunam, & expeditionum incerta metuens, non defuturum ſe tempori ac præcepto reſpondit. Et erat vir magni animi, ciuilibus ac militaribus ſtudijs iuxta celebris. Nec minus approbandæ virtutis ſtudio accendebatur; ne ſedentariam militiam fatigare, aut inhonora ſtipendia facere videretur. Militum quoque auidiores audentioreſque, ex queis præcipui Galli erant, negligi ſe tam diu, eoq; ſecordiâ corrumpi, & inopiâ laborare querebantur; quæ vt fortibus auſis depellere liceret, orabant. Quingenti ferè pedites, equites centum dicebantur (Mantuani ac Sabaudij numero addunt adimuntq;.) Hos Dux haudquaquam Cheraſco impoſuerat, vt illatam à vicinis iniuriam propulſarent; ſed vt opulento in loco tenderent tolerarentque; & ſi quando tempus & occaſio admonuiſſent, ad manus eſſent. Vix decem millibus paſſuum à Cheraſco Alba diſtat, patenti itinere, & ſequenti ciuium commercio ob commoda mercaturæ. Pronum in Sabaudij miniſteria Guerinum, priuata etiam in Mantuanos odia accendebant: quod Vincentius Mantuæ Dux Genuæ, hominum nobili ludentium cœtui admiſſum à cæteris, ipſe auerſione ſpreuiſſet. Id ille vt in ſui diminutionem acceperat; ſic multa

Alexander Guerinus Albam inuadit.

Guerini odiũ in Mantuanos.

apud communes amicos queſtus fuerat, quod honeſto loco ortus, & actus militiæ, non aliâ inſuper nobilitatis probatione egeret; vt à potentioribus in publicum ludum admitteretur. Alba vetuſtæ nobilitatis vrbs apud Monferratenſes eſt, à magno vſque Pompeio origine deductâ, vnde denominatio Epiſcopatu celebris, cuius iuriſdictio, Mediolanenſis, Genuenſis, & Pedemontanæ regionum partes non exiles complectitur. Centum hominum millibus iura reddere Epiſcopus dicitur. Huic vniuerſa quæ magnarum vrbium decora cenſentur temporis iniuriâ deperiêre. occurrunt intus inanes vaſtitates, magnæ ac deſertæ domus, murorum ingentes ruinæ, latior ambitus in hoſtes fuſus. Soli tamen vbertas ſubeſt; licet infami cœlo obnoxia, famaq; pigri aëris aduenas omnes arceat. Hinc nulla vrbi munimenta, non præſidia, non arma, non commeatus, rari exteri incolebant, nec niſi quibus vetus patria erat, aut in agro auitæ opes. Nomen ciuitatis tantùm, cætera præ villis, & pleriſque Monferrati municipijs ſpernitur. Campi circum frumenti vbertate, colles nobilitate vini commendantur. Hæc quamquam parata occupanti, paupertate tamen ac raritate colonorum aduerſus auaritiam ac militarem cupidinem tutâ agebat. Senatore qui ius diceret, vtebatur, vt ciuitatis honor pompoſo titulo retineretur. Ad repentinos incurſus vix ducentos incolas numerabat, qui in patriæ ſubſidium concordes arma ferrent. Quod habitantium reliquum erat, effœtæ ætatis, & imbellis ſexus cenſebatur. Vicina municipia niſi præuenta ab hoſte forent, aliquid caloris promittebant; ſolita deſcriptum militem in ſubſidium tranſmittere, quoties iuſſa aut accepto tumultu prouocarentur. Guerinus quamuis nullas ciuibus aduerſus ſubitos conatus vires ſciret; ne tamen communicando Ducibus copiarum conſilia, conterraneos meditationis & periculi admoneret; eoq; ciuitas iam non dolo, ſed apertâ vi capienda foret, Cheraſci portas ſtatim occludi; ne quis iniuſſu ſuo ingredi aut egredi poſſet, imperauit. Adhæc gnarum viæ, & Albenſibus longâ conſuetudine notum, nec ſuſpectum in vrbem miſit; ſciſcitatum quæ vires, quæ cura, quod ſubſidium apud hoſtes; num quæ ſuſpicio recentis deſtinationis obrepſiſſet. Parêre Sabaudio in animo habuerat; ſed fortunatum quemcunque euentum prudentiæ ſuæ, non fortunæ adſcribi volebat. Explorator miſſus feſtinato regreſſu ciues tantùm mœnia tenere, eoſq; rariſſimos; inter eos plus numeri quàm virium, nullum Ducem; Siluio viæ nec conſilium nec vlla certa mandata; Senatorem ſemihominem (ipſa verba refero) in aperto & parata omnia retulit. Nam ſi ætate fracti, pueri ac fœminæ in cenſum retrahantur, cum iuuentute omni, vix quingentorum numerum explere. Ne conſilium quidem ſubeſſe; adeo pacem præſentem apud ignauos futuri ſecuritati cauiſſe. Domus nonnullas commeatu dites, raras, aut nullas pecuniâ cenſeri. Frumẽto ac vino ſtare diuitias; quæ tamen inania ſint, & fallacia; niſi apud exteros extrudantur. Ergo Guerinus accitos centuriones, ſui Ducis mandata, quáque erumpendum; quibus machinis, quibus armis aggredienda ciuitas eſſet aperuit. Ire vniuerſos in certam prædam; & ineſſe Epiſcopum Pendaſium Mantuani ſanguinis, rerum affluentiâ, & reditibus patrijs opulentum; qui militem omnem è ſordibus tollere, & iuuare poſſint. Reſponſum à fortiſſimis commilitonibus eſt; ſecuturos quocunque ducerentur; nec vitaturos pericula, ſi Ducem eum, comitem & imperantem habuiſſent. Paupertatis ſolummodò ſuorum meminiſſet; nec eorum quæ ſtrenuè acturi forent præmia apud hoſtes eſſe vellet. Eam vnam ſpem retinere voluntarium militem; cui in voto ſit, vitæ periculis toto æuo ſuffecturas fortunas prouocare. Scalarum ac Pettardorum is numerus aggeſtus eſt, qui operi & repentinæ inuaſioni ſufficere credebatur. Singuli ſe tamen bellico puluere, ac plumbeis globulis, tamquam in longam decertationem ituri muniuère: vt & expeditis facilior inuaſio, ſi pugnam ciues metuiſſent; & auſutis bellum arma ad manus eſſent. Tertiâ noctis horâ

Alba conditio.

horâ Cheraſco egreſſus Albam contendit,ſilentio ac ſecreto vſus; & ductis lentè militibus, ne ante operam laſſarentur. Matutino ſub mœnibus fuit: Non enim aduerſus inermes, & qui certamen capeſſituri non forent nocturno aſſultū opus nouerat; & nullo contra certante, vtilem lucem occupandæ ac diripiendæ ciuitati crediderat. Impatientiâ ac vi militum magis Guerinus,quàm ex Albenſibus ſolicitudine laborabat; quod inopem militiam diu tolerantes, moram omnem quæ vtilitatem differret auerſarentur.In itinere feſtinationem moderabatur;docebatq; non adeo exuiſſe fortitudinem Monferratenſes, vt ſpem omnem obſiſtendi deſtituerint. In vicinio habere ſocios, quorum interſit ſeruatâ Albâ ſibi quoque parari ſecuritatem. Actum quippe de minoribus municipijs,ſi ciuitas in hoſtium poteſtatem abiuiſſet.Et quidam paruêre,nō modeſtiâ,ſed quod quæſtus in propinquo eſſet.In diremptionem ciuitatis etiam Sabaudium conſenſiſſe quidàm vulgauerant; ſi modo ciues ſeruarentur, & opulentiora oppida ſupereſſent, quæ collationibus & delectibus futurū bellum adornarēt.Conſuluiſſe quin etiam paupertati militum ferebatur; quorum cupiditati condonandum primum illud facinus videbatur,vt certiori ſpe ac diſciplinâ obſequentes ad cætera quæ patraturus eſſet, inueniret. Negabant alij piiſſimo Principi rapinam placuiſſe,ſed cum recipi ciuitatem imperaſſet, reliqua ductorum iudicio permiſiſſe; quibus viſum ſit captam ciuitatem in prædam victorum cedere: niſi egeſtate & irâ efferatæ centuriæ vim quoque Guerino fecêre; vt diſſimularet, quod ſine ſeditione non poterat prohibere. Nonnullos Equites ſub veſperam præcedentis diei in proſpectum Albenſium miſſos,qui mœnia obequitantes inanem metum facerent, conſtans opinio fuit; mox longius abire iuſſos; non alium in finem; quàm vt prioribus ſecutæ noctis horis ciues vigiliâ fatigarentur; matutino verò non minus laſſitudine,quam admiſsâ ſecuritate in ſomnum ſoluerentur. Sed nec veniſſe conſtitit; & inconſultam deliberationem futuram fuiſſe periti rerum belli fatebantur. Viſo quippe metu,quos per agrum circum labores ruſtici detinebant,& expediti popularium, cariſſima ſupellectilis ſecum in editiora aſportaſſent abdidiſſéntque; aut conclamatis ad periculum ſocijs, belli periculum feciſſent: Ipſi Equites nec feſelliſſent; & locorum gnaros ad ſecuros receptus admonuiſſent. Vno ferè milliario à ciuitate Sabaudij aberant; eum in colloquium coëuntes, ſingulis ſua loca,curæ,diſcrimina diuiſa. Viarum quoq; periculo conſultum,ne quæ vis à tergo ſuccedentes adoriretur; aut vicina municipia conuocaret. Ita ciuitas incolis vacua, propugnante nemine, aut metuente immiſſis à Guerino militibus inuaditur; facili aſcenſu quocunque flexiſſent. Baro Chiuronus, Emanuel Barra, & Allingius cum parte Sabaudij peditatus portam vrbis in Tanarum verſam,tractis ſecum Pettardis elegêre. Hoc appenſum valuis carie & vetuſtate diſſolutis, & cardines effregit, & tabulata putreſcentia diſſoluit effuditque. Secuti per rupturam Sabaudij intenti ſunt, cumque nemo propugnantium occurreret; vt dubitantibus etiam terror adderetur,in vacuos vicos moſchettos exploſerunt. Quo rumore conſternati alij,alij vix ſomno excitati Camillus Taffinus,Ioannes Menſonus,Bernardus Vacca, Ioannes Marcus Arbaudus, Pedemontanorum ductores in duas partes diuiſi,ſanctorum Martini & Blaſij portas ſcalis occuparunt. Ab his nonnulli ciues qui accepto rumore accurrerant oppreſſi ſunt; cum ſuperatis mœnibus,& patenti aditu ſecuram cæteris viam feciſſent. Vniuerſi ſtatim victoriam, & militari lætitiâ Principem ſuum feſtis vocibus conclamarunt: cum interim ciues vix in pace ſecuti,nec captos ſe ſcirent; & à quo peterentur ignorarent. Siluius Via militiæ loci Capitaneus fortunâ ab Caſalenſibus Albam delatus, triginta ferè comites ſecum in ſemidirutum caſtellum traxerat, ſubſidio omni nudatum, nullis armis,aut commeatu firmatum; & quamquàm exteri in auxilium accurriſſent inualidum: non vt ruinæ ciuitatis obſiſteret,quæ iam nemine repu-

Sabaudij Albâ potiuntur.

gnante fortiſſimum hoſtem acceperat, ſed incertis in formidine conſilijs, ac Monferratenſis fortitudinis documento; quaſi perire ante quàm incruentam victoriam concedere voluiſſet. Proinde à quibuſdam magnitudo animi in viro fuit; cum plures inutilem conſtantiam appellarent; quod vanam ſine viribus iram oſtentaſſet; & prouocaſſet in cædes promiſcuas hoſtem, receptâ ciuitate fortunis tantùm inhiantem. Sed Guerinus, & qui eam militiam ſectati fuerant, laudauêre audaciam; & prælato vexillo,ſonante tympano;& igneis funiculis accenſis abire permiſerunt: teſtimonio per ipſum non ſtetiſſe, quò minus ſi vires ſpem oſtendiſſent, pro Patriâ occumberet; & quia ſatis, tutâ victoriâ placuerat. Quâ causâ vbi portas diſpoſito milite firmarunt; ne quis metu aut auaritiâ claberetur, aut vicini auxilio occurrerent, partem equitatus ambire itinera, & vias obſidere imperarunt. Tum per ciuitatem fuſi victores, quos primùm ſors obtulit ſpoliare aggreſſi ſunt; mox in opulentiores conuertêre, delectu & deſtinatione, vt compendio diteſcerent. Sed plures milites erant,quàm vt inops & vacua ciuitas explendis omnibus ſatis eſſet.Hinc veſtis,aulæa,ſupellex vilior,& (deficiente prædationi materiâ) vaſa culinæ, ferrea ædium repagula, crates ferratæ auulſæ. Nec alia ſacrorum (vt ferè in bello ac victoriâ) fortuna fuit: Templorum apparatus,argenteus ornatus,vota,ac donaria Diuis appenſa direpta ſunt. Et Guerino quidem paupertatem ſuorum ſubleuari ex voto fuit; quo minus tamen ſacra in prædam non cederent prohibere non potuit: vt inter pericula obſequentiſſimis militibus impoſitus,ſic in fœlicitate intemperantibus. Rari ciues quibus ſecreti extra vrbem receſſus & viæ incognitæ erant; congeſta quæ maximè ſeruare ſatagebant,per hortos,ac vicinos agros terrâ occuluerunt.Sed moram Albæ trahente hoſte, cum abdita non effoderentur, nullo militum aut ciuium vſu humore corrupta computruere.Pauciores ac vicinos elapſi; tenebris ac ſecreto vſi, quædam detulere, quæ ſecutâ pace cupidini rapientium ſubtraxêre. In publici rationes ſtatim à Sabaudijs non quæſitum: Recens lætitia aduertere animum prohibuerat; & tenui publicâ re, colluuieq́; militum in parata proniori, quamquàm leuia gratiori in quæſtu fuerunt. Sed hîc quoque perfidia inuenit,quo vulgaretur: Cauponis quippe filius communem pecuniam centurionibus detexit, quam adminiſtri Dominicani inſtituti Monachis certâ fide commiſerant. Quingenti fermè aurei fuerant, pretium parricidij; & ſpe res eius eo obſequio ſeruari poſſe. Hunc paucos poſt menſes, cum à Mantuanis quæſitoribus de rebellibus quæſtio haberetur, mors fato propera pœnæ & ignominiæ exemit. Iudices tamen in fœditatem implacabiles cadauer furcæ appenſum, publico exemplo expoſuerunt: vt recordatio flagitij cœteros officij admoneret, reumq́; licet tormenta elapſum damnaret. Mediâ in hoſtilitate rara modeſtia eſt, quò minus mirum,non ſexui non ætati Albæ totam reuerentiam habitam: & ſcelera quædam Albæ admiſſa,quæ Sabaudius & auerſatus ſit,& cognito auctore executus. Ciues tamen plures annos pace vſi, & ſummâ in ſecuritate agere ſoliti, auxêre famam ſæuitiæ, dolore ſuo, & in Mantuanum commiſeratione. Duo treſve auaritiâ & opibus noti, cum quantacunque largitione ſeq́; ac ſua redimere poſſent; pertrahi tamen in diſquiſitionem maluêre, & veritatem quam conſtantiâ cælauerant, inter tormenta edere. Didicerant milites pleraque ciuium in ſacra monialium ſepta comportata: Itaque conglobati eò flexerunt,eandem monaſterio quam ciuitas habuiſſet fortunam comminati,niſi in publicum credita protuliſſent. Mercatorem quoque caſu Albam deductum, cum mercimonium pecuniamq́; negâſſet, è trabe per pudenda appenſum exanimarunt. Alius admoto pedibus nudis igne,eâdem cauſa vix ſuperſtes eſt relictus. Quoſdam vulneribus ſauciatos; plures ingeminatis vulneribus mulctatos, paucos poſt dies defeciſſe, eorum qui interfuiſſe dicebantur relatu vulgatum. Mercenarios Gallos fuiſſe teſtati Albenſes

ſes ſunt; in quos maximè exarſerant; & quibus ante alios ſæuitiam & petulantiam obiectabant. Auxiſſe ſingulorum auaritiam præſumptam apud ciues opulentiam; ſi qui Albenſium Mantuano parum fidi deprehenſi ſunt, ferebant. Cumque minus expectatione ac voto quæſtum inuenêre; immotâ inſuper opinione potiora abſcondita auxiſſe ſæuitiam; vt non ſenes, non virgines, non pueri contumelijs eximerentur; eo ſaltem expleri cupidinem credentes, ſi auri vice ſtupris exorarentur. Hæc & ſimilia Albenſes in Gallis accuſabant; quæ tamen maiora vero reperta; & conſuetudine captarum vrbium, belliq; malorum excuſata. Quod frumenti in ciuitate fuit, præfectorum militarium cuſtodiæ permiſſum; admiſſis ad vſum ciuibus, vbi copia ſuffecturam annonam perſuaſit. Cubilium commoditas feſſo militi aut oblata, aut vſurpata eſt; rariq; domo excluſi; etſi nonnulli exprimendæ pietati, vnà apud omnes milites voce vterentur: Nec offendiſſe ſeſe; nec ſi deditio requiſita fuiſſet negaturos; ſiue Sabaudio ſe ſacramento obſtrictos, ſiue Mantuano vellent. Hinc commiſerationem non admiſsâ culpâ; illinc fauorem vt erga ſuos requirere. Conſederat iam ira & cupiditas; & quædam ipſo ardore victoriæ rapta, vltrò Dominis leuiſſimo pretio offerebantur. Quædam etiam gratuitò reſtituta; vt iam obliterata hoſtilitas videretur; victoreſq; & victi in idem ius coaluiſſe. Niſi inter eos quos peruicacia & ſuſpicio reos obtulerat, vt in vinculis haberentur, quidam famoſo mendacio, plura Epiſcopum vnum quàm ciues omnes habere dixiſſet; & vim pecuniæ ingentem longâ auaritiâ coegiſſe. Ergo egentiſſimus quiſque manipularium orto iam die, domum ac templum Epiſcopale barbaro tumultu inſedêre; & Capitaneorum aliqui ad tumultum lucrumq; aduolauerant; ſiue vt maior violentiæ excuſatio eſſet, ſiue vt militaris impetus citra cædes conſiſteret. Id enim ſeruatum. Inuenêre Pendaſium Epiſcopum clero ſuo ambitum, matutinas laudes Deo reddentem. *Pendaſius Epiſcopus Albæ.* Nobilis obtutus, & magnæ dignitatis fronte & oculis emicans maieſtas, primùm vim impetumq; retinuit; donec prima vox, & conſultor vt auderent, cunctationem excluſit. Centurio ante alios, poſtquàm ſuorum in direptione modeſtiam, & erga ſacra reuerentiam teſtatus eſt, multa de militum paupertate addidit, hortatuſq; Epiſcopum eſt, vt ſi intactas res ſuas vellet, ad minus quæ fidei ſuæ commiſſa ſeruat, proferret. Satis humaniter captos habitos, quod ſanguine ac vi ſui abſtinuerint; quæ tamen adeo leuia in bello ſunt; vt vanitatis accuſari vereatur, ſi quis ſimilia queratur. Ad hæc Epiſcopus cùm intempeſtiuâ ſeueritate diuinam in eos vt ſacrilegos vindictam comminaretur; & inter ſtolas eâ ſe immanitate tractari lamentaretur; quam nec quidem apud generis humani hoſtes reperire credidiſſet; dignitatem religionemq; exprobraret; ne à militibus dimitteretur effecit; vtq; militari globo ſeptus, atque in principia deductus cuſtodiretur. Hic cum diris vniuerſos proſequeretur, prorupit Gregorius: Nos quidem, inquit, Epiſcopo, ſacris & vitæ pepercimus, quæ lex Religionis complectitur; opes tuas poſcimus, quas ſacramentum non includit. Si in pauperes illas (quod officio debueras) impendiſſes, eâ te nunc moleſtiâ liberaſſes. Militari inopiæ nil conferri poteſt, quod rectius alibi inſumatur. Itaque cum ſatis diſputatum in cauſâ videretur, pallium primùm Epiſcopo detractum, mox annus cum ſignatoriâ gemmâ. Eluctari ille & obniti, etiam diſcedere conatus; ſupremo vertice in calcem ſclopeti, quod miles humero geſtabat caſu prorſus offendit. Leue vulnus fuit; vt quod nec quidem medico egeret. Sed ſtillâ minimâ ſanguinis viſa, data Albenſibus occaſio, ſæuitiam, impietatem, auaritiam Galli militis inſectandi. Cumq; certum eſſet caſu vulnus illatum, nec in Epiſcopum vllum Gallum tantum immanitatis exercuiſſe; ille contra exprobraret lamentaretúrque; parum abfuit quin admiſsâ cæde ſeſe centurio quidam abſolueret; præfatus meruiſſe atrociora; ſed Sabaudij Ducis reuerentia inhiberi. Prouocare iniurias id, & abnuentes cædem

irritare erat. Ad extremum cum equis etiam, quos ſuo vſui Epiſcopus nutriebat quidam minitaretur, collatâ pecuniâ vniuerſa redemit. Opinione minor ſumma fuit: & ipſe cum Mantuæ inter amicos, antequam diem extremum obiret, facti ſeriem recenſeret; fateri non erubuit, in mitiores ſe hoſtes quàm ſperauerat incidiſſe. Ingenio militum illa, & centurionum conniuentiâ eueniſſe, argumento ſunt, quæ mox indigna Guerinus, & executus eſt, & impediuit. Cum enim priuati ciuis domus (quem opinio diuitiarum cunctorum inuidiæ expoſuerat) diligenter examinata, vacua ferè reperta foret, iniecto per odium igne cremari cœperat: ſed accepto fœditatis nuncio affuit Guerinus, & militum ope reſtingui flammas imperauit, ciuemq́; inter manipulos ſuorum impunè agere voluit. Quin imo ne inter ſcelera, Sabaudij Ducis gratiam; & fortitudine ac obſequio partam gloriam corrumperet; pœnarum ingentium comminatione, petulantiam militarem licentiamque compeſcuit: ne quis ciuem pulſaret, ne cuius honeſtæ matronæ pudicitia ſolicitaretur, ne cuius res iniuſſu ſuo abſtraherentur capite ſanciuit. Et gregarium puerum illudere geſtientem, quò minus ſuſpendio puniret, vniuerſorum ordinum precibus vix obtentum. Scriptum nihilominus Mantuano ſcimus, infœlices Albenſes iniuriarum innumerabilium tolerantiâ, continuatione ſeruitij, magnitudine munerum, efferum victorum animum in miſericordiam fregiſſe: cum in voto haberent, ſi quid clementius in ciues admiſſum foret, ſuæ pietati; ſi quid atrocius impotentiæ militum imputari. Voluiſſe id quoque Sabaudium ciuium literis diſcere, quas mollius captando capros emendicauiſſet. Et quia ſacrarum virginum honeſtati ſeptiſq́; habita ſemper reuerentia fuerat; ne id ſaltem in commendationem verteret, additum literis; actum fuiſſe de vniuerſarum pudicitiâ, niſi totius Pedemontanæ indignationem, & Sabaudiæ nobilitatis iram offenſioneſq́; metuiſſet. Rarus enim in ijs prouincijs magnis natalibus Eques erat, qui filiam, ſororem, amitam, aut conſobrinam eo contubernio non haberet. Sabaudij quoque pietatem eleuare nitebantur; tamquam vtile ei fuerit illâ petulantiâ temperaſſe, ne turpi notâ ſubditorum, atq; adeo Italiæ vniuerſæ odium conciret. Nos certâ fide habuimus Guerini milites flagitio illo proprio ingenio abſtinuiſſe, & Sabaudium tantum impietatis inultum permiſſurum non fuiſſe. Blandiri literarum auctor Mantuano voluerat, cui cum Sabaudius feſtinatâ expeditione Monferratum detraheret, non alio ſolatio oblectari crediderat; quàm vbi inimico adpingi ſcelera, & imputari immania flagitiorum audiebat: gnarus non alijs armis ſpem ſibi vindictæ fore. Præter Sabaudij metum Pedemontani quoque Principis æſtimatio procurrentes in ſcelera retinuiſſet, cuius iuuentutem non alia ſpecioſior virtus magis quàm pudicitia honeſtabat. Sed & in milite eoſdem mores requirebat; ſæpius auditus centuriones admonere, ne cui impietatem & flagitiorum fœdiſſima impunita ſinerent. Quod ciuilis prædæ in milites ceſſit, vt fide æſtimantium minus deprehenſum; ſic nec cohortes Gallorum reddidit opulentiores; & Pedemontanorum Sabaudiorumq́; inuidiam in Tranſalpinos flexit: Qui & ipſi cum inter mercenarios Sabaudij Ducis cenſerentur, dedere occaſionem obtrectatoribus, vt omiſſa diſtinctione gentium, innocenti Principi, & Chriſtianis ſubditis aliena ſcelera adſcriberentur. Id ſcire poſteros, & compertum nobis pro iuratâ veritate haberi cupimus, quòd cùm Dux Guerinum per literas aſcenſu aut dolo ciuitatem capere iuſſiſſet; cædes, ſacrorum expilationes, ſacrilegia omnia exceperit; ſatis eruditus ne Turcas quidem in deditos aut non repugnantes, tam atrociter ſæuire: & nullam tantæ victoriæ gloriam occurrere; quam non impietas, & forma crudelitatis imminuat ac deformet. Venêre in noſtras manus literæ; quas audito captæ ciuitatis nuncio Sabaudius ad Guerinum dederat; in quibus poſt laudatam fortitudinem militum, & promiſſum donatiuum præcepta ſuberant, & religionis & modeſtiæ: iubebaturq́; vti victoriâ

&op-

& opportunitate, integrâ clementiæ famâ. Sed paucos dies, vbi valeſcere victricium cohortium licentiam, quædam ſeuerius, aliqua atrocius tractari audiuit, miſſo centurione admonuit, vt magno dolore ſuo acceperit admiſſam ab aliquibus inhumanitatem; ſic propediem rationem Principibus Europæ redditurum; nullo ſcitu aut iuſſu ſuo, ſeuerius in captos animaduerſum. Proinde ſi plenam facti gloriam vellet, curaret vt licentia intra eos ſe fines contineret, quos militaris diſciplina, & Chriſtiani hominis probitas præſcribunt: continuationem enim ſcelerum ſuis pretijs in tempore æſtimaturum. Nempe vulgatæ à detractoribus famæ crediderat, perruptâ fuiſſe clauſtra Monialium, cæſum Epiſcopum, verbere exceptos ſacerdotes; & quæ atrociſſima fingi poſſunt odio & inuidiâ in victorem; quæ tamen mox falſa deprehendit; vſurpatamq; militum licentiam, iure belli, & conſuetudine victoriæ excuſandâ. Certum nihilominus eſt vulgatis à ſe literis, quibus manifeſto nomen dedit, in effrænatos & impotentes gregarios culpam, ſi quæ ſuberat, reieciſſe; & præ cæteris obnixè precatum, ne quod miles vſu præliorum admiſiſſet, ſibi veluti ſacrorum conculcatori adſcriberetur. Pariter Guerinum ſeſe apud Ducem excuſaſſe, quòd retineri victor miles non potuerit, egeſtate propriâ, auaritiâ & peruicaciâ quorundam ciuium ſtimulatus, vt patientiam projiceret. Et ante alia inuectum in Epiſcopi intempeſtiuam ſeueritatem; qui cùm ſilentio ac æquanimitate Gallorum licentiam confundere potuerit, aſperitatem ſordeſq; maluerit, nullâ leui licet munificentiâ, mulcere animos conatus, vt blanditijs facillimos, ſic ferociſſimos inhumanitate. Id Guerinus ſiue quod prorſus crederet ſcripſerit; ſiue Ducis moderationem formidauerit, ſatis docet, conſenſum cauſamq; malorum quæ accuſabantur in Sabaudio non fuiſſe; & quæ inhoneſta paſſos ſe Albenſes queruntur, militum corruptelâ eueniſſe. Quò maximè Principes moneri par eſt; ne apud miniſtros inulta flagitia eſſe ſinant: quod impunitas conſcientiam interdum arguat, & forſan imperium. Supprimere nequeo pluribus auctoribus vulgatum rumorem, & apud bonos conſenſu receptum; non Sabaudio, non Mantuano obnoxios in Albenſes quoſdam ciues fuiſſe, qui cum ſecuritatem ex hoſte ſocijs oſtendiſſent, nec ſumi arma conſuluerant, nec ſeruari aditus, etiam ditiores in prædam ac cædem priuato odio oſtenderant. Fuêre inditia perfidiæ, non pollutæ apud ipſos fœminæ, non direptæ ab hoſtibus, non ab ipſis abditæ facultates, non iniuriæ, non verbera irrogata; ſed familiari hoſpitalitate, paucos in ſecuritatem rerum ſuarum potius, quàm onus domi excepiſſe. Et proximè ad vanitatem accedebat, notam Ducum artem in Guerini credidiſſe; nempe vt tales Mantuani odio, ac ſuſpicione perderentur: cùm in captos ipſe & omni ſubſidio deſtitutos, pro modo inuidiæ ſæuire, etiam prætextu militaris indignationis poſſet. Malorum multitudo fecit, ne Mantuanus in ſingula diligenter inquireret; ſed eos tantum in pœnam vocaret, quos ſponte delectos perfidia damnabat. Inter reos quoque nata diſcordia quoſdam perdidit, quos ſilentium texiſſet: Publica miſeria ſingulos turbabat; & intempeſtiua diſquiſitio videbatur; cum aut fidos vniuerſos dicere, ex vſu eſſet; aut opinari. Sabaudius paucos, poſt dies, ne quâ facilitate ciuitatem receperat, dilaberetur; miſſis humaniſſimis adminiſtris, retinere in officio conatus eſt; non ſæuitiâ ſolùm ac flagitijs exterminatis, ſed leuatione onerum, & ſpe meliorum, ſi pax obueniſſet.

Mantuanus amiſſo Trino, quieturum eâ victoriâ Sabaudium crediderat. Itaq; vbi captam direptamq; Albam accepit, futuri incertus trepidare cœpit; ne tempeſtas victoriæ Caſalenſes quoque proſterneret. Et quidem nonnulli Monferratenſium, actum de ciuitate teſtabantur; ſi repentino inſultu attonitos perculiſſet; aut magnâ vi in obſidionem ſucceſſiſſet. Sed ille nudare vicinis ſubſidijs vrbem cogitauerat; & ambitum, metu ac rerum indigentiâ ad neceſſariam dedi-

tionem compellere. Et quidem is finis Albæ ciuitatis fuit, inopis, vacuæ, præſidio deſtitutæ, & cuicunque Domino paratæ. Centeſimum fermè ante annum duodecim hominum millia numerabat; quod nos Annalium Benuenuti è domo Sangeorgiâ relatu didicimus; quâ verò tempeſtate Sabaudius bellum Mantuano mouit, ne decimam quidem cenſebat. Nec tamen cœli impuritatem ſolummodo accuſauerim; vt quæ ne tum quidem alio vſu foret, ſibiq; conſuetudine familiare reddiderit: rerum viciſſitudo, legum morumq; diuerſitas incolas aduocant, exigúntve.

Res porrò & exiſtimatio Sabaudij, virtute eius, fortitudine Ducum augeſcebat, cum ſpe tantum inani, & promiſſis potentiorum nutriretur. Cum enim indefeſsè querelis Hiſpanum Regem pulſaret; & toties promiſſam tutelam expoſtulando requireret; parum Galliæ Reginæ promiſſis ſecurus; indignationemq; Sabaudij) quam prouocaſſe credebatur) non metueret, licet non ſemel certioris metus documenta accepiſſet, literas ab Aulâ accepit, eiuſdem omninò argumenti, quo præteritæ dictatæ fuerant. Sibi iuſtitiam cauſæ eius, & patrocinium Monferrati cordi fore; alienas iniurias, aut bellum ſui neglectu meditatum, non toleraturum; eoq; Inoyoſæ Marchioni imperare vt nixu omni quietem, motuumq; initia aduertat, ſupprimatque. Proinde fidenti animo protectioni crederet apud Regem, debitâ præſtitæ pietati officia ab amico in tempore ſperantem. Inoyoſam voluntati ſuæ congruentia facturum; ne Sabaudius oppreſſo amico Principe increſcat, auctoritate primùm obuiam deſtinatis eius, mox vniuerſis prouinciarum viribus iturum. Quæ ſigillatim opportuna tempori fuerint, perſcripturum. Iam verò non ſe Gallicam caritatem (quam ipſe filiæ coniugio quæſiuiſſet) auerſari; id tantùm monere, ne ſibi odium pro gratiâ redderetur.

Hiſpani ad Mantuanũ [illegible]

Inoyoſa, ne ſeuiſſe diſcordias aut Sabaudio miſcuiſſe conſilia videretur (iam enim lacerari ſe à quibuſdam Mantuani amicis, & tamquàm deſertorem Regium infamari didicerat) regiæ epiſtolæ exemplar proprijs literis præfixum, Mantuam feſtinato Curſore miſerat. Expoſtulatione abſtinuit; reiectis in res compoſitas querelis; & ne (ſi quid fortuna contra mentem turbauiſſet) odio ſuo tranſactum vulgaretur. Acceptis literis nullâ aliâ æſtimatione præſentium aut futurorum (vt ferè impetu, non conſilio agebantur) Mantuani amici à formidine ad ſecuritatem tranſiêre. Adeſſe ſententiæ ratio videbatur, quòd nullus mortalium Regis optimi voluntatem corrumpere, aut perdere opportunitates agendorum poſſe videretur. Quippe eadem Lermæ Dux; & qui (rariores licet) pro Mantuano apud Aulam erant, perſcribebant. Sed ij ipſi paucos poſt dies, affectum mutauerunt; non vt in Sabaudium conuerterentur, (cui forſan filiorum Principum æmulatione, proficere nolebant) ſed Mantuani varietas, & conſiliorum incertitudo, ſui faſtidium mouerant; perplexitate voluntatis delaſſati; nec quo officij genere nutans ingenium retinerent, ſatis gnari. Nec enim deerant è Galliâ certiſſimi monitores qui docerent, non ita Hiſpanis Mantuanum fidere, quin conſcios & fautores Gallos eligeret. Plenas ſuſpicionum in Hiſpanos literas reſcrebant; quibus vetus odium, recens & ſimulatum obſequium probabant. Et Mantuani miniſtrorum viliſſimi, id ipſum apud Inoyoſam teſtabantur; quibus Mantuanus ſolitâ ſibi facilitate Regias quas compoſuerat literas, & cauſas conferebat. Scurra quoque ſatis Mediolani notus Aſculano Duci ſacramento teſtatus fuerat, inter epulas, impetu animi, & aſſiſtentium conſenſu prorupiſſe Mantuanum Hiſpani ſe tutelam communione periculi quæſiuiſſe; cæterùm ſpem omnem in Gallis poſuiſſe; quos præſumeret & Sabaudium repreſſuros, & Hiſpanos ipſos in officio habituros. Addebant commentantes ferè ineptiora: nam & Venetos vltores ſuos, & Etruſcum tutorem iactauiſſe; Romanumq; Pontificem plura hominum millia in ſubſidium miſſurum.

Quò

Quò minus Hiſpani curam omnem Mantuani abiicerent Societatis Iesv religioſus obtinuit, eam morum Mantuani incertitudinem, non animo ſed naturæ imputans; aſſerenſq; in nemine hactenus, tantum mutationis ſine flagitio repertum. Sed Inoyoſa ſeriò & cum conſtantibus agere ſolitus, id difficillimum admiſit, vt ſtabilis in ſententiâ, & niſi ingentibus cauſis animo motus, tot menſes Principis iuuenturem toleraret. Ille tamen ne fauorem regium ſpreuiſſe, & ſuſpectam Inoyoſæ fidem habuiſſe videretur, domeſticum famulum arcanorum conſcium Mediolanum miſit, redditurum Inoyoſæ gratias; & quibus opus ad ſecuritatem haberet, expoſiturum. Sed cognitione morum gentis, & Hiſpanæ Aulæ peritiâ delectus fuerat, vt certam in negotiatione fidem crederetur attuliſſe.

Mantuanus Mediolanū mittit Comitem Ibertum.

Quod remedium cum ratione putabatur, perniciem Mantuano accelerauit: ſiue ex vſu non fuerat ſecreta Principis aperiri; ſiue communicata Inoyoſæ quæ neceſſaria putabantur, ſecretam & nemini creditam infirmitatem detexiſſent: ipſumq; futuri cautiorem reddiderint. Itaque vbi coram fuit ſecreto exceptus eſt; ne cui res delata vulgaretur; cupienteq; Inoyoſâ credi ſponte mandatis Regijs, non imperio coactus obtemperare. Oratio Iberti fuit: Vt vererem Ducis ſui in Hiſpanos fidem, aut recentem æſtimandam: illam longa demerita certam protectionem promittere; admittendam hanc; & ſumpto experimento probandam, an omninò extra ſuſpicionem eſſet. Quodcunque horum iudicium agatur, poſſe ac debere Regem, quem fouendum profeſſione tutelæ ſumpſerit, incolumem hoſti ſubtrahere. Non aliâ fide ſtare futura; ſiue veritas ſiue ſimulatio apud minorem ſubſit: in manu quippe Regis eſſe, & tueri quem vis maior oppreſſiſſet; & ſi ſimulatorem detexiſſet contemptu negligere. Quòd ſi Mediolanenſis Gubernatoris gloriam reſpiciat, maiorem occurrere non poſſe; quàm ſi bello proferat imperij terminos, & in pace duraturas amicitias paret. Nullo certiori reſpectu vallari maieſtatem, quàm ſi Rex minoribus ſe Principibus pietate, hi regio obſequio deuinciantur. Gallica auxilia, & magnifica oblationum promiſſa, inter trepidationem & agendorum incertitudinem à Mantuano amplexanda, ita ſubſidiarijs Hiſpani armis in ſua commoda verſis, & feſtinato auxilio quando opus habeat; non requirere. Quamcunq; illi per Italiam fortunam habituri ſint, eoſdem illum amicos ac hoſtes voto cupere. Quod paucis ante menſibus potentiſſimum Regem arbitrum rerum ſuarum ſponte orauerit, magnitudini eius, ſuæ reuerentiæ dediſſe. Cum inſuper Cæſaribus Auſtriacis tot beneficijs acceptis, tot redditis obſequijs, tot conſanguinitatibus eſſet illigatus, diuidere ab Hiſpano cauſam nec voluiſſe nec potuiſſe. Se à Mantuano poſt receptas literas Regias, quarum ipſe copiam habuiſſet, miſſum; ne cum ſubſidio egeret, poſceretque, abnuere conſilium, aut auerſari minoris operâ faſtu crederetur. Scire Inoyoſam Sabaudium iam apertè, rupto fœderis ſacramento, & violato iure gentium, arma Monferrato intuliſſe; auſum Trini obſidionem, & adiacentium oppidorum: non vt metum inanem faceret, ſed vt prorſus potiretur. Mortalium nemini ignotum futurum, vt datis ad Mātuanum literis, non ſecuritatem ſolùm, ſed etiam præſidium ſit pollicitus; & cum Vercellis domi ſuæ Diocæſarienſem Epiſcopum legatū haberet, ſpe & nugis irretiiſſe; nullâ conteſtatione odij aut iniuriæ, eluſiſſe; mox ad vim vertiſſe; cum concordiæ medius reſponſum pacis opperiretur. Feſtinatione itaque ante alia opus eſſe. Tenui quippe exercitu aſſultare; nec adhuc, quos laceros nudoſq; tumultuariè ad ſigna coëgerit, vſu diſciplinæ in ſolidam obediētiam formaſſe. Gubernatores Mediolanenſes pro tempore, nouiſſe, longâ pace ac promiſsâ ab Hiſpanis ſecuritate, Monferratum omne improuiſo inſultui expoſitum. Hiſpanum nomen pro munimēto, datam fidem pro ſubſidio in præſentem habuiſſe. Nec aliâ cauſâ Mantuanum externis auxilijs armiſq; (quæ paſſim amici obtulerāt) vel accepto ab Inoyoſa cōſilio, renūciaſſe. Ne aut imparem propulſandæ iniuriæ Hiſpanum fateretur, cui fiduciæ

M

cui libens volenſq; acceſſiſſet, medio in diſcrimine diffideret. Abſtinuiſſe quin etiam armare ſuos ſubditos; quos magno numero ſeſe in periculum demittentes, caritate ſui domini, vicini hoſtis odio vix retinuerit, repreſſeritque. Datæ à ſe fidei pignus Principem Caſtilioneum à Gonzagâ gente, Mediolani habere; & controuerſi inter decertantes Duces negotij Cæſaris Commiſſarium. Huic cum in æmulo ac rebus ſuis pleraque excepiſſet; de Hiſpano totum iudicium conceſſiſſe: quaſi hoc vno valeſcere in animo habuerit; cætera in diſputationem trahi permiſerit. Si plura ac certiora teſtandæ voluntati requireret; paratum Mantuanum magnis documentis, & approbare conſtantiam ſpei ſuæ, & ſimulationes diſcutere. Id apud ſe ſtatuiſſe, vt Hiſpanum arbitrum voluiſſe ſciatur, & rerum ſuarum & animi. Apud Inoyoſam imperium eſſe; poſſe hunc affectus qui profiteretur, ſtatim periculum facere; & an Regis deſiderio dicto citius ſit acceſſurus. Niſi obſequium, paratus animus, mens obnoxia, gratitudinem & reuerentiam profeſſione firmauiſſent, de amicitiâ & humani generis ſocietate actum; quæ factorum æſtimatione niteretur.

Inoyoſa Iberto reſpondet.

Inoyoſa & conſilij ſui, & Mantuani ſtudiorum conſcius, quominus exprobraret inconſtantiam, & fidem datam requireret, vix abſtinuit; ſolitus ſeriò & agere & audire: ne tamen formidinem ſuam iramve teſtaretur, eundem vultus tenorem retinuit; licet ducto altè ſpiritu, ſic reſponderit. Quamquàm euentis quiſque doceatur, huic illive aut odium aut gratiam ſubeſſe, prudentiam nihilominus prætuliſſe; quæ vt in magno Principe debet eſſe certiſſima, ſic minores admoneat, & ante alios Mantuanum, verum aduerſus Hiſpanum animum expedire. Imo quædam huic temperamento contraria interpretaſſe, quaſi ſecretum ſubeſſet, aut neceſſitate exprimeretur. Sententiæ ſuæ certitudini hoc quoque addere; vt quos ſemel Rex amicos integrâ fide recepiſſet, in examen, vmbris & leuibus coniecturis non vocaret. Nouiſſe illum quibus ſe fœderibus obſtringeret; & obuiæ pœnitentiæ promptiſſimè annuere: eorum maximè correctione qui fidem hactenus ſimulaſſent. Quod Hiſpano Mantuanus obſequium ſpopondiſſet, modicum Maieſtati eius ornamentum, ſed Mantuano ingentem vtilitatem afferre, ſecuritate rerum æſtimandam. Id peruidere Gonzagam domum cupere; & nouum Ducem noua merita ponderare: ſimul apud animum ſuum reputare, cuius ſe patrocinio credere expediat, in quo prompta comitas ſit, obuium ſubſidium. Querelas vulgi, laceratam fidem ſuam murmurantis, ſe nullo affectu excipere non poſſe. Quamuis enim apud Reginam Amitam, & auctoritas & potentia ſit; æmulatu tamen magnitudinis excitari odia potuiſſe, & ad arma tranſiri. Quid eo motu rerum, de vicino ſperandum foret, aut ſcire, vel formidare Mantuanum debuiſſe. Regnandi leges minima ſuſpicionum in cenſuram retrahere; quod ſemel omninò liceat errare. Siue id conſilium futuri, ſiue præteriti commendationem velit; ſatis habiturum, ſi ſeriò tandem annuiſſet. Miſſurum proinde qui Sabaudium præcepto coërceat. Cognitam illi magni & amici Regis voluntatem, ſatis fore, in memoriam debitæ reuerentiæ. Quod ſi parere imperio noluiſſet, vocaturum ad ſigna militem, & graui mole ſe in mediâ Pedemontanâ caſtra poſiturum. Conſtantiam ſuam ſatis ſuperq; Mantuano notam: nec dubitare quin vel apud ſuſpicacem datam ſit fidem abſoluturus. Tantâ id vocis vultuſque grauitate proſecutus eſt, vt nemini dubium eſſe poſſet, in Principe viro dictis animum congruere. Addidit comitatem, & gratam aduerſus Ibertum facilitatem; ne queruli ac inuidi, quod accuſarent, eo in negotio reperirent.

Mantuanus Inoyoſæ diffidit.

Mantuanus tamen tegendis artibus inductam ſimulationem teſtatus eſt; & inter amicos vulgatum prouerbium frequenter recitauit: aſpectum mendacem, facta vera eſſe. Vtq; nobilis viri virtutem eleuaret, inuidiam intenderet, compo-

ſitio-

ſitionem illam morum quam ſe reperiſſe Ibertus perſcripſerat, mœſtitiam Regijs literis offuſam fatebatur; homini in ſua commoda turbarum auido, & quacunque viâ proficere Sabaudium cupienti. Profundiori etiam cogitatione attentionem excitaſſe, dum artem & media recoleret, quibus falſa promiſſionum obtegeret. Id verò olim fortè præuidiſſe, cum ſecreta conſilia Sabaudij machinamentis iunxerat; apud Regem ſuum auxilia parteſq; procurauerat; & Iſabellam ſororem Regiam (vt certius deciperet) offerre prò Sabaudio preces induxerat. Eandem apud prudentiores opinionem eſſe; inquieto ſcilicet homini ſpeciem aliquam motus placuiſſe; quâ tectus, & deſcribere exercitum, & imagine belli à ſubditis corradere pecuniam poſſet. In pace enim Gubernatori minorem prouentum eſſe, ſed in bello ſecretiſſimum peculatum. Ea de viro Principe ſuſpicari, teſtari, publicè conqueri, pluribus flagitium videbatur; quaſi perfidus, & Regis ſui honorem corrumpens, tam immania peccaret. Sic Mantuani iudicium quacunque viâ rebus ſuis ſtuderet, accuſatum: & ſuſpicio fœditatis in amico, prauo animo data. Certè non alia Mantuæ ſermonum materia erat; nec ita in Sabaudium Mantuanus inuehebatur, quin potiſſimam malorum ſuorum cauſam Inoyoſæ imputaret; perfidiamq; comminationibus perſequeretur. Nos præſentes ad ſingula, verecundia metuſq; confuderant: nec enim abſtinere vero, rerum exitus perſcripturo licebat; nec vacuum videbatur corrigere iuuenem ineptorum conſilio in præcipitia corruptum. Præſertim cum amicorum intimi, alto ſilentio fallerent, nec primi purgare erroribus mentem, quæ ſpreturus Dominus credebatur, auderent.

Oppida Albæ vicina Sabaudio ſe dedunt.

Ad Albæ captæ ac direptæ famam vicina oppida quibus nulla obſiſtendi ſpes erat, ſeq; ac ſua victoris arbitrio permisêre, rapientem fortunam ſponte ſecuta, & receptione hoſtium ſine noxâ creditâ, ſi nullâ vi vrgerentur. Vniuerſos formido & deſperatio ſubſidij (cum à Rubeo pro factis conſilia mitterentur) conſternauerat. Monferrati deditionem augendæ Sabaudiorum fortitudini & gloriæ referre, haud dubiè certa dementia eſt; quando nemini ignotum ſit, quæ per prouinciam munimenta, quis militaris apparatus, armorumve numerus cenſeretur; cum in domo inopi & amicitiarum egentiſſima eſſet; quæ ſecuritatem quàm curam plures annos præſumpſerat: & cum eo Duce res eſſet, qui nondum dominationem cœptauiſſet, omnium anxium, quàm quæ imminentem perniciem arcerent. Duces quoque non fortitudine magis quàm prudentiâ commendauerim: quâ occaſione & opportunitate vſi, ſedulam Sabaudio operam nauarunt; quoties aſtu, non prælio proficiendum erat. Proinde vera, nec in vllius gratiam compoſita, communi eorum qui interfuêre teſtimonio proſequimur; omnibus ferè ſuperſtitibus; & obuiâ dicendæ veritatis neceſſitate: hanc vnam apud Sabaudios & Mantuanos operis laudem, auerſione aſſentationis requirentes. Inter hæc Diani deditio vulgata; cum iam vniuerſa in Sabaudium flecterent; & quantum Mantuanus querelis, tantùm ille victorijs audiretur. Vox popularium vna erat Sangeorgium & Guerinum celebrantium; dignoſq; magno Principe miniſtros appellantium: ſiue vt perculſi cæteri, glorioſis nominibus metu aut famâ trepidantes accederent, Mantuanuſq; dominatione & prouinciâ ſpoliaretur: ſiue vt ſuus virtuti locus; & rectè factorum certa laus eſſet.

Dianum in Sabaudiũ.

Dianum oppidum eſt vix mille ducentis ciuibus habitatum, breui ambitu, & accliui; latera nudata munimentis, non foſsâ non vallo in altitudinem elatis, cuicunque irrupturo facilem viam oſtendunt. Supremam loci partem caſtellum occupat, cui vis omnis in opinione ac nomine: non enim militem, non arma, non commeatum habebat; nec (quod in obſidionibus ſummum terrorem incutit) bellica tormenta inerant; non Duce non præſidiario firmabatur; ſed rudem belli turbam, agro ac vinetis factam continebat, ignauum prorſus numerum

Digitized by Google

ad pericula. Haud procul Albâ ſitum eſt; mole ſuâ inualidum, & alienæ fortunæ obnoxium: quoties Alba apud Mantuanum ſit, inter ſocios; ſi pro Sabaudio, apud infenſos. Vicini quoque Pedemontanæ termini frangunt animos, & excutiunt audaciam. Ergo vbi ab hoſte teneri Albam; & licentia militaris in maius aucta, diſcrimen proprium expoſuit, rari incolæ deditionis conſilium ante, quàm à Sabaudio requirerentur concepêre. Ad hos alieno malo fractos, & caſum ſuum pauentes miſit Guerinus peritos itinerum; & ſpecie negotiorum ſecretos conſultores exploratoréſque. Vbi admiſſi, vniuerſa circum à Sabaudio recepta, & deditionem innocuam fuiſſe omnibus teſtati ſunt: Peruicaces cæſos nudatóſque, reliquorum exemplo; ne deſtituti & inopes fortunam belli maiori quàm Albenſes caſu experiri, non pietatem victoris vellent. Eos quòd imparati occupati forent, non oblati, cunctationem detractis vniuerſis fortunis fuiſſe. Quantum calamitatis Dianenſes maneret ſecum ipſi æſtimarent, ſi obſidionem deditioni prætuliſſent. Illæſa corpora, intactas opes, camporum ornatum integra futura, ſi ſponte acceſſiſſent. Moræ ac belli non eandem culpam; deditorum ſociorumq́; eandem conditionem eſſe. Nulli maiori difficultati Capitaneos eluctari, quam vbi moderanda militum ira ſit; qui victoriæ inſignia, non honorem, ſed direptiones putant; & inter ambigua vniuerſa vi expedire cupiunt. Guerino integerrimo duci ante alia pietatem cordi eſſe; & congruere muneri artes honeſtas, Sabaudijq́; ſtudijs, qui immanitatem ſænitiamq́; auerſatur. Eâ causâ tractos in Albenſem expeditionem paucos; ne mixti exteris prouinciales, vbi victoriam percepiſſent, cædes ac rapinas (ſolita intemperantium præmia) vi extorquerent. Sanguini quippe temperaſſe; & ſpolia miniora expenſis fuiſſe. Ne Mantuanum quidem facilem illorum deditioni animum accuſaturum; vt qui accipere ſuos integros ſperet cupiatque, non populatione, aut cladibus imminutos. Hæc aliaq́; neceſſitati & tempori reſponſura, qui miſſi à Guerino fuerant, explicabant: perſuaſitq́; neceſſitas, ne quæ temporis iactura irremediabili malo penſaretur. Si quis Dianenſes in militarem cenſum conclamaſſet, vix octoginta bello ſuffecturi prodijſſent, aut arcendo muris hoſti. Dictu nihilominus mirum eſt, eo in numero fuiſſe neminem, qui breuem moram reſponſo aut conſilio poſceret; quive miſſo ad vicinos aut Rubeum nuncio quo in ſtatu rerum, quo in periculo verſarentur, conteſtaretur. Vox omnium vna fuit, non hoſtium numero ſciſcitato, non tentatâ conſcientiâ ſuorum, pandi fores oppidi, & venientibus Sabaudijs procedi obuiam debere. Etiam forti viro non ignominioſa trepidatio, ita conſtantiam omnem excluſerat; vt orata licet, non obtenta tamen à Sabaudijs venia, iure videretur. Monachum quoque intempeſtiuâ oratione, ſacramentum olim Mantuano dictum, & decorem fidei ingerentem, omittere pernicioſum conſilium perpulerunt, communem ſibi cum Domino cauſam improperantes; & deſtitutos neglectóſque, cum ratione ſibi poſſe conſulere profitentes. Iam enim non Trinum, non Albam ſummiſſa auxilia fuiſſe nouerant; & Rubeum formidine & infirmitate ſeptis murorum clauſum, queri quàm occurrere difficultatibus, quas magnitudo hoſtis inexplicabiles oſtendat, nouiſſe. Securos quoque Hiſpanæ iræ Sabaudios, Inoyoſæ concepta in Mantuanum indignatio reddiderat; quem aggerere probra, & contumelijs non temperare, nouerant literis exploratorum; quos procerum Sabaudij & Inoyoſæ vigilantia, Mantuano circumdederat.

Capitaneus Bobocca. Dianenſibus Capitaneus Bobocca, pro tempore præerat. Is honoris aliquid inter perditas res ſectatus, à victoribus obtinuit, vt omiſsâ publicâ curâ, cum manipulo ſuorum (triginta duo fuiſſe referuntur) iuſtis armis, die medio, præſidio decederet. Tum ſuggreſſi Sabaudij, & obſiſtente nemine municipio potiti ſunt. Crediderant intra oppidum frumenti copiam, bellicum puluerem, & arma ſeruari, quæ abundè nouis Dominis ſufficerent: ſed quæ Trini & Albæ

penuria

penuria fuerat Diani deprehenſa: farinæ modij quinque, fabæ molitæ duo, quinque grandiores moſchetti, quos Cauallettos dicunt; pulueris bellici ne vncia quidem inuenta. Priuatim apud ciues eadem rerum inopia fatigabat: vt certum eſſet, retineri pro Mantuano locum, niſi deforis induƈto ſubſidio potuiſſe. Tanta Sabaudios milites commiſeratio cœperat, vt quacunque conditione habere Dianum, quàm per vim mallent; ne captum cædibus ac rapinis perderetur. Et Guerinus ante alios ſui Ducis mandata referebat, ne prælio aggrederetur, quod habere negotiatione liceret. Feſtinatam deditionem Dianenſes, vt infirmitate ſuâ, & nullo auxilio in propinquo excuſabant: ita ſe prudenter eluſiſſe hoſtis auaritiam iactabant; cuius cupidinem obedientiâ fregiſſent. Mantuanorum quidam, Sabaudij vi nec creditâ nec perſpectâ, proditionem ciuium appellarunt; ſed examinantibus ſingula minus probabilis apparuit: neque in oppido vili, & quod ferre bellum non poſſet ſuſpectanda fuerat. Propius vero eſt, metum, egeſtatem, exemplum deditionem perſuaſiſſe; & à facilitate à miſerrimis fidem integram; reſq; forſan priori Domino rediturо ſeruatas. Egreſſum Boboccam Centurio Guerini per irriſum compellauit (vt audio) quórſum arma ferret amiſſo loco interrogans; ille vt reciperet perdita per virtutem, quæ ipſe dolo occupaſſet, reſpondit. Militarem petulantiam referre placuit; vt ſciatur inter victos & victores iacta dicteria, citra ferrum tolerata. Albam Dianumq; nonnulli Saluzij exules conuenerant, vt tuti agerent, & è vicino rebus ſuis proſpicerent. Ij non quod tutari mœnia voluerint; aut quòd Monferratenſibus ſe milites duceſve obtuliſſent (res exitu & opinione inanis) ſed cum patriâ ob flagitia pulſi forent, quòd Monferratum ſibi delegiſſent, inimicam terram, eoq; ſpeciem hoſtium præbuiſſent, accuſati ſunt. Itaque nonnulli in vincula coniecti; duo militari impetu (cum cauſam apud centuriones dicerent) ſauciati; quindecim fermè in commilitium recepti; vt forti operâ Principis gratiam demererentur; eo præcipuè commendati, quod audito Ducis ſui motu, contermina Albæ ac Diani, nocturnis diurniſq; graſſationibus inquietauiſſent. Fuêre qui opinarentur cæſos facinorum Duces; vt eorum quæ contra Sabaudij mentem patrauerant, indicia perderentur: & Guerinum ipſum cætera parum ſanguinis auidum, facto lætatum; quod priuata in conſceleratos odia, præſenti nec iuſtâ vindictâ expleuiſſet. Sic compoſitis rebus, cum ſecura Diani poſſeſſio, nec ſpes vlla reliqua hoſtilis incurſus videretur, ciuibus diſcretione hoſpitalitas militum imperata: intolerabile miſeris onus; quod pleroſque populos impatientia malorum ſæpe rebellare compulit. Pro numero tamen miles deſcriptus, & collatio pecuniæ prohibita: niſi quid ciues Ducibus ſecretò, retinendæ intra modeſtiam militiæ & ſponte contulerunt; recepto iam apud victores amicoſq; vſu, in quem hactenus haud quæſitum.

Vicino Aſtij Moncaluium nobile municipium Monferrati erat; eminenti loco ſitum, copia ciuium, & negotiatione celebre: futuris ſucceſſibus momentum ingens, ſi in partes vi aut ſponte Sabaudias deſcendiſſet. Præuiderat victor quid ſpei eſſet; & quibus artibus vrgeretur. Hoc Sabaudius Verrvæ Comiti (iurato ante bellum Mantuani hoſti; & memori non conceſſa ab eo ſibi quæ iure deberi crediderat, & tamquam recentis nobilitatis ſe ſpretum) commiſerat, vt reciperetur. Vlcerauerant animum recentiores iniuriæ, quod nonnulli miniſtrorum Mantuani fuiſſent auſi, à publico ſcribâ nonaginta ante annos magni viri nobilitatem deriuare. Sed ante alia obſequium in Ducem ſuum; non dictorum ſolùm, ſed & factorum ſtrenuum ſtimulabant, vt quod conſilio propoſuiſſet, facto proſequeretur: recipi enim Moncaluium poſſe ac debere præuiderat. Accincto in expeditionem Verruenſi, id ſolùm in mandatis Sabaudius addiderat; vt quâ die Trinum & Alba tentarentur, ipſe quoque infeſtis copijs Moncaluium aggrederetur: vt in plura ſimul loca ſparſum bellum, vniuerſæ terrore *Moncaluium.*

Digitized by Google

compleret. Haud dubiè Sabaudio militi turbæ quæſtuoſæ erant;ſiue rem caſtrenſi licentiâ, & direptione augere feſtinaret; ſiue decus ſuum ſui Domini gloriam recentibus victorijs auctum irent. Aſtij coacta militia, & agendorum forma ſancita eſt. Equitum fermè treccnti, peditum duo millia dicebantur in eam expeditionem deſtinata. Et certa in equitatu fiducia erat; & occupato cominus pedite, & auſos obſidionem ciues vrgente, expeditus equitatus vltrò citroq; diſcurreret; agrum populatione fœdaret;& ſi quæ vicini ſubſidia miſiſſent,interciperet. Equitum duces Comes Monticellus,Baro Cardæus,Ioannes Baptiſta Niger, Hieronymus Perminutus cenſebantur. Colonellus Monaſterolus, Paſqualis, Bunius, Malabaila, inferioris quàm Veruenſis fortunæ, ſed bellicæ virtutis gloriâ ſpectati, Peditatum ductabât. Flexo in occaſum die Veruenſis Aſtio cum peditatu egreſſus, ſubſequi equites imperauit, deductis ſecum curribus, quibus tormenta, pettardi, & ſcalarum vis, ad vſum vehebantur. Octo paſſuum millia nocte emenſus, luceſcente iam aurorâ, haud procul Moncaluio conſedit: non laſſitudine militum (qui alacres ad victoriam feſtinabant, ſed tarditate curruum equitumq; retentus; quos omnes viarum iniquitas quo minus præſcripto adeſſent, præpedierat. Cretoſi colles, & recepto imbri hiantes, vix fixum pedem nitentibus iumentis curruumq; rotas reddebant. Affuere tamen ſub lucem vniuerſi. Vbi copiarum ductores aduocauit, pauca de belli cauſis, & Principis ſui voluntate præfatus, miſſaq; rerum ab ſe geſtarum recordatione, ad preces conuertit; obnixe ſingulos orans, ne Guerino, quem victorem iam ciuitas Alba receperit, concederent: ſed qua ſpe cunctos duxiſſet, ſeſe intra mœnia nobiliſſimi municipij ſtatuerent. Meminiſſent opulentum oppidum eſſe; & congeſtis toto tractu mercibus, vniuerſorum cupiditates & neceſſitates expleturum: ſic ſubditos iuſto Domino forti opera gloriam,ſibi vtilitatem paraturos. Intus plus opum quàm virium; neque in repentino incurſu locum fortitudini apud propriæ infirmitatis gnaros. In pace Sabaudij cauſam; in bello occupantis valituram: dum Mantuanis Iureconſultis coram Cæſare imbelli Sabaudio obſtrepit; locum victoriæ fieri, quam ſilentium ac quietæ res promittant. Mox ad conſilia progreſſus, Pettardo ante alia ſe fidere profeſſus eſt, ſi loco opportuno laxandis valuis appenderetur. Facilem aſcenſum cunctis per ruinas fore; & diſpoſitis oppugnatoribus, qui conglobatos ciues in tutelam ædium arceant, Moncaluij neminem vim imminentem ſenſurum. Perſpectum ſibi eſſe, plures (ſi impunè licuiſſet) iuſtiori Domino blandiri; Mantuanum quem depellere loco non poſſint, tolerare. Quamquam ſuorum virtuti fidat, ſecreto tamen ante alia credere; & ſine ſanguine victoriam, quàm maiori cum gloria & diſpendio cupere. Ductores cohortium paratos ſe; nec aliud quàm ſummam imperij opperiri reſponderunt: cumq; certatim periculum poſcerent cura in Equitem Rodortium tranſlata. Et quia tot illuſtres viri, ſpectatæq; fortitudinis omiſſi ſunt, Verruæ comitis inuidiam onerare videbantur, electo Equiti Comites addidit Caluſij, Marchionem filium, Carolum Scagliam, Euangeliſtam Toſtum, Petrum Garrettum, & ex omni equitatu quinquaginta, qui omiſſis equis peditum munere fungerentur. Plerique nobiles erant, bellicam gloriam nobili aliquo facinore captantes; & prudenti Duci dignum ſatellitium. Cæteris imperatum, vt patefactâ portâ conſerti irrumperent, metum deprehenſis inferrent, prioreſq; ſecuturis tutelæ eſſent. Neque enim fruſtra eam virtutem fore, popularibus obſiſtendi inualidis, & parato victoribus præmio; quod ditiſſimi ciuium, rem familiarem, longâ mercaturâ, & ſecurâ pace auxiſſent. Incertum quo nuncio Moncaluenſes didicerant Sabaudium in armis eſſe; itaque ſocietate ac vicinio conſternati (quod deſperatis ſubſidij eſt) pecuniam, & quæ cariſſima habuerant (quantum ſecreto ne quis explorator detegeret licuit) foueis, puteis, vicinis hortis occuluêre: in eorum quæ plurima amiſſuros ſe præſagiebant, vicem

Eques Ro- dortius.

reſer-

reſeruata. Cum Rubeus & Eques Riuata,Pontelturæ præſidio deſtinatus,Trini fortunam, & amiſſam Gabianam acceperunt, parem Moncaluio obſidionem,vicinitate Aſtij & Sabaudiorum delectu in eos fines deducto, vt propinquior aſſultus eſſet;aut relatu proditoris, aut coniectura didicerunt. Et Rubeus quidem vt prouinciæ conſuetudini inſtitutoq; congrueret, feſtinatione ingenti, multitudinem accolarum in ſubſidium armari imperauit; præuenturus hoſtium conatus, & vigilantiam ſuam Mantuano,apud quem toties accuſatus fuerat,approbaturus. Intempeſtiuam diligentiam, nec profuturum petiti rerum expoſuêre ; & fruſtra delaſſari paganos alienæ caritatis prætextu ; quoties illo Sabaudius flexiſſet nullâ vi poſſe retineri. Inconſultam miſſionem eſſe,ſtrato pluribus in locis oppidi muro;nec vllâ parte aſcenſum prohibente. Commeatum,arma,puluerem bellicum, vna cum ſubſidiario milite inferenda,ſi animus ſit, auxilium ſecuritati non oneri eſſe. Niſi etiam nudata præſidio Ponteſtura caſum vniuerſæ rei hoſti patefactura foret ; aut quod tutelæ Moncaluij pararetur, cæteris in eodem periculo ſitis adimeretur. Militem quoque mittendum frumento ac ſarcinis armorum oneratum, hoſtes præualidos offenſurum:vt iam nullus vi,nullus fraudi locus eſſet tranſmittendæ militiæ. Fuêre qui crederent repertam à Rubeo ſimulationem neceſſitatis ; vt quibus certus animus ſubeſſet, experiretur ; degeneres fugâ belli detegeret. Valuit ars tamen,vt quorumdam fortitudinem conatus approbaret;qui Moncaluium ſecretò profecti , nocte ac ſilentio tecti in diſcrimen potius quàm tutelam affuêre. Sæpius populares dato fortitudinis documento , teſtati ſunt ; non ſe quidem Sabaudium vrgere,ſed morari victoriam,ſi Ducem rerum ſuarum ſtudioſum habuiſſent,potuiſſe ; ſed expoſitos cuiuſcunque libidiui,neglectu & auaritiâ fuiſſe;quòd cum ipſi vectigalibus,portorijs,cæteriſq; inauditis olim patriæ oneribus haurirentur ; in collabentium murorum ſtructuram, in foſſarum expurgationem,in armorum apparatum nil à Principe fuiſſet erogarum. Creditos ſe poſſeſſionem in tempus videbant ; vt collatione pecuniæ iners Dominorum otium ſouerent ; turbatis verò rebus egentes ac pannoſi in potentiorem abirent. Sed querelis occupatos,& propugnandi cõſilia paucitate auerſatos, nullâ ex Rubeo,nullâ ex amicis ſpe,intentus opportunitati Rodortius cum delectis offendit. Appenſo quippe valuis Pettardo , obiectam molem omnem in fruſta diſiecit , repagula valuarum,ſerras, cathenaſq; reſoluit, & ingreſſuris patentem viam fecit. Ciuium nonnulli è mœnibus & feneſtris excepto rumore,vt è ſpeculâ,cum iam certa lux diem aperuiſſet, ſuccedentes ad ictum deſtinarunt ; & quoſdam ſecurius oblatos plumbea glande exceperunt. Hos inter Carolus Aſinarius faciem tranſuerberatus primo curſu victoriæ interijt,& iuxta quidam minoris nominis vulnerati. Infælix audacia miſeris ciuibus exitium accelerauit, vt victores in deprehenſos irâ & vindictâ militari licentiâ acrius fæuirent. Quamquam non omnes conſenſu arma induerant; ſed (vt in metu) ſibi quiſque Dux trepidationem aut ſpem,conſtantiam aut fugam iuxta habuerant. Quos ætas & præferox natura ſtimulauerant,fortitudine obniti,& ne pacto quidem indemnitatis fidere ſtatuerant. Alij multitudinem hoſtium, apud ſe rarum ac trepidantem paganum,auxilij difficultates, murorum hiatus, etiam domeſticas diuitias æſtimabant, cedereq; ſapienti fortunæ ex vſu crediderant. Et Sacerdos quidam partem ſe publicæ rei conſilio obtulerat, perſuadens vt nondum inuecto hoſte obuij ciues procederent ; ſe ac ſua victoris arbitrio permitterent : ſic liberis corporibus ſecuritatem parari , arceri incendia,direptiones,& mollius imperium acceſſiri. Marchio quidem Rubeus audito diſcrimine (quod celeri nuncio ciues expoſuerunt) poſtquàm vt ſecum ipſi conſetterent, quantum virium intus haberent, quâ firmitate mœnium eſſent,& an numero ſuorum bello ſuffecturi forent ; coniectarentq; ſumi arma, an omitti expediret, reſpondiſſet, vniuerſis qui rogaturi ſubſidium ante periculum

Gabiana in Sabaudium

venerant, deditionem non coactam ſuadere viſus fuerat. Quippe ſe noui ad-miniſtrationis, nec ſcientem vniuerſa auctorem ſententiæ circumferri voluerat: ne Mantuanum in indignationem iramq; proniorem, damno ciuium, opinione pauoris irritaret, offenderétque. Prudentiam nihilominus interpretabatur, trito apud militiam adagio, Militem cautiorem ſenectute fieri. Deſperatio Rubei for-midinem populorum intenderat, vt quam vim neglexerant apud cenſores para-tam excuſationem reperiret. Inoleuerat enim plurium annorum pace apud Man-tuanos quoſdam opinio, tantum in Monferratenſibus virium & fortitudinis eſſe, vt Sabaudio inſultanti pares futuri crederentur. Idq; à Gulielmo Duce tractum dicebatur: licet ille primâ ab iuuentâ infirmitatem ſuam intus æſtimans, vt ſibi diffidebat, ſic omnem ſecuritatem in Hiſpano Rege collocauerat. Ad extremum abnuentem Rubeum, & expeditionem inducendi Moncaluium ſubſidij vt inuti-lem damnantem, Eques Octauius Riuara magni animi ac virium iuuenis; cui non diſcrimina, non certa mors, aut micanti facie pallorem induxiſſet, aut formidi-nem expreſſiſſet, arma motu Sabaudij audito inclamauerat, & apud Rubeum teſtatus fuerat, non inconſultum conatum, aut inutilem fortitudinem futu-ram, ſi auſus foret. Cum octingentis enim peditibus, & modico equitatu, frumenti, pulueris bellici, & plumbi tantum induci Moncaluium poſſe, quan-tum in decimum diem retinendo hoſti ſatis eſſet. Interim armari prouinciales poſſe, aduocari equitatum, leuiora tormenta conuehi, & Sabaudio operoſam vi-ctoriam reddi. Nec minus Inoyoſam ingruentis periculi metu ſtimulari; vt obla-tam totiens Regis Hiſpani nomine ſpem auxilij, quantacunque oſtentatione fa-ctorum tempeſtiuè liberaret. Rubeus certiorem iam Mantuanum mali, & Inoyo-ſam gnarum inuaſionis reſpôderat; diſſimulare hanc neceſſitatem ſine conſcien-tiæ notâ non poſſe: Illum queri & obteſtari tantùm, non item obſiſtere audere. Fatum quod ruinam Moncaluij trahebat validiſſimos Duces in certamen com-miſerat; ne quis ſponte cederet; perdiq; agendorum tempora diſputationibus voluit: & tum ſtrepitu ac contentione agendorum ſeriem cauſaſq; examinari; cum ſummo ſilentio facto tantùm opus eſſet. Inoyoſa certè ſiue minus expoſtu-lationi crederet; ſiue Mantuani iniurijs hebeſceret; ſiue tantum ſibi apud Sa-baudium auctoritatis exiſtimaret, vt armatum iratumq; reprimere poſſet; ſiue denique conſilio ſedare bellum, quàm armis cuperet, tardius affuit ad periculum; & cum objicere arma coactus eſt, eum fortiori quàm crediderat rem ſibi eſſe ſe-riò didicit.

Nec Sabaudius ignarus agebat, quantum in Mediolanenſi Gubernatore virium eſſet, ſi efferret; & apud Regem exiſtimationis, ſi minus fauorabilem ſe præſtitiſ-ſet: ſimul ne contemptu amici intuliſſe arma Monferrato videretur, miſſo nun-cio ac literis docuit belli quod ſumpſerat, cauſas, & quæſitiſſimis verbis Mantua-ni iniurias eſt executus. Teſtabatur porrò quoties Mantuanus honeſtiſſimis iuri-bus ſuis ſatisfeciſſet, apud ipſum fore, quem bello finem, aut modum vellet; qui-bus legibus ſanciri cum Mantuano fœdus, & firmari æterna pax deberet. Calli-ditatem fraudemq; Mantuanus, quod prudentia & modeſtia erat interpretaba-tur; quaſi bellum bono iure ſumptum artes non admitteret; nec liceret inter acres ſuos aduerſus Monferratum progreſſus, poſt acceptas Regias literas, ambi-guum agendorum oſtentatione comitatis detinere; vt Mantuanus maiori quàm res intus metebatur ſpe conceptâ, & promiſſis auxilijs decideret; & ſi qui Hiſpa-no hæſiſſent expectatione conatus (quem præualidum ſibi figurauerant) eluſi, fri-geſcerent. Equidem toto belli tempore, licet interdiu arma, noctu conſilia Sabau-dius tractaret, in agmine inter gregarios, in prælio inter ſtipendiarios, in pericu-lis inter primos ageret; non omittebat tamen apud Imperatorem, Reges, ac Pro-ceres Europæ profiteri antiqua ſuper Monferrato iura ſua; & acceptas à Mantua-

Sabaudius ſcribit Inoyoſa.

no in-

no iniurias lamentari: cum interim hic literis tantùm ac querelis obſtreperet, laborantibus ſuis opem non ferret. Sed iam Moncaluium ingentem irrupturis Sabaudijs ſinum laxauerat, & qui impetu peruaſerant, omiſſis nonnullis qui portas tecti ſeruarent; ne exteris acceſſus, ciuibus egreſſus eſſet, in plenam victoriam adſpirabant. Ambitum quoque loci diſpoſitis ſclopetarijs cuſtodiri ciues iuſſerant, ne intentis in oppidi expugnationem ſuis, & nouos aditus perſcrutantibus, ciues ditiſſimi aſportatis, aut per muros demiſſis opibus elaberentur. Victoribus verò ædes vacuæ in præmium virtutis cederent.

Mocaluium in Sabaudiam.

Cum hæc apud Moncaluium gererentur, coram Mantuano nondum progreſſuum hoſtilium gnaro, quos ſui Domini caritas, & cupido quietis ſtimulabat, inſtabant, vt generoſo animo præpotenti inimico modicâ conceſſione blandiretur; ſiue id iuri, ſiue officio dediſſet. Quandoquidem percrebuiſſe iam apud Europæ Principes vulgatam Sabaudij querelam; ideo ſe in armis eſſe, quòd datam ſibi fidem Mantuanus tergiuerſatione eluſiſſet; retentâ domi nepti, quam ſimul cum matre apud Mutinenſem Ducem depoſiturum ſe recepiſſet. Id ſæpius apud eoſdem pari efficaciâ repetitum, vel fidem expreſſiſſe, vel ſpeciem veri induiſſe. Proinde ne cunctaretur id Sabaudio concedere; cuius non vtilitatem non detrimentum foret percepturus. Aut enim pupillam paternâ hæreditate inſtrui debere; & tum valida iura habituram, & executores Cæſares; licet Mantuæ egiſſet; vrgente Hiſpano Rege ac Sabaudio, quorum preces legis vicem forent habituræ aut prætextus & ſpes inanes Sabaudium extuliſſe. Hæc ne Taurini quidem profutura; & manere ſupremum Iudicem Cæſarem; quo arbitro veritas, etiam conſanguinitate adiuta, futura in tuto ſiſtat. Ius certum plus fidei quàm matris querelas, quàm vim Sabaudij apud potentiores, & honeſti ſectatores reperturum. Neque id vitari à Mantuano, niſi famâ iniquitatis poſſe: non arte, non conſilio mutari conditionem Infantis licere. Vnam eſſe veritatem cui æquum ſit vniuerſos obtemperare. Conceſsâ Auo Nepti, vim illius omnem ſtatim opinione generis humani infirmari, damnarique. Haudquaquàm probatum Mantuano iudicium: ſiue qui tulerat minori auctoritate crederetur; ſiue periculoſum, & maiorem in tempore perniciem laturum. Placuit offendere retentione Sabaudium; & repoſitâ in Inoyoſam ſpe omni, tanquàm ſummâ ſecuritate validiori inſultare. Cum nihilominus ſententiæ Hiſpanus aſſentiretur; & eo compendio, vitare motus & arma cuperet. Auctor certè cubiculo dimiſſus, paulò minus quàm exactus; & contumeliâ notatus, menſes aliquot vt maieſtatis reus neglectus eſt; à Ferrarienſi præcipuè in opprobria deſtinatus.

Mantuanũ quidam hortantur concedere reprimSabaudio Auo

Iam Sabaudij conferti Moncaluium irruerant; & obſiſtente nemine, ingenti ſclopetorum fragore captum municipium terrore compleuerant. Raros obuios, & intempeſtiuum ſubſidium ſuis laturos ſtrauerant fugauerántque. Mox in domos delati primùm deportatu facilia, demum grauiora ac viliora abſtulerunt. Acrius in populationem victores incubuerant, temeritate & audaciâ ciuium prouocati; quòd pauci & inualidi prouocare ſuggreſſum iam hoſtem auſi forent: & Carolus Aſinarius Priſcæ nobilitatis ac virtutis, ſui memoriâ vindictam ſtimulabat. Quamquàm enim capti, & belli iure victoris arbitrio habendi forent; mitius tamen in ſupplices Sabaudij egiſſent; ſiue reliquorum oppidorum exemplo; ſiue apud piiſſimum Principem, excuſandam ſæuitiam haberent. Infælicibus id ferè ſuperfuit, quod celeri præuiſu abſconderant, aut puteis defoderant: licet horum quoque nonnullâ, inuidorum relatu patefacta ſint; coactiq; per tormenta reproducere. Nobili aſtu fœminæ, pretioſiſſimis ſe veſtibus tamquàm in cultum induerant; obſoleta & longo vſu detrita domi depoſuerant. Itaque iuſſæ plures reſumere proiectam inopiam, & quibus ſe ornauerant tradere. Potentiori quiſque vindictam in manu habebat, parendum erat, vt probra corporum arcerentur, vin-

Id diripitur.

ginum verecundia non contrectaretur. Si quæ militibus corpora ſtrauere (nec enim victoria omnis quæſtum habet,ſed libidini ſua portio eſt)eæ pretio aut precibus, non vi euictæ ſunt. Flagitio huic ante alia Sabaudius edicto cauerat; nec Centuriones aut Tribuni arctum imperium negligere auſi forent. Cum Alexander Guerinus Albam progrederetur,quem exitum conatus habuiſſet ſcribere iuſſus,poſtquam ciuitate ac prædâ potitus eſt, miſerat Aſtium,qui Verruenſem doceret,nullo ſibi auxilio opus eſſe: captam iam vrbem retineri,popularium neminem bellum auſum; vniuerſos ab imperio pendêre.Res ergò proſperæ haud dubiè animos addiderant; niſi etiam ſtimulis acrioribus concitauêre; ne maior minori de gloriâ concederet.Communicatio honoris fuit feſtinatus à Verruenſi ad Guerinum nuncius, oppreſſi iam Moncaluij: ſcriptum tamen ſupereſſe Arcem, quæ breuem obſidionem toleratura foret,ob rarum intus militem,& commeatu non minus quàm bellico apparatu deſtitutam.Notum id ante rem Sabaudio fuerat, cui Monferratenſes quidam, ſtatum, viros, animoſq; prouinciæ perſcripſerant:vtiliſſimo monitu,quoties ſeriò nauandum eſſet. Cæterùm poſtquam Moncaluij fortuna omnis in victores ceſſit; nec ſupereſſet quod in pœnam tractatorum armorum detraheretur,feſtinato curſore tranſmiſſo,ad Sabaudium nondum Trino digreſſum res exituſq; delata. Exiliiſſe illum gaudio Mantuani ferebant; cum tamen certum ſit eunti iam cubitum datas victoriæ teſtes epiſtolas; nec aliud addidiſſe, quàm habere gloriæ competitores apud Moncaluium, qui ſe veniſſe,vidiſſe,& viciſſe teſtentur. Caſtelli nihilominus ſitu,& præſidiariorum conſtantiâ turbatus eſt; vt qui longas obſidiones auerſaretur; nec ex vſu crederet leuiſſimis immoratos ſuos, differre potiora. Simul vlteriora non cogitabat, niſi prioribus in poteſtate firmatis.

Cum Sabaudij milites direptioni Moncaluij intenti, ciuium motus minus obſeruarent; & mixti paganis in tutum per vicina prædam conueherent, quidam Moncaluenſium ad Caſalenſes & Ponteſturam venerant; teſtes excidijs,& amicis parum ſecurâ Arce clauſis auxilium orantes: Nec enim præſidiarius voce ac ſcripto obteſtari deſtiterat Rubeum vti ſocij monerent,quo in diſcrimine rari,& prouiſu nullo firmati verſarentur. Et quidem res aduerſæ & conſcientia infirmitatis ſpem animoſq; minuerant, muneris tamen æſtimatione rodebatur; quaſi ante oculos ſuos, innocentes ſubditos hoſtium libidine abripi pateretur: & iam non ſemel ab amicis monitus fuerat, totius ſe prouinciæ inuidiâ laborare. Quò nihilominus ſpei plus micabat vertit. Cum enim Mantuani oratorem Mediolani adhuc agere ſciret, feſtinatis literis facti ſeriem, & conſumptam futuri expectationem,niſi citò ſuccurreretur, docuit: iuſſitq; vt Gubernatorem conueniret, & ſimulationem cunctationemq; diſcuteret. Ille ſtatim Inoyoſam appellauit,anguſtas arcis Moncaluij res expoſuit, & populorum non minus, quàm ſui Domini ſortem lamentatus eſt: Quinimo petijt ne Regiæ tutelæ contemptu, amicus & fidei commiſſus Princeps,direptionibus,expugnationibus locorum,cædibus ſuorum imminueretur. Id magno Regi indecorum (cuius auctoritatem retinere in officio minores par ſit) & fidei diſcrimini expedire. Toleratam hoſtis audaciam exiſtimationi detracturam, & Sabaudio ad vlteriora tentanda animos addituram. Rarò ſolitarias iniurias. Poſtquàm contemptus obrepſerit,fidenter inimicum inſoleſcere. Vim vi proficere. Addidit vetuſta Sabaudio & tempore euanida ſuper Monferraro iura eſſe: Nec procul deſtinatis illius Mediolanum eſſe: nam ſi Monferrato potiretur,huc arma conuerſurum. Nec tum primùm auditas comminationes,quodque dotis nomine ſibi deberi iactauerit. Etiam famæ conſulendum: nam dilationem auxilij apud pleroſque,conſcientiam turbarum,& deſiderium belli arguere. Non magis incendia incendijs,quàm victorijs victorias increſcere. Maiores ſtimuli fuêre, quàm vt Inoyoſa patienter ferret; Vir nobilis, & qui

Orator Mãtuani Inoyoſam conuenit.

qui ſemper cœptos motus ſponte depoſituros credidiſſet. Sed quanquàm valida illa perrumpendis cogitationibus eſſent, haudquaquàm tamen excluſêre ſenſa animi, exiſtimatione ſui; & indignatione in miniſtrum audacem, altè recondita. Apud Mantuanum tamen ſeruorum æmuli, & eam miſſionem in negle&tum ſui interpretantes, dicebant; fi&tum Inoyoſæ odium; & vt certius imponeret, ſimulatas offenſiones; cum cætera conuenirent: contemptu Domini, & forſan Hiſpanâ caritate, apud vtrumque præualente. Quem Trinenſis obſidio, & Albæ inuaſio firmitudine non dimouerant (quaſi minora vero dicerentur, & eius arbitrio vniuerſa forent componenda) vbi Moncaluium quoque (iam enim continuâ operâ quati à Sabaudijs dicebatur) ſtringi; & non tumultuariam, ſed in cohortes & centurias digeſtam militiam aſſidere Arci accepit; ſeriò rem agi cognouit ab eo Principe, cui ſemel parta ægrè niſi annuenti abſtraherentur. Sabaudij vetus amicitia, Regia voluntas, à Mantuani oratore exprobrata negligentia, animum agendorum ferè neſcium augebant. Additæ à Rubeo literæ cun&tantem impulerant, & (vt dicebatur) excitauerant; quod modicâ auxiliari manu, quæ cum viribus ſecum deferret au&toritatem, Moncaluij obſidionem ſoluere poſſe continebant; fidemq́; ſecuritatis à Rege datam acriter requirerent.

Tot vrgentibus motus Inoyoſa, vocatum oratorem Mantuanum pleriſque bellici conſilij proceribus præſentibus, ſic compellauit: Sabaudij motum nullo ſcitu ſuo, nec causâ ſatis probatâ ſuſcitatum. Quod prudentiſſimis in ſimilibus vſitatum, quæſiuiſſe, vt pax conſilio non armis haberetur. Pietatem ſuam ha&tenus alienæ cupidini ancillatam. Proinde aut quæ cepiſſet redditurum; aut vniuerſis Italiæ viribus illatam Monferrato iniuriam ſe propulſaturum. Sic Regiam voluntatem, quâ integritate iuſtitiam comple&titur, manifeſto documento approbaturum. Iniuriarum quibus acriter impetitus ſit, nec iraſci velle, & cupere obliuiſci: maiorem fore Mantuani confuſionem, ſi quem parum ſibi fidum & Regi peruicacem, voce ac literis reſtatus foret, certi animi amicum inueniſſet. Dicendum illi tamen apud Regium conſilium cauſam eſſe, quod falſum in amore, & parum iuſſis obtemperantem appellauiſſet. Clarè hæc & grauiter di&ta. Sed in miniſtros verſus ſecretò quædam imperauit; creditus deſcribi militem, vocari ad ſigna equitatum, parari bello neceſſaria imperaſſe. Et à Mantuano quidem miſſus, hac imagine ſubſidij la&tatus eſt; eum eò acrius Sabaudij vi&toriæ inſtarent, quò magis iſte obſtrepebat, & Inoyoſa futura diſponeret. Nec enim deerant qui Mantuani querelas, & Inoyoſæ meditationes iuſſi perſcriberent.

Inoyoſa oratori Mãtuano reſpondet.

Vincentius interim Coppinus Arcis Moncaluij præfe&tus, maioris molis tormenta re&tà in viam quæ oppoſitam oppidi portam proſpe&tat, direxerat; in eos frequenter inue&tus eiulatuſque, qui ſe ad i&tum offerebant. Fidere virtuti ac loco videbatur; ſiue habitâ prædâ ſponte abituros Sabaudios crederet, ſiue detinere in dies aliquot voluerit, vt recipiendi ſubſidij tempus forti operâ lucrifaceret. Id Sabaudios aſperauit potius quàm exterruit; nam aduolutis dolijs ac farmentis, quæ multà humo repleuerant, quantum vix obſeſſi i&tibus infeſtabant, longâ ſerie ſepſerant; vt tuti per domos vltrò citroq́; commeare poſſent, nullo bombardarum metu, & inoffenſi: ipſis ar&tius clauſis, etiam honeſtæ mortis vſus adimeretur; ſecuri vi&tores domibus ac fortunis potirentur. Qui frumentum, vinum, veſtem, argentum, ſupelle&tilem, & iumenta æſtumarunt, quadringentis millibus aureorum, eam direptionem Moncaluenſibus ſtetiſſe teſtati ſunt. Licet enim pleraque pondere ac magnitudine intra&tabilia cupiditas militaris non auexiſſet, corrupta tamen & igni abolita ſunt; iumenta ac pecora abſtra&ta, venoq́; expoſita; quibus emptor defuit, longius amandata. Verruenſis maculare manus miſerorum fortunis à ſuis temperaſſe dicitur; licet id obie&tum illi à quibuſdam ſciamus; non quod omnino ſcirent; ſed vt inimici gloriam eleuarent, ſuorum

Vincentius Coppinus.

Præda Moncaluy.

Digitized by Google

miſerias augerent. Datis quippe ad Mediolanenſem literis, Moncaluij direptionem perſcripſerant, Verruenſis ac Marchionis eius filij perfidiâ eueniſſe; citabatque Franciſci Baruti,& ciuium Moncaluenſium aliquot teſtimonia; fatentium vtrumque oppidanis ſacramento ſpopondiſſe; eos non vitæ, non honoris, non facultatum iacturam paſſuros: & cum fractam fidem miſeri quererentur, peiorum formidine ſilere coactos. Auaritiam quoque accuſabant; tamquàm pars ingens prædæ Verruam conuecta foret,in quam Verruenſis non minus quàm victoriam intendiſſet.Sed durum creditu eſt,victores in conditiones cum oppidanis conueniſſe, cum ſecreti, & ignorati magno iam militum numero irrupiſſent: nec pugnandum pro mœnibus ac portis haberent, acceſſu libero & incruento. Neque tempori & occaſioni congruentia retuliſſe Barrutus videbatur; & ciuium nonnulli,ſe inter formidinem ac ſuſpicionem deprehenſos,nec ſcire quâ lege Sabaudij veniſſent,nec quibus conditionibus tolerati forent faſſi ſunt.Accedebant aliquot Sabaudiorum ſaucij,& cæſus ante alios Aſinarius,in quos ſi datâ fide Sabaudij recepti forent,ciues armis non pugnauiſſent. Aut enim iniuriâ dirempta bellandi commercia fuiſſent, aut victores non pacto ſed vi Moncaluio potiti, belli more in captos ſæuiiſſent. Nobis quibus hæc & ſimilia publicâ famâ conſectari animus fuit,etiam Barruti literis innotuit,falsò Verruenſi ac filio calumniam iniuſtam.Illæ tales fuêre 5.Martij 1613.Comiti Chieppio datæ.Illuſtriſſime Domine; inuitus quidem miſeri Moncaluij fortunam nullo amplius remedio mali,recolo; vt tamen amico viro morem geram, fatear ingenuè quod ſcio; ne aut me excuſatione efferam; aut alios querelis iniuſtis onerem. Et Poſſeuini quidem causâ, quem res noſtras ſtylo proſequi ſcio, teneor proferre veritatem. Nullis mecum aut cum ciuibus pactis gens à Verruenſi Comite in noſtrum exitium ducta,oppido potita eſt. Secreto ac vi euaſit, vt imparatis potiretur. Et nos quidem primum impetum exceperamus,precesq; decreueramus ad Marchionem Caluſij,vt obſequentes & paratos ad iuſſa reciperet: ſed dum conſulitur,diſceptatur,pluribus Ducibus communicanda ſunt conſilia, Sabaudiorum aliqui vulnerati,& Aſinarius cæſus ſtimulant, irrupêre ſuſpenſa adhuc negotiatione victores. Datam incolumitatis ſecuritatem Moncaluenſes aliqui teſtantur; quibus ego nec ſuffragari poſſum, nec ſi poſſim licet:ne rei dubiæ & incertis auctoribus vulgatæ, veri faciem cum mendacio appingam. Id tu Poſſeuino meâ fide teſtaberis. Epiſtolam latino ſermone reddidi; vt lecturis in aperto ſit veritas, tot ſermonum interpretationibus apud vulgum corrupta.

Barruti ad Comitem Chieppium literæ aucto ris cauſa datæ.

Coppinus,quiq; cum eo arcem retinebant,quinquaginta ferè gregarij,ciuium miſeriam,ſuum exemplum agnoſcebant: quòd non commeatu non iuſtis armis, non ſufficientibus viribus muniti eſſent, eoq; pauentes: licet in ſpem nonnunquam vicini ſubſidij,quod à Caſalenſibus opperiebantur,erigerentur. Vigiles interim & intenti ſeruabant per vices aditus,diuiſo inter omnes labore; vt in plures dies obſidionem ferrent. Suprema munimenti nocturnis ignibus micabant; dies procul ſitis ſignum diſcriminis dabat, vt tandem accurrerent, & oppreſſis ſubuenirent. omnes tamen proprio metu auerſati alienum exitium ſunt; quod plura peditum millia inſidere mœnia dicerentur, vallem & patentia itinera centuriæ aliquot adequitare viderentur. Nec in Rubeo fiducia erat; qui plura lamentatione quàm prouiſu exequebatur. Vt tamen dubijs in rebus vſu venit, oppida aliquot haud procul Moncaluio ſita, delectu iuuentutis habito, & in centurias ac manipulos diuiſa, tentare fortunam magno ſuo malo auſa ſunt. Verùm non hoſtium aſpectum,tantò minus impetum ferre potuerunt,diſiecti, & terrore incuſſo,quod ſpem omnem adimeret. Plus in cæteris prudentiæ fuit,qui depoſitis armis,deditionem & obſequium prætulerunt. Cum enim Sabaudij exercitus ductores, vicina Moncaluio municipia recepturi proceſſiſſent; quibus nulla propria,

Qui auxilio clauſis venıunt diſſipantur à Sabaudijs.

Alij ſe Sabaudijs dedunt.

pria, nulla externa vis ſecuritatem promittebant, ſtratos vniuerſos cum clauibus & reuerentes obuios inuenêre: ſi prompti & feſtinantes auctâ victorum gloriâ acceſſiſſent, prædationem ſe & onera vitaturos exiſtimabant. His primo acceſſu, recepto bellandi præcepto arma adempta: pars in manipulos militares deſcripti, cæteri ſacramento in ius Sabaudij obſtricti ſunt. Quò promptior ſeruitus, & irrequiſita opera acrior videbatur, eò plus ſuſpicionis Ducibus hoſtium offerebat; ne ſecurius fiderent. Vim pauoris, veterem caritatem, accolarum odia reputabant, quæ curam intenderent. Pietatem nihilominus documento experiri placuit, an dictis facta congruerent; & ſingulis contributionis nomine tantum pecuniæ imperatum, quantum in ſummam alendo ſubſidio, & arcendo Mantuano ſatis eſſet. Id quoque Inoyoſa Mantuani lamentatione didicit, querentis quod ſubditi ſui (ſic vocabat) quaſi quæ ſocij honeſtâ fortitudine deliquiſſent; ipſi fortunis omnibus luere tenerentur: magnitudinem exactionum ſatis docere, rerum omnium pretium victores à deprehenſis requirere, & ideo tam intolerabilia iuberi; quod incolarum & prouinciæ poſſeſſio ad priorem dominum propediem reditura crederetur. Infælicibus non minus perniciosam moram, quam conſtantiam perpetuam fuiſſe; vniuerſos quippe centuriarum ductores, ante furta egentes, & oblatâ occaſione ditari properantes, tamquàm ab alienis & parum domi duraturis facultates omnes expreſſiſſe.

Angebat ante alia Mantuanum Cereſcetum municipium, vt Moncaluio minus, ſic pecuniæ opinione oſtentatum. Huius incolæ cum ſtatim aureos octingentos repræſentaſſent, & armenta in partem pretij obtuliſſent, iuſſi ſunt nouas pecunias conferre; ſed cum vnde corraderent ad manus non eſſet, aut paupertas ſimularetur; quaſi nouos Dominos odiſſent, caritatem omnem illicò non imbibiſſent; aut rebellionem occaſioneſq; proſpectarent, die medio, nullâ mali ſuſpicione, cum miles inter epulas & choræas, comitatem hoſpitum fateri videretur, direpti ſunt. Cauſa plures horas in incerto fuit, donec inditio cuiuſdam fœminæ detegeretur. Seditionem ac veneficia parari relatum eſt, quæ vniuerſos Sabaudios eâdem horâ perderent. Id ad Duces oblectamentis ſuorum ſub meridiem intentos, cum nonnullis fraudis accuſatis delatum fuerat. Perculſi itaque repentino periculo, ſocios & arma conclamarunt. Vulnerati ciues in pœnam quæ ferebatur perfidiæ, pulſari alij, duo treſve militari indignatione contis ferratis transuerberati. Secuta captarum ciuitatum calamitas cæteros deprehendit. Fœminæ licenter contrectaræ, tectis ignis immiſſus. Egere accolas magno exemplo crediderant, ſiue vi, ſiue ſponte acceſſiſſent, vt iuratam fidem conſtanter retinerent.

Cereſcetum excinditur.

Procul à Sabaudij moribus ſæuitia erat; & vt excidium loci excuſaretur, miſſi qui cauſas referrent; & quo in periculo miles omnis apud infenſos egerit, aperiret. Qui popularium coniurationis neſcij reorum culpâ abripiebantur, vbi orare fruſtra fuit, verſi in terrorem, & proiectâ ſpe ſalutis, per agros & villas adiacentes ſparſi ſunt. Et miles quidem vindictâ expletâ, vbi vniuerſa ſuo vſui impendit, Moncaluium Aſtiumq; rediit. Sabaudius doceri quo Cereſetenſes deliquiſſent ante voluit, quàm iure exciſos & deprædatos fateretur; nullo alio mandato ſuis Ducibus frequentius inculcato, quàm vt clementiâ potius quàm rigore vterentur; nec leuem quamcunque pœnam exitio præſumerent. Dignus certè qui fortunam argueret; doceretq; in regnorum diuiſione, illam plerumque circa minus meritos deerrare.

Sabaudi pietas.

Procedebat haud minus Moncaluij obſidio, clauſoſque Arce Monferratenſes, quod eminus tormentis cogere in deditionem non poſſent Sabaudij vrgebant. Et quia longior oppugnantium labor futurus videbatur, timebanturq; popularium auxilia affutura, miſſus Sangeorgius in illud bellum, vt cœpta

Sangeorgius ad oppugnationem Moncaluij mittitur.

promoueret; reuocato Verruenſi; qui conſilio quàm prælio melior habebatur. Audita mutatione Ducum apud Caſalenſes vulgarum eſt; quòd prædationi materia deeſſet amotum Verruenſem, ditatum iam rapinâ, cuius ſtudio aduenifſet; miſſum verò Sangeorgium, quòd bellandum eſſet; quando & perfidiæ materia ſupereſſet, & vilioribus flagitijs ſordibuſq; animum non accommodaret. Accepto imperio Sangeorgius tormenta bellica maiora conuehi, quibus arx fortius quateretur imperauit: & notato ſitu loci, etiam ſedem vnde exploderentur immutauit; gnarus militiæ,& qui eam gloriam ſibi propriam credidiſſet. Sic redintegrata oppugnatio, & cincti vi omni propugnatores; ne quà externâ fiduciâ efferrentur. Id ad victoriam ſuffecerat,ſi quâ prudentiâ Sangeorgius militem ſuum diſpoſuerat, ille commiſſo muneri vigilantiâ reſpondiſſet. Proinde irritum laborem eminens è plano Arx, clauſorum vigilantia, & intrepidus ad pericula animus aliquot dies reddidit. Hoſtem quoq; in propinquiora ſuggreſſum ſclopetarij è pinnis murorum certo ictu excipiebant: nec minus obſeſſorum momentaneos aggeres,frequentibus ictibus diſiiciebant:ſed plus militum,armorum,bellici pulueris, & commeatus ea fortitudo requirebat; vt victoria conſtantiâ approbaretur. Certè auditus ſæpè Sangeorgius eſt laudare clauſorum fortitudinem, & fortem eorum commiſerari; quod nobiliſſimo ortu etiam in hoſte virtutem regio animo complecteretur. Virtutis certamen erat: nam Sangeorgius quotidie viciniora Arci obiectis nouis aggeribus occupabat; obſeſſi verò in pericula tuebant. His enim credita breui affutura ſubſidia, illis certa adhuc victoria conſtantiam perſuadebant. Qua cauſa Sangeorgius ſuos certum in diſcrimen mittere nolebat, ſed compendio & arte, nullo ſuorum ſanguine potiri Arce meditabatur; victoriam omnem auerſatus,quoties cæde ſui militis paranda foret. Longior tormentis oppugnatio videbatur, quàm vt celerem gloriam clauſi concederent. Itaque actis altè cuniculis ſubruere mœnia, & ſuppoſito puluere bellico diſijcere conatus eſt. Stipendiario militi ſuo oppidanos ac paganos multos adiunxit; cum ſpei alterum iam diem tenax humus blandiretur. Vbi ducti ſpecus altiores, & terræ vis egeſta eſt, viuo in ſaxo molem ſtare, quod ferro & igni imperuium eſſet, deprehendit. Coppinus quid Sangeorgius moliretur per exploratores didicit;& vbi laborem hoſtium fruſtra fuiſſe, Arcemq; machinis expugnandam agnouit, tempore ac loco maiores ſpiritus induit: affuturum prouinciæ militiam,& ſocios ad periculum aduolaturos ratus. Contra Sangeorgius quamuis deditionem præſumeret, & Verruenſis gloriam in ſe verteret, dierum tamen aliquot oppugnationem, quæ victoriam afferret, non auerſabatur; quod vt Rubeum cunctaturum, Inoyoſam haudquaquam m.ſſarum auxilia opinaretur. Trinum neglectum,& vicinio Caſalis ſatis tutum; eandem aduerſus cætera futuram negligentiam perſuaſerat. Proinde cuncta circum caſtris vallauit, diſpoſuit diurnas excubias, foſſas elato aggere duxit, pleraque reddidit imperuia, ne quid incuſtoditum Monferratenſes ſubſidio aduenientes admitteret. Coppinus & ſuâ & ſociorum causâ cum in arcto omnia, & amicorum cunctatione ac morâ fractos iam commilitonum animos videret; vt quod ignei pulueris ſupererat, in ſupremum diſcrimen ſeruaret (& pauculæ libræ cenſebantur; eodem apud omnia munimenta neglectu) de conditionibus deditionis agere cum Sangeorgio, dato ab Arce ſigno oſtendit. Et quamquàm Sabaudiorum aliqui contemni pacta, & totam victoriam opperiri mallent; Sangeorgius tamen modico ſuorum ſanguine, nobili munimento potiri in voto habebat. Itaque audiri legatum, & reddi reſponſum placuit. Quinquaginta horarum ſpatium vtrinque definitum; quo elapſo, niſi creditum auxilium obſeſſis aduenifſet; exceſſurum ſe loco Coppinus pollicitus eſt. Admonuerat quidem Sangeorgius; vanam clauſos ſpem nutrire, & prudentius acturum Coppinum fuiſſe; ſi cito obſequio

Cuniculo arcem irritè tentat.

Coppinus de deditione agit.

obſequio gratiam Sabaudij meruiſſet. Cæterùm ſe qui militiæ decora, moreſq; primâ ab iuuentâ didicerit, hanc leuem gloriam laborantibus condonare; vt nouerint quàm parum minas Mantuani, & promiſſa ſociorum æſtimaret. Rex inter Ductores Sabaudios ac militem primùm vulgata, ſingulos intentiores cuſtodiæ, & cauendis inſidijs reddidit. Sed obfuit nimia fiducia; quod noctes ſolutas obſeſſores egerint, nec aditus omnes expediti ſeruauerint. Eo contemptu periculi ſecretiſſimo nuncio per occulta & incuſtodita miſſo licuit Monferratenſes qui Ponteſturæ agebant, diſcrimine ſociorum excitare; vt magna vi properarent; niſi amitti Arcem, & cuncta circum in Sabaudium abire vellent. Hic Rubeus nullâ ſatis certâ ſententiâ; ne quid aduerſæ fortunæ ſibi imputaretur, periculi magnitudinem oſtentans ſeruatos præſidijs inimicorum, omnes in arcem aditus, Sabaudiorum numerum ac vires tollens, tamquàm conſilium requireret, in minores copiarum Ductores ſe conuertit, ſingulis nominatim compellatis, & interrogatis an eam expeditionem vellent: tum omnes, deſeri ſocios flagitium cenſere, quod loco ac vicino exitio periclitarentur. Neque pauendam audaciam, honori gentis, Monferrati militiæ, ſuæ gloriæ; etiam futuræ de eorum rebus opinioni eam fortitudinem deberi. Rubeus expectari Hiſpanos mallebat; ne modica ſpe delectiſſimi ſuorum certum in exitium mitterentur. Cum numeroſo ac forti milite rem futuram; & vigilantiſſimum Ducem aſſidere, in quo negligentiam credi ſcelus ſit. Eques Riuara numquàm mihi ſatis laudatus iuuenis, paucos ante dies Ponteſturæ præſidio impoſitus, cæteris ſilentibus reſpondit; id ſummum Mantuano nomini ignominiæ, & populis ſubditis deſperationis acceſſurum; ſi ſex millibus paſſuum diſtantes, patenti via, Caſalis vicinio, fortiſſimi commilitones inter tormentorum bellicorum ictus, & inopiam rerum omnium (quæ ad tolerandam obſidionem conducunt, libidini ac furori hoſtili permitterentur. Quam aliam ad gloriam Monferratenſibus viam eſſe; ſi primo quoquo diſcrimine paueſcant, ſi prælium in aperto, ſi nocturnum dolum renuant? An ſedendo & ſolidos dies luſu epuliſq; conſumendo ſeruaturos ſocios; aut firmam aduerſus Dominos fidem teſtaturos? Sibi quidem certum animo inſediſſe, niſi maiorum imperio arceretur, cum expeditis trecentis, circumfuſos Sabaudios perrumpere; & in Arcem Moncaluij poſtico euadere: atque vbi feſſos ad firmitudinem hortatus foret, partemq; ſubſidio reliquiſſet, eadem vi retro ad ſuos euadere; quod reliquum fortunæ permittere: fortibus auſis proſperum exitum ſperare; & vel deprehenſum opinione maiorum copiarum penetraturum, vel fallentem & nocturnis tenebris tectum voto potiturum. Magnitudinem animi, & exilientem ad magnos auſus conſtantiam laudare vniuerſi, alij ſe ſocios offerre, quidam iuuare conſilium monitis, plures Rubeum ſtimulare; vt iam niſi manifeſto dedecore prohibere tantam virtutem poſſet. Viciſſet haud dubiè Sabaudius, licet plures eâdem fortitudine Monferratenſes habuiſſent; ſed triumpho non ouatione dignam victoriam retuliſſet. Trecentos ex omni numero milites cum iuſtis armis, puluere, ac plumbo; quod certaturis aut obſidionem ad dies aliquot toleraturis ſatis eſſet, elegerat. Et nox imbre violento ſonora, & nocturnis ſyderibus denſis tenebris velatis, eam audaciam texit, promouitque. Cum nec Monferratenſes ſecuri agerent; & Sabaudij conſternatos pauore populares, haud quaquàm auſuros crederent. Sangeorgius merſo iam die ſuos officij admonuit; vtque noctes duas excubias ſolicitè agerent, imperauit. Non neſcius obſcuro noctis occuli inſidias; friguſq; & imbrem cogere in contubernia manipulos, nimia ſecuritate ſolutos. Sed Eques Riuara per ſecretiſſimos calles circumactis ſuis, & itineri Ducem ſe præbuerat, & bello promiſerat. Medio noctis cum vniuerſa pluuio cœlo horreſcerent, primas excubias ſub radicibus montis deprehendit,

Monferratenſes diſceptāt de mittendo Moncaluium auxilio.

Eques Riuara ſe Ducem iteris offert.

Longius à ſuis aberant; nec confragoſâ tempeſtate audiri clamor occupatorum poterat: cum itaque ſueto militiæ more, quinam progrederentur, quæſiuiſſent, incerto rumore excepti ſunt; ſiue hoſtes ſe, ſiue amicos appellaſſent, ſublato aurium vſu fruſtra fuerat; ſibilo ventorum,& nubibus denſis in aquam ſolutis mutuò frementibus. Duos ex his mactatos, tertium longius abſtractum ne à ſuis exaudiretur quidam retulerunt:cum Riuara alioquin fortitudinis aſſertor faſſus ſit, in neminem diſtrictos mucrones fuiſſe. Vbi aſſurgere collis cœpit ſecundæ cuſtodiæ occurrêre, intentiores pluresq; quàm vt cæderentur omnes, aut fallerentur; itaque amicos ſe & Albâ miſſos, conclamato Ducis ſui nomine reſponderunt; quod vnum inter fragorem nubium excipiebatur. Haud longè caſtris, vbi confectus humo ſarmentiſq; agger aſſurgebat Germani tendebant, poſtrema Arcis retinentes; quos vt intrepidos nec tenebrarum horrore pauentes, profeſſoſque ſecuriſſimam ſtationem,Sangeorgius eo ſitu locauerat; vnde maior vis,& probabilior auxilij ſuſpicio metuebatur. Longo vſu quippe receptum in bello erat, vt difficilia & ardua fortiſſimæ genti delegarentur. Hic Riuara collectos ſuos, & breui morâ reſpirare iuſſos, neceſſitatis admonuit; ſilentem aciem in ſtratos ac ſemiſomnes, duas in partes arma inferenda; vt plura ſimul in loca Germani diſpergerentur; nec cui maximè occurrerent, clamore ac confuſione ſcirent. Maiora credi de prouocantibus. Vtque terrorem augeret, ſclopetis primum rem tractandam, tum ad contos ferratos, denſato globo veniendum. Vno aut altero fugatis, cæteros ſe in præceps daturos. Equidem ſuperatis Sabaudijs, viluerant Monferratenſibus Germani; in quos ſumma iam retinentes Riuaræ milites, certam ſibi victoriam figurauerant. Vbi Riuara iuxta fuit, rara Germanorum ſubſidia reperta; ſed mutuo fotu aggerati, per ventis imperuia, ab imbre ſe ac frigore tutabantur. Ergo inuectus & Mantuâ ac Monferrato acclamatis repentinâ inopinantes conſternatione confudit. Secuti priores reliqui, nec auſi euentu ferocientes Monſerratenſes incurrere. Sic in poſticum Arcis cum Riuarâ omnes incolumes recepti. Obuium ſe Coppinus cum triginta militibus dederat, ne quæ vis properantes moraretur. Sangeorgius Germanorum, ignauiâ caſtigatâ, rem improuiſam & certæ fortitudinis in Equitem Riuaram flectere non dubitauit: cuius recordatio virtutis ac nobilitatis æſtimatione ſolicitudinem intendebat. Iactabat Mantuanus oſtentato antè à Sangeorgio præmio, ſolicitatum Riuaram ad res nouas; non vt Duci Sabaudio ſtrenuum commilitonem offerret (ſuſpectâ ſemper inter proceres bellatores æmulatione) ſed vt ſocietate magnorum virorum turpitudinem ſuam velaret; & vt vbi plus nobilitatis ac virtutis erat, certiora iura præſumerentur; quaſi quos infami operâ præuerterat ob crimen proditionis, nullo amplius ad Dominum regreſſu Mantuanus ſordibus & inopiâ conflictari permiſiſſet; niſi quos Regia Sabaudij liberalitas, collaris belli paciſq; muneribus ſubleuauerat. Sed alia erat Sangeorgij morum via, nec bellum niſi per bonas artes approbatâ à Duce ſub cauſâ tractabat: & nos exploratum habemus pleroſque ſe in eandem operam Sangeorgio obtuliſſe; ſed ingenuum Procerem, vnicuique vtiliora conſilia inſtillaſſe, aut receptos proprij periculi admonuiſſe. Itaque relationibus inuidorum deceptum plerumque Mantuanum, & crediddiſſe de ſuis nonnulla, quæ parum tempori ac rei congruerent. Cæterùm ne noui ſubſidij ſpe clauſi Arce Moncaluij in poſterum intumeſcerent,aut nocturnum conflictum auderent ſtudioſè cauit. Recepti iam Riuaræ in ſecurum meditationes Sangeorgium fefellerunt. Manſurum quippe intra munimenta crediderat; quoad nouæ copiæ à ſocijs ſummiſſæ,eruptionis ſecuritatem attuliſſent. Sed ille vbi Arcem accuratè examinauit,qui commeatus, quæ intus arma,quantum pulueris ineſſet,didicit,ne multitudine militum exilem loci annonam abſumeret,relictis ducentis ex ijs quos deduxerat,& aſſumptis reliquis,

liquis,nocte in tempeſtā per medios obſeſſores,plenus gloriæPonteſturam reuertit. Iuuit audaciam eadem obſidentium negligentia; & præſumpta opinio illum in tutelam aduenisse. Virtus tamen fortunam inuitauit; vt ferè in bello ſors & fortitudo miſcentur. Sabaudius Dux ipſe raro magnitudinis animi temperamento abſtinere commendatione iuuenis non potuit; cum in Germanos culpam reieciſſet. Nec enim magno Principi inuiſa in hoſte conſtantia erat; ipſeq; victorias de forti inimico, vt gloriæ cumulatiores mallebat. Aſiaticarum gentium ignauiam multum laudis Alexandro detraxiſſe,non ſemel faſſus fuerat:& Hiſpanorum ex Indis trophæa, nuditatem eorum, & formidinem eorum imminuiſſe. Seruando in plures dies præſidio ſatis erant quos Riuara induxerat; ſi Inoyoſa aut ij ad quos rerum cura ſpectabat,paratos in tutelam Monferratenſes diſcrimine obieciſſent. Torpentibus reliquis prodegiſſe fortitudinem Riuara videbatur; & clauſi projicere vitam; accolæ ſeq; ac facultates perdere; ſi non profuturam peruicaciam retinuiſſent. Quid ſperandum ſibi Sabaudius præuiderat,& quantum laborum ſupereſſet,vt vniuerſos reprimeret; ſi apud omnes par Riuaræ conſtantia, idem animus fuiſſet. Nec aliā cauſā magis tot in loca ſparſerat bellum, quàm vt ambiguos agendorum opprimeret confunderétque; paucis hactenus eâdem vi incumbentibus. Querebantur haud dubiè de Mantuano nonnulli,quòd rum ſepoſitus, inter ludicra & inania, ardente ſuſpicionibus ac bello prouinciā, orantibuſq; pericula ſubditis; nec annueret, nec auderet: quodq; acceptis ab Inoyoſā ac Hiſpanā Aulā literis, ſtatim prouiſum omnem abieciſſet,ſecuritatem falſam induiſſet; conſultationibuſque,ac miſſis vltrò citroq; oratoribus cum epiſtolis,proficere Sabaudium,perdiq; tempora tutelæ ſineret. Et ante alios ſubditi, cum rapi excindiq; ſe; nemine aut propugnante aut ducente in hoſtem viderent,actius quàm cæteri indignabantur; quaſi contemnerentur, belloq; inutiles cenſerentur. Habere Monferratum viginti millia ſelectæ ex omni gente iuuentutis qui parati in mortem procurrerent; ſi ſeruandæpatriæ,ac rei familiari Ducem audentem habuiſſent.Non ſemel Sabaudios; cum alijs cauſis fortuna populos bello commiſiſſet,didiciſſe Monferratenſibus neruos eſſe.Qui Mantuano obnoxij, eandem quietem armis præferebant; abſtinere certamine, nec defenſionem vi tractare; ſed Inoyoſæ ac Hiſpanis omninò committere;prudentiam Domini vocabant: plus ſecuritatem tegiam valere opinantes;& rebus ſui Principis cum Inoyosā ſimulationem conducere.Certè ſeries cauſarum miſeros populares in ruinam trahebat: cum non ipſi, non Dux ferendo ſubſidio ſufficerent. Multorum quoque virtus parum in ſummam valebat; & Riuaræ præcipuè,qui paulò ante facinus æternitatis memoriā dignum admiſerat.Nam Sangeorgius ſimilium metu vigilantiores eſſe ſuos voluit; duxitq; foſſam,& ingentem aggerem, ne cui ante acceſſus in Arcem eſſet; quàm ipſe ſibi ingenti labore complanato vallo viam ſtrauiſſet. Addiderat centurias militares; miſcueratq; Germanis Italos; vt de gloriā nationes contenderent; & alter alterius negligentiam obſeruaret. Vbi tantùm cum clauſis res fuit, in munimenta ferreis globis vim omnem vertit; vt feſtinata deditio ſuorum ignominiam elueret; cum etiam inferioris ordinis Duces trahi in decimum diem obſidionem ægrè ferrent; & tamquam in rabiem delapſi acceratius inſtarent. Maior militia videbatur,quàm vt oppugnatio vniuerſis indigeret.Aliquot ergo Capitanei cum delectis manipulis in vicinas villas dimiſſi,vt ab ijs quos vis & numerus, belli meditatione deterruerat,tributum collationemq; pecuniæ in præſentem vſum exprimerent.

Ponteſturā redit

Odolengum (vicum haud longè Moncaluio ſic vocant) cum vagum toto agro Sabaudium videret; nec ſibi quidquam ſecuri crederet,miſſis ad Sabaudium literis orauit; vt tenui populo,ne præualidis quidem Mantuani rebus auſuro,collatā in belli vſum pecuniā, immunitas eſſet. Data ſupplicibus fides publica, ſubſcri-

Odolengum Sabaudio conuenit ſolutione pecuniæ.

ptione Ducis firmata; non veterem ſeruitutem, non Monferrati arma ipſis noxæ fore. Mille aurei ſolummodo requiſiti: in quos incolæ ſponte conuenerunt, & publico exactori donatiui nomine numerari. Vidua quædam quanquam paucos ante dies coniuge funerato, cum genialem torum oppignoraſſet, vt portionem reproduceret, oneraſſe victorum odium videbatur; apud quos ignota belli mala, & inſueta calamitas eſt. Tertio poſt ſolutionem pecuniæ die, peditatus equitatuſq; Sabaudius, caſu an deſtinatione eò delati alimenta, pabulum, & pecuniæ aliquid flagitauêre. Syndici (ſic publicæ rei curatores vocant) militaria hæc onera, ſolutâ ante pecuniâ redemiſſe fatebantur; & velut causâ præualuiſſent, Sabaudij Ducis chirographum protulêre; quo abſtinere ſuos ſimilibus imperabat. Iniuria non remedium fuit: diſperſi enim & indignati vicum diripiunt, in obſtantes ſæuitiâ, in cæteros licentiâ vtuntur. Mox ſpoliatis domibus faces ſubjiciunt. Nec diutius immorati aliò flectunt; nemine ferè gnaro, quo demerito, quo duce, quâ causâ periiſſent. Paucos poſt dies auditum ſcelus vulgatúmque, quo vindictâ non iniuriâ in Odolengum mori Sabaudij ſæuiiſſe credebantur. Agitaſſe rebellionem dicebantur, vicinos ſecretis nuncijs ad cædem inopinantium aduocaſſe, veneficio aliquot vini dolia infeciſſe. Siue verum ſiue falſum crimen effecit, vt cui probando tempus deerat, pro comperto acciperetur; & fortiores, etiam causâ apud Dominum valerent, niſi culpa intercesſiſſet, feritatem auerſaturum. Et toto quidem victoriæ decurſu, inexorabilem tantùm proditoribus, & iis qui receptum ſacramentum oſtentato defectionis præmio polluiſſent, fuiſſe. Ductores copiarum id coram Sabaudio excuſarunt; ne militaris petulantia aut Ducum conniuentia tacentibus eoq; reis crediris, accuſaretur. Sed ille commendare ſæuitiam ſuperſedit, promiſcuáq; innocentium pœnas deteſtatus eſt; quos enim ſibi recepturus venerat, nullâ culpâ excindi perdive ægrè ferebat. Neque tamen ſtatim bonus Princeps, aut modeſtos milites ardente bello; aut animaduerſos corrigit petulantes: vis, conſuetudo, ira, plerumque à recto deuiare militem facit, vt exempla crudelitatis moribus receptis imputentur.

Sed mox excinditur.

Creſcebant interim ſpes Sabaudij, & vniuerſa Monferrati torrentis inſtar in ſinum victoris currere videbantur: ſed quia ſubſidia Inoyoſæ pro Mantuano, & Reginæ Galliæ comminationes publicè audiebantur, vt parta retineret, & in aperto ſuſtentare bellum poſſet, Marchionem Lanzij, Sabaudiæ Gubernatorem per literas monuit, vt quam poſſet celerrimè, octo peditum Sabaudiorum millia, ad ſigna cogeret. His Valdiſſeram, Baſtiam, Sangeorgium, Sanmichelem Barones; Dominos de Groſsè, de Roati præfectos deſtinauerat. Nec minus decem Equitum centurias vt expleret iuſſerat, quibus futuros Rectores dixerat Chiambræ, Aixij, Verzai Marchiones; Dominos de Treuernei, Dragonieræ, Serræ, Hermanſæ, Aquebellæ, & Caſtrifortis Barones. Addito inſuper Brottiero, quibus ſclopetarij parebant. Vanum pauorem incuſſum Duci quidam crediderant; ſed ille in omnes curas intentus (ne quæ obſtreperet negotio negligentia, hoſtium incremento profutura) pluribus ſe vallabat: quibus (ſi vis ingruiſſet) aduerſus Mantuano fortiores eniteretur. Quamquàm enim compertum haberet, fortitudinem Gallicam ægrè retineri, ſi conferti irruiſſent, poſſe: & Henrici IV. Regis exemplo didiciſſet, magnâ properantibus obſtantem fortunâ egere; minus tamen tobotis in eâ Gente conicctabat, quæ bellatore Rege deſtituta, fœminæ auſpicijs ad bellum mitteretur; ſub Ducibus inuicem æmulis, & gloriam arte mutuò corrumpentibus. Amicos quoque numerabat magnos Regni Proceres, quos ſciebat aduerſum ſe lentè proceſſuros. Et ſi fortuna parum deſtinatis fauiſſet, hoſtiumq; numerus vndiq; circumfuſus præualuiſſet; in eo tamen Principe vis illa animi patuit, vt opprimi mallet, quàm argui opportuna tempori in bonâ causâ neglexiſſe. Proinde non armis, non negotio toto belli tempore pepercit, ſed prouiſu militum.

Marchio Lanzij deſcribit militem Sabaudum.

militum aſſiduus, inchoato motu Monferrati teſtatus eſt, magni Principis & ſtrenui Ducis omnes ſe numeros abſoluiſſe: non enim literis, non oratoribus, non largitione, non ſolicitandis rebellibus, non fortitudine, non ſtratagematis, non comparandis ſibi amicitijs, non Mantuano detrahendis; non precibus erga potentiores, non querelis, non voce, non ſcripto, non iure, non prælio, verſus in omnes facies abſtinuit, proruptus ad occaſiones; in laboribus indefeſſus, in diſcrimine intrepidus; in proſperis, in aduerſis, cùm acciperet, prohiberetq; auxilia, pari animo, eâdem conſtantiâ, paucitati ſuorum, ingentibus hoſtium exercitibus, ſuſpicioni Gallorum, Hiſpanis armis (quod nemo mortalium crediderit) eluctatus: & ad extremum non niſi cum honore ac gloriâ, datâ pace potius quàm acceptâ.

Ingenitam magni Ducis fortitudinem ac vigilantiam, perſpecta Mantuani conſilia ſtimulauerant. Nam primo ſtatim die, quo obſeſſi Trini fama excepta eſt, didicerat illum geminatis literis in auxilium Galliæ Reginam Amitam aduocaſſe. Neque monitum falſum fuit: nam cum pleraque Mantuanus apud Inoyoſam queſtus eſſet; & creditam promiſſamq; ſui tutelam tum maximè requireret; nec tamen præcipitem aut inconſultum Hiſpanum accedere videret; qui prudentiâ ac negotiatione, non armis eas turbas componere meditabatur, magno partium bono, idipſum apud Reginam, lamentatus fuerat; quaſi non ius gentium, non conſanguinitas, non ſobrinus Cæſar, non Galli Regis reuerentia, illatam ſibi à Sabaudio vim arcerent. Sententiæ nempe Ferrarienſis Amitæ acceſſerat, vt crederet, prælium diſceptatione forenſi patrari, & plus auctoritatem quàm ius & vim poſſe. Huic ſe malo Sabaudius inſtruxerat; ne tractaſſe bellum quod ferre non poſſet videretur. Sed eo quoque incautus Mantuanus deliquerat, quòd fluxâ aduerſus Gallum & Hiſpanum Reges fide, inconſtantiâ corrumperetur; vt æmulorum nemini probaretur. Sui nihilominus, non vt profecturâ apud Reges excuſatione Dominum munirent, ſed vt aſſentatione blandirentur, magnitudine mali impulſum ferebant (vt ferè naufragi ſtricto mucroni manus porrigunt) nec enim Hiſpano Regi, quem ante alios pietate, humanitate, potentiâ in cultum deſtinauerat diffidiſſe; ſed Inoyoſam vniuerſa magnifico verborum apparatu, nihil executione proſequentem, ſuſpectum caritatis in Sabaudium habuiſſe. Addebant mali famuli, & ſui Domini perniciem accelerantes, veri inopiam munificentiam in illum, & vetera beneficia Sabaudij, poſtremò ſegnem cunctationem; vt omiſſo Hiſpano, bono argumento Galli conclamati viderentur. Qui tamen fidi certo obſequio dicebantur, veteri ac recepto in vrbe ſacramento hærere conſulebant: non incolumitatem, non potentiam neglecto Hiſpano tuta in Italiâ eſſe teſtantes; & vota in Gallos verſa præſentem ſpem omnem abſumere. Vniuerſa meliorum monita fruſtra erant, ſiue Ferrarienſis bonæ dominationis præceptorum neſcia, conſilium nepoti inſtillaſſet; ſiue Mantuanus animi impetu, nec cum prudentioribus re communicatâ, procurriſſet. Securam quoque ab vtroque regno tutelam nonnulli perſuaſerant; ſi delectum ſemel immoto conſilio Hiſpanum retinuiſſet. Recens vtrinque coniugium, & Reginæ Galliæ cum Hiſpano concordiam ſufficere docentes; neque apud Hiſpanum plus virium Gallorum conatus quàm preces habituras.

Sed hæc aliaq; quia accepta Ferrarienſi non erant, parum mouerant Mantuanum, vt ſtabili voto niteretur; neque datæ ad Reginam literæ quâ dictauerant adminiſtri modeſtiâ fuerunt: imo abripiendum ſe dolori permiſerat, vt alienas quoque iniurias Sabaudio objiceret, in ſua commoda (vt rebatur) valituras. Eo ferè ſenſu: Nouum apud Gallos haudquaquam eſſe, ſolitum Sabaudium moliri res nouas, dato non ſemel experimento, cum in Regem iniquus ſuſcitare proceres ad ſeditionem auſus eſt; vt eorum malo Breſſam fœdè amiſſam reciperet. *Mantui literæ ad Reginam Galliæ.*

Sed nec vetus eſſe, vt Magni Henrici potentiâ ac fortunâ repreſſus fuerit, & modicam rapinam magnâ dominij parte farciuerit. Neque tamen adhuc animum infregiſſe, quin paratus vigilanſq; Genuenſes fines, Geneuam ipſi tamdiu ſuſpiratam, Griſones præualidos, extrema Galliæ, poſtremò Monferratum meditaretur. Non alio iure in laceratam prouinciam, quàm maiores ſuos in Morianam & Sabaudiam vniuerſam niti: contempto Cæſare (quem Mantuani Duces arbitrum acceperint) conſanguinitatem Regiam irridêre; & conuicio non abſtinere, quòd fateatur per ipſum ſteriſſe, quominus Galliæ, viduæ Reginæ imperium non excuſſerint. Orare ſe obteſtariq; ne ius ſanguinis fidem ſuam fruſtra vellet.

Regina Galliæ minitatur Sabaudio, & Hiſpanum monet tutela Mantuani.

Regina domeſticas ſeditiones, infantem filium, ſexum metuens, vicinos quoque rumores auerſabatur: caritate inſuper nepotis accenſa, ad Hiſpanum Regem primùm, mox Sabaudium literas miſit: huic bellum niſi armis in Mantuanû ſumptis deſtitiſſet, conteſtata: illo magnitudinis ſuæ & ſuſceptæ protectionis admonito; ne nullo ſuo quæſtu, inſuper duraturâ in poſteritatem infamiâ, honorem Itali arbitrij, & conceptam à ſupplice Principe fiduciam conſumeret. Non ſe Gallorum cum Hiſpano veteres ſimultates retrahere; ſed vt communi ſtudio, conſanguineus Princeps aduerſus vim apertam protegeretur, cupere. Quietem populorum vtrique vtilem; ſatis bello decoris partum; maieſtatem dominationis in pace gliſcere; nec ſolidiora fundamenta regnorum, quàm certam apud exteros reuerentiam. Nondum Hiſpanus reſponderat, longo terrarum tractu diſſitus; & iam Sabaudius quibus artibus Reginam quoque retineret, agitauerat: vt vel nouum bellum auerteret, aut negotiatione & tempore proficeret; ſecutaq; inter ipſum & Mantuanum conciliatione, occupatæ prouinciæ partem ſuam faceret. Pronior in Mantuanum Regina erat, quàm vt Sabaudij iura præferret; eoque ſuſpicionibus ac difficultatibus implicanda erat, ne in Sabaudiæ damna verteret.

Traianus Guiſcardus.

Eo tempore apud Regem Gallum pro Mantuano internuncium agebat Traianus Guiſcardus, vir antiquæ nobilitatis, & priſcæ virtutis, nec minus agendorum peritiâ par negotijs ingentibus. Is Sabaudij conſilia detexerat, remedia propoſuerat, metumq; ingruentis belli laudauerat, ſi reprimendum vellet. Sed Regina cum violentiſſima cuperet, longâ tamen Procerum ſeditione delaſſata hærebat, quod pecuniæ indiga atque adeo regni eſſet. Galliæ partem illam quæ Sabaudiæ contermina eſt Prouinciæ nomine, Aldigherius Gubernatoris titulo habebat; cui plura hominum millia ſuberant, ſueta bello, Duciſq; longâ militia eruditi. Hunc Regina perpulit, niſi Sabaudius Monferrato abſtinuiſſet Sabaudiam irrumpere, & totâ mole illac incumbere. Id præcipuè componendis rumoribus vtile Duci parum æqui crediderant; & tracturum Sabaudium à Mantuani vexatione ad tutandas res ſuas. Aldigherius quoque rei militaris diſciplinâ apprimè doctus, ſueto ſibi cum Duce bello deſpicere hoſtem poſſe videbatur, & inter Pedemontanæ anguſtias domi ſuæ continere. His apud confinia prouinciarum motibus, Sabaudius prouiſu rerum ſpectatus; nondum auditis minis, ſed ſuſpectis, Marchione Lanzij delegato, extrema Sabaudiæ tutari, & oſtentare irrupturis animos meditatus fuerat; eoq; plura popularium millia deſcribi iuſſerat, quibus externam vim depelleret, caſtigarétque. Summum id fortunæ Mantuano euenit, quòd virtuti Sabaudij exitus non reſponderit; cum cætera paratus propulſandæ iniuriæ ab omnibus ſciretur. Paucos enim poſt dies, Reginæ & Aldigherij literæ illi delatæ ſunt, tacitis comminationibus turgidæ, huius tamquàm à minori, ſuperioris mandata continentes. Conſtat non alio grauiori nuncio Sabaudium indignatum; vt qui turbarum initio affuturos iuribus ſuis Hiſpanos credidiſſet; & in Mediolanenſi Gubernatore certam fiduciam habuiſſet; vel ſi obſequentes, aut (quòd minimum) non aduerſantes Gallos habuiſſet, comminantes illis Hiſpanos ſpectaturus

Regina iubet Aldigherium irrumpere Sabaudiam.

turus

turus fuerit. Dolores ſuos non audiri ægrè ferebat; & non ideo obſiſti conatibus quod iniurij forent, ſed ne ipſe quoquo modo increſceret. Conſilium nihilominus à conſtantiâ (quâ nunquam etiam in aduerſis exciderat) mutuatus eſt; ideoq; cœptis non abſtinuit, aut degenere animo arma depoſuit, ne liber Princeps alieno imperio paruiſſe videretur. Quin imo ſi quid Galli mouiſſent; inane ac fluxum ob Regias vires inteſtinis procerum diſcordijs diuulſas nouerat: ſimul ſpe vindictæ, quam ſuſcitatis nouis procerum tumultibus expleturum ſe ſciebat. Trahi quoque in partes Aldigherium poſſe, non vanè præſumpſerat: qui ætate & longâ adminiſtratione potētiam auxerat; ſciebaturq; neſciâ, imo & inuitâ Reginâ pleraq; arbitrio tractaturus. Sed & virum Mantuani moribus auerſum didicerat, quos inſtabiles & intempeſtiuos acceperat. Is licet Principi loco ortus non eſſet, virtute tamen ſuâ, & Henrici IV. munificentiâ, & omnium ordinum amorem nactus fuerat, & in eam claritudinem aſſurrexerat, quæ raris Regni Principibus poſt labores accedit. Id ille ante alia candidæ fidei decus ſectatus fuerat, vt immobili aduerſus Regem caritate gratitudinem iudiciumq; electionis approbaret. Huic itaque pretio aut conſilio occurrere vanum non cogitauerat; donec tractato ſene didicit, apud deſtinationis ſecurum, vnam cauſam valêre. Cumq; iiſdem hoſtes artibus impetere ex vſu crederet; huic maximè ſtudebat; vt ſuſcitatis per regnum ſeditionibus, & conuocatis rebellibus ad res nouas, egens ſubſidij regina, inſtantem ceruicibus ſuorum Aldigherium reuocaret. Id niſi voto ſuo ſatis fuiſſet, deliberantes vrgere, inopes auro, dites auctoritate, & opinione ſui tollere parabat; ſatis artium callidus; & gnarus aduerſus hoſtem, in honeſtâ causâ, ſtratagemati cuicunque locum eſſe. Nec enim recentia ſe iura in Monferratum afferre; ſed vetera, ſed nota, quæ nouis iniurijs Mantuanus accumulauerit, intenderitque. Nil humano ingenio factu dictuq; opportunum fuit, quo Sabaudius tempeſtiuè in ſuam cauſam non vteretur; vt debitum cauſæ exitum ea expeditio nanciſceretur. Sed fortuna, & Regum tot aduerſi conatus vertêre conſilium, licet facti gloriam permiſerint. Plura ſuo loco proſequemur, ne qua pars induſtriæ fortitudini magni Principis defuiſſe credatur.

Guiſcardi apud Reginam expoſtulatio ac preces diu Inoyoſam non fefellêre: nam ab oratore Hiſpano Duce Montis Leonis eâ in Aulâ negotia ſui Regis tractante literas accepit; quibus Mantuani in eam gentem obnoxius animus, & Gallorum procliuis caritas continebantur. Ergò cum Mantuani internuncio grauiter queſtus eſt; quod non ſibi ſolùm, ſed regiæ quoque tutelæ diffideret; quod inuiſam Gentem, intendendis Hiſpanorum ſuſpicionibus delegiſſet: fictam prorſus in ſuum Regem pietatem, quam ab vrbe, & Mantuâ literis teſtatus foret. Hærere altius animo delectionem Gallicam, quam Cardinalis Pariſijs imbibiſſet; referreq; parentem vſque ad Hiſpanorum pericula iniurium. Sanè experimento deprehenſurum, quantum vtilitati & exiſtimationi Mantuæ Ducum conducat profuturam amicitiam complecti; nec excitis exteris populis abolitas pridem ſimultates ſuſcitare. Reſponſum eſt; ſtabilem Mantuano in capto ſemel conſilio mentem eſſe, vt Hiſpanum tutorem velit: Reginam Galliæ conſanguinitate & honeſtate actam prorupiſſe; nec ingratum Hiſpano Regi eſſe debere, ſi eiuſdem cauſæ patrocinium Gallus ſubiret; non hoſtili in conſanguineum Regem animo, ſed amore pacis mutuo profuturæ, de publico bono certantem. Sed Inoyoſa non ſemel Mantuani ſermonibus laceratum ſe putans excuſationes non admiſit, quin crederet conueniſſe genio Gallorum Mantuanum; quinimo Regis ſui neglectum ſe perſcripturum pollicitus eſt. Et quia internuncius acrius quàm oppreſſo expediret, cunctationem tarditatemq; auxilij improperabat; adiunxit: ſe quidem pro virili aduerſus Sabaudium bellum ſumpturum, vbi arbitrio minus auſcultantem vidiſſet; ſed ſi Galli trans Alpes arma oſtentaſſent, vires omnes pro

Sabaudio deſtinare : cuius id iacturam ſpectarurum ſit poſſe Mantuanum peruidere. Nam Monſerrarum & ſedem bello,& expenſas ſumminiſtrarurum. Adhæc inrernuncius : Credisne, ait, Domine, quod vbi Galli Alpes armari ſuperauerint, Sabaudium ruum potius,quàm ſuum,aut illorum fore? Orandam nobis fortunam ſcito, ne quod omnibus exitioſum eſt, ranquam ſoli Manruano detracturum ſit inuitemus. Eo motu concuti vniuerſa neceſſe eſt,& nouis bellorum cauſis faciem rerum murari. Iraque quod honorum ribi ac Regi eſſe ſcimus,etiam in commune vtile exiſtima : vt defenſus Hiſpanis armis Mantuanus, Gallorum operam non cogarur implorare. Siluit Inoyoſa, qui cum læſum ſe à Mantuano nouiſſet; niſi regia mandata neceſſitatem prætuliſſent, conceptam diffidentiam in exitium illius valeſcere permiſiſſet: vt fictam reuerentiam, & conceſſionem arbitrij, renunciatione protectionis Rex ſuus caſtigaret. Suberat prudentia, videbatq; vel inuito dandum beneficium; quod licet malè depoſitum commendaret, nihilominus Hiſpanam iuſtitiam,& ſecuritati rerum in Italiâ conſuleret. Mantuanus interim promiſſis Reginæ elatus, quamquam iam pars Monſerrari apud Sabaudium victorem eſſet; ſic tutelæ fidebat; vt licet volente Hiſpano crederet ſe vel Monſerrato exui non poſſe,vel apud Sabaudium poſſeſſionem non duraturam. Ea cauſa iactantiæ : & (quamuis ſumma rerum ambigerent) inconſultæ ſecuritatis.

Res eo tempore acri conatu ſub Arce Moncaluij ferro & igne agebatur. Vbi enim Sangeorgius foſſæ partem terrâ oppleram, dirutas munimentorum pinnas, egeſtate alimentorum ac pulueris; & ante alia deſperatione auxilij propugnatores eluctari cognouit, aſſenſu inuadere caſtellum die medio aggreſſus eſt; vt diſcerera cuiuſque virtus loco noſceretur, proficeretque. Directa tormenta ſunt in partem quæ oppugnationi deſtinabatur,vis ſcalarum ingens admota; & expediti ſtrictis mucronibus ſuccedere,ingentium præmiorum ſpe iuſſi. Primus Centurionum Bartholomæus de Cheraſco textrinæ alumnus magno animo ſuggeſſus eſt, pluresq; exemplo traxit : annitentibus reliquis æmulatione fortitudinis, ne poſtremi viderentur. Contra obſeſſi deturbare contis appoſitas ſcalas,haſtis in ſublime delatos fodere, ſclopetis ſubeuntes excipere, ſaxis ingentibus ſuffodientes munimenta protetere, ignes in confertos iaculari. Detriti nonnulli, plures ſauciati ſunt. obſeſſores ſitus, obſidentes ira & peruicacia animabat. Creſcebat nihilominus inſtantium animus; nec propugnatores nixu intercidebant : cum illi ingenti audaciâ ſeſe certo ictui exponerent,hi crederentur tantæ conſtantiæ impares diu futuri. Coppinus integros feſſis ſubſtituens,tela ſuggerens; auxilium conſiliumq; opportunè ferens aderat. Hos gloriâ,illos præmia demeritos,vniuerſos maximis præmijs dignos teſtatus : & ſuo tempore redditurum Mantuanum pollicebatur. Cæterùm quia frequentia vulnera per latera in Sabaudios ingerebantur; eò conuerti tormenta Sangeorgius, & frequentioribus ictibus amoliri diſpoſitos iaculatores imperauit. Obſeſſi in tutelam ſtudium conuertêre : itaque cratibus & denſis aſſeribus tecti, eò magis obniti, & in promptiores ſecurius collineare cœperunt. Tempeſtas plumbeæ glandis temerè delatos fodiebat. Horas aliquot continuata decertatio cum nulla noua Mantuanos fiducia erigeret; oppugnatores hanc vnam operam ſcopum gloriæ ſibi proponerent. Nox & laſſitudo ambiguum conatum diremêre,certiori ſpe Sabaudiorum; quibus certum erat eâ oppugnatione,vel occidere vel proficere : & in propinquo videbatur recepturos Monſerrarenſes quaſcunque leges deditionis, deplorato auxilio, vix apud Caſalenſes & Ponteſturam ſecuros. Id vel ſilente apud ſuos milites Sangeorgio

Sangeorgius proponit obſeſſis honeſtas conditiones deditionis.

in caſtris vulgatum, conatus ſingulorum intendebat; ne pluribus vulneribus ſemel excepti,in finem eandem fortunam opinarentur. Et quidem dum oppugnatio vrgebatur, obſeſſis honeſtiſſima proponere ſecretis nuncijs non deſtiterat, vt honoratam receptionem Arcis,modico ſuorum ſanguine extorqueret; adminiſtro nego-

negotiationis populari Sacerdote, qui caritatis in patriam imagine; ſiue prorſus ſingulorum pericula introſpiceret, ſalutaria conſilia afferebat. Huic Coppinus aures interdum accommodabat, abnuebatve, prout animi ſuorum, & ſpes auxilij perſuadebant. Nil tamen hactenus in ſummam profectum fuerat, quòd quantum obſeſſi conſtantiâ obdurauerant; tantùm militibus Sangeorgij indignationis increuiſſet. Iam vindictam non deditionem ſpectabant; & niſi Sangeorgius maturè ſingulos admonuiſſet, nullo mortis metu, per cædes & vulnera ſuorum facilè irrupiſſent: & vniuerſos quos in Arce deprehendiſſent, excidio perdidiſſent.

Ponteſturæ vbi Mantuani præſidium agitabant, plus ſermonum quàm factorum erat: quòd nec in commune conſulerent, nec ſinguli auderent, poſſentve. Cum enim complanatum Moncaluenſium aggerem, conuectâ humo ac rudere foſſa ab imo ad ſummum repletam, nullâ intermiſſione quati mœnia, poſtremò ingenti vi, expugnationem tormentis bellicis, ſcaliſq; tentatam excepiſſent; quid tempori occaſionive competeret contentionibus & diſputationibus proſequebantur. Alijs vim omnem popularium Moncaluium in certamen deducendam; alijs pro Caſalenſibus & Ponteſturâ reſeruandam; & in eo verti negotium, an vrbs præcipua in tuto haberetur, teſtantibus. Quod agri hoſtes à tergo haberent Moncaluio capto Monferratenſibus abſtrahi. Propinquiora inutilia, inualida; & ſi quid roboris intus eſſet, atque adeo Ponteſturæ, huic ſecuritati ſeruandum: Viæ enim Padoq; imminentia, procurrentes licenter Sabaudios cohibere poſſe. Vnam in Hiſpanis ſpem ſitam; quos iam iam affore pauentiſſimi diſcriminum iactabant. Promiſſis ac blanditijs Mantuani internuncij circumuenti fuerant; quæ niſi expectationi reſponderent, tum fruſtra victoribus inanem Ponteſturam obiici. Si dubiæ interim poſſeſſioni repetẽdæ, quod militem contineat in ſecuritatem, aliò mittatur, infirmitate locorum minus auſurum. Primo Equitis Riuaræ nixu ſatis fortitudinis promptum: hoſtes tamen in futurum cautiores redditos, quacunque collis adiretur, firmioribus frequentioribuſq; præſidijs inſediſſe. Sabaudium Ducem ad latera imminere; & magnâ manu cohortium ambitum æſtimandum metuendúmque, ne vbi deſertam nudatamq; Ponteſturam didiciſſet, eò verteret, fameq; ac fortitudine Caſalenſes acrius vrgeret, obſepiretq; Padum totius prouentus vehiculum. Vnam Grazanum verſus ſemitam fuiſſe reliquam, ſed per aperta, eoq; hoſtibus gnara; quæq; ſtrenuus equitatus nocte diuq; frequenter. Modicis manipulis & hoſtium formidoloſis hoſtiles cohortes circumueniri aut perrumpi non poſſe; ſi vniuerſi omiſſâ Ponteſturâ obſeſſos perant, etiam abeuntium terga victores carpturos. Sic nullum apertæ vi, nullum ſtratagemati locum eſſe. Hæc ſententia recepta; cum longâ diſceptatione, nihil pro Moncaluij Arce tentari validiores obtinuiſſent. Diſplicuit nihilominus quibuſdam ſecordia. Hoſtes ipſi poſtquam deſerere ſocios Monferratenſibus animo inſediſſet, monuêre clauſos, ne diutius non profuturam ſaluti aut gloriæ virtutem fruſtra inſumerent. Coppinus quoque cum maieſtatis interrogatus coram Duce cauſam ageret, acerrimè queſtus eſt; quòd & ab amicis deſtitutus foret; & abnuendi conſilio cælato, ignominiæ, Dominiq; inuidiæ expoſitus.

Mantuani ductores incerti agendorum.

Cæterùm ne laborantes ſocij neglecti prorſus ac proditi viderentur, nouis ac nouis curſoribus Gubernatori Mediolanenſi diſcrimen obſeſſorum expoſitum; Mantuaniq; internuncius qui Mediolani adhuc agebat deferre preces ac querelas iuſſus. Sed eam Dux Sabaudius conteſtatione iurium ſuorum primum auditum occupauerat; & quoſdam minoris conditionis miniſtros ſpecie cultus, muneribus ac promiſſis in rem ſuam conuerterat; vias proficiendi ſectatus, vt Aularum conſuetudinem retineret; non vt iniquitate præualeret, aut integros in ſua ſenſa corrumperet: Naturam in beneficia pronam omnes accuſabant, quoties minoribus vteretur. Id perſpectum Mantuani delegato erat; neque tamen detra-

Digitized by Google

here amicorum commodis lamentatione voluit, aut omninò ſilere, præoccupatæ gratiæ metu. Imo petito iterum ab Inoyoſâ orationi tempore, acceptoq́; , eadem quæ olim, & tum noua vrgebant, Moncaluij caſtelli ruinam, clauſorum anguſtias, populorum vota, datam ſuo Duci fidem, Regium honorem improperabat. Iam enim eò ventum fatebatur, vt perfidiam, aut (quod minimum) formidinem excuſanda apud Aulam haberet; moniro toties Rege, cuius cunctatione Sabaudius accreuiſſet. Non Mediolanenſis Ducatus copias vniuerſas (quas olim promiſiſſet) ſed mille ſolummodo pedites orare: his enim populares additos, ſoluendæ

Mantuani internũcius queritur apud Inoyoſam.

obſidioni ſuffecturos. Depulſi hoſtis aut ſponte cedentis gloriam omnem illius fore qui protexiſſet. Quid enim Europæos Principes facti conſcios dicturos crederet; vbi remittere externa auxilia, & fidere Regiæ tutelæ iuſſum, lacerum ac deprædatum, proſpectantibus Hiſpanis didiciſſent? Num eâ vilitate Mantuanum crederet, vt ſuas iniurias apud Regem fateri erubeſcat, & tacere cuius negligentia perierit? Non ſemper victorem Sabaudium minori inſultaturum; futurum in tempore qui cauſam controuerſam examinet; factorumq́; & omiſſorum rationes requirat. Feſtinationem non honori Mantuani potius quàm Hiſpanæ gentis addituram; & apud magnum Regem, rectè factorum præmia, aut ignauiæ pœnas expectari neceſſe eſſe conſcios; vt diu tot oculos decipi non poſſe, ſic nec tot linguas ſilere: vel inuitas vrgente veritate proloqui. Addidit quâ ignominiâ iam ob tarditatem apud ſuos diffamaretur, quibus foret apud Regem querelis lacerandus; non ab ijs ſolum qui Mantuani caritate agerentur, ſed & ab ijs quos inuidia & æmulatio ſtimularent. Id ſe reuerentiâ monere; ne aut odio abſtinuiſſe aut deſiderio criminationum eius, offuturam ſecuritatem perſuaſiſſe videretur.

Inoyoſa cum nihil demiſſâ maieſtate pleraque excuſaret; ante alia tamen Sabaudium totâ mole belli Moncaluij Arcem aſſediſſe iactabat. Multa hominum millia ſub ſignis; alios iam diſpoſitos & imperium expectantes habere, quibus vteretur aduerſus quoſcunque auxilio accurrentes. Lanzij Marchionem per Sabaudiam plura millia deſcribere; expectari à Duce indies Heluetios gentem indomitam, aut fœdere nationes Pedemontanæ illigatas: quos certum ſit rabie tantùm & amore prædarum accurrere. Sibi modicum nec longo bello duraturum militem eſſe; præuia illum pace diſciplinæ intentionem remiſiſſe: tempore itaque opus, vt amœnitatibus ac commodis domeſticis corruptus, reſumpto expeditionis labore firmetur. Vbi multa millia coëgiſſet, quibus elui ſuſpicio timoris, & fides virtuſq́; approbari poſſit, iuncturum Caſtra; & documentis quibus contradici nequeat oſtenſurum, quâ fide ac pietate Rex ſuus, amicos oppreſſoſq́; Principes tutari ſit ſolitus. Auxilium militarem, pecuniam, & ingentia quæque ſtatim dici, ſed maiori negotio opus, vt dictis facta reſpondeant. Paucos inermos & imparatos ad certam lanienam miſiſſe, & eorum malo cætera in caſum dari, nec honorem Regium, nec Monferrati tutelam continere. Cunctationem his argumentis excuſari, temeritatem non poſſe. Inde quaſi tarditati miniſtrorum intonaret, accitos Aſculanum Principem, Mortaræ Marchionem, cæteroſq́; copiarum Duces, maturare conſilia, & bellicos delectus feſtinare iuſſit. Mox Mantuano internuncio eblandito, prudentiæ ac fidei nomine, iras ſuſpicioneſq́; mancæ fidei amolitus eſt. Monferrati quoque tabulam popoſcit, & ad præſentes verſus, ſingula proſecutus, ſtilo quo dentium purgamenta expunxerat deſignauit, quæ metu ſoluere, apertè inuadere, ſecretò occupare meditaretur.

Neque tamen tota fides habita aut ſpecioſa profeſſio Mantuano perſuaſit promiſſa rata fore. Quòd more ſuo inermem Inoyoſam prodire in bellum totamq́; Mediolanenſem ditionem diſcrimini objicere, nullâ futuri æſtimatione non expediret. Speciem quoque abnuentis dederat viſa tabula: cum ita implicatos Pedemon-

demonrānæ ac Monferrati terminos vidit; vt ne prouinciales quidem (aderat quippe Ibertus) ſatis fines ſuos noſceret. Quippe cum poſſeſſionem incertitudinem faſtu & indignarione notaret, continere ſe non potuit, quin Sabaudium bono iure diceret, limitatem illam ambiguitatem odiſſe, vtrique accolarum faſtidioſam. Porro certum Inoyoſæ erat non ante hoſtilia in Sabaudium induere, quàm irrita negotiatio perſuaſiſſet; nec vires non ſuffecturas inferre; ſed conſilio ante natas turbas moliri, & cœptum bellum auctoritate dirimere. Id in cauſâ fuit (vt didicimus ab Equite Melzo nobile ac forti viro) quod cum non ſemel miſſis precibus Mantuanus ſubſidium oraſſet; & ipſe magna dignitatis ſuæ notâ coram preces attuliſſet, præter inania promiſſa, diu nihil in ſummam profuturum retulerit. Quidam ideo tarditatem accuſabant, quod petito à Galliæ Reginâ auxilio diffidere Hiſpano ſe Mantuanus oſtendiſſet; fundataq; nouis præſidijs ſpe, iuratum ante obſequium corrupiſſet: ipſius Inoyoſæ teſtimonio freti, qui id non ſemel fuerat comminatus. Ille tamen ſermonum negligens & ſui Regis decori ſtudens, nec cur iraſceretur illico expoſuit; nec indignationem cauſam tarditatis dicebat; ſatis putans ſi dignitati conſuluiſſet, rationes facti altè condere; certus vires prouinciæ nec inconſultò perdere, nec intempeſtiuè fortunæ objicere. Alij pro perſpecto habebant, nullibi adeo deuinctam caritatem eſſe, cui renuncianti amicitiam, cauſæ coloreſve non ſuppetant, quibus cum ratione agere videantur, quicunque contemnunt. Sed egentem modeſtiâ ac fide obniti difficultatibus debère; & conſtantiâ obſequij, amici auerſionem verecundiâ ſuffundere.

Res Mediolani per iocum, apud Moncaluium ſeriò agebatur: nam Federicus Aſinarius poſt Carolum eiuſdem gentis interemptum, ſergentis maioris vice impoſitus, non diurnâ, non nocturnâ aliquot dierum operâ (in quam mille ferè operarios induxerat, omnia Arcis loca vallo ambiuerat, ſtrinxeràtque ambitum inter anguſtos aggeres; vnde tormenta & plumbea glans in obſeſſos librarentur. Propugnantes pauci & inualidi plures noctes inſomnes, inter vulnera, ſudorem, & rerum omnium inopiam tranſegerant; & vniuerſos aditus ſeruante hoſte nulla quieti hora permiſſa fuerat. Sed & amiſſa ſpes ſubſidij, & deplorata ſalus animos infregerant, vt iam ſegnius ad pericula aduolarent. Perſpectum id Sangeorgio fuerat; & quamquàm leui ſuorum iacturâ, frangere clauſos & ferro perdere poſſet, nobilitate tamen ingenitâ & conſueto bellandi apud ſtrenuos more Monferratenſium animos experiri maluit; cum iam decimum quartum diem minis & decertationibus laſſarentur. Leue temporis diſpendium credidit, certior ab exploratoribus per literas redditus (quibus aſſiduè inter expeditiones, magnâ vtilitate vſus eſt) non Inoyoſam, non Mantuanos præſto futuros; & iam poſcere conditiones audierat, & flexos animos. Admiſſus ergo in colloquium Coppinus, quem iam non ciues ſolùm, ſed & præſidiarij rogauerant, vt fortiſſimis commilitonibus opportunâ deditione conſuleret. Paruit ille neceſſitati: ſiquidem puluere bellico corrupto, imminutâ annonâ, deſperatione auxilij res in arcto erat; quodque Sangeorgius honeſtas conditiones cedentibus offerret. Diem integrum negotiatio protracta; demum Coppini & Vincentij Carretti ſubſcriptione pacta firmata. Apud Sabaudios Sangeorgij vice Aſinarius chirographum obſignauit: & fuere qui teſtarentur, etiam Sangeorgium ſuâ manu conditiones ſubſcripſiſſe; quas Vexillifer de Monte ſpoponderat. Fuiſſe Sangeorgio in eâ oppugnatione quatuor hominum millia fatebantur Moncaluenſes, plures duo millia; nonnulli quingentos his addiderunt. Monferratenſes Arci impoſiti, ducenti quinquaginta fuerunt: diuturno labore tenuati,

Moncaluij Arx ſi dedit Sabaudiæ.

O

omnes tamen cum armis & ſignis militaribus dimiſſi. Permiſſa quoque impedimenta, & commeatus, tantâ Sangeorgij facilitate vt feritatis quam non haberet notam, eluere clementiâ videretur; & iſti non reuerti, ſed ad bellum proficiſci. Haud dubiè grauiora aſperioráque imperari victis poterant; ſed ſummâ animi magnitudine, deploratis iam eorum rebus non aliud, quàm integris imperauit: vt cæteris innoteſceret, non indecoram ſeruitutem apud talem victorem fore. Quod ſi oblata ab Hiſpanis Mantuano ſpes reſpondiſſet, ſi quingenti cum commeatu ac puluere bellico in Arcem euaſiſſent; ſi imprudentior Dux in eam expeditionem delectus foret, ſi Mantuani concordes publicæ rei conſuluiſſent, durare labor in aliquot menſes poterat: ſed pauci & deſerti à ſuis, nec ſecreto erumpere, nec publicum audebant, ne numero circumuenirentur. Quinimo Moncaluij incolarum, non integram aduerſus Mantuanos fidem fuiſſe multi crediderant; quod omnibus pridem fortunis exuti iuuaſſe Sabaudios, & ſocios ad maturandam deditionem hortati dicerentur. Crediti etiam nonnulli Sangeorgio & Aſinario ſecretos aditus, tectas vias oſtendiſſe, quibus gnaro nemine in Arcem euaderent; & illæſi ceruicibus propugnantium inferrentur. Ante alios Bernardinus Manara, & Marcus Aurelius Piazza, ſiue ſic eſſet, ſiue crederentur perduellionis accuſati & damnati ſunt: quòd vel præſentes impulſu, vel abſentes per literas conſilia artéſque expugnandi ad hoſtem detuliſſent. Hinc direpto oppido ſua rebellibus relicta, & nouis inſuper præmijs decorati fuerant; exemplo in deliberantes & ſecuturos.

Nondum Mantuanus didicerat, quæ iura, quas vires Sabaudius in Monferratum, quos Duces immiſiſſet. Munitiſſima quæque ſtatim oppugnari; & non inuitis incolis acciri recentem Dominum, perfidiæ ſubditorum dabat; donec punitis reis, ac innoxijs animaduertit nimis nouum Gonzagorum nomen genti eſſe; & populos interno motu deſciſcendi, ad ſua principia redire: ſimul imparem ſe & dominationi Monferratenſium, & æmulatui Sabaudij eſſe. Aſinario ac Colonello Moneſterolo Moncaluij Arx permiſſa. Inerant tormenta bellica ſeptem, exilitate vix nomen merita; ſclopeti grandiores quos Cauallettos dicunt viginti duo; eáque apud Aſcanium Vitozzum Romanum hominem (qui cum Arx oppugnaretur tormentorum curam obiuerat) depoſita. Puluis bellicus humore ac ſitu computruerat, & ideo à Coppino relictus tamquàm inutilis fuerat. Nona Maij erat, cum ſucceſſere dimiſſis Monferratenſibus Sabaudij; & certâ poſſeſſione miſêre ad Sabaudium literas victoriæ teſtes. Solatium Mantuano fuit, inter ſuos coactè aſſentantes iactanti, emiſſum cum honore militari præſidium; & tot circum millibus aditus omnes claudentibus, ducentorum auxilium fuiſſe inductum; quodque ſi integra popularibus fides fuiſſet, durare in menſes obſidium potuiſſet. Gregarij quoque linguâ quàm experimento probat; & nullo obſiſtente fortes apud Sabaudios vulgauerant, ſponte Sangeorgij Equitem Riuaram cum ducentis inire Arcem permiſſum; quaſi ſeruando munimento non ſuffecturis, & tenuem prouentum citius abſumpturis. Vtrinque ſermone peccatum, decepto etenim Germano milite, & Riuarâ nocte ſequenti ad ſuos reuerſo, ſecordia obſidentium manifeſtior fuit; quam vt interpretationibus adornaretur, aut Sangeorgius excuſaret. Et eò turpior apud Mantuanos deditio fuit, quò plures & fortiores ingreſſi; durante adhuc in conſtantiâ priori milite, annonâ, ac puluere, formidine ceſſerunt. Pridem vſus obtinuit, raro victum totam victori gloriam permittere; quin obſtrepat, detrahat, queratur, alienam virtutem eleuet, vt dedecus ſuum amoliatur.

Colonellus Moneſterolus. Aſcanius Vitozzus.

Et hæc

Et hæc quidem de Moncaluij obſidione promiſcuè à Mantuanis & Sabaudijs vulgata ſunt; quia tamen ferè veritas in abditò eſt, & rarò eadem apud omnes ſententiarum fides, quibus cura rerum incubuit; & præſentes vniuerſa obſeruarunt, certiora monuêre. Moncaluio dimiſſi cum Coppino Duce, rectâ Ponteſturam tenuerunt. Ille quidem lætus conſcientiâ, ſed Rubei metu ſolicitus; ne hic negligentiam ſuam minori imputaret. Exceptus à Rubeo toruo ſupercilio eſt, & ſocijs vniuerſis arma detracta in pœnam; velut eo honore indigni pudendam militiam tractaſſent. Coppinus in vincula duci iuſſus: maieſtas erat, cuius cum ſocijs inquirebatur: quòd validam Arcem dedidiſſet, quæ fide ac militari virtute, diutius hoſtilem impetum ferre potuerat. Quod arma conceſſerit; quod prior conditiones aduocauerit; quod bellicum puluerem hoſti prodiderit; quòd popularium preces exceperit, arguebatur. Et quidem Rubeus naturali iracundiâ, quâ nonnunquàm innocentium criminationes accendebat, facilis in minorum iniurias, & impetu procurrens; cum ignauiam ac perfidiam Coppino obiectaret, captiuum iam ſuum impulit acerbâ facetiâ, vt ſeſe excuſaret, improperanti illudere. Nec quidem (inquit) ſi omni curâ abſtinuiſſem, reus agi ignauiæ poteram. Arma enim quæ me ſocioſq; affixère in Geneuenſes à Sabaudio comparata, & inanes metus nos omnes deſpicere docueras: vtq; dies ac noctes ſomno aleaq; perderem, in ſummâ ſecuritate monueras. Si tot dies labori ac diſcrimini eluctatus, non meo, non meorum ſanguine, vt Moncaluij Arx Duci ſuo ſeruaretur, peperci; in eo crimen eſt, quod tibi non auſcultauerim. Ridendum mihi periculum erat, quamuis iam fores pulſaret; non obnixè curandum; vt veros metus exciperes, & opportuna neceſſitate prouideres. Quia turpem illum errorem nunc (vt olim) arguo; & præſcius malorum fatalem ſecordiam impropero, reus criminis ſubdor; cui me affinem non eſſe, tua conſcientia, hi omnes norunt. Hæc Rubeum acriter offendêre, quaſi profeſſione veritatis ſtoliditatem imputaret. Equidem audito motu Sabaudio Coppinus preces cum querelis detulerat, vt Arx armis & commeatu inſtrueretur: nec enim profuturam paucorum conſtantiam aduerſus hoſtem fortiſſimum; ſi pluribus millibus in eam expeditionem veniſſet. Exceptus tum à Rubeo per riſum fuiſſe dicebatur; & fruſtra Sabaudij conatus ab ipſo formidari reſpondiſſe, qui in Geneuam dirigerentur. Coram Quæſitore capitalium Coppinus cauſam dicere coactus eſt; & recenti irâ, indignatione potentioris, non perfidiæ ſed negligentiæ nomine damnatus. Ergo Ducem Mantuanum appellauit. Objiciebat infeſtè Rubeus puluerem bellicum, frumentum in plures dies, vini copiam, & ſuillæ, aceti, leguminum, cæparum, allij, ſaliſque ſuperfuiſſe. Inſuper ignauè ſeruatas excubias, vitata pericula; non pro munimento, non aduerſus ſuggredientes oſtendere ſe auſum; non ciues qui ſe ſocios diſcriminis offerebant ſecretò recepiſſe; murorum ruinam, non terrâ, non ſarmentis, non rudere ſarcitas; obtuliſſe conditiones victori abeundi per ſummam ignauiam; etiam fortiores commilitonum imperio præſtitiſſe. Contra Coppinus Rubei aduerſum ſe prægrauem inuidiam, quam celare non poſſet, teſtabatur; vt inconſultè ſecuritatis imperatæ culpam in ſtrenuiſſimos milites deriuaret. Aquæ penuriâ laboraſſe; vno reliquo in Arce puteo cæmento infecto, oppletóque. Pulueris corruptelam, quæ nullâ arte in vſum belli corrigeretur, plumbi inopiam, quo glans funderetur; ad extremum deſperationem militum accuſabat; quos periculorum laborumq; duratio fregerat, & deſperatio auxilij. Horum enim pleroſque minitatos ſibi, niſi neceſſariâ deditione ſaluti ſociorum conſuluiſſet, imperium arbitriumq; rapturos. Et teſtes per diuerſa concordes, aſſerebant ſtanneos orbes plumbi vice conflatos, in vſum fruſta ferri, & æris laminas vertiſſe;

Coppinus iuſſu Rubei carceratur.

Et ſe ille excuſat ſuo...

Damnatus appellat Mantuanum

non ſatinam; non (leuiſſima laborantium oblectamenta) ſal, acetum, cæpas, allia, quæ falsò iactatentur habuiſſe; non aquam niſi ſemiputrem hauſtam; ruinis murorum reparandis, obſtruendis hiatibus quos tormenta hoſtium aperuerant, terram, paleas, aſſeres, trabes, etiam vires feſſorum defuiſſe. Aduerſus militarem ſeditionem comminationibus ac pœnis decertaſſe. Proinde aſſiduitate ac conſtantiâ (quæ ignauiæ imputarentur) ſi teſtibus ijs fides haberetur, quos intus ob animum prælio obſtmatum hoſtis expertus foret, crimina dilucre. Poſtremò fortiter aſſerebat ſacramentum quoduis, quo ſe ac milites præſidio impoſitos, Duci Mantuano deuouerat, fruſtra recordari: quando nullâ humanâ lege, aut præcipiantur ſubdito impoſſibilia, aut neglectus cauſæ requirantur. Sanè præualido ac numeroſo hoſte magnâ mole vrgente, Arcem retineri non potuiſſe; quòd foris tormentorum ictibus, intus commilitonum querelis miniſque, & vi neceſſitatis quateretur. Antequam res in extremum diſcrimen proceſſiſſent, & ſecurâ licet prouinciâ, cum Sabaudius amicus crederetur, ſeruando præſidio neceſſaria quæſiuiſſe; vt mutâtis rebus nutantem militum ſuorum conſtantiam firmaret. Eâ causâ Monferrati Gubernatoribus, velut importunitate moleſtum, ſemper inuiſum fuiſſe: ſepiuiſſe illos omnes ad Mantuanos Duces aditus, ne querelæ exponerentur. Inter tot mala nihilominus plus opinione durauiſſe: cum inter inopiam, diurnos nocturnoſque metus, tractam in plures dies vigiliam, ſitim famémque vniuerſi deficerent. Quod infœlicis militiæ ſuperfuit patriæ ac Principi ſuo ſeruauiſſe. Nec rudis prorſus dicendi Coppinus erat; aut incomptos memorialium nomine libellos ad Mantuanum miſerat: odio Rubei tutum ſe, & ſuorum confeſſione ratus. Iam enim pleraque illius æmulorum interpretationibus malè audire didicerat; fidiſque ſe Aulicorum amicitijs munierat; quin Rubeum apud Mantuanos, etſi materno genere Gonzagicum, pro externo reputabat. Mantuanum vt non commo-
Coppino Mantuanus parcit. uerat oppugnatio; ſic nec deditio turbauerat; eoq; ſtatim ſupplici ignouit; tamquàm non aliud ſibi ius in Monferratenſes ſupereſſet, quàm condonare publicæ calamitati, eoq; teſtari poſſeſſionem. Vulgatum accepi, non alio magis Coppinum quàm odio Rubei tectum præſentem damnationem effugiſſe; cupientibus æmulis, abſolutione viri negligi Rubeum & apud reliquos vileſcere. Eadem Carretti ac Vexilliferi fortuna fuit: pari conniuentiâ aut innocentes abſoluti, aut rei liberati. Sed nec in milites culpa collata fuit: quod ſecuritate & induſtriâ corrigi non poterat, placuit neceſſitatem appellare; amiſſionemq; Arcis gloriâ veniæ penſare.

Cum hæc in iudicio agerentur Marchio Vulpiani Sangeorgius, Comitis Guidonis ſobrinus, poſt acceptas ab eo quas diximus literas, quomodo vitato Sabaudio ad Mantuanos ſe reciperet anxius agebat. Vrgebant virum nobilem, non tantùm generis humani opinio; quæ illi (niſi elapſus foret) perfidiam appinxiſſet; ſed & Mantuani metus; ne rebus compoſitis maieſtatis arceſſeretur; eâ maximè perduellionis notâ ſignatus; quod inter inimicos agere maluiſſet; quàm nobili effugio Principi ſuo adeſſe. Itaque examinatis quoquouerſum itineribus; niſi ſuperato Amne Dorâ penetrare ad Caſalenſes poſſe cognouit; ſed tres omninò aditus ſupereſſe: Priori (quem Saluggiæ portum dicunt) aſſidere peditatum equitatumq; Sabaudium: Secundo (cui Riuærottæ nomen eſt) naues detractas: Tertio (Mazzæ dicto) populares impoſitos, quos falli quidem vrgeri tamen non poſſe. Itaque mentito habitu, cum ruſtico indumento tectus duos omninò famulos ſecum deduceret, hac delatus obſeruante nemine Doram tranſmeauit. Sed quia furtiua fuga fugerat, arbitrio hoſtium fortunas omnes domeſticas, filios, duaſq; filias, recens clauſtris ſacris egreſſas; vt parentis fratrumq; aſpectu forent,

poſtmodum

Digitized by Google

poſtmodum ſe voto religionis illigarent, reliquit; pietatem in Mantuanum,cui-
cunque vtilitati præferens; & diſceſſu teſtatus, Sangeorgij Comitis lıteris, nul-
lam apud ſe auctoritatem fuiſſe. Vbi apud Mantuanos fuit, non aliâ causâ for- *Marchio Vulpiani fugit Mantuam.*
tius Sangeorgium incanduiſſe, minitatumq; igni ac ferro loca omnia Marchio-
nis populaturum, dixit. Hinc pleroſque populares metu percitos, per inuia la-
ctentes & tenellæ ætatis liberos traxiſſe, domeſticam annonam corrupiſſe; &
vniuerſa circum formidine compleuiſſe. Alij quibus Marchio ſecretis cauſis in-
uiſus erat,omiſſos liberos ac ſupellectilem, argumentum perfidiæ dicebant,quaſi
cariſſima apud conſcios ſecuriſſimè crediďiſſet; ipſe non ætate,non viribus bello
vtilis, fictam fidem trepidatione ſimulaſſet. Æquiores innocentiam interpretati
ſunt: imo ſi magnitudine malorum tractus ſuccurrente nemine, & Mantuanis
procul agentibus, in Sabaudium flexiſſet, excuſandam neceſſitatem fatebantur:
Nec enim vniuerſa circum hoſte obſidente, inermem cum impedimentis ac fa-
milia penetrare in tutum potuiſſe. Et virgines quidem filias apud Sabaudium
Regij animi & Chriſtianum Principem in honore futuras credi par fuiſſe; qui ſe-
xus infirmitatem,& Virginum pudorem tueri ſolitus foret; etiam in hoſte perui-
caci ac minitante.

Vincentius Princeps Mantuani frater, non inferiori natalibus animo, ſecor-
diamq; ac rerum negligentiam auerſatus, diu in Aulâ raptari Monferratum &
queſtibus tantùm intendere Ducem iniquiſſimè tulerat: nec ſemel publicè la-
mentatus fuerat, vt frater admoneretur, ne ſpecie quietis ſegniter perdi prouin-
ciam pateretur. Nil grauius ſtrenuis quàm deſidibus ſubeundum; & vel fortitu-
dine ſeruari incolumem poſſeſſionem, vel amiſsâ retineri famam virtutis poſſe.
Dolores quoque popularium, & à bonis ſtrenuiſq; exagitata negligentia, inna-
tum robur acuebant: vt apud adminiſtros fateretur,indignam gentis ſuæ nomini
inuriam tolerari: Non quod infirmior Sabaudio,ſed negligentior videatur. Fre-
quentius id & apud plures repetitum,Mantuanus quoque didicit. Itaque voca-
tum Vincentium ſecreto excepit, & his ferè verbis compellauit: Comes Chiep- *Mantuani ad Vincentium fratrem oratio.*
pius cæteriq; mihi à ſecretis diu me monent, Frater, lacerari à te meam famam,
& pro abiecto diſtrahi. Et quamquam factorum mihi ratio minori reddenda non
ſit, ne tamen tua te opinio vltra conditionem ferat;exponere decreui quàm ma-
lè fraternam cenſuram tractes. Monferratum viginti hominum millia,nullâ fa-
miliarum notabili imminutione numerat; quibus non tueri ſolùm prouincia,ſed
vltro etiam bellum inferri poteſt. Sabaudij vicinium,& mea modeſtia,de quibuſ-
dam locis inimico victoriam conceſsêre. Caritas quoque populorum,in præſen-
tem perſuaſit domeſtico ſanguini parcere; & breui affutura Gallorum Hiſpano-
rumve auxilia opperiri. Minus Regibus fidere videat ſi neglectâ tutelâ propriam
cauſam proprijs armis defendero. Nec Sabaudij diuturna lætitia futura eſt: Pro-
pediem ceſſurum ijs quæ dolo ac vi parauiſſet, certò ſcias, integrâ re noſtrâ, ma-
gno illius dedecore, quod contrectauerit quæ retinere non poſſit. Hæc conſilia
prudentiam habent, procurriſſe temeritatem intempeſtiuam. Cæterùm quia
me virtus admonet, malè egero, ſi clauſum operatumq; patriæ commodis, pro
nomine noſtro laborare prohibuero. Vide quod onus tollas,cui te diſcrimini per-
mittas. Curam Monferrati libens concedo; ſed vt militiam meo tantùm arbitrio
regas volo. Tueri ſubditos amor eſt; apertum bellum tolerari aut inferre prohi-
beo. Donec Hiſpanus armis noſtris ſua coniunxerit, & Galli Sabaudiam irrupe-
rint, quieſcendum tibi. Reſpondit Vincentius permiſſum rerum arbitrium Hi-
ſpano laudare, ſecuritatem ſubditorum pietati fraternæ imputare. Spes regum
tantùm eleuauit, non eorum culpâ, ſed cunctatione miniſtrorum, ſuſpicione aut
odio. Ita credendum futuro auxilio,vt ſuis quoque viribus occurrere commenda-
tionem habeat. Scire ſe viribus prouinciæ inferre bellum Sabaudio non poſſe;

ſcire diſſitos ac diuiſos, ægrè in vnum corpus cogi; laudare tamen oppidorum propugnationem, diſciplinam militarem, præſentiam Domini, quo nullum validius ſit retinendæ fidei inſtrumentum. Proinde quando ire in Monferratum iubeat, fratris tantùm auſpicia & imperia ſecururum; ætatiſq; defectus conſilio ſeniorum correcturum. In hæc concluſus ſermo: & Vincentius itineri neceſſaria, famulos, ſocioſque, ſummâ feſtinatione comparauit.

Vincentius in Mantuanum proficiſcens Mediolanum ad Inoyoſam diuertit.

Aprili exeunte, magno nobilium ac procerum comitatu, Mantuâ in Monferratum proficiſcens, Mediolanum ad Inoyoſam diuertit. Præſentem dominum vexati populi requiſiuerant; ne vicino hoſte laſſati preces Mantuam deferre, & à longinquo imperia requirere cogerentur. Perſpectus Inoyoſæ Vincentij animus fidorum relatu erat; ideoq; exceptus decoro apparatu, qualis Principem decebat; aut procerem pari Mantuæ comitate & magnificentiâ, cum Vincentius Dux pater in viuis ageret, vſum. Itineris non alia ratio quàm communicandi conſilij: ſiue quod frater iuſſerat, ſiue vt quantum ſubſidij ſperandum haberet, coram deprehenderet. Et quidem amicitiæ fideiq; teſtimonia Inoyoſa non inuitus præbebat; vt qui Mantuani ſuſpiciones frater luere dedignabatur: cuperetq; nutantem conſilijs animum, pluribus caritatis argumentis in officio retinere: Nec enim quamquàm prouocatus, & non ſemel calumniâ notatus, adhuc exuerat omnem conſtantiam; ſatiſq; habuerat obliquè diffidentiam caſtigare; & malam ſui famam auctoreſq; perſtringere. Multò ante Inoyoſa hoſpitalitati ſeſe ac futuro colloquio comparauerat; certior per amicos redditus, quâ viâ Vincentius inſiſteret; & quas artes in eam adminiſtrationem ferret. Nouerat plurimùm referre, quas iuuenis inchoatæ militiæ cogitationes imbiberet, cuius ſe totum obſequio, quorum monitis accommodaret; & oſtentatâ comitate, quem Regi ſuo amicum certi animi adſciſceret. Vincentius vbi deuotum Hiſpano nomini animum iureiurando obſtrinxit; tamquàm ſecurè eloqui poſſet, ſtatim præſentes tumultus aggreſſus eſt, vota fratris, Inoyoſæ promiſſa, Regiam fidem nemini hactenus fruſtrâ expectatam requiſiuit, caſtigatâ tamquam alios accuſaret cunctatione; quod Moncaluium (ſi mille armatorum ſubſidium miſſum foret) facilè retineri potuiſſet: diu literis, mox per internuncium preces ac pericula Arcis delata; vt magno gloriæ ſuæ incremento, vindicem iniuriarum, arbitrumq; Principum Italiæ agere potuerit. Hæc etſi in Monferratum contuliſſet, ingentibus quidem beneficijs oneraturum & fratrem, & populos fuiſſe: potentiſſimos nihilominus Reges oblatas deiectorum Principum protectiones, multo auro frequenter prætuliſſe. Non Othones, non Federicos Imperatores domeſticis regnis plus gloriæ, non Venetos ſanctiſſimum & ſui iuris Senatum potentiâ parauiſſe; quàm cum illi præferoces populos debellantes Gentium libertatem poſtliminio reſtituerint; ſua ciuitatibus iura reddiderint. Hos fortitudine opibuſq; quòd amicas familias ſuſtentauerint, & ante alia Romanum Pontificem ſuâ in maieſtate retinuerint. Non aliâ cauſâ toties apud exteros tutelæ minorum exempla ſpectari: Gallos pro Germanis, Germanos pro Gallis, Hiſpanos pro Mediolanenſibus ac Neapolitanis, Venetos etiam extra Italiam pro Græcis certauiſſe: & in eo gloriam, quod non viciſſent ſolùm, ſed ius faſq; protexiſſent. Equidem magnorum regnorum poſſeſſores, cum opes, populos, iura, amicitias; etiam per interualla voluptates vſurpent, omittere nihilominus interdum, quod ſpecioſiſſimum apud præpotentes exiſtimatur proficiendi per gloriam deſiderium. In bonâ famâ ſtare memoriam laudis, intermori in aduerſâ. Inuito & abnuenti Catholico Regi decoram tamen protectionem credi; ne conſumpſiſſe apud amicos fidem; apud neſcios cauſarum, etiam non-habuiſſe exiſtimetur. Regium beneficium ſua commoda ſecutura; gratitudinem, & compoſitis rebus aggerata ſubſidia; quibus non minus interdum Rex egeat, quàm minores; vt qui grauio-

tibus

ribus & frequentioribus hoſtibus impetatur. A Duce fratre ſuo Gallorum auxilia requiſita; non quod præferret; ſed vt Sabaudij neglectum procuraret; qui alienam fidem ſectatus, honorem reuerentiæ aliò tranſtuliſſet, quàm quò veteri obligatione debuerat. Apertum iam Hiſpano Regi fratris ſui animum; & didiciſſe, apud Amitam Reginam querelas potius iniuriarum, quàm auxilij preces detuliſſe. Si eas vmbras prorſus paueſceret; nec iurata ſemel fides, & Reginæ Galliæ congruentia Hiſpano conſilia veritatem approbarent; cur Monferratenſium excidium in ſui Regis perniciem, tarditate remedij properaret? cane compoſitione animi Sabaudium exiſtimaret, vt habito Monferrato cupiditati modum dicat; nec Mediolanum Regij matrimonij pretium requirat? Supereſſe Principes viros, qui audiuerint legerintque, hos ſecretiſſimos Sabaudij ſenſus, ea vota eſſe. Siue eum ſibi præuiſum adſcribi, ſiue alieno monitu inſtillatum ſibi vulgari cuperet, vtrinque flagitij notam imminere; quoties illud periculum cauere ſuperſediſſet, quod in propinquo fruſtra arceretur.

Inoyoſa vim animi prudentiamq; in iuuene admiratus, pleraque ſeriò, alia per riſum excepiſſe dicitur; quaſi honeſtis precibus annueret, ſuſpiciones vmbraſq; rejiceret. Et quod Mantuani internuncio ſæpius dixerat, repetiuit; paucos ſe poſt dies armatas legiones in mediam Pedemontanam inducturum: Mantuaniq; causâ repetiturum oblata; niſi vagus victor Regis mandatis illicò paruiſſet, ferrò igniq; contumaciam vlturum: quò plura Sabaudius reddidiſſet, eò minus gloriæ relaturum. Sed tempore opus fuiſſe in eam expeditionem; quò ſparſus miles ad ſigna cogi poſſet; ducesq; valido bello neceſſaria pararent. Quamquàm enim ceſſurum ſtatim Sabaudium pro comperto habeat, armari tamen legiones, tamquàm diuturnâ expeditione fatigandos deberi; aduerſus belli caſus, & ſecretorum fœderum incerta. Et quò fidem roboraret, Vincentij parentis aduerſum ſe merita, magnâ contentione recenſuit, Ducemq; Mantuanum tacitè leuitatis, & prærupti animi arguit; quod modò Hiſpanum, modò Gallum aduocaſſet; de conditionibus pacis, de bello ſimul diſſereret; ſuos, & alienos accuſaret, hoſtes contumeliâ proſequeretur, amicis non temperaret, domi querulus, apud præpotentes moleſtus, coniugium laudaret, abnueretque; etiam Venetos in tutelam conclamaret; quos non ſemel prædonum nomine fœdauiſſet. Denique tantâ ſecuritate agere, vt rebus ſuis ac ſecuritate tenui filo pendentibus, non amico Regi, non Pontifici auſcultet; ſed prout impetus, & læſura conſultantium vota inclinarent, laudaret quæ damnauerit, proferret quæ reiecerit. Se nihilominus cogitationes pacis Italiæ, & Mantuani curam non omittere; maiorem fore beneficij verecundiam, quò ſe minus dignum oſtendiſſet. Porrò vtroſque fratres pari caritate complecti; Vincentium verò inſuper monere, ſi progreſſus ſuos ſolidò inniti cuperet, ſtabili aduerſus Regem ſuum obſequio mereri. Se pietatis officijq; ſedulum laudatorem offerre. Ducis Mantuani internuncius, quæ Inoyoſa dixerat, ſacramento firmauit. Potuiſſe arcere bellum, & magno cum honore & vtilitate nubere teſtatus; niſi Ferrarienſis, lubricum iuuenis ingenium, repetitis ictibus, ſolido deturbauiſſet. Ad extremum Vincentius amicitiæ Inoyoſæ gratias egit; & ſi fidei ſuæ apud Regem cauiſſet, conſtantiam reuerentiæ ſpopondit. Tum vertit in Monferratum, populos ingenti gaudio perfudit. Videre ſe Dominum, & remedia malorum in promptu habere geſtiebant, ſtratos quoque nonnullorum animos, certiori ſpe meliorum erexerat, vt pauidi & toties fracti aciem iam & pericula poſcerent. Aberat adulatio; ſed corruperat lætitia, & gentium innata fortitudo, vt amiſiſſe nonnulla oppida, & campum omnem Sabaudio conceſſiſſe, non iam infirmitati imputare viderentur; ſed quod Ducem qui in hoſtem raperet, non habuiſſent.

Grauis interim Mantuanum tot ictibus quaſſatum, tot vocibus excitatum, Tri-

ni, Albæ, ac Moncaluij expugnatione auditâ, ſolicitudo angebat; neque tamen deditam adhuc Arcem acceperat: Iuuenem ſe non regiminis rerum, non belli expertem, noua tractare miniſteria; non Duces, non Tribunos, non militem habere ſciebat; non conſilio, non fortitudine obſiſtere poſſe; vacuum ærarium; nec occurrere quibus artibus integrâ honeſti opinione, & amore populorum pecuniam in vſum corraderet; denique neſcium quid primò, quid poſtremò tutaretur; quibus conditionibus duraturam pacem cum Sabaudio iniret; Inoyoſæve in poſterùm, an Gallis fideret. Quantum in magno Duce ſpei, quantum ſubſidij in Romano Pontifice collocaret. Cæſari quidem prolixas, quibus ſuam Imperijq; cauſam proſequebatur literas miſerat: ſed Turcarum per Pannoniam motus, alia per Dalmatiam arma reputabat, vt minus ſecuritatis promittentia. Hiſpanum ſpe præceperat, hæſeratq; animo Gubernator Mediolanenſis: ſed praui conſultores perſuaſerant, virum nobilem, quod non ſtatim cupidini eius paruiſſet, in quæſtum ſuum, Sabaudij amicitiam, odium ſuum, aliena iura, ſui Regis apud Europæos Principes exiſtimationem perdidiſſe. Nutanrem itaq; aut neſcium nouis ſuſpicionibus turbauerant. Galli inconſtantiâ propoſiti, nec ſperabantur fauores, etiam metuebantur: ſi Regina, ſi Proceres regni, decernendæ prohibendæve expeditioni præualuiſſent. De Etruſco certior fiducia; vt qui Maternam Mantuani caritatem, & ſimul cum ipſo actæ pueritiæ, retinere memoriam putaretur. Niſi noua inſuper coniugij vincula, quibus ſoror illius Catherina deſtinabatur, ante alia ſtimulabant. Haud minus conſtantiæ Pontifex Romanus inſtillare videbatur; quòd opinione paternæ dilectionis fouere Mantuanum Ducem putaretur; quem Vincentio patre ſuperſtite purpuratorum collegio adſciuerat. Idem mores humani ingenij perſuadebant; quibus apud infirmiorem, cauſa & vis, iniqua ferè creduntur. Hinc oratores, curſores, literas, querelas, vltrò citroq; miſit: ſatis gnarus receptam ſemel famam (ſeu gloriæ ſeu dedecori ſit) ægrè obliterari. Sed nec ſtabilis in conſilio erat; nec ſi quid boni adminiſtri ſuggerebant, fortuna proſperabat; à primo die motus incerta & auerſa. Delaſſauerat aulam Mantuanam conſilij nomen; cum noctes dieſq; inutili diſputatione tererentur: quamquàm Mantuanus potius quid decreuiſſet, exponeret, quàm quid facto opus eſſet inquireret. Et quia nulla præſentibus diſſerendi quæ ſentirent poteſtas erat, per iocum famuli, non conſilium ſed ſoliloquium appellabant.

His fermè diebus Ferrarienſis Amita Mantuani nepotem monuerat, miſſu Monferratenſium didiciſſe ſeſe, populares ſeruandis propinquis Caſalenſium vrbi, expedito equitatu egêre. Vicino quippe Trini præſidio, licenter Sabaudios in plana vſque ciuitatis excurrere; nec paganos ſolùm ſed Ponteſturam quoque terrêre. Tum quadringenti Equites Cataphracti iuuentutis Mantuanæ præcipui delecti, dataq; arma; vt ſummâ feſtinatione Monferratum peterent; victoremq; Sabaudium retinerent. Dictu mirum quo labore, quibus difficultatibus is numerus coactus ſit. Horum certè plures coacti ſacramento acceſsêre; ſed & qui ſponte bello nomina dederant, inutilem eam expeditionem fatebantur. Diſceſſere itaque & prima die Maij apud Caſalenſes fuêre; arrectis expectatione populis quantus is numerus, quæ vires eſſent: tarditas enim & diu tractata res, ſpem ampliorem promiſerat. Cæterùm illi per vrbem & vrbi vicina diſpoſiti ſunt; vt Vincentius Mantuani frater nobiliori comitatu ambiretur; vtque ſecuriorem commeatum, & tutam Padi ripam facerent. Obequitantes etenim, & vltrà citraq; amnem vagi, repentinos Sabaudiorum incurſus frænare poſſe videbantur.

Equites 400. Mantuâ in Monferratũ miſſi 1. Maij.

His difficultatibus anguſtiatum Mantuanum, nouæ è Monferrato literæ grauius preſsêre: ſcripſerat Rubeus, manifeſtam quidem vim vtcunque propulſari poſſe, ſi militiæ prouinciali aliqua ab Inoyoſâ acceſſio fieret. Caſalenſis enim Arcis præcipuam curam eſſe debere: caput rerum id, & Monferrati poſſeſſionem

ſecum

ſecum trahere. Et quamquàm aperto bello Sabaudius non ſufficeret aduerſus munitiſſimum præſidium; nę tamen artium belli ſcientiſſimus & maximè indefeſſus, cuſtodes, militeſque, ſimul amicorum fidem tentaret, cauendum eſſe. Si præualuiſſet corruptiſq; propugnatoribus Arcem occupaſſet, ſtatim Caſalenſes, & quidquid Monferrati iure contineretur conſecutione habiturum, nec vllâ aduerſum vi ceſſurum. Id (vt par erat) Mantuani animum aduertit, vt Sabaudij conſilia eluderet, rebuſq; ſuis pro virili ſecuritatem pararet. Itaque mille ſclopetarij delectu per oppida ditionis Mantuanæ habito, raptim miſſi in Monferratum ſunt; vt ſuſpectiſſima pars prouinciæ, domeſticâ diligentiâ haberetur. Iis Arx commiſſa, vt externæ militiæ, ſi qui dubij, quamquàm integri erant, aliò tranſlati. Magnâ id ſimulatione, & conſilij ſecreto actum; quòd fide Monferratenſium apud Mantuanos nunquàm integrè probata, tum maximè diffidendum videretur; licet publicè crederetur. Nec aliquo adhuc rebellionis manifeſto indicio indeprehenſum flagitium accuſare expediret. Exiluit Mantuanus lætitiâ, vbi pauculos hos in Monferratum miſſos Inoyoſâ annuente vidit; ſtatimq; per Aulam vulgatum eſt, Sabaudium Mediolani irritè queſtum, quòd hoſtiles copias, communi malo penetrare tractum Mediolanenſem permiſiſſet; quodq; inimicum ſibi Principem nimio fauore proſecutus foret. Id auctore nobili ac primario Hiſpano didici, Sabaudium nec quidem ſomniaſſe; imo pro explorato habeo, illum & Mantuani opes irriſiſſe; & Hiſpanos, niſi ſocios & amicos prorſus neglexiſſe. Certum quidem eſt, nec Inoyoſam obniti Mantuani neceſſitatibus potuiſſe; & niſi negligentiam ſuam, moras, vanas ſpes accuſari voluiſſet, aut in iudicium perfidiam vocari, viam curribus permittere debuiſſe; manifeſtâ doli coniecturâ, qui nec Regium auxilium opportunè conceſſiſſet; nec Mantuanum proprijs armis tueri ſe permiſiſſet. Quantum prouincijs Monferrati Sabaudius detrahebat, tantum Mantuani querelis & commentationibus inſiſtebant, nullis ferè domi viribus proprijs, quibus hoſtem vlciſcerentur. Nec alia certior occaſio fuit, cur publicis ſcripturis Duces in mutuas iniurias incandeſcerent; & acrius ſua & aliena arma commouerent.

Pedites mille Mantuani Arci Caſalenſi imponuntur.

Quo die tranſeuntium mille ſclopetariorum fama Mediolani audita, cito curſore quoque Moncaluium delatum eſt; Arcem Moncaluij inducto licet ab Equite Riuara, ſpe ingenti futuri, auxilio, ſeſe dedere Sabaudio coactam; & à Rubeo iuſſus Mantuani internuncius, ſui Ducis fortunam apud Inoyoſam queri. Oppidum quidem improuiſu inſultu captum didicerat, ſed Arcem in tuto crediderat; poſtquam ducentis ſclopetarijs receptis, tolerare oppugnationem plures iam dies audiuerat. Sed qui Mantuano Mediolani erat, licet parum in ſummam profecturus; Inoyoſam recenti nuncio turbatum, tantò minus Sabaudij victoriæ gnarum, cum expoſtulatione conuenit. Caſtellum (inquit) Domine, quod modico ſubſidio miſſo à te liberari oppugnatione poterat, poſt quatuordecim dierum ac noctium continuos labores, poſt fruſtra aduocata protectionis Regiæ arma, in Sabaudium conceſſit: nec vllus adeo extra mentem eſt, aut Mantuano auerſus, qui miſeriæ noſtræ, cunctationi tuæ, multum debere victorem nō agnoſcat. Sed amici & recti amatores, idem per literas & curſores toti Europæ teſtati ſunt. Apud Hiſpanam Aulam extra dubitationem futurum, vtrum mille pedites Mediolanenſi Gubernatori ad manus fuerint; quos certum eſt deturbare cœpto Sabaudium potuiſſe. Porrò ſeu tegere prouinciam tutelâ, ſiue rebus noſtris creſcere Sabaudium animo inſedit; id vnum Ducis mei nomine (quod ſuo tempore coram Rege conteſtetur) poſcimus, quid nos in noſtra cauſâ agere; & an Regi tuo certam haberi fidem velis doceas. Aut imminutas prouincias retinere, aut vniuerſa deſerere nos velle profitemur; ſi ea voluntas Regi eſt; ſi aduerſus innocentem Principem cupit pœnas exigere. Fruſtrà quippe potentiſſimi Regis volun-

Mantuani internuncius cum Inoyoſa queritur de amiſſa Arce Moncaluij.

tati obniti nos ſcimus, & ideo cauſam noſtram ſcrutatori cordium Deo,& cæteris Europæ Principibus commendamus; apud quos diu inultam iniuriam futuram non exiſtimamus. Si non literæ, non promiſſa, non fama properantium legionum Hiſpanicarum, ſed miles, Sabaudios direptionibus intentos deprehendiſſet; & tota gloria Regis tui,& Monferratum inuiolatum Mantuani foret. Sed ille Hiſpanæ tarditatis, tuæ meditationis callidus, feſtinatione expeditionum, conatus Regios, aliena conſilia,paratus tuos anteuertit. Redituram prouinciam ad ſuum Dominum certò ſcimus; ſed querimur rapinas apud victorem,dedecus apud Regem,apud Mantuanum & eius ſubditos damna fore.

Inoyoſa licentiam dicendi ſummâ prudentiâ tolerare ſolitus, optimâ quâ viueret fide,nec celerius auxilium tranſmittere potuiſſe faſſus eſt; nec tantum debilitatis trecentis militibus,munimento & commeatu tutis eſſe credere potuiſſe. In eâ tamen victoriâ ſummam rerum non conſiſtere : quò fortius Sabaudius increuiſſet, eo miſerius proſperâ fortunâ detrudendum: ſe porrò certo documento oſtenſurum,quàm benè Mantuanus tutorem delegiſſet.Conſtantiæ nihilominus iterum admonuit; nec ſæpius oratus Inoyoſa eſt quàm ille mira compoſitione animi, ſtabilem Mantuano animum commendauit. Id Duci ſcriptum, quod turbari facilem impulit noua conuicia aggerere,apud ſe certam fidem,quam alibi non reperiſſet eſſe, culpamq; omnem Sabaudij progreſſus Inoyoſæ dare. Decantatam illum rem ſæpius repetere dicebat; conteſtabaturq; non ſe,non Italos proceres, non Pontificem ac Cæſarem opinari, ſciente & nolente Rege direptas prouincias in hoſtem abire; & ſi quid Sabaudio agri opumve acceſſiſſet, donum Inoyoſæ reputare. Equidem fortunam victoris illico vicina tracturam; & propediem Hiſpanos Ponteſturæ oppugnationem ſpectaturos, vt Moncaluium imperrupti vidiſſent, perſuaſo iam Sabaudio, repentinæ illius irruptioni Mantuanum obſiſtere non poſſe,Gubernatorem Inoyoſam inſuper nolle. Hinc Mediolanenſem ditionem inuaſurum; & nullâ amplius negligentiæ excuſatione, etiam eorum quæ aduerſum ſe peccauiſſet, pœnas illum Regi ſuo daturum. Sed inſtabat internuncius vrgebatq; auxilium apud Inoyoſam, officio & animo ſuccurrere geſtientem; præter eorum opinionem, qui ſciebant illum conuicia fugiſſe, & inuſtam perfidiæ notam: cumq; Ponteſturam certo in diſcrimine audiret, nec Sabaudij progreſſus gratos Regi ſuo futuros ſciret; ne honorem,fortunas,vitámque certo Regiæ indignationis periculo exponeret; vtq; conſcientiæ ſuſpiciones elueret, criminationéſque accuſatæ negligentiæ nobili aliquo facinore obliteraret; quo militum numero Ponteſtura in tuto haberetur interrogauit; & an centurias Hiſpanas in præſidium mitti cuperet. Aſſerente illo quingentos ſuffecturos, ſtatim delectus eorum habitus, iuſſuſq; Ponteſturam properare; & ſe aduerſus externam vim foſsâ ac vallo munire. Ne id quidem plerique gratum habuerunt; recordatione præteritorum implacabiles; & iam Ponteſturæ (vt ferebant) metu exſoluti. Sic expleri paupertatem Hiſpanæ militiæ ferebant; & ditato iam ſpolijs hoſti; ſaturas nec pugnaturas centurias oſtendi. Ineptiora quidam garriebant,faſtum,ambitionem,auaritiam gentis recolentes; metumq; ne ſemel admiſſi, nullo amplius reuocante, perpetuò remanerent. Correggium, Plumbinum,& alia Italiæ municipia recordabantur; quæ licet ab inimicis Hiſpano præſidio defenſa forent, maluiſſent tamen non accuiuiſſe. Poſtremum id immanius viſum, quàm vt vulgaretur: licet per Aulam ſecreti queſtus & tacitæ ſuſpicionis indicia audirentur. Mediolani non aliud ſermonum argumentum erat; quibuſdam Mantuano, pluribus Sabaudio pronioribus. Illi quidem ſcribebant Sabaudium per ambages queſtum fuiſſe; quòd plus diligentiæ quàm Rex imperaſſet, Inoyoſa vſurparet; ſuæq; amicitiæ non iuſſus renunciaret; quam non dolo non vi aduerſam expertus foret.

Inoyoſa miſit 500. Hiſpanos Ponteſturam.

Et qui-

Et quidem Sabaudius prudentiſſimè in eo rerum ſummam verti nouerat, ſi Hiſpanos fautores habuiſſet, aut ſaltem non infenſos. Neque tamen inimicos ſeruili obſequio proſequi cogitauerat; ſed vias omnes caritatis, artes vniuerſas fidei tractare ante, quibus affectu illigaretur. Ad extremum verò deſperatâ amicitiâ, hoſtem apertè induere. Proinde miſſo celeri curſore Iſabellam Belgij Dominam, ſororem Regiam per literas certiorem facti voluiſſe ferebatur, addito iure ſuo; lamentatus non minus de Inoyoſâ, vt vel infenſo, vel Mantuani amore corrupto. Oraſſe quin etiam ferebatur, vt iuſti æquiq; causâ, nec minus caritate nepotum moneret hominem, moderatius in ſua damna properare, aut alicui parum fido ſuppetias ferre. Adhæc, vt quâ apud fratrem auctoritate erat, leniret conceptam aduerſum ſe inuidiam, dulcem quietem commendaret; & iniquiſſimi hoſtis opibus ſuum ſanguinem proficere pateretur. Addebant malè feriari Sabaudium prætextus ſuos adornaſſe, & texiſſe perfidiam. Vbi enim Iſabella querelis Regem inquietaſſet; & ab ipſa Inoyoſa literas accepiſſet, quibus moneretur mitis in Sabaudium, nec facilis in eius damna eſſe; quod tum Inoyoſæ perniciosiſſimum erat, cunctationem loco perfidiæ vſurpaſſe, ſuetam Sabaudio ſimulationem; ideóque Inoyoſam hoſtem reumve ſubdidiſſe; vt doli conſcium aliquâ honeſtatis ſpecie velaret, quò veteri inſtituto, amicum aut infenſum, conſcium aut neſcium, prout rebus ſuis conduceret, teſtaretur. Crebris interim epiſtolis Hiſpanam Aulam fatigaſſe; indefeſſum muneribus, & cauſæ ſuæ commendatione precioſum: non ignarum aut auerti ſimilibus offenſas, aut ad tempus differri: & ne fruſtra ſolus laboraret, eadem ſcribere Inoyoſam officijs Iſabellæ compuliſſe; quem propinquâ ſpe diuitis Marchionatus, aduerſus inanes metus, & formidaram Regis iram firmauerat. Sed lubricos in calumniam magni Principis ſermones, & dicendi licentiam, meliores petulantiam appellabant: eò præcipuè quòd domeſtici Mantuani famuli; Sabaudium turbatorem publicæ quietis apud Venetos, apud Germanos hoſtem Imperij, apud Hiſpanos alieni occupatorem, Romæ perfidum dici iactarent. Horruerant etiam externi adeo pudenda conuicia; quæ inuidi & irati, aut repertis ſtudio calumnijs, aut aliunde acceſſitis intendere ſatagebant. Id quando non aliâ causâ Sabaudius vrgeretur, inferendo bello & implacabilibus odijs ciendis ſufficere credentes. Vulgatos quin etiam publicèq; fixos Romæ libellos reſtabantur, tacendæ veritatis impatientiâ (quos Paſquinatas vocant) quibus libido ingeniorum, ſimulatum illi filiæ Viduæ coniugium, negotij fraudes, nouam & inſuetam non inferioribus Principibus nobilitatis iactantiam carmine inſectabatur. Quæ non ante prohibita ſint, quàm impunitas habendi, & cura deferendi, etiam non requirentibus faſtidium & ſatietatem intulerunt. Mantuæ prius quàm in vrbe, aliqua lecta ſunt; habita, recitataq; publicè, apud fora & templa; gementibus ijs quibus aliqua honeſti cura, potentiſſimum Ducem, non ſponte hoſtem, ſed prouocatum, turpi modo diffamari, & contumelijs proſcindi. Miſſæ etiam in vrbem literæ ferebantur, quibus amici veteres impellebantur, per vicos, & officinas, inter ciues, nobiles, aulicos, religioſos, tractis ſtudio colloquijs, atrociſſima in Sabaudium congerere, & cauſam Mantuani erubeſcendo mox præferre, innocentem Mantuanum aſſerere, hoſtem Sabaudium, cui inquietudo connata ſit; quiq; infœlicibus expeditionibus, non quæ olim amiſiſſet receperit, ſed ditionis opulentiſſimam partem auulſam apud Gallos videat, dolo ac rabie in aliena clam irrupiſſe. Crediſſe ſcilicet non vltorem Deum, non Gallos, non Hiſpanos, non Venetos, non Romanum Pontificem; non denique conſobrinum Imperatorem ſubſidium laturos; aut Etruſcum nexum arctiſſimè, nullâ ſanguinis curâ, ſuo certo dedecore iniuriam ſpectaturum. Auaritiam, egeſtatem pecuniæ, quâ milites ſupra vires retineret, non ſibi ius creditum, ſpoliandi rapiendiq; aliena occaſionem præbuiſſe. Eamq; non recentem ſed veterem deſti-

Sabaudij fama ab amicis Mantuani carpitur.

nationem fuiſſe: quando certum eſſet, ne Genero quidem ſuo Mantuani fratri, pacem conceſſurum fuiſſe, ſi diutius ſuperfuiſſet, niſi parte Monferrati conceſsâ, quâ inanes prætextus abolerentur. Nec dici iſta ſcribiq; ſolummodò voluêre; ſed Sabaudij inſuper virtutem carpebant, vires minuebant, recenſitis in ludibrium, quæ ſtrenuo Principi ſiniſtro fortunæ occurſu eueniſſent. Et quò plenius conuicium turbaret animos, nec flagellato Domino ſeruo parceretur, Verruenſis quoque præcipuus ad conſilia in examen vocabatur; quæ ille apud Romanam Aulam imprudenter egiſſe credebatur, flectebantur in Dominum vt auſto timidiorem, nec Apoſtolicæ ſedi ſatis obſequentem. Fides quoque dictis quærebatur Pauli V. Pontificis teſtimonio; quaſi ille inteſtabilem Sabaudium, & quoties de dominatione ageretur, Impium appellaſſet. Neque tamen innata modeſtiâ, magnitudine ſuâ, Paulus V. eam intemperantiam admiſiſſet; vt in formidandum Principem tam atrocia congereret: ſed proni ſemel animi in alienam iniuriam, magnis teſtibus perfidiam ſuam egere nouerant; nec quod oneraret, & dedecore notaret nil ſatis credebant.

Contra Sabaudius vt bello ſtrenuus, ſic linguæ continentiſſimus, ne domeſticorum quidem ſermonibus diſtrahi Mantuanum apud ſuos patiebatur; quas accepiſſet iniurias teſtari abundè putans; & quo iure, in vicinum arma moniſſet. Hæc ſciri in Hiſpania, Gallia, Germania, Italia nolucrat: ne Mantuani dignitas, Cæſaris & Etruſci conſanguinitas, ætas, infirmitas, licet inſtiorem potentiã & intemperantiã damnaret. Scripto in vulgus datò, quo iura ſua & iniurias proſequebatur Manifeſti nomen indiderat; quod Italo idiomate conſcriptum, nos compendio contraximus, & labori noſtro inſeruimus, in duraturam poſteritatis memoriam. Filiam in Viduæ matris tutelam venire; vnanimi gentium legumq; conſenſione, caritatis & curæ certitudine, quæ neminem conſanguineorum arctius obſtringat. Suppetere Regum ac Principũ innumera exempla. Hinc initium expoſtulandi ſibi, quando Martinengum Comitem, & Luzernæ, necnon Principem filium bis legatos, obnixas Mantuano Duci preces deferrre voluerit; vt miſerrimæ filiæ ſuæ Viduæ, coniuge iuuene, ac filio infante vnico intra vigeſimum diem amiſſis, vnica ſuperſtes filiola in ſolatium concederetur. Id inhumanum Mantuano viſum. Et ne dolum ſubeſſe crederet, oblatam à Principe filio Mutinam, ſeiunctam à Parente, vbi in cœptæ negotiationis finem, apud matrem filia haberetur. Recepiſſe tum conditionem Mantuanum; & abnuente primùm curam Mutinenſi Duce, cum iam filia Vidua cum fratre Mediolanum veniſſet, conſenſum mutuò deſtinati hoſpitij Inoyoſam Gubernatorem expreſſiſſe. Sed Mantuanum ſtatim propoſito excidiſſe, nec ſacramento datæ fidei ſteiſſe: tutelam à Cæſare ſibi permiſſam; nec eo inuito poſſe illam ad externos tranſmittere conteſtatum. Id vulnus ſibi altius adactum: ſiue quòd non audito Patre, pro filiâ ac nepti, iura preceſq; laturo, iniquum ab Imperatoris Aulâ decretum ſurreptum foret: ſiue tardè tutela prætextui ſumpta foret; quòd etiam Mantuæ agente Principe filio, eâdem Neptis ſuæ tutelâ Mantuanus vſus, nullo Cæſaris iuſſu, nullâ exceptione, conceſſurum te Matri filiam, ſi Mutinam diuertiſſet, ſpopondiſſet. Eas excuſationes vanitatibus acereuiſſe, quaſi Amita Ferrarienſis, Vincentius patruus, & omnis Mantuana nobilitas infantis diſceſſum à Paternâ domo, haudquaquam foret tòleratura. Mantuanum certè & Principem & Cardinalem eſſe; eandem nihilominus fidei datæ curam gerere debuiſſe, quæ priuatum nobilem deceret. Hanc iniuriam queſtum Principem filium apud Mantuanum; ſtatimq; deploratâ ſatisfactione, abductam Mediolano ſororem rectâ ad Parentem Vercellas deduxiſſe. Quietis tamen deſiderio Gubernatorem Inoyoſam, Diocæſarienſem Epiſcopum Mantuam regredi, & nouo conatu, concordiam promouere voluiſſe. Vniuerſa fruſtra fuiſſe; reuerſo mox Diocæſarienſi, nullâ ſpe aut mittendæ neptis,

Manifeſtum Sabaudy contra Mantuanum.

neptis, aut concedendi, quod optimo iure proſequeretur. Indignatum ſe quidem; & cum ſeueriora vſurpare remedia in ſpretæ patientiæ ſuæ vindictam cogitaſſet, Cardinalatus dignitati tamen, quâ ambitum Mantuanum videbat, eam deliberationem condonaſſe. Armis nihilominus vltum iniuriam; & quod ſibi iure deberetur repetiiſſe; ne irriſui omnibus, Mantuano etiam deſpectus eſſet. Ea iura cauſaſq; in arctum reducta ſcire vniuerſos cupere; quod non vno prætextu aut Monferratum omne, aut ſeorſim diuerſæ illius partes antiquiſſimo iure ſibi debeantur. Monferratum quidem intra deſcriptos à prædeceſſoribus terminos, nullâ apud Palæologos ſuperſtite prole maſculâ, ſibi pridem adiudicandum fuiſſe; tanquam maſculo è fœminâ; & Margaritæ (quæ Federico Mantuano Duci, poſtremùm nupſit) præferendo. Alterum caput rerum in eo conſiſtere, quòd Theodorus Monferrati Marchio, cum Aimoni Comiti Sabaudio Violantam filiam locarêt, publicâ inſtitutione voluerit; ſi quando domus ſua maſculâ prole deſtitueretur, vti Violantæ poſteri in ſucceſſionem vocarentur. Et his quidem cauſis totum Monferratum certiſſimo iure repoſcere. Sed inſuper diuerſarum ditionis partium prætextus non inanes habere, oppidorum nempe cis Padum, & vltra Tanarum amnes; manifeſtis conuentionibus inter Amadæum Sabaudium, & Ioannem Iacobum, eiuſq; filium Ioannem Monferrati Marchiones: quibus, cum pleno iure, Chinaſſum, Brandizzum, Settimum, & Ozognam Sabaudijs dominis conceſſa ſint, cæterorum locorum nomine Monferrati Marchiones à Sabaudijs poſſeſſionem agnouiſſe; & Sabaudio ſupremo ac directo domino, debitum obſequium ſacramento deuouiſſe. Accedere Blancæ Palæologæ Caroli I. Sabaudij coniugis teſtamentum, quo Carolo auo ſuo, eo nomine ſecundo, non vetera ſolùm ac dotalitia iura, ſed & aureorum octoginta millia legantur. Eamq; ſummam Carolum Quintum, deberi Sabaudijs ſententiâ decreuiſſe. Se verò dotali causâ verſuras inſuper, & Atocismos repetere; quibus vetus debitum, ſeptingentorum millium ſummam adæquet. Cæterùm Caroli Quinti ſententiam, iuribus non plenè diſcuſſis latam, certo quodam reſpectu dictatam, & graui lite in ambiguo adhuc ſuſtentatis iuribus, hærere. Quibus cauſis vel imminui ac infirmari à Vincentio Duce prouincias; vel apud Caſalenſes fortiſſimam Arcem noui operis ſiſti non debuiſſe: quâ receptio iurium Sabaudijs poſteriſque difficilior impoſterùm redderetur. Hæc certiora eſſe, quàm vt pluribus demonſtrentur; ideoq; Pontificem Romanum, Cæſaremq; ſe in primis orare, ne quæ in ſuam tutelam arma ſumpſerit, vitio ſibi vertant. Iniuriâ quippe prouocatum; & filiæ Viduæ afflictæque, nec non infantis pupillæ matri abſtractæ (quibus aliunde ſubſidium opperiri non liceat) caritate motum. Nec minus Hiſpanum Regem obteſtari (cui filia ſua id honoris acceptum referat, quod eius neptis ſit) ne ſuum ſanguinem neglectum, & conceptam protectionis ac gratiæ ſpem, fruſtra eſſe velit. Reges quoque cæteros, & Chriſtiani orbis Principes appellare, vti fauorabili obtutu, quâ pietate & iuſtitia ſunt, res ſuas ac iura intueantur: ſigillatim tamen Sereniſſimum Electorem Saxonem, conſanguineos amicoſq; omnes; vt ſe ſuæ familiæ Principem honeſtiſſima repetentem, ſtudio ac fauore proſequi velint.

Id manifeſtum fuit, quod palam in Vrbem, Gallias, Hiſpanias, Germaniam transmiſſum, ambiguos Principes aduertit, vti fraudes (quas crediderant) à veris prætextibus; vanitates à ſerijs iuribus diſtinguerent: diſcerentq; vim iuri mixam, iras iniuriâ prouocatas, prudenter à Sabaudio præſenti occaſioni accommodata. Vix enim facilè credi poſſit, quem Mantuani ætas ac innocentiâ (ſic eius amici loquebantur) prætextum iuſtitiæ haberent, apud neſcios cauſarum & recentis iniuriæ fidem reperturum; licet ſapientiores in illius certiſſimam perniciem itura prędixerant; quæ vt inania temnebantur. Quamquam enim

P

non eadem perfundendi ſcribendiq; facilitas ſciretur; non tamen quid vires validiores, quid indignatio conuicijs & contumelijs prouocata, quid magnus animus infirmiori minitarentur, ignorabantur: & iam non ſemel Sabaudius experimento virtutis docuerat, potentiores Principes Regeſque, niſi multo ſuorum ſanguine, & longo bello, reuerentiam apud illum inueniſſe. Affectu odioue inter litigantes Duces medij, non ſemel tantam apud Cæſares cunctationem obſtupuerant; vt centeſimum pœnè annum bis tractata finem non inuenerit: eoque imminentem belli neceſſitatem à longè proſpectabant, quamuis Mantuani Duces modeſtiſſimè & compoſitiſſimè egiſſent. Sabaudij manifeſtum per Europam ſtatim miſêre, qui curæ præpoſiti fuerant; præcipuam agendorum exiſtimationem in eo conſiſtere credentes, ſi à Mantuano obiecta fortiſſimis contrà argumentis conuincerentur: plurimum quoque vigere famam veri ſpecie inducam opinabântur; vt cui minus periti ſtatim accederent.

In ſuburbano Mantuanus erat cum præcipuis amicorum, feſtas epulas celebraturus. Nec enim amiſsâ aut lacerâ prouinciâ ita animum iuuenis ſolicitudine diſtinebat; quin ſolitas ſummâ in ſecuritate voluptates retineret. Hic inexpectanti oblata Sabaudij ſcriptura eſt. Itaque (quod illi ſemper moris fuerat, retinuitq; plures poſt annos) vniuerſos etiam mediaſtinos, & vix patriæ linguæ gnaros aduocauit. Factâ coronâ recitari libellum coram iuſſit; in ſingulas periodos commentationibus inuectus, & ſubito ſtudio reſpondens. Vix contineri potuit, ne ſtatim petito calamo promeret confutationes; imperſpectorum licet iurium, & cauſæ ab ipſo hactenus non examinatæ. Vis eadem quoſdam adminiſtros ſtudio Domini procurrentes vrgebat; fatentes non alio validiori inditio probari Mantuani iura, quàm futili Sabaudij ſcripto potuiſſe. Reuerſus Dux Mantuam poſtquam impetus ille ſcripturientis animi refrixit; & æſtimatum Manifeſtum plus ponderis habere, quàm primâ facie oſtenderat, viſum eſt. Diocæſarienſis Epiſcopus, inutilibus ſcripturis, & odia maiora concitaturis abſtineri conſuluit; ne ſi Mantuanus indignationem palam oſtendiſſet, quæ obiiciebantur videretur agnoſcere; aut acrioribus hinc inde ſtimulis, ad mutuas iniurias vterque ſtimularetur. Arduum eſſe fatebatur, inter inimicitias & arma temperare conuicijs; aut eâ moderatione affectus componere, quæ concordiam non rixas perſuaderet. Neque Europæos Principes adeò alieni neſcios agere; vt quo iure Mantuanus Monferrato imperet, ignorent: multò minus Pontificem, Imperatorem, Regemq; Hiſpanum rerum arbitros; apud quos vis omnis ſit; & quos præcipuè Cæſarei decreti reuerentia ſpectat: non denique Gallum Regem magnam, ſi certandum occurrat, belli partem. Romanam Aulam omnium gnaram callere ſimilia; vſu conciliandæ pacis inter infenſos Principes; & à Chriſtianis Regibus depellendæ diſcordiæ. Hinc totum orbem diſcere, quid cuique iuris, quæ ſpes, quæ ſubſidia; augeriq; aut imminui ſingula, ſolâ laudantis reprobantiſq; opinione. Ignari ac præcipitis vulgi, quod veris falſa confundat, apud honeſtiores nullam rationem haberi; eoq; non ad tutelam, non ad offenſas ciendas ſufficere. Quod ſi iurium ſuorum fides eleuata, & conuulſa exiſtimatio moleſtiora ſint, quàm vt dolor ſecreto contineri poſſit, priuatis ad Chriſtianos Reges & Principes literis, quæ à Sabaudio obijciantur; nulla in auctorem iniuriâ reiectâ, & excuſato potius hoſte dilui poſſe. Multum commendationis moderationem inuenturam; ſi apud peritos Mantuanus iure potior deprehenſus, etiam temperantiâ celebretur. Principem iuuenem, virum Eccleſiaſticum, læſumq; ex modeſtiâ optimè auditurum: nec virtutem fruſtra fore, at quæ hoſtem ipſum ad mitiora poſſit conuertere. Saluberrimum conſilium, plures quos calami pruritus ſtimulabat, damnabant; reſponſumq; prætulerunt, odio vulgatæ à Sabaudio iniuriæ (vt ferebant) & Mantuano

Mantuano in hanc partem proniori aſſentantes. Silentium ſcilicet metuebant: ne recepta quæ dicebantur crederentur: ne apud factorum dictorúmque neſcios Sabaudia magnitudo fidem exprimeret: ne iuuenis & armorum inexpertus, etiam ciuiliter cauſæ ſuæ ſuſtentandæ impar videretur: ne ſine Doctoribus putaretur: denique vt vulgatis rationibus, apud eos qui Sabaudium tractauiſſent, comparatione iurium erudirentur. Sed reuera ſuberat indignatio, quæ tantum temperamenti aſpernabatur, & animus præceps in quamcumque vindictam. Id ſaltem orauit obnixè Diocæſarienſis, ne quo Sabaudius conuicio aſperior & implacabilior redderetur.

Cæterùm his ferè verbis res confecta. Certum fuiſſe ſiniſtrâ cœpti motus famâ auditâ curaturum Sabaudium, ne conatui & illatæ vi, ſui colores deſiderarentur. Armorum quippe quàm iuris petitiorem, & prauis conſultoribus vſum, id Manifeſtum vulgauiſſe, quod prima ſtatim fronte poſſet argui vanitatis. Neque enim matri (ſi minor ſit, vt Iuriſperiti loquuntur) aut ſi procul à paterna pupillæ domo agere intendat: prærerea ſi probabilis aliqua ſuſpicio iura imminuens, ſubſit; filiæ tutelam permitti. Non vno interceſſore oratum ſe, ne Viduam relictam, vteri dubiam, vna cum filia infante, redire ad parentem vellet: ſed preces non recepiſſe: Quòd ſucceſſurum Principem in paterna domo, & Tutricem apud ſuos eſſe, leges primùm, mox Imperator decreuiſſent. Additum à Sabaudio metum ex nepti: quòd veluti hæredem Monferrati iactauiſſet. Et quanquam ipſe Margaritæ quæ Federico Duci Mantuano iuncta fuit, ſe vt marem è fœmina in ſucceſſione iurium diu præturerit: apud Hiſpanos tamen ac Mediolanum Gubernatorem, Nepti ſuæ deberi Monferratum docuiſſe, ſua neptis iuribus iura miſcendo. Id Guidonium Sangeorgium ingratiſſimum ſibi rebellem, datis ad conſanguineum ſuum literis teſtatum; quibus perfidię ſocios quærebat, in hanc formam. Sabaudium Ducem ſuis ac neptis iuribus ſuſtentandis, bellum illatis in plura ſimul loca armis tractare. Et quamuis Trinenſes adhuc obſidioni non ceſſiſſent, breui tamen in poteſtate fore. Eius commoda & honores promoturum, ſi ſeſe in Caſtra conueniſſet, & cæteros in eadem ſtudia aduocaſſet. In Caſtris ad Trinum 23. Aprilis 1613. cum vidua Princeps omiſſa Mantua, vbi omni officij genere culta fuerat, ad parentem regredi feſtinaret: non Principem Pedemontanum ſolùm, ſed & Inoyoſam Mediolani Gubernatorem flagrantiſſimas preces, auctas infęlicis Viduæ lachrymis detuliſſe; vt licet metu Cęſareę indignationis, amicis conſanguineiſque contra nitentibus, & magno rerum ſuarum diſcrimine, Mutinam cum filia ſecedere toleraret. Speciem quoque valuiſſe; ne propoſiti peruicax mœrorem matris, patris dolorem ridere crederetur. Tantum addidiſſe conditiones, quibus neptis permiſſa in tuto eſſet, ſuo arbitrio reſtituenda. Mutinenſem Ducem arctiſſimam ſponſionem, Cęſaris iram, etiam pacta quibus concedebatur abnuiſſe. Vbi illa Mediolanum cum Principe fratre delara fuit, priora deſideria Inoyoſam retractaſſe, cupiuiſſéque mitti infantem Mediolanum, ſolatio matris, faciliori rerum exitu, dirimendiſque contentionibus. Id ſe tamen viuis rationibus negaſſe. Itaque ſtimulatum ab eo Mutinenſem, vt vadem ſe promittenti, hoſpitémque matri ac filiæ præberet. Speciem matrimonij tum fuiſſe: ideoque ſe abnuiſse Viduam Mutinam regredi, aut in poſterum neptim concedere, quam ille paulò ante noluiſset. Cuius mortalium manifeſtas Sabaudij artes fuiſse, ne dum ſibi curis rerum ingentium intento. Ideo tot itinera, regreſsus, loca infanti matríque præſcripta, vt occaſio aliqua rapiendi obijceretur. Docendę interim veritati miſſum à ſe Epiſcopum Diocæſarienſem; vt non Inoyoſa ſolùm, ſed vniuerſi qui Sabaudij querelas excepiſsent, certiores redderentur: nec tranſacta abnuere, nec velle reſumere iterum cum

Mantuani Manifeſtum contra Sabaudum.

Mutinenſi pacta præterita. Decreta Cæſaris, ſubditorum ſuorum voluntates reclamaſſe: ſcire quin etiam ſe fidei quam dediſſet, præſtandæ non minus quam nobilem priuatum obligari: ſed promiſſa quæ loco ac tempore circumſcripta ſint euanuiſſe, nec amplius ligare. Eâ causâ literis ſibi à Pedemontano Principe miſſis reſpondere ſuperſediſſe: ſiue quod ab Epiſcopo Diocæſarienſi iura ſua proferri ſatis crediderit; ſiue mutuâ caritate cognitum, teſtatâ veritate offendere noluerit. Eundem Diocæſarienſem Inoyoſæ Imperio, etiam Vercellas (licet ſuo cum aſſenſu) miſſum, vt continuatione negotiationis difficultates complanaret; eóque ſcripſiſſe ad Principem Pedemontanum literas, hoc ſenſu: Credere ſe Diocæſarienſem Epiſcopum, apud illum propediem futurum; eorum occaſione quæ ſuo iuſſu deferret; ſine literis tamen illum venire noluiſſe; licet præterea imperauerit, vt cui paulò ante literas miſiſſet, coram ſatisfaceret. Quidquid ab illo ſibi exponeretur, ſuo nòmine interpretaretur. Et quamuis forſitan minus dictis ſuis fidem habeat, neminem tamen ſuo obſequio proniorem reperturum. Hinc cuiuis apertum eſſe quo animo fuerit, & quam prauè omiſſa negotiatio ſibi in perpetuam obligationem adſcriberetur. Miſſo Epiſcopo non Neptis conceſſionem, non finium compoſitionem arbitrio permiſſa, ſed legatum tantummodo ad Sabaudium, vt an domus vtraque, firmiori iterum vinculo necti poſſet, proſpiceret. Satis ſuperq́; ſe profeſſum, ſiue Sabaudius à parente Vincentio tractata, ſiue vetuſtiora, ſiue denique recentem terminorum directionem cogitaſſet; nec ſe auerſaturum quæ bono iure poſcerentur; nec illum plura & certiora à filio expectare poſſe. In hæc factam Epiſcopi miſſionem; nec aliter cum Gubernatore Inoyosâ per literas, aut cum Martinengo Luſernæve Comitibus locutum: quorum dicto fidem haberi velit. De Vulpiano ac Caſtiliano oppidis præter legationis ſummam, & ſuo ingenio Epiſcopum, Sabaudij ac miniſtrorum expoſtulationibus vexatum, vtq́; ſe eo tædio liberaret, locutum; cumq́; reſponſum in ſequentem operiri iuſſus foret, tamquàm militarem cenſum ſpectaturus Sabaudius vrbe diſcederet, eadem nocte Albam Trinumq́; vi aggreſſum. Hanc eſſe factorum ſeriem, cuius examine liqueat, vtrum bono iuri inſtiterit, motus aduerſum ſe armis eâ immanitate, vt maiori in iuratum hoſtem vti non poſſet. Iam verò ſibi ac conſcientiæ optimè conuenire, nullius nempe offenſæ ſponte ſe auctorem fuiſſe; niſi neptis, grauida filia, & pars prouinciæ negata inter iniurias referantur. Queri ſe tamen poſſe, ꝙ præſtitâ ſibi à Sabaudio per literas ſecuritate; & agente adhuc Vercellis apud ipſum Epiſcopo Diocæſarienſi Oratore ſuo, inter coniugij tractationem, quam vterque Inoyoſæ auctoritate proſequebatur, ſe imparatum oppreſſum; cum Monferrati municipia aduerſus metum, non alio quàm ciuium præſidio ſeruarentur. Tacere ſecretas artes, inſidiaſque, concitum aduerſum ſe Monferrati ſubditos, captas Arces. Cæterùm quo iure ageret Sabaudium in ſumma coëgiſſe; quæq́; Auus ſuus totum triennium coram Carolo V. Imperatore produxerit. Supereſſe generis humani iudicium, affectuíne ac cupidini hoſtis, an Cæſaris decreto fides ſit habenda. Si quid Sabaudio lite cœpta continuare permiſſum ſit, in ſuo vigore manere: Donationes tranſactioneſq́; inter Ioannem Georgium, & Ioannem huius filium Marchiones fuiſſe per vim expreſſas, vtroque per vices Taurini detento. Sed non in eo Cæſaris auctoritatem arbitriumq́; reſeruata, vniuerſa irrita reddidiſſe. Sub Imperatore Federico ſalutis anno milleſimo quadringenſimo ſexageſimo quarto Blancæ octoginta aureorum millia olim merita, nec ſe nec ſuos abnuere: ſummam illam ſeptingentorum millium imaginariam, nec ſine riſu eſſe. Paratum ſe Iudicis ſententię ſtare; ambigere tamen, an ille quiſquis contigerit, poſſit debeátve inuaſorem audire. Non debuiſſe Sabaudium Actorem Arbitrumque ſimul agere; nec ſibi ipſi nullâ potentioris ſententiâ parare executionem.

Satis

Satis fuiſſe quod violato iure gentium Sabaudij Duces abſtracta Monferrato poſſideant,Taurinum,Iurcam,Modoctiam,Chinaſſum,Settinum,Montanarum,Sanbenignum,Lombardonum,Fletum,Ozegnam,Collegnium,& alia pleraque à Federico Margaritæ coniuge proauo ſuo apud Imperatorem agitatâ lite repetita: quorumq; poſſeſſionem in tempore,decreto Cæſaris expectet. Quod ſi Sabaudij Auus causâ coram Imperatore tot annos aduerſus Duces Mantuanos egit,cur id nepotem, potentiâ non auctum apud non imminutum auctoritate Cæſarem abnueret? Cur Vincentio patri ſuo hæſurum ſe cauſæ,& certis conditionibus transferre velle iura omnia,non meminerit promiſiſſe? Neque tamen ab illo adeo imminutum debilitatúmve Monferratum vt conditionem vicinis inuideat:aut ideo Caſalenſem Arcem eduxiſſe,vt aduerſus ius faſq; prouinciam retineret:ſed conſcijs Imperatore ac Chriſtiano Rege (quorum miniſterio quidquid ſibi virium ſit ſeruauerit)in ſuo ſtatuiſſe. Horum Principum potentiâ tutam infantem fratris ſui filiam futuram: ideoq; velut proiectæ hæredis,eam ſibi curam Sabaudium aduocare,aut præſumere non debuiſſe. Illam & Mantuæ natam,& educatam; hic adminiſtratorem Patruum, ſummâ quâ in ipſam pietate ſit inueniſſe. Et ſi iniuriæ metuantur Auſtriæ Regum patrocinio indemnem futuram; quorum placita ipſa quoque reuerenter obſeruet.Orare proinde Chriſtianos Principes; vt ſi Sabaudij arma libidine ac ſæuitia tractata, prophanatis delubris Diuorum, violatis perſonis ſacris,calcatâ honeſtate ac religione omni ex iuſto cenſent,in ſe vindices incurrant. Sin ipſe ſi iuſtitiam inuocat, & mediâ negotiatione pacis connubiique, publicam fidem frangit, diuinum ac humanum ius infringit; vt ſibi oppreſſo, lacerato,inſidijs petito,fautores adſint.

Hoc Mantuani Manifeſtum fuit; quod non minus quàm Sabaudij, præoccupandæ publicæ fidei ſtudio vulgata fuit. Neptis tamen primùm promiſſæ; nec cum poſtmodum repeteretur à Mantuano dimiſſæ iniuria, cauſa intus fuit, cur Sabaudius mitius ſuam cauſam,vt olim proſecuturus,aſperiora probauerit; & obdurato Mantuano in implacabiles iras exarſerit. Eò magis quòd Viduâ Dominâ Mediolanum delatâ vulgatum foret, abducendæ ſubtrahendæq; infantis neptis conſilia Sabaudium agitauiſſe; ſed cuſtodum diligentiâ eluſum; quodque cum literas & Oratores, pacis concordiæq; ſpecioſis nominibus refertas miſiſſet, integram tamen tractationi fidem non intuliſſet. Quorſum enim attinuiſſe Mediolani filiam manere, nec Taurinum ad patrem tendere? cur dilectam Mutinam? non placuiſſe Goitum,Caprianum,Gazolum,quæque illuſtria ditionis loca multis paſſuum millibus Mantuâ ſeiunguntur? niſi vt illa Mediolano furtiuè abduceretur; conniuente, conſcio, & permittente Inoyosâ: cui omnia pro Sabaudio agere ac moliri, gemmæ aurumq; perſuaſerant; nec minus noui Marchionatus ſpes ingentes? Porrò ideo prælatam Mutinam,vbi pronum foret ſororiæ caritati plus inſidiarum adaptare. Facti porrò inuidiam Sabaudium non metuiſſe; vt qui paratis coloribus honeſtas cauſas appingere promptum haberet: meditareturq; in Viduam matrem furti culpam transferre, quæ pactis conceſſionis firmandis non aduocaretur; & cui pietas non ſeruati promiſſi excuſationem accommodaret. Id credibile eſſe; multa argumenta perſuaſiſſe, quibus cautior agitatæ negotiationi foret redditus. Perſuaſum vnicuique fuiſſe, non fidei, non promiſſorum apud illum rationem vllam fore, quem vis, & rapinarum deformitas, manifeſtæ inhumanitatis dedecore non tenuerint.Pauciora tamen hæc detractoribus videbantur, & minus animum expleuiſſe, niſi eadem publicè in Sabaudij contumeliam protuliſſent, addidiſſentq; ore illius exceptam ſententiam fuiſſe, profundo ſilentio, & æternâ obliuione digniſſimam; Stare promiſſis mercatoris eſſe, non Principis. Scilicet ignorabant vetuſtiorem apud Sabaudium Principatum, quàm apud pleroſque in Ducatus euectos nobilitatem: & tenuem ante plurimas æta-

tes potentiam, fide & bonis artibus accreuiſſe, prius quàm Italia magnos Principes numeraret: cum adhuc Mantua piſcatorium nomen, Marmirolum ruſticum eſſet; & cum Gonzagorum primitiæ neſcirentur; licet oblatis quibuſdam monumentis noſtra ſolicitudo vetuſtiſſimam Ducibus nobilitatem appinxerit; & aliis in Carolum Magnum incunabula familiæ reduxerit. Certè pronum ingenijs ſcripturientibus commentari eſt, nec tamen eâdem facilitate perſuadetur. Iam verò Mantuanus impetu animi, prauis conſultoribus, Ferrarienſis hortatu, potius quàm Principis Vincentij ſententiâ, aut bono ſuo fato elatus, quæ exitium domui ſuæ properarent, reclamantibus melioribus auſus eſt. Maior fratris calamitas videbatur, quod licet Mantuanus præceps ruinam prouocaret, vanâ tamen imagine vindictæ oblectaretur; Vincentius Princeps verò, & perdi ſciret, & ſilere doloſem ſuum cogeretur. Eum quippe prudentia ætati antetulerat, quamuis malâ Patriæ fortuna a cura rerum exercendi validiſſimus arceretur.

Cum adhuc Mantuani reſponſum concoqueretur, per Italiam, Galliam ac Germaniam Sabaudij Manifeſtum exierat, non odio potius Mantuani, quàm æſtimatione Sabaudicæ magnitudinis receptum inſigni gentium fauore. Habebant Principes, nobiles, plebei; latitabatur publicè, & quibus ſors inuiderat, magno ære parabatur. Secreto quoque prælo quædam exemplaria prodietant: adeò quod placuerat, niſi omnes poſſiderent, parum videbatur. Id ſtimulauerat Mantuanum, vt quę conſuetudo ęmulo cōferre didicerat a ſuis feſtinaret. Diei labori noctes cōtinuaræ: & lectum inter Conſiliarios primum probatumque fuit, quàm in lucem daretur. Nihil tota Aula frequentius, quam laus auctoris, & eruditio audiebatur; vt iam deſiderio legendi cuncti langueſcerent, nec longiorem patientiam ferrè poſſe viderentur. Prima in Vrbem exemplaria mitti placuit: In eo Orbis theatro res ſecundum Mantuanum iudicata, cæteris exiſtimationem latura videbatur.

Ducis negotia in Vrbe tum Vincentius Agnellus Snardus tractabat. Huic miſſa ſunt, & quibus communia faceret perſcriptum. Sed iam Paulus V. Pontifex per exploratorem didicerat, & compoſitum reſponſum, & breui tranſmittendum, cuiuſque argumenti eſſet. Intercipi igitur volumina imperauit, ne in apertum prodirent: non quod cauſam reprobaret, aut Sabaudio quàm Mantuano pronior eſſet; ſed quòd iis maximè intenderet, quæ quibuſdam Mantuanis perſuaſerant, ne componerentur. Et Pontifex quidem cum Ducum concordiam literis primùm tentauiſſet, tum Nunciis ac Legatis vrgere quę inchoauerat, macuraret; quæcunque læſura partes, aut irritatura animos ſciebat, ſupprimi iuſſerat, pari in vtrumque litigantem pietate. Quâ tamen aut aliquid incuriæ ſubrepſit, aut diligentia cuſtodias eluſit penetrauere nonnulla exemplaria, & vt curioſis ſatisfieret tranſcripta ſunt, atq; inter amicos diſſeminata. Quò manifeſtior eorum impoſtura eſt, qui datis ad Inoyoſam ab Vrbe literis, faſſi ſunt: placuiſſe bono ſeni reſponſionem; & nonnulla (antequàm typo Mantuæ permitterentur) immutaſſe. Nemo hactenus Pontificum, ſermonis pariter, & eorum quæ turbare chriſtianam pacem poſſent temperantior fuit. Nihil hactenus maiori auiditate raptũ; nihil ſtudioſius flagitatum; deſiderio ſcindi partium iura; & quibus rationibus vtrique Duces vterentur. Hinc (prout varij animorũ motus, & ſua cuique coniectura ſufficit) inter Aulicos diſputari cœptum, aliis Mantuanum, pluribus Sabaudum protegentibus; obnoxio quidem nemine, ſed opinione iurium tracto.

Manifeſtum Mantuani Paulus V vulgari Romæ prohibet.

Prouocandum in Sabaudium Mantuani ſcripto fruſta creditum, neque deſideratæ confutationes quæ ſperabantur; ab eo in ſapientiſſimum Senatorem cura tranſlata. Hunc Toëlum fuiſſe accepimus. Hic repetito per compendium iure ac iniuriis, ita expectationi ſingulorum ſatisfeciſſe viſus eſt; vt impoſiturus parti ſilentium videretur; ſcripti is tenor fuit: Mirum non eſſe Cardinalem Mantuanum Ducem, armorum peritia & ætate, rerum adminiſtrationi æquè maturum, dolore

Sabaudij alterum Manifeſtum con

 tactum

tactum,ob eorum amiſſionem, quæ maiores illius poſtremo Marchioni Monferrati cum vita rapuerunt;abſtulerintque legitimis illius ſucceſſoribus,notis palam artibus, de bello & dominatione loqui, Manifeſto Sabaudij reſpondentem; vt ſuam cauſam ſpecie iuſtitiæ commendet. Sufficere Sabaudio eorum ſententiam qui gnari eſſent; decreuerintque procul à prudentia fuiſſe, Principi in rem ſuam improperare praua concilia;& honeſtatē iuſtitiamque cauſæ,prætextum appellare; nec minus ignari qua iniquitate Neptis Patrui tutelæ permittatur, quæ pro arbitrio,parata præceſſorum imitatione,facilè bonis omnibus exui cum vita poſſit.Si viduæ matri quòd minor ætate ſit filiæ relictæ tutela non competat;cur non Patruum,Principem Eccleſiaſticum,& minorem arceri? Præſenti conditione negari non poſſe,auo potius neptim permittendam fuiſſe,qui Monferratum non vno nomine requirat. Imo procul vero eſſe Mediolani & per Hiſpaniam Sabaudium vulgaſſe, Neptim ſuam in Monferrati ſucceſſionem vocari: ſed de bonorum omnium allodialium mobiliumque iure eſſe locutum; quæ pater eius inteſtato decedens reliquiſſet; & quæ vt in immenſam ſummam excreſcerent, ita ſuo tempore ſunt liquidanda.Fateri ſe quidem Principem filium& viduam filiam multo in ſpeciem honore à Mantuano cultos: ſed corrupiſſe illum gratiam omnem, cum diuerſa animo agitaret, decreuiſſetque datam ſemel fidem eludere: quæ nō loco foret,non tēpore definita: additis nouis rationibus,quaſi regredi Viduā dedeceret,nouę cauſę prohibentes emerſiſſent,Cęſaris ſurreptitium decretū, & auerſa propinquorū voluntas obniterentur: nec iis ante datā Principi filio fidē locus eſſet. Sed iam violatæ fidei conuictum, ſupereſſe ſolummodo vt Dux Mantuanus conſummatæ prudentiæ Princeps alienos miniſtros inſcitiæ accuſet, qui Diœceſarienſem dignitate Epiſcopali præfulgentē,per literas imprudentiæ damnauerit.Etiam eorum qui rerum ignari ſint iudicium requirere: an publicæ fidei minus ſe egiſſe putent, quod debita ſibi iura repetierit habito quamquam domi Oratore Mantuano, qui nulla ſatisfaciendi ſibi auctoritate veniſſet; aut quando quibuſve cauſis,vſu receptum ſit,mitti Feciales ad conteſtandum bellum. Quinimo mirari ſe,à nemine ſuorum Mantuanum admonitum, ob neglectam promiſſionis fidem:licet vetera ſuper Monferrato iura ad tempus depoſuiſſet, bellum ab eo quē offēdiſſet opperiri debuiſſe.Proinde fruſtra improuiſum appellare.Porrò quàm valido iure innitatur, Manifeſto vulgato ante docuiſſe: monitum ſolummodo Lectorem velle,nulla in Ioannem Iacobum, & Ioannem eius filium Marchiones Monferrati, Amadeum Sabaudium vi vſum: & Federici decretum non citata parte irritum cenſeri debere. Tacere etiam quæ iniquè Gonzagi ſuper Monferrato,exactionibus,deſolationibus, imminutionibus veros ſucceſſores lædendo egerint. Vana Mantuanum Cæſaris in Sabaudium odia concire, vt in contemptorem Maieſtatis, quam ſemper ſit immutabili reuerentia proſecutus.Non potuiſſe illum paratiori via petita ademptaque iura repetere: nec facile imaginari poſſe,ſi quando Cæſareum decretum Caroli V.ſententiam reuocaſſet, quibus opibus Mantuanus tot annorum poſſeſſionem cum acceptis reditibus foret repræſentaturus. Sed & maiores illius ne latæ quidem ſententiæ obtemperaſſe:qua ſufficienter cauere alienis petitionib. iubebatur. Irritè prorſus querelis aërē verberare,vt conatus Sabaudij inuiſos reddat:Arma quæ ſibi aduerſa ac prçualida expertus fuerit,crudelia appellando,Bellicę quippe rei peritos nouiſſe,per vim recepta oppida militari licentiæ permitti: nec obſtare quo minus victores aduerſus obſtantes, ferro ſibi viam aperiant. Sacris hominibus (niſi qui nulla dignitatis habita ratione arma tractauerint) ſuum militem temperaſſe: & ſi quæ inhumanè admiſſa ſint grauibus pœnis executum. Supreſſe vt ſummus Pontifex, generis humani parens,inter filios vniuerſa diiudicet;vt Cęſarea Maieſtas, rigorem(qui malos effectus procreat)& corruptos affectionibus animos auerſata,cor-

ira Mantuanum.

Digitized by Google

ta pietate vniuerſa componat: vt Rex quoque Hiſpanus, Sabaudiæ familię parens ac dominus, debita protectione, æquitati locum faciat: nec minus cæteri Principes ſanguine aut amicitia illigati, poſt tot annos illatam toleratamque iniuriam, quomodo nouos occupatoris inſultus toleraturi forent in re propria, ſecum æſtiment; ſimulque iudicent an impia & iniuſta arma illa cenſeant, quæ propriæ exiſtimationis ac iurium cauſa tractantur.

His viſus fuerat Sabaudius Mantuani Manifeſtum iugulaſſe, vt ne in loco quidem honeſtæ ſuæ tutelæ haberetur. Quanquam enim dici credive inferior iure aliquibus poſſe diceretur, aſperitas tamen in viduam ob negatam filiam, & non reddita Pedemontano fides, cauſam omnem confundere videbatur: pietate illinc turbante animos, hinc magnitudine Sabaudij vrgente. Accepi a fide dignis reſponſionem hanc nonnulla acerbiora continuiſſe, & Sabaudium, ne media quidem in ira modeſtiæ & vrbanitatis oblita, quæcumque veſicam tollere poterant, abradi voluiſſe. Suetus nempe erat, iniurias ſuas armis, non conuicio proſequi: & intolerans quemcunque in hoſtem contumelias iactari. Alterum quippe diem rem examinari voluit, recitariq; ſibi ſæpius imperauit; vt quæ fortè auditum fallere poterant, ſequenti ac tertio deprehenderentur, corrigerenturque. Si quid tamen carpere quadamtenus Mantuanum potuit, ſuo loco relictum eſt; eorum immodeſtiæ, qui Sabaudio petulanter inſultauerant, datum eſt. Et forſan quæ ſub Mantuani nomine prodierant, alienæ cutis ſcabies fuerat, licet non omnes communem cauſam, aut poſſent aut ſcirent, aut vellent diuidere. Recepto iam more iudicij, vt quæ adminiſtri Principum peccauerint, conſcientia aut conniuentia Dominis imputentur.

Sanè vbi in Mantuani manus Manifeſtum illud venit (& quidem huic primum loco incidit) & ipſum, & Aulam turbauit: certò & in recentem cicatricem ferire, cauſæq; collineare viſum, & pro calumnia miſſa, reddere morſus acerrimos. Erudiri ſucceſſu poterant vniuerſi, qui Mantuani Genio ancillabantur; ſilere ac pati, tutius vtiliuſq; quàm damnoſa eloqui fuiſſe. Vt tamen inquieta ingenia, & ſcribendi rentigine ſtimulata ægrè cohibentur; ſic oblata occaſio, procurrentes in eam curam ſtimulauit, vt ſtatim nouo libello malè Sabaudius haberetur. Ea reſponſio ſic habuit: Mordere ſcripto Cardinalem Mantuæ Ducem ex ijs eſſe quæ manifeſtis indicijs, agnitam veritatem demonſtrent; vrgeantq; auerſantem, ſingulari modeſtiâ Mantuanum, & voce & ſcripto aduerſus Sabaudium vſum fuiſſe; auctorem verò libelli, manifeſti mendacij arguiſſe. Poſtremùm Monferrati Marchionem Ioannem Georgium, fato & valetudine diem ſuum obiiſſe; nec vllum mortalium tanta peruicacia fuiſſe, vt caſum fortunæ, nepotum flagitium interpretaretur. Certè apud bonos facto famam congruere; ſciri tamen quid in Aulam vlcerati animi detuliſſent; ſed & dignam officio fidem inueniſſe. Triennij indefeſſam litem, ingenti mole continuatam, vt ne inter priuatos quidem acrius certari potuerit, Caroli V. ſanctiſſimi Imperatoris ſententiam, Genuæ in magna illa Italiæ celebritate vulgatam; ad extremum ſupplicationis iudicium, à Sabaudio debilitate cauſæ omiſſum, artes eſſe, quibus Mantuani Duces Monferrato potiti ſunt: niſi Patrui Margaritæ, quæ Federico Mantuano nupſit, voluntas ſuperioribus addatur. Eorum qui iniqua arma crediderint numero, ſummum Pontificem, Gallum & Hiſpanum Reges, Venetos, latè per Germaniam imperitantes Principes cenſeri. Horum ſententia iuſſum Sabaudium arma deponere, & quæ prouincijs auulſa ſint, in priorem Dominum redire. Si quid ſe iuris habere Sabaudius crediſſet, apud Iudicem quo tot annos vſus ſit, experiri. Modeſtiam Mantuani Ducis, culpam & inuidiam facti, ab eo Principe in conſultores adminiſtroſq; fluxiſſe; quos ſciuerit eſſe auctores prauitatis. Neque in occulto iſta, gnaris pleriſque, à ſecreto conſilio nonnullos curam deſeruiſſe; ne ſponte alicuius

Mantuani reſponſio.

iniquæ

Digitized by Google

iniquæ deliberationis auctores dicerentur. Duraſſe in ſententia, quibus flagitio animus occaluerat; qui ius humanum ac diuinum omne calcarunt, perfidos & rebelles ingratiſſimos; & ſi vniuerſi examinentur, etiam filios paterna reuerentia, & improperatione ignauiæ tractos. Horum pietatem ſuperis gratam, apud hoſtes quoque commendari. Mantuanos Principes fortitudine ac regijs virtutibus præcelluiſſe; domi iuſtitia, fortis facinoribus ingentibus claruiſſe; Viſcomites, Sfortias, Venetos, Cæſares, Romanos Pontifices ſtrenua ipſorum opera vſos; potentiam quam temporum viciſſitudine ducentos ante annos amiſerant, totius Patriæ conſenſione recepiſſe, Cæſareſq; bene collatam cenſuiſſe. Nil intra penates eorum flagitio admiſſum; niſi fraternæ rixæ, maligna recordatione objiciantur: fœcunda apud omnes regias familias memoria, quoties inter conſanguineos de dominatione certatur: Nullas tamen extra domum Mantuani iniurias referri, non in potentiſſimos Reges ſuſcitatas ſeditiones, non proditiones aut coniurationes procuratas, non ſpoliatos patrimonijs veros Dominos; nec ea vilitate iuſtitiam habuiſſe, vt legitimis poſſeſſionibus, rapinas prætulerint, audiri. Ne in ſubditos quidem auaros fuiſſe; nec profiteri ſolitos, tantum quantum vellent, ſibi à ſubditis redituum eſſe. Non Eccleſiarum ſe Dominos iactare; nec vnquam ſuo ſanguini iniquos fuiſſe. Neminem adhuc Mantuæ & in Monſerrato omnibus fortunis exutum à Principe ſpectari, quamquàm annorum numerus, & dites prouinciæ, parata peccantibus ſeſe ſemper obtulerint. Eam nonnunquam mentiendi libidinem eblandiri, vt ne certiſſima quidem ſciantur. Si quis enim Mantuani Ducis natalem requirat, ſupra viceſimum ſextum annum deprehendet; adeo minorem non eſſe. Et ignoratione facti, & iuris inſcitia Scriptorem laborare. Cur enim Eccleſiaſticus atque adeò Princeps, infantis neptis tutelâ arceatur? quem iudicium eius qui ne fallatur multò ante Cardinalem decreuerit; ſimul leges patriæ poteſtati ſubtraxerint. Apud Mantuanum eam allodialium, ac ſupellectilis nobiliſſimæ vim eſſe, quæ maieſtati domus reſpondet; ſed horum quædam diſſoluendo æri alieno, alia retinendæ dignitati; nonnulla teſtamento Vincentij Ducis legata. Nec enim feudalia apud Mantuanos diſtrahi leges Imperij permittere. Proinde priora cum ſummam non conſtituere, quam procacitas Scriptoris comminiſcitur, & Mantuanus ipſe adeſſe vellet. Nullam tutelæ Patrui ſuſpicionem ſubeſſe. Iam enim matre ſuperſtite, nil in Patruum hæreditate deuolui poſſe; quod libelli auctor craſsâ ignorantiâ iurium non peruidit. Porrò vix credi poſſe, eam Sabaudio mentem, eam corruptelam animi eſſe, vt magnum & longæ hoſpitalitatis diſpendium, quo ferè trecenta aureorum millia, honori & commodo filiorum ipſius inſumpta ſunt, omiſſum à Mantuano in Viduæ filiæ gratiam Domini nomen, conceſſam auctoritatem, etiam poſtquàm vteri vanitas patuit, prauè interpretetur, niſi ingratitudinis, cuius exempla vix ſuppetant, accuſari velit. Non Mantuano, ſed nec vlli mortalium, licuiſſe certioribus indicijs obſequium teſtari. Quin Neptis infantis, & Monſerrati adminiſtrationem permiſſa, eâ vi ac ſpecie, quæ teſtandæ comitati ſatis eſſet, inſidijs aditum non aperiret. Exitum certè, & quæ ſecuta ſunt, curam prudentiamq; approbauiſſe. Apud Mantuanum nil ſanctius eſſe fide datâ: ſed quod loco ac tempore definiuerit totum animum non promiſiſſe. Debuiſſe cum negotiatio vigebat; cùm res erat in integro Sabaudium conſtantiæ Mantuani periculum facere: non quòd ante abductam filiam certâ lege obtuliſſet, abſente illa denuò requirere. Nimis detectas fraudes & ſtudium rapiendæ Neptis filiæ fuiſſe, quàm vt neſcirentur, aut huic ſe periculo Mantuanus exponeret. Ex Sabaudij & filiæ Viduæ dignitate non creditum; ſi ſemel ducta Mediolanum, Mutinam velut mutato conſilio deduceretur: & conſenſu magnorum Principum obſeruatû, parum id exiſtimationi conferre potuiſſe; ſiue ſuſcepta coniugij tractatio abſoluta foret, ſiue vanuiſſet: nempe offerri, admique, orare &

orari videbatur. Cęterùm quanquā vetus promiſſio concedendę neptis tempore abiiſſet, permiſſurum nihilominus nepri Mantuanum fuiſſe, niſi artium Sabaudij inſidiarumq; admonitus, eo prætextu illum vti turbādo Monſerraro velle didiciſſet. Decrerū Cęſaris impudenter ſurreptitium dici; quod priuatæ Imperatoris literę, & poſt audita Sabaudij iura Caſtilionæo Principi commiſiſſet. Certè minus virium Mantuano eſſe quàm Sabaudio ad corrumpendum Iudicem; neque Imperatorem eſſe facilem hauriendis vanitatibus. Irrideri auctorem poſſe, quod in Sabaudij fauorem conclamatum referat. An quòd Europę Principes reddi ea quæ occupauerit conſulant, iubeantque: id demum eſt ſecundùm Sabaudium ſtatuiſſe? Diocæſarienſem Epiſcopum imprudentem non dici à Mantuano; eam tamen notam incurſurum fuiſſe, ſi inuito Domino mandata exceſſiſſet. Quæ tamen ab illo oblata dicuntur, illum abnuere, & conſtanter nil promiſiſſe profiteri. Cæterùm vt fruſtra Sabaudius fidei defectum in Mantuano accuſet, ita non excuſari illum, quòd inſidioſa Monſerrato arma intulerit. Habito domi Oratore Mantuano, & expectate reſponſum iuſſo, noctu per fraudem Trinum aggredi; & eandem vim plura ſimul in loca transferre, meram perfidiam, nemine negante, eſſe: Cæſareā verò ante alios miſſo Commiſſario, ac conteſtata Cæſarea præſcriptione, cauſæ iniquitatem agnouiſſe. Imparatum Mantuanum circumuentum bene dici; quòd acceptis à Sabaudio literis, amicitiæ fidere iuſſus fuit, cum inſidiis peteretur. Monſerratum in ea Italiæ parte ſitum eſſe, vbi nemini Dominorum, præter Sabaudium alius hoſtis occurrat. Federici decretum hoſtes ante alia iugulare; niſi quis aliena propriis cogitationibus adaptet. Gonzagum demum per Monferratum non alias copias, quàm quas ære proprio ſuſtentare poteſt aluiſſe; nec cogitaſſe vt inopia ac fame marceſcentibus alienæ rei peculatus opem ferret. Quanto citius credi par eſſe, ideo à Sabaudio Monferrati populationem meditatam, ne regio Pedemontana illicitis & intollerabilibus exactionibus hauſta, vaſtaretur, miles ſqualore exanimis alieno expleretur. Satis manifeſtam proteruiam eſſe, magni Cæſaris ſententiam iniuſtitiæ accuſare, & rerum potientem Imperatorem contemnere. Victoriam haud dubiè antequam euenerit ſibi ſpecioſam fingere; non enim flagitij & ruptæ fidei pretia apud illum fore, qui manifeſta iniuria alienum raptaret: ſed redituta omnia ad veteres Dominos. Prouinciarum reditus æſtimatione incolarum minores iuſto eſſe; ſed & Mantuanum ſubditorum amorem potius quàm quæſtum mallet; & quale quantumque ſit quod recipit, cum dominatione apud ſe ac ſuos æternum furturum. Nouo tamen iuris ordine Sabaudium vſum: & cum ſententiæ ſecundum capita ſua diffideret, ab executione orſum. Cauiſſe cauſæ Mantuanos Duces pro modo decreti Cæſarei: ſed quia duraturam ſibi poſſeſſionem ſciebant, etiam cautionem ſuperfluam vitauiſſe. Habere etiam Mantuanum Ducatum, quod ducenta millia ſubditorum numeret, trecenta Aureorum millia, leuioribus quàm vicina oneribus, ſuo Domino in quemlibet annum pendentem. Militarem licentiam, quæ feritate & laſciuia exercetur, non niſi precarium exercitum, Ducemque conſcium reperiri. Montilij ſacerdotem præſentis Dei cultum abripi nolentem, & Albæ Epiſcopi caſum clare teſtari, quàm barbara immanitate ſæuierit. Vnum alterumvè ſeditionis reos publicè in exercitu Sabaudio punitos, ſed titulum cum mendacio fuiſſe. Accuſata quippe feritas ac ſacrilegium, quæ ſeditio fuiſſet. Poſtremò Mantuanum appellare Pontificem, Cæſarem, Reges, Principeſque; & implorante Sabaudio æquitatem pietatémque, ipſum iuſtitiam orare. Vniuerſos quippe pro Mantuano ſentire, & reſtitutionem amiſſorum breui expectare. Valuiſſe cauſā, nec eas ſibi aut ſuis vires animóſque fuiſſe, vt poſſet alienas prouincias occupare. Dediſſe qui tenebat Imperatorem cauſā diu examinatā: nec vnquam Monferratum Sabaudij fore, quoad poten

ad potentioribus, & directi dominij arbitris iuſtitia placuerit.

His Mantuanus Sabaudij patientiam irritaſſe ferebatur: & cùm abſtinere aut prohibere, ne ſcriptum vulgaretur (quod prudentiores conſuluerant) poſſet, pluribus exemplaribus clam miſſis, Romam, Venetias, Pariſios, Viennam, offendiſſe. Equidem cum id vulgatum eſt præceſſiſſe pleraque expeditionum neſcius non ſum; ſed quia Manifeſto Sabaudij componendum Mantuani erat, temporum ordine neglecto miſcuimus poſteriora prioribus. Sic valituram rerum memoriam, & facilius diſceptationum iudicium futurum credidimus; ſi tempore licet diſſita iungeremus, quæ ſeorſim tradita periiſſent. Nil frequentius interim apud Cæſarem, Regéſque, quàm preces ac querelæ Mantuani audiebantur: per fora, templa, officinas cœtuſq; populorum ſcripta legebantur, conferebantúrque; vltrò citroq; Curſores properabant, & Mantuæ conſultis diſceptationibuſq; Curia fatiſcebat, peruicaci Conſiliariorum æmulatione, quis auguſtius Sabaudio reſponderet, quis acrius carperet arguerétque. Eâ causâ magnus ſcripturarum numerus vulgatus, inter nobiles, plebeios, ac Monaſtici inſtituti viros, epiſtolarum, libellorum, diſcurſuum nomine; licet vniuerſa typo non prodierint: quòd inter copiam ac ſatietatem, delectus ab iis tantùm haberetur, qui ſua præferebant.

Sed Sabaudius tædio Doctoralis altercationis laſſatus, & ſui iuris ſatis certus, armis tantùm inſiſtebat; totiq; Monferrato (niſi vis maior obſtitiſſet) propediem adſpirabat. Et quia Inoyoſæ præuaricationem ſuboluerat, parumq; in Hiſpanis (præter ſpem ſuam) fidei ſuſpicabatur; magnis ſe exercitibus ambibat, tamquam trepidante & cedente iam Mantuano, aduerſus Regias copias bellaturus. In Comitem Guidonem Sangeorgium; ſiue iure, ſiue iniuriâ excuſabilem vis querelæ omnis erat; quam nonnulli miniſtrorum quaſi Domino eblandituri, datis ad amicos per Italiam literis, intendebant; Rebellem, Perduellem, Seditioſum, Ingratum, Parricidam appellantes; & quæſitiſſimis nominibus infamiam appingentes. Itaque certior ab amicis redditus quibus conuicijs Mantuæ laceraretur, ne culpam ſilentio, ignauiam conniuentiâ fateretur, publico Manifeſto excuſationes conſilij ſui, literis ad Principem virum datis proſecutus eſt. Sed ille cum Mantuani reuerentiâ, aut publici iudicij metu diutius apud ſe ſcripturam cunctari voluiſſet, an publico crederet ambiguus, alius intempeſtiuè ſedulus, iniuriâ Sangeorgij tumens, nec argumenti peritus, nec habito imperio quoddam formauit, eiuſdem Sangeorgij nomine, minoris haud dubiè dignitatis. Hoc veram Sangeorgij ſcripturam anteuertit, nec errore deprehenſo potuit reuocari, vt germano ſcripto locum faceret. Certè nos ſolicitudini Lectorum ſatisfacturi, vtrumque latinè reddidimus. Et quidem quod typo exijt ſic habebat.

Mantuani miniſtri datis ad exteros literis Sãgeorgium informant.

Sereniſſimi Cardinalis Mantuæ Ducis Manifeſtum, verbis exquiſitæ aſperitatis compoſitum, animum ſuum altè fauciaſſe: quod Principibus (apud quos auctoritas ac vis iuſti ſpeciem habeant) vix liceat reſpondere; curaturum tamen quantum diuinâ ope valuiſſet, vt eo ſe onere leuaret; quo preſſum Dux Mantuanus velit: vtq; ſimul peruincat non honeſtati ſolùm cauſæ, ſed & ſuo Principi deſeruire ſemper in animo fuiſſe; vindictæq; deſiderium procul ſemper habuiſſe. Eius rei cunctos teſtes aduocare, quibus certum ſit, magno rerum ſuarum detrimento, & iacturâ Principum virorum amicitiæ, ſe non Vicentio ſolùm, ſed & Franciſco patri ac fratri regnantis Ducis Mantuani, inſigni miniſterio deſeruiuiſſe. Inter cætera tractaſſe abſoluiſſeq; Margaritæ Sabaudiæ coniugium, quę omnia tamen aduersâ fortunâ ſuâ ceciderint. Tacere alia; quod ij quibus cum laborauerit, vitâ exierint. Continuaſſe quippe vno velut filo obſequium, licet indigniſſima tolerauerit, & pro gratiâ odium retulerit. Sangeorgios aduenas Monferrati eſſe: mox potentiſſimos prouincialium euaſiſſe; taleſq; à Cæſaribus ac Marchionibus connubiorum teſtimonio probatos. Hinc charitatem mutuam, &

Manifeſtum Sangeorgij nomine Typo vulgatum.

Digitized by Google

ſpontaneam in eas ſedes rerum migrationem fuiſſe. Auum ſuum Monferrati præſidem,poſt Palæologorum exitum,prouinciam in Cæſaris fide retinuiſſe.Nec minus impoſitum dominationi Federicum Mantuæ Ducem, cum in poſſeſſionem veniret; non matris, non coniugis præſagis malorum lachrymis retentum, cum nobilium magno comitatu primùm excepiſſe. Morte demum præuentum, magno dolore ſuo; quod plura fidei teſtimonia præbere non potuerit. Hunc quinque liberos reliquiſſe Violantis Roëræ matris tutelæ commiſſos: quos illa bonis artibus Papiæ inſtrui curauerit. Maiorem natu parentem ſuum,Patriç atq; adeo Principis ſui amore illectum,miniſterio Gulielmi aſſueuiſſe; nec (titubante licet Aulâ) fidem imminuiſſe. Magnis viri meritis, Commendatorem quanto loco genitum, ab eodem Gulielmo ad Rempublicam vocatum; in nonum vſque annum Vincentio Duci Gulielmi filio fidam operam prçſtitiſſe. Sed malo ſuo fato; & obnitentibus quibus apud Dominum certior gratia erat, inuiſum. Reuerſo ad ſuos Commendatore,ſe quoque infantem abductum,& curç Cardinalis ſancti Clementis relictum. Non ſemel vt in Aulam reduceretur, & demùm arbitrio Ducis nuberet procuratum: licet id niſi manifeſtâ rei familiaris iacturâ poſſet. Amorem Patriç tamen, & infœlicis ſuorum ſeruitutis memoriam, apud puerum prçualuiſſe. Expletâ pueritiâ Clementis VIII. fauore, in belli ſtudia animum conuertiſſe; quibus eo honori prouectum, vt Campi Magiſter renunciaretur.Tria ſibi apud Belgium expleta ſtipendia; & (quod ſpecioſiſſimum quçſiuiſſet) ſedulò gloriam nactum.Cardinalem parruum (qui Pontificio interregno proximus ferè ſucceſſioni deſtinatus eſt) Clementis fauore præter purpuram id aſſecutum; vt fateri ſibi ſtimulos addidiſſe, vt illum albo Cardinalium adderet. Nec enim triginta annos ſedis Apoſtolicç beneficio inſumptos negligi potuiſſe. Illum tamen iiſdem difficultatibus habitâ dignitate vſum; eoq; ſemper credidiſſe, magnificentius ſibi eſſe, ſi ſummo honore dignus apud bonos crederetur, quam ſi obtinuiſſet. Odij apud Vincentium Ducem cauſam turbatos ab accolis Ferrarienſibus fines fuiſſe, credentem iactam à Cardinali patruo ſuo materiam odiorum. Illum tamen Ferrariam delatum properatâ compoſitione turbarum, & literis Romam ad Pontificem ſacrumq; Cardinalium Collegium miſſis docuiſſe,malis miniſtris vſum Vincentium; quod olim boni viri, nec meriti, fortunç cluctatus foret. Eo amico ſubſidio deſtitutum ſe,quot aduerſis, quantis acerbitatibus exercitus ſit, ſcire omnes; quibus vel ex nomine notus eſſet. Cæterùm Sabaudij Ducis munificentia,in Guidonem parentem ſuum,& ſe eodem nomine continuatas allectum,vt Celſitudinis illius obſequium æternùm retineret. Liberum proinde iudicium cunctis permittere, ſi ſtipendio deuinctus, ſi ſtabuli Principum filiorum Magiſter; ſi peditatui totius prouinciç præfectus, ſi Ordini Annunciatç inſertus, nullo (quod aiunt) fidelitatis ſacramento, Franciſco & prçſenti Mantuæ Duci obſtrictus, alienoq; miniſterio addictus; denique ſi tot beneficijs auctus; imo ſacramento etiam Sabaudiæ domui illigatus Mantuani Ducis prçtextum prçponere debuerit. Certa aduerſum ſe eſſe magnç domus commoda; contra Mantuanorum Principum deſpectum in Parentem ac ſeſe vſurpatam. Omittere verò Sabaudj iura, nec enim Principum controuerſijs inſerere ſuam fortunam velle. Retinere tamen vim eius,in ſuâ manu non fuiſſe,aut concepta odia mollire; imo ne id quidem ſibi imputari credere. Arma quç contra Mantuanum tulerit bonis artibus & ſummo cum honore tractauiſſe; quamquàm perſpectum ſit pro nauatâ ingenuè operâ, frequentibus ſe inſidijs petitum. Nec id tamen Sereniſſimo Mantuano Duci dedecoris inurere, quem credat æſtimarâ cauſæ iuſtitiâ, commendaturum ſtudia ſua; quod immobili fide,quomodo gratitudo reddatur vniuerſos exemplo præiuerit; eius quoque miniſterio non minori conatu reſponſurus,ſi pares hinc quoque cauſæ perſuaſiſſent: vt multò ante nullis ad-

lis aduerſis firmitudine dimotus, Vincentio eius patri adfuiſſet. Sufficere Mantuano debere, quòd quamquàm fidei ſuſpectus nil tamen officij omiſerit, quò ſaluâ Sabaudij dignitate quies rerum pararetur: ſed conatus ſuos prauâ interpretatione exceptos; & miniſtrorum quoſdam ſuſpiciones apud Dominum nutriuiſſe. Hanc rerum ſummam eſſe; his maximè angi. Denique ſperare laudaturum Mantuanum Ducem, quæcunque nullâ vindictæ cogitatione, ſola obligatione ac gratitudine feciſſet.

Hæ fuerunt manifeſti imagine literæ, quæ Sangeorgij nomine (ipſo tamen neſcio) typo commiſſæ ſunt; cum ille adhuc ea concoqueret, quę ſileri dicive ambigebat; ne prudentia, cuius gloria ferebatur, inconſultè decideret: neq; ideo ſcriptæ putabantur, vt ſecreto priuato officio ſatisfaceret; ſed vt vulgatæ Mantuano primùm, mox omnibus ſuam cauſam probarent. Gnarus haud dubiè credebatur, ſubdito ſemper Domini cauſa vulgum intonare; præſumiq; niſi contra doceatur, ſeruum in ſuum Principem cum flagitio hoſtilia tractare. Neque tamen nos ideo vtriuſque iura decernimus; ſed retractis, in memoriam odiorum cauſis, iudicium omne Lectori permittimus. Primum exemplar Mantuano inter matutina ſacra oblatum eſt, quod à Caſalenſibus populi & Epiſcopalis Curiæ ſcriba miſerat. Hinc nullâ interpoſitâ mora, coacto miniſtrorum ac nobilium globo recitatum. Fremere Mantuanus, & ſpirare ore oculiſq; iras procul videbatur; cuius affectui compoſiti, alij temeritatem, ſuperbiam alij, omnes perfidiam ſeueriſſimis nominibus accuſabant. Nemo mortalium hactenus rigidioribus pluribuſve cenſoribus vapulauit. Finito ſacro totus pænè dies huic negotio inſumptus eſt. Prandij cœnæq; ea ſola materia ſermonum fuit: lis erat & æmulatio quis fœdiſſimè detraheret viro nobili, quis impudentius inſultaret: ſed vt cætera, hæc quoque cura vnum intra diem euanuit; reperto Aulicorum intimo, qui ſcripto ſolidiſſimo, ſauciare eas ſe literas receperat. Tantùm typo non committere iuſſus; eum tranſcribere vnicuique, & quoquouerſum mittere Domini conſilio liceret. Intra octauum diem mille fere exemplaria exſcripta, & Romam, Venetias, Mediolanum, Pariſios, Viennam miſſa ſunt. Id in cauſa fuit, quominus epiſtola Sangeorgij, ad Principem virum in ſuâ cauſâ miſſa, minus aut fauoris repererit; & à paucioribus fuerit requiſita. Nos tamen vt Lectorum ſolicitudini, propriæ curioſitati ſatisfaceremus, vt in noſtras illa manus veniret curauimus; non omninò vulgaria, & ſeruorum viliſſimis obuia ſemper tradituri. Eam ſic latinam fecimus.

Epiſtola Sangeorgij ad Principem virum in causâ ſuâ miſſa.

Illuſtriſſime Domine: Quod amicitiæ intuitu frequenti Procerum conſeſſu, detrahentium mihi fidem eleuare conatus ſis; & amici honori dederis, vt abſentis ratio aliqua haberetur, tibi me plurimum debere certò ſcias; feciſti nempe humanitati & meo amori paria, ne quando ſuſcepti aduerſum te ſtudij pœniteam. Ne tamen nullo prorſus argumento diſceptationem iniiſſe te putent, qui præiudicatam cauſam meam inſectantur, paucis te admonere decreui, vnde facti mei ratio omnis deducitur. Defuncto Franciſco Duce Mantuano, cum me Vincentij parentis illius placito Sabaudij miniſterio operatum fortuna deprehendiſſet; & militiæ deſtinatus pedeſtres omnes Sabaudij copias imperio cōtinerem, prius me in Monferratum arma intuliſſe contigit, quàm id an integrâ dignitate meâ agere poſſem examinaſſem. Nec diu tamen ea me ambiguitas attinuit; ſed reuocatis in iudiciū cauſis, bono me iure pro Sabaudio militare cognoui. Vix enim exceſſerat Franciſcus; & iam non Taurinenſes ſolùm, ſed & Mediolanenſes Senatores fatebantur, Monferratum nepti Sabaudij hæreditario iure obtigiſſe; quâ Mantuanus tutelæ nomine, inuitâ licet matre ſibi adiudicauerat. Teſtes opinioni meæ literæ ſunt, quas in caſtris ad Trinum Vulpiani Marchioni miſi: ijs enim repeti à Sabaudio, non propria ſolùm, ſed & neptis iura profeſſus ſum. Pro Dominâ itaque meâ & Monferrati hærede arma tractaui; donec exactior rerum æſtimatio vniuerſos

docuit,ſuperſtite maſcula prole,fœminas eo ſemper dominio excludi. Porrò cum tamquàm in rebellem & parricidam Quæſtores Mantuani,dignitatem,incolumitatem, reſq; meas perditum irent, quæ ſemel credito iure arma ſumpſeram, in meam tutelam,& comminata capiti meo diſcrimina, retinere ſum coactus, id ne gratis à me dici putes,procerum Hiſpanorum teſtimonio apertũ faciam, quarum id fide accepi;plus Mantuanos exitium & ignominiam meam,quam prouinciam ſpectaſſe. Quæſitos in meam cædem percuſſores; repertoſq; qui prauo deſiderio ſuum periculum accommodarent,meque ſupremi Numinis protectione euaſiſſe ſciunt,quos aut falli aut fallere,maieſtas eſt credere. Ijs anguſtijs ambito mihi,& tot inſidiantium dolo oſtentato, vna in armis ſpes ſaluris fuit; ſi vim arcuiſſem, & exercitibus ambitus, flagitioſos formidine confudiſſem. Pleraque initio modico iure inchoata, ſuccedentibus nouis cauſis, firmiſſimo niti, maximè ſi prior quoque motus honeſtiſſimas cauſas contineat; & non impetu,ſed conſenſu probantium laudetur. Quantò magis ſi principio vniuerſa reſpondeant. Pro meâ itaque Principe,aduerſus eum quem intruſum doctorum virorum ſententia acceperam, bellaui; mox propulſare capitis diſcrimen,& aduerſus detractores tueri famam meam,neceſſitas impulit;cum nullus excuſationi locus;nulla incolumitatis meæ ſecuritas, niſi armato supereſſet. Poteram fateor conniuentia & tergiuerſatione,Sabaudiæ fortunæ progreſſum imminuere: ſed præſtitum domui illius,volente Mantuano ſacramentum,iuratum miniſterium, decus militiæ, ingentia Sabaudij aduerſum me beneficia, ſtrenui ductoris honorem me contaminare non patiebantur. Quod tamen ſummum pietatis,ac recti animi argumentum (quamquam læſus & inſidijs petitus) indignato Principi exhiberi poteſt, obtuli, ſatisfacturum hauddubiè criminibus,ſi poſito ad tempus odio, meam operam ſuis pretijs iudicare voluiſſet. Nam & apud Inoyoſam pro concordia vtriuſq; Ducis acriter egi;& quoties ſeſe occaſio obtulit,aut pacis recordatio,non aliud conſilio proſecutus ſum:quamquam ob mutuas offenſas tumentibus eorum animis,& aduerſę fortunæ peruicacia,ſtudium meum in ventos abierit. Cæterum quamuis iniuriæ Principum ſubditos in perduellionem trahere non debeant;nec mihi omninò inſediſſet vnquam aduerſusPrincipem meum eâ fuiſſe arma tractata;negare tamen nequeo,certo iuri meo & honeſtiſſimis cauſis, rebellandi acres ſtimulos neglectũ iniuriaſq; à Mantuanis Ducibus acceptas conſtantiæ meæ addere potuiſſe;ſi pronior in vindictam, connatam mihi reuerentiam potentiorum ſeponere libuiſſet. Eæ verò grauiores fuêre,quò plura aduerſus Parentem meum beneficia contuliſſe,Gulielmus Dux Mantuani auus dicitur. Nec enim gratuito honores,munera, dignitates,à Principibus;ſed pietatis,fidei,fortitudinis,recti animi præmia ſciuntur. Quamquàm beneficium meritũ,iniuriæ in Commẽdatorem Patruum meum irrogatæ corruperint, aulæ Mantuanæ ſimultatibus exerceri permiſſum, & curis rerum turpiter abactum; cui quâ hominem mortalem licet fide ſtuduiſſe illum, Princeps in primis,mox illi ipſi quorum æmulatu gratia exciderat,ſerò licet faſſi ſunt. Quid verò immanius, & ad detrudendum quemcunq; caritate ſui Domini validius cogitari poteſt;quàm ſi ſpecie honoris,me cum Belgio reuertiſſem familiarib. epulis exceptum veneficio petiiſſet? ſi pro deſpecto,& tãquam mediaſtino habuiſſet? ſi nullo fauore,nullo honore à vulgo ſeiunxiſſet? Tolerare iſta ſanguis meus,tot ſæcula apud Monferratenſes primo loco numeratus,nec non cõſanguinitate Marchionum Monferratenſium ſupra cæteros elatus,poterat? debuerátne innocens & reliquis probatus ſponte in ſui neglectum cõſentire? Præſtitere (non abnuo) maiores mei fidelitatis ſacramentum Marchionibus Monferrati,ſed ſpontaneum illud & liberum obſequium fuit,nõ origine,non iure debitum. Quò maior rerum mearum ratio ab hæredibus Palæologorum habenda fuerat; & maiori cum dignitate Principes viri tractandi ſunt,quorum non requiſitum obſequium,

nec

Digitized by Google

nec vllo iure expreſſa ſeruitus eſt. Quid porro inhumanius, quàm Cardinalem patruum meum, cui triginta annorum, Sedi Apoſtolicæ inſumptorum miniſterium, meritum famámque circumdederant, pro virili arcere purpurâ; & eo interregno Pontificio, quo multorum Cardinalium oculi in illum obuerſi erant, ne emergeret obniti? Et quidem vt Pontificatus ſupremi Numinis deſtinatione confertur; ſic apud Clementem VIII. plus optimè de Aula Romana meriti dignitas potuit, quàm officia maleuolentium in repulſam. Fixam Mantuanorum animis in Monſerratenſes diffidentiam eſſe: & eos ad ictum inſectationi dari, quibus nobilitas & Patriæ opes, animorum potentiæ imaginem præbuere. Quod ſi fortunarum quoque mearum, memoria in cenſum reuocetur, quanta immanitate ſæuitum, quo neglectu eæ laceratæ ſunt, norunt vniuerſi. Vitæ quidem opúmque ſuorum ſubditorum, Principes dominos eſſe: ſed qua leges, qua mores gentium, qua ius fáſque decreuerint, arbitio ac libidine animi, in famam, vitam, diuitias priuatorum graſſari, vim apertam eſſe, quæ vt nullo iure permiſſa ſit, ſic vi poſſit arceri. Sane licet non Franciſco Mantuani fratri, non ipſi fidelitatis ſacramentum præſtiterim, vt liberius Sabaudio deſeruirem, minoríque vinculo veteribus Dominis illigarer; ſi tamen quæ pro infante Sabaudij Nepti arma tractaui, tamquam pro credita vera Domina laudauerit; ſi iniuriis in me inſidiiſque temperauerit; ſi incolmem me, reſque meas eſſe iuſſerit (quando iam pro comperto habeatur, puellam Monferrati hæredem non cenſeri) & ſeruitio adero, & cum fortunis ac liberis vitam meam, vſui Mantuani Ducis deuouebo. Aduerſus ſicarios ac parricidas, non aliter quàm inter arma, & apertam hoſtilitatem tutum video. Præteritas nihilominus iniurias Principi meo, atque adeo ſcelerum adminiſtris condono; me vel pietas ac natura, vel iuris ignorantia ſerio excuſabunt. Id te pluribus, & ſcire, & communicare volui, ne garrientium loquacitate decepti, exiſtiment, honorem famámque mihi viluiſſe. Vale.

Creditæ à multis hæ poſtremæ literæ plus habere ponderis ac ſoliditatis, nec minus modeſtiæ: non impetu, ſed neceſſaria ſui tutela dictatæ. Sed his Mantuani haud quaquàm reſpondere; geminatum laborem (vt puto) auerſati: & quia præcedens Manifeſtum Auliorum quidam ſcripto ita inſectatus fuerat; vt famoſi libelli imaginem potius quàm honeſtæ ſcripturæ circumferret. Nil contumeliæ, maledicentiæ, detractionis, opprobrij comminiſci in Principem virum poterat; quod putidiſſimo calamo non expreſſiſſet, quæſitiſſima infamiæ nomina, & ex eo gloriam ſectatus, ſi elegantiſſimè terſiſſiméque male diceret. Ea nihilominus ne ij quidem, quibus Sangeorgij cauſa non placuerat, ſatis probarunt. Atrociora nempe dicentes contra virum nobilem vulgata, quam honeſtati deceret; nec Mantuani Quæſtorem turpioribus nominibus inſignire odia illius potuiſſe. Eò proceſſiſſe conuicium, vt nullus reconciliationi locus ſuperſit: at male tum potentem belli virum exagitatum, cum vel amicum habere, vel mitiorem hoſtem expediret. Nihilominus Auctor ſcripturæ fateri non deſtitit, Sangeorgium aliena licet vi nixum, letaliter tamen ſauciatum fuiſſe, quod non legi ſolum apud Pedemontanos, quæ in ipſum compoſuerat, diceret, ſed etiam credi: eueniſſe illi, quod cæteris ferè vſu venit, qui quanquam virtuoſi apud indigenas tamen inuiſi ſunt. Perfidiam quoque nobiliores Sabaudiorum auerſatos; ſcireque eam ſibi tota Aula obiici. Imo non duraturam illi potentiam apud prudentem Principem, eandem morum prauitatem aduerſum ſe quoque ſuſpectátem. Certum quippe vniuerſis eſſe, breuem illum Sabaudij fauorem, odio Mantuani conciliatū: ſed non ceſſuros Pontifices ac Reges officio, quoad vtriq; Principes inuicē concilientur; tum Sangeorgiū, inuiſum ambob. deſtitutúmque, vtriuſq; prędam fore. Hæc belli cauſâ. Propriis illum quoq; criminib. vrgebant, ꝙ paucos ante dies vt cauſa aduerſus Maſini Comitē (qui Caluſij Marchionatū ſuppoſito

coniugis teſtamento, aduerſus Sangeorgij ſororem viduam vt ab inteſtato præſumebat) valeſceret, vim intuliſſet; vt trucidato æmulo ſuperior ſoror illius euaderet; & Caſalenſem Medicum, quod teſtimonium mendacio commodare noluiſſet, dehoneſtaſſet vulnere faciei. Id in omnem vitam opprobrioſum, ne iis quidem qui patrauerant, commendatum; tantò minus Sabaudio fuiſſe; cui placere iuſtitiam in ſuis certum eſſet. His conuicijs quorundam miniſtrorum commentario accedebat, credentium meminiſſe Sangeorgium à Sabaudio offenſarum; & inter cætera ſeruaſſe memoriam contemptus; cùm habitâ miſſione, & ad ſuos reuertens, arma deponere coactus fuerat. Proinde cum vtrinque iræ ac ſuſpiciones occurrerent, non diu duraturam concordiam dicebant; imo ſingulorum odia in minorem abitura; cunctorumq; quibus faciem orbis offenderet, pœnas maturè daturum. His quoque abſtineri potuerat, nec expedire videbatur læſum ante, nouis conuicijs (quæ multo ſanguine innocentes expiaturi forent) prouocare. Cum interim libellis ſcriptiſq; præla & calami fatiſcerent; commentationibuſq; otioſorum vniuerſa perſonarent, arma nihilominus vigebant rarò Monferrarenſibus, ſæpius Sabaudijs quæſtuoſa. Et quidem poſtquàm Hiſpani Ponteſturam deducti ſunt, ſecuritatem loco attuliſſe dicebantur. Pars ergò magna prouincialium, quos præſides Monferrati communi in metu, ad tutelam Arcis acciuerant, domum dimiſſi ſunt; ne ciuium inopiam onerarent; & ne municipia flore iuuentutis deſtituta, libidini hoſtium ſedes proprias exponerent.

Cum adhuc centuriæ compoſitæ, militari ordine proficiſcerentur, facinora quædam ſupra vires ac numerum auſæ ſunt. Ducenti enim & quinquaginta Monferratenſes Stroppianam oppidum, inter Caſalenſes & Vercellenſes ſitum; non militari delectu, non ſitu tutum improuiſi inuaſêre. Popularium nemo reſiſtere auſus, quod infœlicibus incolumitatem tulit. Vniuerſa tamen ferro igniq; corrupta; & maior opinione præda abacta. Parte aliâ ducenti ferè Monferratenſes Caſtagnolum Aſtenſis ditionis vicum incuſtoditum oppreſsêre. Igni temperatum, ſubſtantia omnis detracta; & quod iumentorum in manus venit abactum. Sacris victores temperauêre; cum tamen ad primam moti belli famam, ſibi ob vicinium metuentes incolæ, pleraque ſupellectilium altaribus ac ſepulchris addiſſent. Feſtinatâ victoriâ opus erat; ne occupatos prædâ fortior Sabaudius interciperet, & cum vita quæſtum extorqueret. His nihil in ſummam profecturis gaudijs, falſus proſperæ rei nuncius incurrit, Palazoli nempe (Monferrati oppidum eſt) peditatum equitatumq; Sabaudium velut in ſecuro agere (occupauerant victores auſo nemine irritam propugnationem) non excubijs, non qui longius curaret diſpoſitis, modicâ manu caſtrum recipi poſſe docens. In eam expeditionem, tamquàm euentu ſecuro, ſexaginta ferè equites, pedites centum viginti ſclopetarij omnes, quos Ioannes Baptiſta Mazettus ductabat profecti ſunt. In certamen ludicrum ire dixiſſes; ea commilitonum ſecuritas, & boni euentus fiducia erat: ſed reperti Sabaudij ſeriò occaſionibus intenti, & vigili curâ aduerſum inſidias muniti. Exploratores per diſſita & opportuna diſpoſuerant, audaciam ſubodorati, & aduentum hoſtilem intrepidi expectantes. Vbi Mazettus in vicino fuit, ſclopetorum Sabaudiorum fulmine didicit, locum certâ ſolicitudine cuſtodiri; eoq; ſuggredi in prælium non auſus. Quia tamen hinc animus, illinc ſecuritas erat, inſenſi vtrique ſeſe plumbeâ glande excêperunt. Is congreſſus paucorum equorum (qui propinquiores ictui ſe obiecerant) iacturâ ſtetit; ſed Monferratenſes auerſo opinioni ſucceſſu, & re infectâ conſternati, ad ſua præcipites redière. Abeuntes irriſu Sabaudij proſecuti ſunt; loco erumpere noluerunt; quòd pauciores eſſent, quàm vt præſidium bellumq; tractarent. Fruſtra apud Sabaudios incuria ſperabatur; quod negligentia grauiter apud ſtrenuos Duces puniretur; & initio belli, opinio virtutis in cætera valitura crederetur.

Monferratenſes aliquid audent. Stroppianã excindunt.

Caſtagnoliũ diripiunt.

Io. Baptiſta Mazettus Palazolum re infectâ tentat.

Monre-

Montemagnum his fermè diebus à Sabaudijs occupatum eſt. Modica manus fuit; ſed opportunitatum callida, & gnara locorum; oppidum ſitu & arce elatâ munitum, durare prò Mantuano diutius poſſe videbatur; ſed iudicium fefellit. Victor captis diuturna alimenta & in belli expenſas certam vim pecuniæ imperauit. Dicebantur in eam expeditionem ducenti pedites, ſexaginta equites proceſſiſſe. Dies aliquot ſummâ lętitiâ egerunt, inter annonæ copiam & ſecuritatem; ſpreto Mantuano vt inualido, nec recepturo. Vbi opulentiora ciuium abſumpsêre (& pauci diuites intus erant) iuſſamq; contributionem exegêre, relictis paucu- lis velut victoriæ teſtibus, cęteri ad alia euocati ſunt. Repeti à Mantuano operæ pretium nemo crediderat; nec poſtquam Sabaudij fortunas domeſticas auerterunt, retinere. Alphonſus tamen Guerrerius, quem vniuerſi equitatus Pręfectum Mantuanus dixerat; cum torpere cęteros, & calamitatum prouinciæ ſpectatores agere videret, ne communi dedecore notaretur, Montemagnum cum parte ſuorum, & paucis peditibus profectus; vſurpatâ celeritate ac ſecreto; ne cuius perfidia aut relatu pręueniretur. Diſpoſitas tamen ab hoſte excubias fallere non potuit; quę aduentare hoſtiles copias & maiora vero retulerunt. Neque tamen Sabaudij; ſiue veterem Monferratenſium erga pleraque negligentiam, ſiue ambiguam prouincialium fidem metuerent, fugam ante cogitarunt, quàm exploratores docuiſſent, impares ſe numero ac viribus aduentantibus eſſe. Paruêre igitur neceſſitati, & dilapſi in ſubiectas valles, certioraq; diuerticula ſeſe dimiſerunt. Guerrerius paucitate hoſtium fugam crediderat, eoq; diuiſos ſuos biuio itineris ſuggredi iuſſit, vt interciperet abeuntes. Tres ferè è fugâ retracti, & in cuſtodiam Caſalenſem miſſi ſunt. Vepres ac foſſæ inter inacceſſas conualles quoſdam texêre, qui ſecreto noctis vſi, & viarum peritia, in ſua redierunt. Nec enim nocturnas inſidias fore nouerant; vix ſufficiente Mantuano paucis oppidis totâ prouinciâ retinendis. Abeuntes etiam quædam armenta ſummâ fiduciâ ante ſe agere auſi ſunt; & frequentibus ſclopetorum ictibus obſeruatores terrêre; ne recuperandæ prædæ deſiderio, aut Guerrerij audacia inuecti in vindictam accingerentur. Sic in Mantuanum geminatis iniurijs, & nullâ ſuorum opportunâ vindictâ gliſcebat hoſtium conſtantia, Monferratenſiumq; formido. Qui Caſalenſi cuſtodia attinebantur, parum abfuit, quin prauo conſilio, & impetu Rubei, more latronum perderentur. Sors Mantuani ferociam miniſtrorum attinuit; ne pernicioſo prouincialibus exemplo, ipſi ſibi irreparabile exitium ſtruerent. Sed ille trepidatione & irâ, continuis apud Reges querelis inſiſtebat. Suſpectum dicebat Inoyoſam, & conniuentiæ in profectus Sabaudios, non vno documento conuictum, certitudinem præuaricationis addidiſſe; in ſuam perniciem Sabaudio conueniſſe; cunctatione ac morâ, non Regiæ ſolùm exiſtimationis decus corrupiſſe; ſed alere turbas, & cauſas bellorum; Sabaudium verò vi vti, contempto Cæſare & Hiſpano. Eadem apud omnes lamentatus acrius cum ijs expoſtulabat, quibus Hiſpana magnitudo inuiſa aut ſuſpecta erat. Compoſuiſſe res ſuas videbatur, quoties literis & curſoribus itinera miniſtroſq; fatigabat.

Alphonſus Guerrerius equitatus Præfectus Montemagnum recipit.

Priores Veneti, qui Italorum Principum prætextus ſeriò norunt, & patria arma vitare, queſtus Ducis exceperunt admiſerúntque. Nam miſſis primùm literis, ob memoriam bonæ cum Vincentio ac Franciſco Ducibus amicitiæ, Mantuanum nouum dominum, optimè de Republica ſperare iuſſerunt: ſimul pecuniam aliquot hominum millibus deſcribendis in bellum promiſerunt. Senatu tamen in ipſo diuerſa conſulentium ſtudia deprehenſa. Quidam enim Auſtriacum ſanguinem, permiſſam ſemper Hiſpanis Reipublicæ ſuſpectis tutelam, & literas ſecreti fœderis argumenta accuſabant: quas Mantuanus ab Vrbe in Hiſpanias deſignato ac ambitioſo Curſore miſerat. Quorſum enim attinere dicebant Auſtriacæ domus eam partem fouendam ſumere, quæ

Veneti videntur Mantuani cauſam complecti.

ſuo potita, vbi ſe occaſio oſtendiſſet, in Senatus per quem profeciſſet perniciem, quantamcumque potentiam verteret? Imbibiſſe Mantuanos Duces Germanum animum, Veneto nomini inimicum: & ne iuratæ caritatis argumenta aliunde petantur, cum ſanguine etiam inſignia gentis accepiſſe, & præferre. Minori prudentiâ, quàm qui occultè amici, niſi in tempore profeſſione abſtinere. Inſtabilem nunc iuuenem, non vſu regnandi ſolidatum, non proſperis & aduerſis eruditum ſpectari, prout ſe occaſio & priuata commoda oſtendiſſent fidem quam ſpondeat mutaturum. Nemini ignotum ortu ipſo & pueritia Auſtriacum fuiſſe; conſanguinitatis intuitu ampliſſimos Canonicatus (vt ſibi ad Epiſcopatus illius gentis aperiretur) recepiſſe. Mox ſecutis Amitæ cum Gallo Rege nuptiis, ſtatim diuerſa ſecutum, vt hinc penſionibus & Eccleſiaſticis reditibus ditaretur. Vbi ad Principatum euectus ſit, amitæ Reginæ, conſobrini Regis, tot beneficiorum immemorem, quæque ſpecioſiſſima neceſſitudinis titulo acceperat negligentem, Hiſpani Regis mancipium induiſſe. Educationem nempe, & pueritiæ recordationem, quam apud Germanos egiſſet, fortunam quæ ſecuta ſit, obliuioni mandaſſe. Genti quoque Gonzagorum ſecreta & altè fixa in Venetos odia obſeruari. Fruſtra ſecuritatem fidei in iis credi, qui voce ac ſcripto perpetuò ſe læſos profeſſi ſint. Aſolam, Lonatum, & fortè cum Peſcheria Dezantanum, quæque vetuſtate computruerint iura circumferre. Neque dubium, ſi quando ſors eblandita foret, amiſſorum oppidorum deſiderio hoſtes futuros. Deteriora etiam occurrere: vt nempe Senatus Marchionem Franciſcum Mantuani Auum ſuſpitionibus agitaſſet: vtque ad pœnam prætextu perfidiæ poſtulaſſet. Vincentium quidem Mantuani patrem, qualicumque comitate, & ruſticatione Madetnenſis ſeceſſus, veteres prætextus & indignationis cauſas exuiſſe viſum: ſed Reipublicæ perniciem in eo ſitam; ſi quas vicini Principes iniurias ſe accepiſſe credunt, abolitas putent, & ſpeciem apud ſingulos indubitatam fidem exiſtiment. Contra alij antiqua Marchionis Franciſci merita, longam Mantuæ Dominorum familiaritatem, Gulielmi cum Venetis amicitias, Vincentij certum obſequium præſcribunt: ſuadebantque retinendis in officio aliis, & alliciendis deliberationibus, in Mantuanum oppreſſum pietatem paternam vſurpari. Etiam tutelam cuiuſcunquè in calamitate ſiti, ſine gloria non eſſe; vt diſcant Itali, exteríque, non amicitiæ, non fœderum apud Venetos, quàm iuſti æquique curam eſſe. Si Auſtriaci Veneto nomini iniqui forent, ſuperatos officio hoſtes; ſi amicè egiſſent, iam gratiam præoccupari. Inſiſtendum denique vetuſtiſſimis prudentiſſimæ Reipublicæ inſtitutis, quæ Gonzagos non ſolùm, ſed Piſanos, Vrbinates, Eſtenſes, Sfortios, vbi meruere tutata, plus exiſtimationis nacta ſit, quàm ſi fines, longè latéque protuliſſet. Periculoſam Italiæ Sabaudiam potentiam, vim illam animi formidandam; non quod hoſtis habendus ſit; ſed quòd totam armis Europam, & ſuis & vicinorum opibus validus commouere poſſit. Ea ſaltem cauſa frænandum. Accedere iuſtitiæ æſtimationem, quamvis illata videantur approbare.

Hæc igitur ſententia à Patribus recepta, opinantibus melioribus, tutelam ab Hiſpano Rege, Reginæ Mantuani amitæ conſilio ſumptam: nec defuturam Gallis ac Venetis iuuenem, quandocunque mutuam operam Senatus popoſciſſet. Nec enim dono permiſſum aut venundatum à Mantuano Hiſpanis ius Imperij: nec ea lege iuratum obſequium, vt nunquam in poſterum auelleretur, ſi quando minus tutam ſibi gentis fidem expertus foret. Quæ vbi perſpecta Mantuano, rem ſuam nouis argumentis ſolidare non deſtitit, teſtatus vel ſtolidis in aperto eſſe, Sabaudio Inoyoſam in fidei perniciem conſentire; & cum Rex Hiſpanus protectionem, tutelam, auxilium, fauorem (ſpecioſa nomina) ſibi promiſerit, vniuerſa miniſtrum neglexiſſe; & partem iam Monferrati, voluntate ac cuncta-

cunctatione, in hoſtem abire permiſiſſe. Itaque nouas à Senatu literas Mantuanus accepit,plenas paternę caritatis:ea enim pecunię vis oblata,qua duo millia & quingenti pedites alerentur. Dignum magno Senatu auxilium ; quodque toram æternitatem Gonzagam familiam gratitudine vinciret; ſi ipſe tenax propoſiti,inania ſuſpitionum reieciſſet;nec aliquot poſt menſes Hiſpanis querelis ac conſiliis manifeſto contemptu prodegiſſet. *Et offerunt pecuniam alendis 2500. peditibus.*

Mirari ſubit exercitam illam Inoyoſæ patientiam; vtque tot calumniis petitus;tot querelis laceratus, apud ſuos, alienos, voce ac ſcripto non excuſſerit pietatem, & iteratam ſæpius iniuriam grauibus documentis non fuerit executus. Orator quippe Hiſpanus apud Venetos rem ſcire perſcripſerat; & eorum quæ in illius exiſtimationem ingererentur ſtudioſè admonuerat. Ille tamen tanquam aliena res ageretur,vniuerſa tranſmittebat.Sed ferè ſimulatio prudentiam habet, decreueratque Inoyoſa querulum Principem beneficio confundere. Nouerat has acerbitates Princeps Vincentius: & licet cum fratre modeſtiſſimè ageret, continuò tamen per literas orabat, vt expoſtulationibus & conuiciis in Inoyoſam caput rerum,& cui ſpes domus innitatur,modum tandem faceret.Georgium Hiſpanum Ponteſturæ agentem, non aliæ lamentationi intendere; & vulgatum iam apud Centurias eſſe, Hiſpanum beneficium peſſimè locatum. Sed Mantuanus minora eſſe quæ obieciſſet, & veteres quærelas dudum omiſſas referebat: Quinimo licet ſubſidij indignus, vt Inoyoſam ſpecie aliqua fidei detineret, auctore vno miniſtrorum in Hiſpanum corrupto, parum abfuit quin Venetam pecuniam (qua primùm accepta exilierat) ſperneret, & beneficium gratuitum renunciaret: quaſi id grauiter laturus Hiſpanus foret; eóque forſan in Sabaudij tutelam propinaturus. Addebant peiorum metum;ne Veneti multo auro mutui nomine conceſſo partem Mantuani agri in ſolutionem requirerent; ſiue pretij ſiue pignoris nomine,quoad tota ſumma reproduceretur. Et iam eodem miniſtro ſuggeſtore rumor percrebuerat,Oſtiliam Veronenſis agri nobiliſſimum ad Padum municipium deſtinari; quod multos ante annos Mantuanis Marchionibus pacis aut belli iure acceſſiſſet. Sed Veneti conſilij & certæ caritatis retinētes,gratuitum ſubſidium obtulerāt,& (quoad honeſto res definiretur) toto belli tempore duraturum. Auti ſumma fuit in menſes ſingulos quindecim millium, ſed quod peditatui aſſignatum primò fuit, paulo poſt in Equitatum tranſlatum: nec (vt didicimus) ad extremum, tota in belli neceſſitates verſa. Ea tamen erogatione Veneti magnorum ſe Principum arbitros fecerant; ſi Mantuanus in ſuſpitiones temperantior, beneficium ſimplicius foret interpretaturus.

Perſpecti iam Mantuani mores acrius Sabaudium ſtimulauerunt, vt ſubſidium illi oblatum propriam iniuriam crederet: non ſolùm quòd auerſus à conſiliis pacis,totus in bello & vindicta eſſet; ſed quod amicum Senatum, hoſti ſuo pronum non fore crediſſet. Vocatum itaque Oratorem Venetum, graui querela excepit,ſua primùm iura,non vt factum excuſaret, ſed & vt improperaret: mox in Senatum officia ſua profecutus:poſtremò manifeſtæ ſuſpicionis obnoxium Mantuanum, & tempori non amicitiæ ſeruientem teſtatus: ſecreta illum dixit cum Hiſpanis concilia fouere in Venetorum perniciem; & ſi quietè imperaſſet, ſitu Prouinciarum, ac formidine potentiorum, fallacem fidem probaturum. Se non iniuria, non ſuſpitionibus Senatui cognitum: veri proinde animi id ſtatim præmium referre, vt deſtitutus,& veluti publica ſententia cauſæ damnatus, æmulum ſuum ab iis protectum fotúmque videat, qui imagine amicitiæ Taurini apud ſe continuo Legatum habeant. Sanè diuerſa præferentibus haud quaquam conuenire;nec vtrique cum ſuſpecto commercium expedire. Se daturum operam, vt propediem Senatus ſciat, quàm inconſultè Sabaudium Mantuano mutauerit. Equidem nec Hiſpanos nec Gallos ſe hoſtes formidare: quod ſi fortuna vertiſſet,

ab vtroque aduerſus vtrumque ſubſidium expectare. Ad hæc Venetus, futurum quod euenerat ominatus; non odio ſui, non inuidia motos Patres, Mantuani tutelam recepiſſe, ſed pacis & concordiæ Italorum Principum deſiderio. Abſtineri vi inter hos, & ſua vnicuique eſſe cupere; vt rebus integris fortiores, Tranſalpinas opes (ſi irrupiſſent) ſuſtineant; barbaroſq; ad prædam procurrentes arceant. Quę magnifica in Mantuanum contuliſſent, facturam Rempublicam pro Sabaudio, quoties alienis viribus impetitus, opis exteræ eguiſſet. Neque enim pecuniam aut arma prouocandis iniurijs aut ferendo bello impendiſſe; ſed poſtquàm literis ac Legatis concordiam fruſtra quæſiuiſſet, modica manu, ad tempus præualidum retinere cogitaſſe: donec inter decertantes, Regum ac Senatus arbitrio pacis conditiones ſancirentur. Se nihilominus exceſſurum ciuitate, & experimento ſciturum Sabaudium, quantum alienatio Regij Senatus decori illius ac ſecuritate detraheret. Sabaudius pluribus abſtinuit; ſiue propoſiti conſtantiam retineret; ſiue crederet purgatis ſuſpicionibus, Venetum Oratorem tamen abiturum, ne precariò locum retinere putaretur. Ergo factorum dictorumq; ſeriem Venetias perſcripſit; iuſſuſq; à Patribus eſt, feſtinato diſceſſu in Patriam redire. Vbi Mantuanus Venetorum iniurias didicit, ſupra quàm credi poſſet gauiſus eſt; tamquam iam Sabaudij res eſſent; vt eſſet ipſe auctus hoſtium numero Sabaudij ferociam frænaturus. Sed contra Sabaudius nullis comminationibus, nulla oſtentata formidine loco motus, fateri ſibi Venetos hoſtes, & amicitiæ renunciare non metuit, tamquàm cogitationibus ſuis aduerſos. Minori faſtu Veneti amiſſi Sabaudij iacturam tolerarunt: ſiue vt dignitatis rationem haberent, ſiue damno amicitiæ indoleſceret: quem vt falſa opinione odiorum exterritum, ſic ſtrenuum potentemq; in amicitia ſciebant.

Orator Venetus Taurino diſcedit.

Carol. Dux Niuernenſis venit in Monferratum.

His ferè diebus Carolum Gonzagum Niuernenſium Ducem modico comitatu fortuna Genuam detulerat. Romam cogitaſſe ferebatur, vt cœptas Principis Sfortiæ cum vxoris ſuæ ſorore nuptias expediret. Medio in itinere illum grauis inchoati belli nuncius deprehendit. Et quamquàm magnam partem Monferrati à Sabaudio occupatam didiciſſet; maioribus tamen viribus ad reliqua accingi, & Caſalenſi quoque Arci minitari audiebat. Rem ſuam agi Niuernienſis nouerat; vt qui, Mantuano Duce cum fratre Vincentio abſque prole maſcula ac legitima ſublatis, in ſe reuolui prouinciam iure ſanguinis ſciret. Omiſſo igitur ad præſens Mantuano itinere ac Romano, citis equis vectus in Monferratum venit, non Ducis potius quam gregarij miniſteria obiturus, prout ſeſe occaſio dediſſet. Multum ſubſidij in magno nomine ſitum; &, ſi Mantuano opus externo milite foret, contracturus Gallica auxilia, in exercitus formam ſperabatur. Exceptus Princeps magna nobilium ac plebis lætitia; quòd inceſſu, aſpectu, ſermone ac rei bellicę peritia, magni Principis & egregij Ducis vim ſpeciemq; attuliſſet. Illum quidem nobiles ac primates tamquàm fortiſſimum ductorem, publicâ expectatione deſiderauerant: Nec deerat ipſe hortari pauidos, fortes ad conſtantiam, vniuerſos ad fidem; vitamq; ac facultates ſuas (quæ parum Mantuani opibus aberant) offerre. Ante alia feſtinatum Ducis aduentum promittebat, cui deſeruire ſe, & cæteros adeſſe profitebatur. Opportunitate etiam obſequij vſus, nobiles plures in manipulos deſcripſit; quibuſcum certiora periculorum aggrederetur; pediteſq; haſtatos in numerum & diſciplinam allegit; vt delato in Monferratum nepoti eam primùm militiam offerret. Non alio certiori præſidio afflictæ res reſtitui, aut ſpes aliqua futuri concipi poterat: erecti quippe quos Sabaudij profectus terruerat, ambigui firmati, etiam pauentibus aliquid animorum inſtillatum; vt iam ſupra numerum ac vires eo Duce auderent, & diſcrimina poſcerent. Ipſe ſingulari temperamento, licet conſilijs omnibus copiam faceret: quæ tamen recipi videbat tamquam Ducibus pareret exequebatur; non rarò imperia requirens; oranſq; ne cuius

cuius diſcriminis metu ſecurioribus reſeruaretur. Vtri forma agendorum præſcripta eſt, quam inopia pecuniæ & fractæ vires tolerabant, accelerato nuncio Galliæ Reginam ſuis ac Mantuani literis certiorem reddidit, quo in ſtatu Monferratum, quibus opibus (vt ſeruaretur) egeret. Iam aliquot oppida non obſiſtente ſed nec ſuſpectante Mantuano, & Hiſpano qui ſubſidium ſpopondiſſet à longè proſpectante, Sabaudium feſtinatione occupaſſe. Imminere nouis conatibus; & niſi Nepoti ſuccurreret res exitium ſpectare. Vix paci ne dum bello paratum Ducem, nouum Dominum, non adhuc Principatus exordia delibaſſe. Ex Hiſpanis miniſtris quid ſperandum ſit neſcire; quâ fide, quo animo cauſam infirmioris complectantur ambigere; & circumferri ſuſpiciones aut negligentiæ aut conniuentiæ. Neque enim ijs non opinantibus ereptum Moncaluium; ſed longâ quindecim dierum obſidione, & vniuerſis belli machinis tentatum; cùm interim Mantuani internuncius Mediolani, querelas, preces, comminationem Regiæ indignationis miſceret. Itaque magnâ celeritate opus eſſe, ſi Nepotis ſui res integras, magnâ regni exiſtimatione vellet. In eandem ſententiam ad pleroſque regni proceres datæ literæ, & ante alios Villaroi præcipuo ad conſilia, quibus ſortem Mantuani lamentabatur, hortabaturq; vt Regina, magno animo rerum Italiæ arbitrium ſuſtentatis Monferrati viribus capeſceret. Minoris quoque ordinis Nobiles ciebat; quos iure obſequij, & amicitiâ ſibi deuinctos nouerat; & quorum operâ è Gallijs validas militum centurias deducere ſe poſſe ſperabat. Eorum temporum euentus æſtimanti manifeſtum erit, fato quodam Mantuanum in exitium deuolutum, & aduerſus illius commoda amicos hoſteſq; coniuraſſe. Cum enim Dux Niuernienſis diligentia Mantuanorum gratitudinem prouocatura videretur, contrà interpretationem inuenit. Auſiq; nonnulli quod pietas & virtus fuerat, ambitionem appellare: quaſi pulſo ſedibus Mantuano Duce nepote, ipſe Gallicâ vi occupaturus dominationem aduenisset. Sed & illud præcipuè accuſabant, quod non prouinciæ impoſitus, Nobilium manipulos coëgiſſet; & populares nullo in hoſtem ducendi iure, aduocaſſet: licet Vincentius Mantuani frater rerum curæ à Duce impoſitus, eo ſubſidio non egeret. Patuit nihilominus commentationis vanitas, qui Niuernienſis caſu in eas neceſſitates incidiſſet, caritate domus, & familiæ ſolicitudine exceptâ in prouinciam delatus. Litteræ quoque ab eo ad Reginam Galliæ, additis ijs quas Mantuanus ſcripſerat miſſę docuerant; non aliud quàm Nepotis tutelam aduerſus hoſtem cogitaſſe. Imo non ſponte nobilem militiam, ſed hortatu Vincentij Principis deſcripſiſſe, promiſſo huic imperio, nec vllo dominandi iure ſibi reſeruato, quod ſaperet ambitionem. Sed anxia Principatus conditio eſt; & quoties vrget ſuſpicio, ſtatim recipitur; ſecuritate omnia in deterius interpretari ſuadente. Hunc de ſe rumorem Niuernienſis ſtatim didicerat; & licet monitore opus non haberet, vt ſuſpiciones ſui, prudentia detergeret, Vincentiuſq; Princeps ſimiles vanitates auerſaretur; acrius tamen aliena conſilia complectebatur; nitebatúrque, vt cum dominaturus aduenisse diceretur, nemo gregarij labores illo fortius obiret.

Eius ad Reginam Galliæ literæ quibus ſubſidium Mãtuano petit.

Niuernienſis cura ambitionis accuſatur.

Nepotis ac Niuernienſis literis acceptis, Regina fœminilem cunctationem reſpuens, confertim ad Aldigherium mandata in hanc formam dedit: niſi Sabaudius infeſtatione Monferrati ſtatim deſiſteret, & quos ſub ſignis haberet milites, & plures ſummâ celeritate deſcriptos finibus Sabaudiæ admoueret, prouinciam aſſultu turbaret, occuparétque; nec ante hoſtilia deponeret, quàm exceſſiſſe Monferrati Sabaudium Mantuani fide didiciſſet. Aderant Aldigherio peditum ſex ferè millia, equites octingenti (pauciores alij tradunt) quibus agente ſub matris tutelâ puero Rege, eos fines vnde ſuſpicio turbarum metuebatur Aldigherius ſeruabat. Quid egiſſet, & quo ſubſidio reprimere Sabaudium Regina cogitaſſet, Mantuano per literas ſignificauit; iuſtis curſoribus per Heluetios longiori, ſed

Regina Galliæ præcipit Aldigherio vt Sabaudium inuadat.

Ea cauſa Mantuanus lætatur.

ſecuriori itinere properare. Non alio nuncio hactenus Mantuanus magis gauiſus dicitur; minis in hoſtem ſæuus, & rerum incurioſus : Idem Venetos, Etruſcum, Pontificem ſcire, idem per Aulam & Vrbem vulgari voluit, tanta impotentia ſecuritatis vt iam habere ſe in compedibus Sabaudium crederet; non Monferrato ſolùm, ſed Sabaudia & exutum. Aduerſus Hiſpanos quoque faſtuoſus; vt quibus ſe iam egere non diceret, vellétque maturiſſimè ad ſua reuerti. Sed prudentiores æſtimatores rerum, & ante alios Vincentius frater, nunquam in his turbis iudicio lapſus, licet Gallica auxilia non auerſetur, Hiſpanorum tamen opibus magis credebat; quorum referre nouerat, ne Sabaudius vltra veterem conditionem increſceret. Neque apud Gallos belli Duces, certum in Reginam obſequium, aut duraturum ſibi perſuaſerat, cauſarum moriſque non incallidus : eóque vanam fratris iactantiam & intempeſtiuam lætitiam accuſabat. Aldigherium nihilominus aliquid virium pro finibus oſtentaſſe, & ſpecioſè minitatum accepimus: nec tamen aut oppida preſſiſſe, aut prędatione paganos laceraſſe; ſed mox omiſiſſe conſtantiam : ſiue minus Reginæ imperio obſequendum iudicaret; ſiue præter fas omne, magnum Principem lædi crederet, ſiue denique (quod Lugdunēſium Mercatorum literæ Genuam datæ, teſtatæ ſunt) Marchionis Lanzij fama retineret: quem armatum pro limite Prouinciæ Sabaudius ſtatuerat : nec crederetur inſultum Gallicum impunè laturus. Qui apud Gallum Regem erant, ne certa quidem ſpe victoriæ, eam expeditionem Proceribus placuiſſe docuerant; ob cauſas quibus quies populorum inter præferoces, & iniuriis obnoxios commendatur: non ea caritate complectendum Mantuanum vt Sabaudij odia prouocarentur, aut ita externis ſtudendum dixerunt, vt interna tumultu confunderentur. Nunquam Sabaudium iniuria laceſſitum, vt non paria reddiderit, & partem non leuem ſecuritatis Regni fuiſſe, obnoxium animum. Dediſſe Reginam mandata Aldigherio, vt exercitum Sabaudiæ inferret, pro comperto accepimus; & eadem facilitate Aldigheriũ ſeſe bello accinxiſſe, ſed Procerum conſilio motam opinione Reginam, monitam quod eo conatu diſcrimen incurreret. Et poſſe Mantuanum Sabaudio honeſtiſſimis conditionibns conuenire. Ita noui belli motu leuatum Sabaudium, & Mantuani res occaſum ſpectauiſſe. Plus negotij haud dubiè Sabaudio imminebat, ſi Mantuanus Pedemontis vicinio, Venetorum pecunia, Hiſpanis armis inſtitiſſet, per Sabaudiam verò Gallus incubuiſſet: quod apud eos fines is militum delectus non eſſet, qui irrumpentem hoſtem ſiſtere poſſet, & creſcentes pro Monferrato difficultates expediret. Difficile Sabaudio videbatur, eodem tempore tutari ſua, oppugnare aliena. Nouem quippe millia hominum, quæ Marchionem Lanzij deſcribere iuſſerat, non ſtatim coierant, licet impigrè nomina delectui dediſſet: nec militarem diſciplinam imbiberant; & maxima pars traducta in Monferratum fuerat, ſuſpectis iam Hiſpanorum viribus & minitante Inoyoſa formidatis. Credidiſſe Reginam ſecurius inter nepotem ac Sabaudium negotiatione & forſan coniugio lites componi, quàm tractatis armis poſſe, id ante alia docuit, quòd omiſſa in Sabaudiam expeditione, conſilia pacis prætulerit; & datis ad Pontificem literis, ius fáſque, & Cardinalis Mantuani dignationem commendauerit, eúmque illi curæ eſſe debere, opinione generis humani teſtata fuerit. Nec minus Veneto Senatui, ob collatam in illum munificentiam, gratias egit: & quia vndique ſpes concordiæ affulgere videbatur, Mantuanum bono animo eſſe iuſſit, additis ſecretis conſiliis, quibus facilius ad negotia ingenium, & in agendis conſtantiam hortatur.

Aldigherius lente vrget.

Rex Galliæ commendat Mantuanũ Pontifici.

Vt ſpes Reginæ, & data Mantuano præcepta fruſtra fuere; ſic Pontifex medium ſe tantùm pacis obtulit, ſolatíque oppreſſum, quàm iuuare, ex officio & vſu præſentium credidit: ne totius Chriſtiani Orbis parens, inter filios nutrire odia; & hunc complecti, auerſari illum videretur. Et Mantuani quidem quò plus ſecurita-

Digitized by Google

curitatis conceperat,eò incautior oppreſſus eſt, remiſsâ prætextu concordiæ cu-
râ rerum ; & arbitrio quietis ſuæ in alios inclinato. Contra Sabaudius cum Re-
gina ſatisfactionem & alia ſpecioſa promitterer, Inoyoſa arbitrum ſe cauſæ ia-
ctaret,Hiſpanus Rex pietatem ac conſanguinitatem ſtreperet,eò ſe acrius futuro
bello comparabat, amicitias ſectatus, fœdera cum vicinis iaciens, & intenſiori
diſciplinâ ſuos in omnem euentum erudiens. Vſu rerum cognouerat tum maxi-
mè cauendas inſidias, cum calidâ negotiatione de pactis concordiæ diſceptatur.
Sed Regina quietis ſtudio indefeſſa, ſtimulanre Mantuano (qui non vnis literis
Inoyoſam præuaricationis accuſauerat) ſuſpiciones in virum nobilem admiſiſſe
videbatur. Et vbi Hiſpanum Oratorem criminationum quæ ingerebantur cer-
tiorem fecir, ſcripſir quoque Regi,non onerato Inoyosâ ; ſed flagitans vti prote-
ctionem Mantuani,quam libens volenſq́; recepiſſet, certam ratamq́; vellet : ad-
miniſtros vero nouis præceptis oneraret,ne locus in poſterum excuſarioni foret,
ſi illorum cunctatione Sabaudius profeciſſet. Ideo ſe armis abſtinere ne arbi-
trium magni motus ſibi aduocare, ab eo qui præcepiſſet, aut parum promiſſis fi-
dere videretur. Nullius culpam credere,ſed fatalem nepotis ruinam proſpectan-
tibus omnibus præſagire dixiſſet. Inrer Reginam Galliæ & Hiſpanum certa fides
intercedebat,connubio filiorum ſolidata ; eoq́; valuêre literæ,vt nouis præceptis
Inoyoſa,acrius pro Mantuano niti videretur. Quæ tamen ille ſolita firmitudine
accepit ; certus experiri ante omnia, quibus arma procul ab ijs finibus haberen-
tur, quàm in apertum bellum accurrere : Nec enim impoſſibile putauerat, ami-
cos Regi conſanguineoſq́; Principes, hortatui imo & neceſſitati non obſequi,
cum tamquam in violentum,vniuerſorum ordinum querelæ audirentur. His of-
ficijs Regina valuit ; ſed (quo maximè ardua rerum, & difficillima bellorum ex-
pediuntur) aurum deerat ; pluſq́; induſtria, vigilantia ac largitionibus Sabaudius
in res ſuas, quam literis & auctoritate Regina proficiebat. Sanè cum ſuetas ma-
gnis Principibus cupiditates & voluptates (quibus pecunia prodigitur) Sabau-
dius in poreſtate haberet ; in militarem vſum, exploratores, adminiſtros nego-
tiorum,per Germaniam,Gallias,Hiſpanias,Italiam vniuerſa erogabat; nunquam
cunctabundus, niſi cum deliciæ lenocinarentur, aut in voluptatem ac pompam
vis auri inſumenda erat:his enim prodigi pecuniam, & nullo rerum fructu mergi
dicebat ; quæ verò futuro vſui impenderetur, quæſtui deponi aſſerebat. Eam ve-
ram dominandi legem, & corruptela humani ingenij præualidum motem eſſe
vſu didicerat; interq́; pacem & arma præualere pecuniam; auri arbitrio res quie-
ras bellumve decerni.

Cæterùm etſi modeſtiſſimè Aldighèrius Sabaudiam inceſſiſſet ; & carpendæ
prouinciæ ſtudio ſegnius intenderet ; habere tamen pro finibus hoſtem mini-
tantem, & Mantuani cauſa anxiè agere Sabaudius ferre non poterat ; præcipuè
quod cùm Hiſpanum ſacramentum recepiſſe ſcirer, acciri nihilominus Gallos;
& vicinio Mediolanenſis Ducatus promoueri cognoſcerer. Siue ſic animo ſuo
perſuaſiſſet,ſiue bellandi artes omnes honeſtarum numero cenſerer,non ante co-
gitationes ſuas in tuto vidir,quàm nudarum tutoribus amicitijſq́; æmulum,inde-
fenſum, inermemq́; reddidiſſer ; & fortuitis ſapienter vſus, nixu omni Hiſpanos
oblata occaſione auulſiſſet. Placuiſſe Hiſpanis Manruani ſecuritatem vniuerſi
credebant ; ſed eam gloriam conarui arbitriove Gallorum imputari ægrè tuliſſe
opinabantur,quibus perſpectæ ſimultates,ſuſpiciones intenderant.Iraque vt cer-
tam fidem Sabaudius apud Inoyoſam Mantuani ſententia conſcium, nec minus
longius ſitos pararet;alieno miniſterio vſus ferebatur:vt ſi quando fortuna minus
voto reſpondiſſet,nec ipſe falſi inſimularetur;& ſpreta conſilia,fictamq́; Mantua-
ni erga Hiſpanos caritatem, nullo confutationis metu improperaret. Longius
humana prudentia proſpicere poſſe non videbatur ; & tum certiſſimum rerum

indicium ſubeſſe,quoties euentui cauſæ componerentur. Id vt ex vero,& cogitationibus vulgi non abſurdum artibus omnibus in apertum dare ſtuduerat; cum domi à ſecretis conſilijs, negligi ſimilia quidam conſulerent. Fouiſſe quoſdam Hiſpaniæ procerum dicebatur; qui coram aut famoſis libellis Regem monerent inconſtantiæ Mantuani,& illius aduerſus Gallos certiſſimæ caritatis. Omnium id accuſationum caput erat,& crimen in ea Aula capitale; non quod à Rege Hiſpano Galli odio haberentur (iam enim conſanguinitate fidei ſpecies contracta fuerat) ſed quòd inter vtroſque certamen eſſet,quis plures totâ Europâ amicitias numeraret, quis maiorum Principum obſequio ambiretur: ſed illi in literas tulerant,iam actum de Italiæ Imperio eſſe,niſi Hiſpani (antequam Galli Mediolano vicina præcepiſſent & fortiſſimas limitum arces inſediſſent) expergiſcerentur. Non vnum partium Ducem, ſed Venetos auro, Mantuanum querelis & accuſationibus multos allicere; nec Etruſcum quieſcere; forſan & Pontificem alienum diſcrimen,ſecretum cautumq; proſpectare; non in alium finem,quàm vt Italia Hiſpani exigantur. Neminem quidem exterorum Italis placere,ſed tamen Hiſpanos præcipuè inuiſos, certiori potentia in Monarchiam tendentes. Imò Gallos inconſtantia morum vniuerſis inuiſos acceptiores eſſe,quàm Hiſpanos eâ morum compoſitione,quæ cunctis ſeruitutem imponat.

Sabaudus docet Hiſpanos Gallica fide Mantuanum eſſe.

Apud Hiſpanam Aulam nobilis Florentinus fortè agebat: is ſacramento teſtatus Oratori Mantuani Ducis eſt; nominatos Venetos vt infenſos, Etruſcum vt ſuſpectum & dignum qui obſeruaretur. Addidit vulgatum in Aulâ fuiſſe,Mediolani deſiderium Gallos malè tegere, admotoſq; Alpibus exercitus Aldigherio Duce,præſentem ſuſpicionem nutrire. Etruſci coniugem matremq; gentem illam conſciam fœderis non eſſe perſuadere,credi tamen quâ ſe armorum motus vertunt obſeruare. Eoſdem Pontifici ac Neapolitanis animos eſſe; quos ſeruitio fractos, & intolerabilibus oneribus deſpectos, cæterorum indignatio ſuſtentet. Vbi res occaſum ſpectauiſſent vniuerſos erupturos, noui potius Domini cupiditate,quam inuidia prioris.Inuiſum iam per Germanias nomen Auſtriacum,excire nutantes,vrgere pauentes. Accedere diuitias Italiæ, quæ egentes populos ad prædam inuitant. Nec verò de Gallis dubitari, quibus ingratum ſui Regis cum Hiſpani filia coniugium fuerit, deſtinatiſq; contraria ſtudia: ſubeſſe quinetiam documentum, quod niſi ab ignauo ac torpente Rege ſperni poſſit, miſſum nempe in Monferratum Niuernienſem Ducem Gonzagæ originis,Gallicis natalibus; impetu gentis,parentis ſtudijs innutritum; qui Monferratenſes in Mediolanenſium amicitiam vicinio pronos, ab Hiſpana amicitia abſtrahat; populares verò turbis & eruptioni paratos conuocet; legioneſq; Gallorum præferocium in Mediolanenſes effundat.Iam illum Monferratenſium Ducem agere; literis ac nuncijs excire turbidos; Reginam, Proceres,Plebem, precibus & auctoritate fatigare; audiri apud contubernia ocioſorum,voto Mediolanum conclamari,vrbes circum & oppida prædæ deſtinari.Pecuniam,opulentiam,mundum ſacrum iam ſpe occupata: imo holoſſericum & intextas auro veſtes (vlnarum vice) lancearum longitudine metienda promitti. Porrò neminem dubitare,certum Mantuano eſſe, eluſo Hiſpano Gallicam fidem ſequi; de quo non ſemel publicè ſit queſtus. Exceptas intra Principis cubiculum execrationes & lamentationes miniſtrorum, negligentiam etiam perfidiam proſcindentium: & adiuuari concentum fauore Domini; eò minus inſolentiam audaciamve inhiberi. Quin imo ſiue incuſtoditâ libertate, ſiue peruicacia propoſiti, manifeſtis indicijs inimicum animum Mantuanum aperuiſſe: vulgatos enim iam, & vniuerſorum manibus tractatos nummos aureos; quibus cum lances impreſſerit, gladium ac lilia addiderit, non occulto ſignificatu; ſe nempe iuſtitiam domi Gallicis armis præſumere.

Eam Mantuani ænigmatis interpretationem fuiſſe,domeſticorum famulorum fide,&

fide, & eorum qui aurum percuſſerunt fide detectam; quibus ſuetus ſit ſecretiſſima conſilia conferre. Mediaſtinos cubiculo indiuiduos, & Duci pomeridianis horis colludere ſolitos, ſenſa ſui Domini detexiſſe. Sed & è veſtitu ſumptum argumentum, fluxâ enim ad genua vſque tunicâ, & à ſummo imbricatâ, præcinctâq; vſum, quâ olim Galli Reges ituri ad bella induebantur. Capillum prolixum in ceruicem defluum & ambitioſè criſpatum, non cogitationum animi vanitatem ſolùm; ſed & amorem Gallici inſtituti ſignificare. Hæc eorum operâ vulgata, qui Mantuani mores apprimè nouerant: Sabaudius iuribus ſuis, & iniurijs opportunè adaptabar; vt Hiſpanus prætextibus illius non iniquus, æmuli ac parum fidi Principis ſtudijs, diuerſa quàm quæ credebantur admitteret. Accedebat partibus, onerabatq; Inoyoſa; non inanibus coniecturis Gallicum motum, & conſciam Reginam arguens. Vt qui licet Aldigherio forſan non crediſſet, viſo Niuernienſi, tute admiſiſſe ſuſpiciones crederetur. Maximè quòd adminiſter belli, auctas Gallorum in Monferrato vires, non excuſare coram Rege, non arbitrio diſſoluere poſſet; eò quod principia neglexiſſet. Miſſæ è Galliâ literæ Inoyoſam certiorem reddiderant, Niuernienſem Ducem à Reginâ pedites mille quingentos, ducentos equites oraſſe; quorum alij arci Caſalenſi, Ponteſturæ alij eiectis Hiſpanis inducerentur: certiſſimum aduerſus nationem præſidium. Seu verum, ſeu falſum index detulerit, plurimum ſolicitudinis addidit; & qui Mediolani Hiſpani agebant, huic præcipuè ſuſpicioni intendi debêre monebant. Licet ſuperaturos Alpes Gallos, & Niuernienſem ſe palam oſtentare, cæterorum vnde ſecuri agebant æſtimatione, negligere poſſe viderentur, Caſalenſem tamen arcem, & quæ editiſſima eo tractu munimenta ſunt, ditionis Mediolanenſis clauſtra præſidio obtineri cogitationes aduerterat; ne recepti inchoante bello, profligato depelli non poſſent, inſtarentq; ſecuro receptui, quoties gentis impetus, aut Regis voluntas impuliſſet. Neque tamen Niuernienſem potius, quàm Mantuanum accuſabant: quòd apud hunc conſilij ratio fuiſſe videretur, qui rerum ſupremam auctoritatem vſurparet, detrahendíque & imponendi ſubſidij ius haberet. Hæc & ſimilia eò tendebant, vt frigidius Hiſpani ſuſpecti Principis cauſam amplecterentur; vt Imperator pars Auſtriacæ domus vmbris turbaretur; vt cæteri Italiæ Principes Tranſalpinorum aduentum incuſarent; iraſq; in illum flecterent, cuius cauſâ barbari (ſic appellabant) dulcem Patriæ pacem turbaturi irrumperent: denique vt externo auxilio Mantuanus deſtitutus, aduenæ militiæ ſpe non elatus, & iuri tantùm ſatisfactioniq; compoſitus, qualeſcunque conditiones pacis acciperet, etiam rei & dignitati iniquas. Luere ſuſcitatum bellum debere videbatur, quaſq; ſuſcitaſſet turbas parte prouinciæ redimere. Sanè Mediolano à Principe magni nominis hoc tempore literas habuimus; quarum id præcipuum argumentum erat, patiendas Mantuano calamitates, & belli mala toleranda, cuius ille ſciretur prauis conſultis aut occaſionem obtuliſſe, aut neglectu ſalutarium monitorum ſuam cæterorumq; tranquillitatem corrupiſſe. Manifeſtior res erat, quàm vt ſilerent hoſtes, aut negligerent, deliberationes; placebatq; iam cauſâ & modediâ Sabaudius; quòd quamquàm victor, ac poſſeſſor plurium oppidorum, concurrere tamen honeſtis ſe pacis legibus velle profiteretur; nec Cæſarem, Gallum, Hiſpanos, Venetos, aut Pontificem arbitros aſpernaretur. Non aliud per eos dies illius Oratores coram Regibus teſtati ſunt; nec defuêre inculcatæ in eandem ſententiam literæ, & plenæ fidei: eò magis pro veris habitæ, quod ſuâ mole tutus, licet Cæſarem reuerentiâ præferret, non ab Hiſpano tamen, non Gallo dari ſibi leges voluerat, quamquàm amicum arbitrium permiſiſſet. Contra ſuſpectus vtriſque Mantuanus incertitudine conſilij, facto & ſcripto erat; & à nemine magis quàm à domeſticis damnabatur accuſabatúrque.

R

Permiſſum enim rerum ſuarum ius Hiſpano, non ſemel detraxerat, vt in Gallos quos continuò aduocaret, transferret: quoties argueretur, lubricus in priora vota, poſterioribus neglectis. Certam detectamq; in Gallos caritatem (niſi Hiſpani inſidijs appeterentur) æquius Inoyoſa toleraſſet, nec Rex fuiſſet auerſatus; ſed diffidentiæ inditia ferri non poterant; quod cum maximæ hæc arma publicè inuocaret, ſecretè Gallos conclamaret, eâdem cum vtraque gente fiduciæ profeſſione vſus; retractare promiſſa facilis, & promptis excuſationibus, factorumq; interpretationibus.

In Aulâ Hiſpanâ hoc vnum colloquiorum argumentum erat; nec vllus adeo Mantuanum ſecretâ dilectione fouebat, quin ſimilibus non paueſceret, tueriſque abſentem ſuperſederet. Si quid veri in delatâ querelâ fuiſſet, imputandum ſibi quiſque nouerat, & malo ſuo luendam amici culpam: libertas conuiciandi eualuit, vt inter tot indignantes ſuſpectanteſq; repertus fuerit, qui Mantuanum criminationis admoneret. Sed inter adminiſtros, iuuenis ſilentium excuſationémve non omnes præferebant. Diſſimulandas pleriqu querelas, tamquàm inutiles & intempeſtiuas volebant, non ſemel apud Regem confutatas: Continuandum Hiſpanum obſequium, & facto docendum, inanes ſermones fuiſſe: ſi quid in Gallos detuliſſet, ſcelerum numero non habendum apud iuris ſui Principem, & tantum obſequio deuinctum. Solicitudine ac pluribus imminui maieſtatem, & liberam potentiam mancipio tradi. Præ cæteris Ferrarienſis vidua tam demiſſæ ſeruituti aduerſa, & Gallis animo obſtricta (quem natalibus inditum coniugio mariti intenderat) purgari ſuſpiciones diſſuadebat; non defutura Nepoti ſubſidia conteſtata; quoties Hiſpani communem ſibi cauſam neglexiſſent. Quin vt ſeueritatem oſtenderet, non Cæſatem ſolum & Gallos, ſed Venetos & Etruſcos, imo & Eſtenſem (quem pridem Mantuano ſocerum deſtinauerat) vana præſidij nomina obtrudebat. Contra Mantuanus arbitrio Amitæ regi ſolitus, tum diſſentire manifeſtus, refutari famam, & perſuaderi contrarium malebat. Siue Hiſpanorum ſuſpiciones certos iam pauores incuterent, ſiue prurigine ſcriptionis laboraret; id enim non ſemel eſt experimento probatum. Compoſuit itaque literas ad Regem, & ſummâ feſtinatione tranſmiſit, quarum hic ſenſus: Aduerſus obiecta ſibi crimina ſilentium amplexum fuiſſe; niſi euentu didiciſſet, infirmiorem ſilentem pro reo haberi; eâ causâ, vtq; Sabaudij & Inoyoſæ artes fruſtra inſumerent, vt integri dolum intelligerent. Simul ſpecies aliqua detractioni, & accuſatio non ſine coniecturâ erat, purgare aduerſam rebus ſuis famam voluiſſe; ſcripto primùm mox opere ſi quando magnus Rex animi ſui periculum feciſſet. Niuernienſem Ducem, non deſtinatione, ſed cum in Vrbem nuptiarum causâ properaret, caſu in Monferratum audito rumore occurriſſe. Proprio ſtudio, nullo ſuo imperio, nobilium prouinciæ quoſdam ad bellum adornaſſe; plebemq; pugnare geſtientem conciuiſſe: quod iuris vix à ſe fratrem, cum in adminiſtrationem mitteretur, accepiſſe. Nec mille pedites à Reginâ Galliæ poſtulaſſe; vt recens, exterum, ſuſpectumq; præſidium Caſalenſi arci induceret: aut ſi in eam curam animum intendiſſet, neſcio id domino, nec poſt factum permiſſuro tractauiſſe. In eo candorem ſuæ fidei micare, quòd ingenuè ſemper faſſus ſit, vniuerſas Monferrati prouincias amiſſurum ſe ante, quàm externum militem recipiat. Id etiam apud Regem, cui rerum ſuarum tutelam permiſiſſet, ſecuritatis argumentum cupere. Non adeo defectum ſe viribus, aut ſubſidij egenum; quin nobiliſſimo Italiæ munimento ſuffecturum militem è ſuo ſuppeditare non poſſit. Habere per Mantuanum agrum (quoties cauendam Monferratenſium fidem certo iudicio ſibi crediſſet) aliquot nobilium millia, apud neminem potentiorum certiori caritate; quorum ſtudio Arcem committere poſſit; ſi præſidiarius parum ſecurus videretur. Amitæ Reginæ ſubſidium eâdem ſemper conſtantiâ, vitatâ ſimula-

Mantuanus ſe ſcripto apud Hiſpanos purgat.

ſimulatione omni ac ſecreto, cœpto ſtatim bello quæſiuiſſe, vt illa oſtentatis Sabaudio à tergo armis, aliena per vim requirentem, vt ſua tutanda retraheret. Neque id aduerſus Hiſpanos diffidentiâ, ſed conſtantiâ: quos ſciret, eandem in ſua beneficia viam cum Regina ingredi. Cuſo aureo nummo ac vulgato iuſtitiam cauſæ prætuliſſe, id lancem ac gladium ſymbolo ſignificare; lilium autem Gallica inſignia, cum in finem non addidiſſe, ſed lancium æquilibrio, ſponte ſculptoris, & ornamenti cauſa inſertum. Inanem dubiæ rei coniecturam obijci; quando non inſignia, non prætextus, non cætera ſuſpicioni reſpondeant. Lilium certè vel oculatiſſimo vix patere: & prorſus callidam malitiam eſſe, quæ tam leuia conſectaretur. Permiſſum rerum arbitrium, connubij pacta, concordiamq; negligi; quaſi plus ambigua ad criminationem, quàm certa ad abſolutionem faciant. Porrò vanitatem accuſationis cuiuis integro manifeſtam fore; ſi artes quibus Sabaudius Hiſpanam ſibi tutelam detrahere nititur, æſtimentur. Satis illi vtilitatis accedere, ſi tantùm ſuſpiciones & vmbras objiciat, & falſitatem veritatis coloribus perſonatam: ſiue credantur illa, ſiue reſpuantur. Nec enim anxium ius dominandi permittere vt ſtatim ſimilia contemnantur: ſimul cunctationem ac negligentiam Inoyoſæ aduerſus Regia mandata, quibus Sabaudius profecerit, ipſe perierit, excuſari. Componi ſanè factis dicta ab ijs deberi, qui promiſſæ fidei incerti ſint; ſed vbi non ſemel veritas animi approbata, & æmulorum mendacia refutata ſunt, bono iure excludi dubitationem, odia mutua & inuidiam nutrientem. Vel apud perfidos pro perfidiâ fidem ſuccedere, ſi ſuſpecti credantur fideliter agere. Raros etiam tantâ peruicaciâ eſſe; vt eos continuatum obſequium, & pluribus monimentis probata conſtantia, non in plenam amicitiam, & ſecuritatem deuinxerit. Id ſibi in votis eſſe; ſed orare fortunam, ne quò magis obſequio & pietate laborat, eò certius perdat officium, culpâ calumniarum; quas ingeri continuò ſciat, nec putet in extremum ferre poſſe. Expedire tamen non Italos ſolùm ſed & Germanos Principes exemplo ſuo admoneri, an fidem & amorem (facili maleuolentium detractione) perdere decet apud Regem vt præpotentem, ſic facilè vniuerſa in crimen retrahentem. Quod quis longiori tempore conceptum fouit, magnis licet in aduerſum nixibus ægrè eruitur: quo minus mirum receptam de Mantuano apud Hiſpanorum nonnullos opinionem, quaſi pronior in Gallos pietate eſſet, difficulter mentibus auulſam: & apud metuentes leuiſſimas quaſuis coniecturas, manifeſtæ veritatis ſpeciem inueniſſe. Suſpectus omnes ſi pro vanis tranſmitterentur, & vim imperij infirmare, & imminuere maieſtatem credebantur. Fides enim exitium latura metuebatur, ſi quando vmbris ſinceræ amicitiæ, velata fraus deprehenſa foret. Iurata nihilominus caritas Mantuani, & tot literis teſtatus obſequens animus, id mereri dicebantur, vt non ante doli reus perageretur, quàm experimento falſi conuinceretur. Pietas eliminari poſſe non videbatur, quam oratum ſubſidium demeruerat. Eâ causâ formam agendorum ita diſpoſuêre; vt ſi quid ſuſpicionibus admoniti credidiſſent, metu aperto, & alienâ culpâ excuſarent. Non enim prudentiores adminiſtri, aut quibus diſſimilitudine morum inuiſus Mantuanus erat, incolumitatis rerum obtentu, & amore dominationis deſiſtebant obteſtari Regem, ne nimia facilitate fidem admitteret; orabant vt ſecum ipſe dijudicaret, quàm certâ Imperij Italici iacturâ, iudicij vnuſquiſque error admitteretur. Mortalium vniuerſa lapſui ac remedijs eſſe expoſita ſed corrigine, an deſperari aliquid deceat, referre. Vt in bello ſic in pace, primum fermè errorem, vniuerſas ſpes boni exitus ſecum rapere. Accedere contumeliam inſcitiæ, & ignauiæ famam, magnis fermè ærumnis comparanda. Fortitudinem enim regnorum, non iudicio aut viribus potius, quàm opinione ac famâ niti: Victoriam omnem ſiue armis ſiue conſilio partam, vtilem cenſeri commendarique

Hiſpani Mantuano prorſus non fidunt.

neque à victore cauſas rationéſque exigi:ſpecioſos cenſores deſpici. Denique vt turpiſſimum auditu ſit,vinci; ſic primum in ſolido errorem, exiſtimationi maieſtatique detrahere: ſtabili ſemper nexu cauſarum, & euentuum fortunâ;trahentibus ferè poſteriora prioribus.Hæc intus vera,& præceptis regnandi non aliena, neque longius petita,ſed è fonte politico videbantur.

Fouente dubitationes Mantuano, non ſibi, non oportunitati congruenti:cum nihilo ſecius Reginam amitam literis delaſſaret, auxiliúmque aduerſus Sabaudium indefeſsè oraret.Ea tamen licet arctiſſimæ in nepotem dilectionis,& dummodo tutus ageret nihil exciperet; proceribus nihilominus Gallicis (quibus Sabaudij cura,Mantuani motus perſpecti erant) turgidis obnitentibúſque, nec pacem, nec bellum arbitrio imperare poterat, apud quos difficilius erat obſequium inuenire, quam imperare. Et Hiſpanus Rex (miniſtrorum vt plurimum conſilio obnoxius) quamuis Mantuanæ fidei non alienus; & delatas ſuſpiciones Reginæ teſtimonio reijceret; magnatum tamen querelis & ab iis quibus cura imperij commiſſa fuerat dictatis ſententiis, facilitati ſuæ vim inferri,& repetito Gallicæ gentis naturali odio,paueſcere ac diffidere coactus eſt, procul à Regiis omnibus Mantuani voces erant: Hinc tardior deliberatio;& ad extremum ferè aduerſa erat;ſed more gentis decorè adornata; ne ille fide, Mantuanus diffidentia offenderetur.In Inoyoſam vicinum ſuſpicionibus, & apud Italiam res curantem,tanquam plenius vmbrarum gnarum,obſeruatio tranſlata.Hunc Rex & intimi conſilij adminiſtri ne quod publica cauſa detrimentum pateretur monitum, cœptos tumultus corrigere, & contractum ob aduentantes Gallos creditos metum diſcutere iuſſerunt: eo tamen temperamento, ne inter ſuſpectos ſe Mantuanus crederet;aut eâ causâ, minori apud Regem gratia. Equidem multo ante certum Regi fuerat, amicum aut hoſtem, omnino tueri, pietate aut arcanis dominandi legibus commendatum; nec permittere Sabaudium rebus Monferrati creſcere; ne auctus,vicina carperet, & Mediolanum (quod deberi ſibi crederet) auderet. Obſuctat querela & ius prætenſum; vt conatus eius honeſti prauè omnino interpretarentur. Amor tamen in Mantuanum prætendebatur, quo detineri recentem Principem Rex cupiebat potius, quàm intus infidum, ſed tempore corrigibilem, neceſſitate impelli ad externum auxilium orandum

Gratiſſimo contactu perfricatum Inoyoſæ caput eſt, ad famam arbitrij permiſſi; ſiue Sabaudij vtilitatem bono iure cognoſceret; ſiue exemptum ſe querelis, & ſolicitudine excuſationis ſciret, apud Regem honeſti maximè ſtudioſum. Iam enim in diſquiſitionem vocari, quæ negligentia admiſiſſe circumferebatur acceperat; & à Mantuani amicis intrudi querelas, quæ externis adminiculis coram Rege, vt confutarentur, egebant. Quippe hinc Regis indignationem, priuatam inuidiam, culpam, pœnámque, & (quod minimum) exauctorationem formidabat. Inuiſa omnia magno viro; & Regio beneficio iam ſupra cenſuram poſito. Porro permiſſa ſibi iam cura ſupereſſe artes & auctoritatem nouerat, quib. conquerentium importunitatem diſiiceret, & vniuerſa mollius apud regni proceres interpretarentur. Id Oratorem ſuum Mediolani agentem ſcire vt Mantuano cōmunicaret noluerat;quo compoſitis motib.beneficium agnoſceret;nec adeo facilis in lamentationes& querelas eſſet. Accitum ergo,& alteram iam horam expect·re admiſſionem coacto, maiori quàm hactenus faſtu excepit; licet (vt didicimus) dato ſecreto mollius interpellauerit. Meritò Mantuanum occupatis à Sabaudio Monferrati oppidis exterritum, & obſiſtendi inualidum, vndequaque ſubſidia quæſiuiſſe;quod tamen Hiſpanum Regem pacis medium,& rerum ſuarum protectorem,cum adhuc in vrbe ageret,delegiſſet, illi ante alia ſalutem laturum.Datum hinc beneficium,nec vllis aduerſis interiturum

Inoyoſa colloquium cū Oratore Mātuani.

quoties

quoties ſtabilis in datâ ſemel fide perſtitiſſet. Neminem mortalium in eam diem fruſtra Regiam dexteram ſupplicem adoraſſe, recoleret; & ab illo non Chriſtianos ſolùm Principes oppreſſos, ſed & barbaros ſacramento in fidem receptos, ſecuros aduerſus potentiores fuiſſe. Quod ſi propinquiora ſpectaret, recentem adhuc Aui Atauiq; gratiam occurrere; quâ non repreſſus ſolum Sabaudius, ſed & Gallus poſſeſſione detruſus ſit, vt in Gulielmum Mantuani auum controuerſa dominatio abiret optimi conſilij argumentum præſentem Ducem eo præcipuè dediſſe; quòd licet Gallici regni protectioni in vrbe deſtinatus foret, ſeriò agnouiſſet, non reſponſuram illi in eâ gente caritatem, nec duraturam miniſterij gratiam: quòd vanâ, inconſtans, fluxa, beneficiorum immemor, & impetu potius quàm bonâ causâ procurrens animaduertatur; non fœderum, non ſacramenti retinens, non Regi ſuo fida, non exteris amica. Supereſſe quod accuſari in eo poſſit, & quòd Regij miniſtri bono iure inſectentur, contemptum ſui, inuidiam, famæ lacerationem; omnium denique piè actorum prauam interpretationem. Pro dignitate miniſterij hoc, non pro causâ referre, quamquam iniquè ſecum agi cognoſceat, ſi in ſalutem Mantuani ſedulò operatus, pro ſtudio ac labore iniuriam reportet; & regiam munificentiam, ſuum decus eleuari audiat. Neminem hactenus curæ Mediolanenſium impoſitum, fortius deſpectum ſui, & calumnias toleraſſe, humaniuſve gratiam pro odio reddidiſſe. Mox tamquam incerta differeret; quæſiuit quibus inditijs, quo auctore vulgatum acceperit, accitos in Monferratum mille Gallos pedites, quo itinere deducantur, quo Duce, vt Caſalenſi arci imponantur. Iam enim Sabaudium aduerſus properantium famam, oppoſitas Alpes tutari, Hiſpanos claſſe Tyrrhenum pelagus clauſiſſe. His viribus perfringi obſtantia non poſſe: quòd ſi multa millia accingantur, iam apertum id bellum quod Regi ſuo inferatur, eſſe, Monferratum ſedem, Sabaudium expeditionis Hiſpanæ ſocium: hoſtem qui vocaſſet, recepiſſetq; futurum. Tum Regem manifeſtis inditijs, & auctorem ſeditionis agniturum, & præſenti vi oppugnaturum: ſe verò officio ſuo ſatisfacturum, vbi cuius ductu turbæ ſuſcitatæ ſunt, eius opibus alantur; & cuius auſpicijs bellum exarſerit, eius ſanguine ac fortunis tranſigatur. Orator Mantuanus, id nouum ſibi, nec facile creditu reſpondit; vt qui pro comperto haberet, decretum Mantuano Duci eſſe extrema quæq; potius experiri, quàm in fortiſſimum munimentum (quò poſſeſſio prouinciæ contineatur, externum, & præcipuè Gallum militem inducere. Inſtabilitatem gentis tantum fiduciæ non mereri: nec illum facile ijs credere, qui ne Regi quidem ſuo facile auſcultét. Quòd ſi alienum ſubſidium ſpectauiſſet, & proprijs eâ in re viribus diffideret, omiſſis Hiſpanis Gallos prælaturum non fuiſſe. Nec gentis odio, ſed amore originis, eoq; Germanos potius electurum. In eam tamen illum miſeriam non adhuc deuolutum, vt Arci ſuæ ſubſidium ſumminiſtrare non poſſit. Ideo mille Mantuanos pedites aduentante in Monferratum Vincentio fratre miſſos, vt offerentes ſeſe in eam curam omnes rejiceret; & rerum cariſſima apud ipſum eſſent; vtq; reſpondere animo vires domeſticas eo ſaltem argumento probaret. Quod ſi opus fuiſſet, alios & alios miſſurum: imo vel ſolâ nobilitate Mantuanâ domi retinere in tuto Arcem poſſe. Quamquàm nec eâ audaciâ Gallos fuiſſe, vt poſcere curam periculumq; auſi ſint, remittendi ſibi beneficij & repulſæ ſecuri. Proinde terriculamenta hæc, augendis intendendiſq; Hiſpanorum ſuſpicionibus Mantuani exitio ab ijs, quibus Magni Regis nomen inuiſum, aut Ducis ſui ſecuritas ingrata eſt. Examinanda certiora neque enim quoad Sabaudius hoſtis fuerit, aut Domino ſuo in Hiſpanos fidem, aut illius comminationes finem habituras. Et quò certiori auctore, vanitas credentium excluderetur, Ducis ſe ſui teſtimonium propediem allaturum promiſit. Nec defuit fides: miſſo quippe Curſore, ſtatim in eandem ſententiam

Mantuanus literas ad Inoyoſam dedit; quibus (vt ferebat) fabulæ illius ſcenam euertebat, artéſque inuidorum & calumnias eludebat. Et quidem Mantuani literæ, ſingulari eloquentia compoſitæ multum cultus & efficaciæ continebant, cui bonarum artium parti ante alia, naturali inclinatione adiuuante ſtuduerat.

Non ideo tamen Inoyoſa, aut qui fauore Sabaudium antetulerant, querelis abſtinebant: ſiue Reginam Galliæ damno nepotis,& vi illi illatæ intonantem; ſiue pronos in Niuernienſem Gallos accepiſſent,paratúmque bello Principem deſtinata acceleraturum metuerent. Certè continere trans Alpes gentem promptum Hiſpano fore dicebant; ſi progreſſuum initia, & primos illius conatus fregiſſet: ſed ſi tranſgredi obſtantia, & vicina arcéſque poſſidere permittentur, maiori opera depellendum, aperto maximè ſemel itinere, & parato ſuffugio vbi in obſtantes acrius opinione irrupiſſet. Vulgatum apud Caſalenſes magnorum virorum literis, qui ſe Mãtuani partes ſequi profitebantur, dolum ab Inoyoſa machinatum, vt frequentes adminiſtri, & caritatem Hiſpanam complexi, voce & ſcripto coram lamentarentur,properantíſque hoſtis formidinem incuterent: illo verò irridente nouos pauores, validius conteſtarentur præſens diſcrimen; vt Orator Mantuanus totius gentis querelam eſſe cognoſceret: Inoyoſam vero amicum, & rebus ſuis fideique annuere opinaretur. Sed reuera paulò poſt Inoyoſa pueriles ſuſpiciones deterſit, & verè ſe Gallorum inuaſionem metuere docuit. Nam præſentem Mantuani Oratorem audire, & Duci ſuo perſcribere, quæ obiicerentur, iuſſit; moneréque id ex iis eſſe, quæ etſi vana credat, metu Regiæ indignationis tamẽ licet inuitus exequi cogeretur. Prudenter nimirum inuidiam, & criminationes ſui apud Regem Hiſpanũ vitare nitebatur; vt quod officio coactus patrauiſſet, id querelis amicorum ſtimulatus feciſſe videretur. Redditum per literas Inoyoſæ reſponſum à Mantuano eſt, præſentibus ſibi Hiſpanis, Gallicum beneficium remittere, nec vnquam hos, niſi illis cunctantibus, & ineuitabili neceſſitate motum, aduocaſſe.

Mantuanus Inoyoſæ teſtatur ſe Gallorum auxiliũ nolle.

Poterat Sabaudius, quem Mantuani conſilia non fugiebant, non leue rerum ſuarum incrementum credere; quòd Galli accepto neglectu, & contemptu ſui, viderentur indignatione Mantuani curam omnem omiſſuri, & maximè tum, cum in ſubſidium accingerentur reiiei. Duraturam enim diu diffidentiam apud gentem praeferocem, quæ rogata in Mantuani beneficium properabat: nec vllis in poſterum precibus in gratiam redituram, ſimile vero erat. Vt enim primo impetu ardens Gallorum vis ferè tempore emoritur (ſic iniuriarum inſolens, illatam contumeliam facile non digerit. Quidam non omnem ex Gallis formidinem diſcuſſam putauerat, quamquam ſuorum impetum Regina attinuiſſet: nec enim ſemper Regio arbitrio bellare conſueuerunt; ſed quoties regni Principes diſſentiunt, & conſenſu intumeſcunt, huius illiuſve auſpiciis cogi exercitus, non externam ſed & domeſticam pacem turbaturos. Plurimum auctoritatis in Niuernenſi Duce, nexis affinitate proceribus didicerant alliciendis auxiliis, & tumultuario milite cogendo. Quippe Longauillæ Ducem, & ante alios Humenæ, multo nobilium plebiſque fauore vti: nec minori apud Regem puerum gratia eſſe: iuuentutem quoque geſtientibus ad bellum animis, ſemper cauſas, occaſionéſque ſpectare; & quo ſe vocari ſenſerint, procurrere, quoties dignitas inuitantis auctoritáſque perſuadeat. Stabili inter Mantuanum & Niuernienſem caritate manere ſuſpiciones Gallici auxilij, niſi ille ſolita ſibi leuitate generoſum patruum contumelia, aut diffidentia offendat. Durum nihilominus auditu & creditu erat, Patruum optimum & cauſam non ſuam ſed familiæ, neglectis rebus ſuis perſequentem vocari in ſuſpicionem; cúmque qui decedentibus ſine prole Mantuanis Ducibus in certiſſimam ſucceſſionem vocaretur tutelà rerum communium excludi

excludi. Nullis vnquam maioribus difficultatibus Mantuani res implicatæ ſunt, quàm vbi de ſalute, exiſtimatione, & vtilitate agebatur.

Conſpiraſſe in vniuerſa videbatur; adeo certis euentibus, vt conſilium fruſtra eſſet; quæ non ſperabatur fortuna, aliquid ſpei promitteret. Et iam continuis ſuorum quęſtibus Mantuani ſe literis delaſſari ferre non poterat Inoyoſa, aut ſi quid aduerſi ſors tuliſſet ſuæ negligentiæ imputari; coactus ad extremum prorumpere eſt & fateri Niuernienſis Ducis apud Monferratenſes præſentiam, vt Hiſpanis inuiſam, ſic Mantuano damnoſam, vmbrarum ſuſpicionúmque pleniſſimam. Nec enim perſuaderi Hiſpanis poſſe, Gallum Principem bello ſtrenuum, in eas opportunitates caſu delatum; ſed probabilius accitum, & in Monferrato haberi vt oſtentaretur. Et vbi diu in ſuam formidinē, & titubantem Mantuani fidem inuectus fuit, addidit: caueret ne quo ſe argumento Gallicę fidei credere doceret: certū enim Regi ſuo eſſe; ſi quādo Gallos ſponte oblatos, aut conclamatos in ſubſidium recepiſſet, pro Sabaudio quamquam hactenus contumaci intra Mōferrati viſcera bellare. Malle enim ambitione ſuorum periclitari, quàm hoſtium iniuria perdi. Plus crederet apud ſe in negotiatione quàm armis ſpei eſſe. Nec prouocandas iniurias, aut dubitationes amicorum manifeſtis indiciis prouocandas. De cura Prouinciæ ſimul Regem ſtatuiſſe; nouas querelas ſe & calumnias ridere; ſed nec eadem patientia honori ſuo detrahi paſſurum. Cæterum quo temperamento vſus ſit in tempore Mantuanus, vt Niuernienſem proprio malo & in Hiſpanorum gratiam Monferrato detraheret, ſuo loco exponemus. Iam verò procul omni incertitudine habendum eſt, nulla Gallicæ militiæ formidine ductum Inoyoſam, hęc & ſimilia tot querelis orationibúſque tractauiſſe; ſed dubitatione Hiſpanorum ſtimulatum, quibus diſtantia perſpectæ res & conſilia Principum Italiæ non erant: & ne inter prudentiam aduerſus caſus incideret, cuius mox arguere-tur. Multi enim ab Aula Gallica, & ante alios Dux Montis-teonis Neapolitanus, rara nobilitate, probitate, ac prudentia Princeps, & apud Regem Galliæ pro Hiſpano Orator, docuerat, veros metus eſſe, & ſuo mori diſſimiles Gallias, graui torpore vicinorum armorum ſtrepitum, aut non excipere, aut non commoueri: Mantuano quoque tum credi potuiſſe, congruentia ab aliis habita docuerunt: quæ nutantis licet animi, manifeſtis tamen argumentis, quod ſpei conceperat, in Hiſpanis collocaſſe videbatur. Quibus Inoyoſa æmulatione inuiſus erat, Mantuanúmque illius odio ſecreti fouebant; crediderant ſatis illum non putaſſe, ſi huius res integræ manſiſſent, niſi querelis ac ſuſpicionibus, futuro maximè timentem, ac tutelæ ſuæ commiſſum delaſſaſſet, fregiſſétque: quo magis ſecuturæ inter ipſum & Sabaudium meritum præmiúmque referret; huius beneficio, illius formidine æſtimatum. Sed experimento didicimus, neminem miniſtrorum Principis inuidiam ſine æmulo tolerare; & quo maiori cum periculo vulgus loquitur, eo incautius maligniúſque detrahere. Porro diutius rem examinatam, & inter Hiſpanos, Gallos, Sabaudium, Mantuanum, & eos quos proprij affectus ſtimulabant, continuatione operis proſequi noluimus; ne factorum ſeries (interiectis quæ ſors obtulerat) interrumperetur; aut finis origove negotij, diſtantibus locis expediti, minus in ſui memoriam valerent. Ad arma redeo.

Vicesimū ante diem valido ac ſecuro inſultu, non Trino ſolùm, ſed Alba & Mōcaluio potitus Sabaudius, cū ne apertum quidem audere Monferratenſes, aut Mātuanos pręſidio deſtinatos videret: quidquid toto eo tractu animo cōcepiſſet para tū cognouit, ſi quo conatu cœperat, ad reliqua progrederetur, indignato Inoyoſa iniquis aduerſū ſe apud Aulā queſtibus; & credito profectus omnes diſſimulatione toleraturus. Pręcipuè quòd Gallorū protectione nudatū Mantuanū ſciret; qui ſe iā plus opinione ac placito Italorū Principum, tutelę Hiſpanę fideíq; permiſerat. Certè in illum perpetuò certiſſima Regis pietas erat; nullis colorib. aut fraudi-

Digitized by Google

b· velata;ſed Mantuani dubitatio,hærere adminiſtros belli coëgerat,& diſquirere an tutela ex vſu eſſet, an Dux eam operam meruiſſet, an ipſius vtile diſcrimen foret. Prudentia hæc,re ac nominib. corruptis,conniuentia,cunctatio,conſciētia à multis vocabatur:quaſi Sabaudij victoriæ omnes perfidia Inoyoſę accreuiſſent. Alienam tamē iram Sabaudius in cenſum non vocabat;ſed conſilio ſecurus, non *Sabaudus victoriæ inſtat.* minus pacta, quàm quæ aggredi meditabatur curam exigere nouerat: ne prioribus non firmatis, inconſulta vlteriorum inuaſio ſequeretur. Cum enim quinque ferè hominum millibus, tot ſimul in loca bellum intuliſſet; vniuerſis & retinendis & oppugnandis, haud quaquam eum numerum ſufficere vidit. Alba enim, Trinum, & Moncaluium duo quòd minimum millia poſcere videbantur, vt poſſiderentur: feſtinari proinde delectum militarem iuſſit; Heluetij & Valeſani per Pedemontanam diu ante agere ſueti in caſtra conuocari, & popularium centuriæ aliquot, vt pars capta ſeruaret, pars in aperto aduerſus ſubſidium laturos bel- *Manfrinus Caſtilionus.* lum gereret,aut Monferrarenſes ipſos res ſuas protecturos.Augebat curam Manfrinus Caſtilionus eius Monſetrati prouinciæ, quæ trans Tanarum flumen eſt, Gubernator: qui iam ruſtica manu, & pleriſque oppidanis in formam conſummatæ militiæ compoſitis, vinina Albæ (quæ iam in hoſtem ceſſerat) & Aſtij aſſiduis excurſionibus carpebat. Inerat viro non degener natalibus animus; nitebatúrque generis ſuæ decus, per arma & experimenta virtutum referre, promptus, indefeſſus; & occaſionum quæ gloriæ admonerent, non incurioſus. Hunc Mantuanus Dux,nobilium à cubiculo numero detractum,adminiſtrationi rerum bellóque impoſuerat;ratus militaris in eo diſciplinę peritiam, laborem potius quàm quietem malle. Ille primi motus fama accepta, vt Domino paratum animum probaret periculorum partem orauerat; ne aliis eodem ſtudio caleſcentibus, degener ad arma videretur.Nobilis adminiſtratio permiſſa, numero incolarum, & certitudine imminentis diſcriminis: ſed quia nobiliſſimi municipij grauem obſidionem tradere intendimus;ne quid intercurrat quod ſeriem factorum obſcuret, initia finémque continuatione dictionis proſequemur; cætera mox relaturi quæ inter aduerſa & popularium virtutem euenerunt; vt integra nec alienis narrationibus interciſa certius retineantur.

Viceſima tertia Aprilis die iam medio occupatam à Sabaudiis Albam ciuitatem direptámque, incerto primùm, mox oculato auctore delatum eſt. Id à Ni- *Nizæ obſidium.* zenſibus (vt ferè aduerſa) non ſtatim creditum, pietatem Sabaudij nonnullis commendantibus; pleriſque inſuetam ſæuitiam Principi aſſerentibus; quorum frequentiâ documenta vicinio didicerant.Et ante alios monachus religione laudatus teſtabatur, abſtinuiſſe illum ſemel Geneuæ vrbis tamdiu petitæ poſſeſſione (quam proprio exercitu cinctam, paratam vi nota habuiſſet) non alia cauſa, quàm ne militum licentia quorum virtute profecturus erat, ſæuum in morem diriperetur. Arguebat proinde, ſimile vero non eſſe, faciliorem in rebelles quàm vicinos, nec vlla vnquam iniuria odium meritos eſſe potuiſſe. Etiam vetus cum Mantuano Duce conſanguinitas, tantum immanitatis diſſuadere videbatur;vt iam quæ vulgabantur, inanis metus, & doli ſuſpicio crederentur. Sed rei periculoſæ fides pernicioſa, & exitiabilis opinio caritatis in Sabaudio aduerſus Mōferratenſes Blaſio Nizę Poteſtati,Nicolao Biliano vetuſto militię,& Vincētio Cantauenę oppidi Syndico viſa; placuítque certo exploratore diſcere quæ famæ veritas, quis auctor eſſet. Miſſus eſt paganus mentito habitu, vt incuſtoditus rei exitum formámque referret. Nec Albenſis explorator Sabaudij militiam fefellit; ſed ſtudio obire omnia & ſciſcitari à ciuibus permiſſus; quò formidine ac damno ſociorum promptæ deditionis conſilia complecterentur. Ille præcipiti iam die ad ſuos reuerſus famæ veritatem ſacramento firmauit.Nocte enim quæ præceſſerat Alexandrum Guerinum Cheraſci Gubernatorem, Colonellum Iuſtum, alióſ-

que mi-

que militiæ ductores, Vaccam, Aubandum, Alingum, Barram, diuerſis machinamentis plura ciuitatis loca occupaſſe; aſcenſu mœnia ſuperaſſe. Prima irruptione Morræ Dominum, & Petrum Antonium Pellizarrum, & è plebe nonnullos confeciſſe. Mox in vanum datâ à Comite Verrunenſi fide ſecuritatis, intemperantem militem diripuiſſe vniuerſa, ſtrauiſſe portas vrbis; ſupellectilem omnem (quamquam amoueri difficilem) aſportaſſe. Nec minori ſæuitiâ in fœminas, aut nobiliores matronas vſum; quarum vni aures ſauciaſſe, vt ſine mora inauribus potiretur; alteri veſtem mundiorem in publico detraxiſſe; quò minus induſium auferret ſociorum verecundia retentum. Non Epiſcopo quem armata manu ab altari detraxerint, non templo, in quo iuuenem ſe abdere properantem confoderint, non puellis quarum corporibus illuſerint, temperaſſe. Coactum Epiſcopum res ſuas, & Eccleſiæ mundum magnâ pecuniâ redimere: denique in Clerum & populum omnem militarem intemperantiam erupiſſe. Carattum prępoſitum adhuc in publica cuſtodia haberi, alios profugos, alios bonis exutos, plures ob ſolas lachrymas pulſatos. Iam etiam ſacris virginum clauſtris imminere; & niſi ductorum religio obſiſtat, aut Sabaudij metus pietáſve Pedemontani Principis, actum credi poſſe de fortunis, & honeſtate. Hæc & plura alia, partim vera partim falſa, ſeu credita ficta, queſtu lachrymiſque qui miſſus fuerat expoſuit, ſuperfuſis nouitati popularibus, & imminentium calamitatum formidine defixis.

Perorantem nuncium medio in ſermone Eques Bellus deprehendit, Albam patriam inuiſens; cuius cuſtodiæ certam pecunię ſummam à Mantuani Ducis miniſtris acceperat; cum adhuc res integræ eſſent, & plebs à Caſalenſibus auxilium ſolicitaret. Ergo fruſtra cum pecunia diſcrimen adire ratus ſummam omnem Poteſtati Nizæ numerauit; vt licet beneficio Albenſium deſtinata, vtiliter in Nizæ cuſtodiam inſumeretur. Sic ciues conſuluerant. Facultatibus nihilominus ſuis metuens, ne rebus domeſticis eius exitium communis patriæ calamitas ferret (quod pridem euenerat) Albam profectus eſt. Publico interim Nizę prępoſiti, ingruentis mali formidine; ne qua vis inopinata occurreret, vtq; Mantuano ſtrenuam fidámq; operá teſtarentur, magna feſtinatione vicinos in ſubſidiū acciuere; eandem fortem in malis, aut cum virtute ſecuritatem imminere perſuaſos. Bilianus ſuo muneri aſſiduus, contractos in principia nouos milites, temporis & neceſſitatis admonuit; diſpoſitóſque per locorum opportuna ſeruare mœnia, & per vires periculis occurrere imperauit. Nuſquam alibi maior promptitudo, & firmius aduerſum ductores obſequium deprehenſum. Retineri impetus, non perſuaderi debêre diligentia videbatur; adeo in patriæ ſalutem communi operâ omnes conſenſerant. Nec viri ſolùm ferendis laboribus validi; ſed fœminæ ſexum fortitudine ſupergreſſæ, qua ſubtus molienda humus, aut vacuis locis aggeranda fuerat, operi indefeſſæ ſuccedebant, fragmina trabium, ingentia ſaxa, ruderem, fimum, ſarmenta aduoluentes. Quæ patebant loca in arduum educta; vetuſtate & incuria dilapſæ mœnium pinnæ reſtitutæ; turrium corroſa æuo latera, vallo oppoſito firmata; rudera quæ per externa in præceps defluxerant, facilémque aſcenſum reddebant detracta: denique communis cauſa communi labore hilariter tractata. Vix ſextam horam labori ciues impenderunt; & iam vniuerſa circum in arduum aſſurrexiſſe videbantur; ſaxis, tignis recens cæſis, aſſeribúſque aduerſus ictus tormentorum ſolidata. Et hæc quidem apud trepidos & ſolicitos ciues agebantur. Sed & literis Marchio Rubeus munitus eſt, inſtantis & vicinia tenentis hoſtis fama ciues contremuiſſe: habere pręoculis exempla, quibus docerentur aut cum fortitudine perire, aut neglecta fide ſui Principis victorem Sabaudium recipere, minori malo. Quod in ipſis eſſet ſtrenuè executus: ſi populum ſaluum vellet maiori præſidio opus, nullum lento conſilio locum. Rem

Eques Bellus.

prorſus in arcto,& niſi in feſtinatione ſecuritatem. Meminiſſet Nizam obuio ſitu,media in planicie,nullis aduerſus obſidiones auxilijs inſtructam eſſe, ſi inimicum recepiſſet cætera tracturam. Veloci curſore à Rubeo reſponſum eſt; cum metum pridem excepiſſe; quando Trinum quoque oppreſſum, & inſtare cæteris hoſtem acceperit. Tutelæ nihilominus ſtudendum, ideoq; apud eos penes quos ciuium imperium ſit, non fidem ſolùm ſed & vigilantiam opperiri. Haud alio tempore teſtandæ aduerſus Principem ſuum conſtantiæ opportuniorem operam poſſe occurrere. Sibi & obſeſſos (ſi huc Sabaudius flexiſſet) & liberos curæ fore. Municipium interim & viciniora populi ciuiumq; laboribus perſtrepebant: huc illuc delatis manipulis; quorum alij camporum proſpectum aperire,moles ſaxorum portis,vacuiſq; hiatibus aduoluere,conuehere commeatum,ligna,ſarmenta, hortari inualidos, laudare & iuuare laborantes videbantur. Et quia Niza amne aucto plurimùm eâ parte ſecuritatis oppido acceſſurum credebatur, ruſticorum ingens manus accita, conducta plauſtra, iumenta, ingeſti veprium faſces in profluentem; & aggeratâ ſuper humo coercitio torrentis procurata. Vix iuſſa res ardore certantium in ſummum producta; riuuſq; puero ante peruius, abdito vado, in altitudinem intumuit. Id latus oppidi, ſuperſtagnans humor oppugnaturis inacceſſum reddidit. Porrò quò acrius ciues in tutelam procurrebant; eò frequentioribus literis à Rubeo ſtudere ſecuritati iubebantur. Quippe miſsâ ſequenti die epiſtolâ, commeatum toto agro conuehi, & vicinorum oppidorum milites conuocari imperauit; addito ſe breui Ducem, qui vniuerſis prouideret nominaturum. Pari in cætera caſtella curâ vſus eſt, miſſis præceptis, quibus publicam vtilitatem contineri arbitrabatur. Ante alia Aquenſi ciuitati prouiſum, quam vltra Tanarum niſi ijs quæ in propinquo erant ſtabilitis expoſitam Sabaudij deſtinatis nouerat; eoq; paratæ victoriæ opinione, militibus illius oſtentatam, vt gloria decorarentur, fortunis ditarentur. Ioannes Georgius Arcaſius Sargentis maioris nomine paulò poſt affuit à Rubeo miſſus, prudentiæ ac fortitudinis non vulgaris. Hic altius tolli munimenta, maiorem quàm hactenus ſarmentorum ac lignorum vim conuehi, vallumq; calcatâ humo denſari iuſſit: ne tormentorum aſſiduis ictibus quaſſum ſtatim fatiſceret. Paulò poſt Carolus Antonius Roërius, generalis Commiſſarij cognomento & mox Nizæ Gubernator renunciatus. Hic vocatos in conſilium ciues, quæ frumenti, farinæ, ac cæteri commeatus copia intus eſſet quæſiuit; repertiq; à ciuibus præuentam diligentiam; congeſtumq; quantum longæ etiam obſidioni ſufficeret. Sed ante alia farinæ cura & inopia angebat. Certamine pietatis collata à pleriſque ciuibus horrea propria publico vſui; quos inter Ioannes Iacobus Boanus, Odonus Bilianus, Ioannes Dominicus & Thomas Veggij, nobili munificentiâ aduerſus Patriæ ſecuritatem, & ſe Patriâ dignos præbuêre, & cæteris exemplum: ne quis eam liberalitatem auerſaretur, cuius illi ſpecimen præbuiſſent. Molatrinæ etiam labore trahentium volui ſolitæ, & vetuſtate neglectæ in priſcum vſum reſtitutæ ſunt; ne Belbi fluminis curſum cuius miniſterio fruges terebantur, callidus hoſtis interciperet, innatanteſq; Molatrinas ſubductâ aquâ in ſicco deſtitueret.

Io. Georgius Arcaſius.

Antonius Roerius.

Viluerat Trini neglectu, & tot aduerſis, apud Caſalenſes & exteros Rubeus; quò magis vim Sabaudij primo motu excepto ſpetni conſuluerat: vt iam ludibrio exerceri cum ratione poſſe diceretur. Dictatæ itaque literæ, & per conſcium irriſionis ad illum miſſæ ſunt, tamquàm Nizenſes deſcripſiſſent; quorum ſumma fuit: præcedenti nocte inuectos Sabaudios; & nullo ſatis valido præſidio circa mœnia reperto municipium occupaſſe, tria (quod minimum) eſſe peditum millia, equites fere quadringentos vias ac planitiem inſidere; ne vaginâ quidem ferrum eduxiſſe, & vniuerſis potitos iam prædam miſerrimorum ciuium diuidere. Porrò nouas in horam copias accedere, vt Sabaudio Trini contermina inſedenti, vni-

Rubeus falſo nuncio accipit Nizam captam, & Sabaudios in Caſalēſes properare.

ti, vniuerſi propediem iungerentur. Caſalenſem enim ciuitatem victoriarum compendium deſtinari. Conſtantia oris, & magnitudo mendacij Rubeum ſolitâ prudentia dimouit; vt obire nuncium ad ſuos ſineret; non exactè ſingula ſciſcitatus, vnde rei veritas haberetur. Quod itaque ſummâ conſternatione vſu venit, vulgata res in omnes, nobiles ac ignobiles mœrore & trepidatione confudit. Viri ac fœminæ egerendæ paludi quæ foſſas ciuitatis oppleuerat inducti ſunt, ruſtici vicina incolentes, quod iumentorum & frumenti, viniq; domi erat, magnâ confuſione conuectantium in ciuitatem intulêre: nec relicta domeſtica res, ſed in cumulum & ſarcinas digeſta, velut inſequentem à tergo hoſtem haberent, in vrbem vt in ſecurum traxêre. Satis ad ſecuritatem mœnia ciuibus viſa non ſunt; ſed eorum nonnulli arcem elegerunt, in qua cariſſima deponerent. Mediâ in ſollicitudine vanitas miſſi patuit; & conquiri a Rubeo iuſſus eſt. Sed ille iam nemini cognitus ad ſua redierat; & ſatis habuit nobili mendacio Monferratenſes illuſiſſe. Sabaudius tamen è vanitate rei documentum futuri habuit; vt quàm parum viribus & loco fideret Rubeus diſceret; & hinc ſi bellandum foret, euentus coniecturam acciperet. Firmandorum interim mœnium cura apud Nizenſes feruebat; & Ioannes Andreas Spicta curator operum, foſſam ambientem altè duxerat, turres munimine firmauerat, vallum amplius ſolidauerat, materiemq; reparationi conduxerat: indefeſſus, nocte ac die intentus; maioriq; apud ſuos auctoritate, quod promiſcuum laborem accinctus, & gregarij habitu præſideret. Vocati quoque prouinciales feſtinantes accurrerant; & iam duo ferè millia cum iuſtis armis præter ciues numerabantur; maiori quàm inter aduerſa ſolitum eſt conſtantia. Hi enim ciuium fortunam ſuam rati, mutuò ſeſe ad fortitudinem hortabantur.

Io. Andr. Spicta

Viceſimâ ſeptimâ Aprilis Manfrinus Caſtilionus Nizam venit, Monferratum omne trans Tanarum Locumtenentis titulo habiturus. Nec nouus militiæ, aut miniſterij aduerſus Duces Mantuanos erat; ſed qui virtutis commendationem è Belgio retulerat; eoq; apud Vincentium & Franciſcum Mantuæ Duces inter nobiles à cubiculo electus fuerat. Hic vocatos præcipuos ciuium, & inferioris ordinis militiæ Ductores, breui oratione, ſed cui apud virum militarem auctoritas pro eloquentiâ eſſet, miſſum ſe tutelæ loci docuit. Veniſſe proinde in periculi partem; nec labores vitaturum, ſed opes vitamq; communi ſaluti oblaturum. Nunquam hactenus oſtentandæ ſuo Principi fidei, aut approbandæ virtuti, ſpecioſiorem occaſionem inceſſiſſe: eſſe tamen in maiori diſcrimine plus gloriæ; & poſt victoriam commendationis ac meriti apud Principem, qui per bonas artes, plurimum à ſuis ſibi imputari, quod ſoluat in tempore deſideret. Validum quidem & ſucceſſu rerum elatum Sabaudium credi affuturum, quod hactenus conterraneos oppreſſerit; ſed deprehendiſſe imparatos, & longâ pace in ſecuritatem compoſitos. Sibi commeatum, arma, militem abundè ſuppetere; neque virtutis pœnitere: orare tantùm vt optimæ originis memores, incorruptam nobiliſſimi municipij libertatem aduerſus hoſtes tutari velint. Supereſſe externas copias & auxilia quæ Vincentius Princeps Ducis frater, & Marchio Rubeus ſint conducturi. Nec hæſuros aut cunctaturos amplius Hiſpanos; ſed eluendis ignauiæ ſuſpicionibus, & retinendæ exiſtimationi, multa bellatorum millia communi ſaluti tractutos. Infami ac indecorâ deditione (quam eo rerum articulo vel nominari flagitium ſit) ne facultatum incolumitatem crederent. Exemplo Moncaluij moneri, non magis captos, quàm deditos barbarum in morem diripi. Oblatam à Sabaudijs fidem non aliò vergere, quàm vt credentes incautius circumueniantur. Cæterorum caſum, qui hoſtem volentes aut inuiti ſine prælio accepiſſent, ad gloriam Nizenſium addere; ſi ipſi integri, & nullis comminationibus territi, illibatam Patriam; nunquam hactenus vi aut dolo occupatam ſibi

Manfrinus Caſtilionus Nizam venit.

Principiq; ſuo ſeruauiſſent. Inter accuſantes excuſanteſq; fortunam, & vires Sabaudias amplificantes; quam eam gloriam fore; quod arbitrio ac fide, naturalem Dominum retinuiſſent. Mortem vnicuique ſuo fato præſcriptam; ſed cum dedecore, ignauiâ, formidine, an cum virtute obeatur, referre. Id ante alia hoſtem paueſcere: quòd maiori diſcrimine in conſtantes quàm deliberantes certari cognoſcat; & plus apud eos virtutis ſit, qui honoris cupidine potius, quàm rei familiaris caritate depugnant. Inimicum militem non veſte, non armis tectum; frigore, fameq; tenuatum; quæ in primis caſtra deſiderant, meditari: nec tardè coactam, ſed feſtinatam opulentiam circumſpicere. Rapina, cæde, violentiâ vſuros; quæ nouerint in bello ferè excuſari: eaq; impotentius exercere, vbi plus prædæ oſtendatur. Fidem ab eo datam ſocijs & conterraneis emplaſtrum doli fuiſſe, & fraudium tegumentum. Denique quod ex bello mali ſit, ſatis & arboribus imminêre: domeſticas opes, ſanguinem, & fœminarum pudicitiam, virtute vallari. Tantâ ciues conſtantiâ reſpondêre Caſtilioneo; vt virum nobilem puduerit, oratione conatum fuiſſe conſtantiam perſuadere: non fortunas, non affines, non domos, non templa, non agros, non parentes, non liberos, non coniuges, fidei ac pietati in Ducem ſuum ante habituros teſtati ſunt. Nec in eo numero quiſquam repertus, qui libens volenſq; non reciperet imperium; ſeq; omni miniſterio paratum offerret. Hinc præſumpta apud prudentiores ſecuritas oppidi, Duce ac populo de charitate ac fide certantibus. Nec dubium habebatur, id ante alia Nizæ fortunam in tuto ſtatuiſſe, quòd quâ Caſtilionus prudentiâ in imperando vteretur, eadem ciues in obſequendo promptitudine agerent. Et quamquam affuturi auxilij ſpes eſſet, non tamen tempore definita virtus fuerit, ſed fortitudini ac fidei, nullâ externi militis expectatione facultates ac vita ſacrata. Strenuè hæc apud Nizenſes fiebant; numeroſus tamen hoſtis, quiq; metuebatur breui affuturus, plura in tutelam perſuadebat. Magiſtratus enim geminandi, addendi ſingulis vicarij, intus foriſq; prouidendum erat. Et quia niſi præſentibus ciuibus ardua rerum Caſtilionus exequebatur, conuocari potiores iuſſit; vt certior imperijs ſtabilitas eſſet, quaſi facerent ea, quæ ipſi conſuluerant. Tum Caſtilionus multum operæ circa mœnia; plurimum in retinendo amore laboris inſumptum, multum commeatus inuectum faſſus eſt; ſed paucioribus hæc aliaq; fieri potuiſſe; ſi præfecti ſingulis eſſent, qui ordine ac ratione curam proſequerentur: Tumultuariè enim eleuari mœnia, erigi humilia, ſepes obiectas foſſaſq; æquari, vicinas oppido arbores cædi, ſarmenta ac tigna importari, induci commeatum; plumbum, puluerem bellicum, funiculos igneos comparari: quibus ſi modus, ſi ratio, ſi certi adminiſtri adſint, plus horam quàm diem ſolidum profuturam; & ſcituros ipſos quorum diligentiâ proſpectum neceſſitati ſit, aut ſecordia peccatum. Laudauêre populares diligentiam; & quod ex vſu præſenti foret, vti exequeretur orarunt. Sic præfecti cuique operi additi; patuitq; plus in poſterum diſciplinam; quàm inconſultam ſolicitudinem valuiſſe; dum medio in opere ignari turbant peritos: eadem enim ſæpius demoliri opus erat, vt peritè vtiliterq; procederent. Deprehenſum ſtatim eſt, feſtinationem imperia præuertere.

Creſcebat interim externa militia, & duo millia iam & quingenti ferè cenſebantur, cum è ciuibus duas ſolummodo centurias Duces coegiſſent. Imo loco & neceſſitati maior numerus videbatur; vixq; tractâ in plures dies obſidione, certo obſequio duraturus. Vt ferè in arcto confuſio eſt; & trepidis rebus, quæ quis per licentiam admiſerit, condonantur. Fruſtra illatum municipio ſubſidium videbatur, niſi diſciplinâ contineretur; parumq; ciuium vtilitati cautum videbatur, ſi quæ in hoſte diſplicuerant, ab auxilijs amiciſq; paterentur. Iam enim leuia quædam furta, & neglectus modeſtiæ honeſtatiſq; audiebantur. Officinæ mercimonio refertæ, parum tutæ inter tot ignotos erant. In hunc metum ſæpius cum Du-

cibus.

cibus Caſtilionus queſtus eſt; & vbi plus formidinem quàm reuerentiam valituram deprehendit, admonitis centurionibus, minas addidit, non fruſtra in contumaces caſuras. Neque enim ſua imperia interpretari; non cogi, aut diuidi, non alieno quàm ſuo iuſſu moueri arma, non de pace loqui iuſſit. Pro deſertore habiturum ſe teſtatus; ſi quis famam hoſtium ſuppreſſiſſet, colloquio inſtitiſſet, mœnibus iniuſſus exceſſiſſet, nocte receptus foret: ſi quis honeſtarum fœminarum pudicitiam tentaſſet; ſi quis pueritiæ illuſiſſet; ſi quis numinis maieſtatem, diuorum honorem conuicio minuiſſet; ſi quis templis vim, ſi priuatorum ædibus intuliſſet; ſi annonam rapuiſſet, ſi diſcinctus inceſſiſſet: denique ea ciuibus militibuſq; imperata, quæ externum bellum internâ pace mollire videbantur. Medio foro fixa patibula, & pœnarum inſtrumenta, delectiq; carnifices; vt cœpta quorundam licentia premeretur; ſciretq; turbatores quietis, in facinoroſos more belli animaduerſionem proceſſuram. Apparuit plurimum metum profuiſſe, minus enim in ea militia, vbi rigor valebat, quàm alibi conceſsâ petulantium licentia peccatum eſt. In hoc quoque quod militiæ legibus, & tranquillitati ciuium quæſitum fuerat, & Duci & populo parum æqui inuenêre quod detraherent accuſaréntque. Expoſita enim in publicum tormenta habendis in officio militibus non fuiſſe vulgarunt; ſed opprimendis ciuibus ſi deditionem neceſſitate expreſſam perſuaſiſſent. Quippe paucos ante dies, eos liberè faſſos, bellum & obſidionem tolerare nolle; & ne ruſticæ opes ſpes camporum, hoſtili inſultu excinderentur protererenturq;, aut cætera belli mala paterentur, pacis conſilia cum adſcitis militibus tractauiſſe: collatis rationibus, & mutuo hortatu. Ineſſe quoq; Pedemontanis ciues conſanguinitate nexos; qui amicitiâ aut metu cæterorum conſtantiam frangant. Eam fiduciam, timorem, ignauiam validis minis explodi debere, conteſtatione tormentorum Caſtilionum voluiſſe. Nec ille tamen, licet quæ iuſſerat reprobari, & diligentiam ſuam conuelli ſciret, propoſito deſtitit; ſatis ſe officio facturum putans, ſi remedia cauſis congruiſſent. Quod tamen inter ſuſpectos vſu venit, qui ciuium illa dictata crederét, ſecreta odia nutrientium; quaſi in Ducem famæ popularium inimicum; & ad extremum publicis ſcriptis erumperent; dum Caſtilionus ſua conſilia, ciues honorem fidei ac conſtantiæ tuentur. Si in plures hebdomadas tracta oppugnatio proceſſiſſet, publicum exitium ea animorum alienatio poterat prouocare. Meliores tamen quibus cócordia in votis, & Ducis ac ciuium par amor inerat, nullâ Nizenſiũ culpâ oſtentatas pœnas; & quod retinendis in officio militibus, terrẽdis exploratoribus, caſtigandæ negligẽtiæ aut petulantiæ frænandæ quæſitum fuerat; ſubdole à detractoribus in ciues innocentes conuerſum tradidêre. Mos ac conſuetudo militiæ perſuadere videbatur, nullis cuiuſquam erratis inſtrumenta tormentorum expoſita; vt ſciretur, nec ſine pœnâ flagitia; nec ſine præmio virtutem fore. Neq; tamen his odiorum initijs publica ſalus neglecta eſt; ſed honoris deſiderio, quem recẽtis militiæ votum oſtenderat, ſemel cœpta cãdẽ alacritate in finem deducebantur. Nulla pars mœnium veteres hiatus referebat; præcluſi aditus omnes, foſſæ altè depreſſæ, vepres in vicino auulſæ, ſepeſq; ne ſuggredientem hoſtem tegerent, ſolo æquatæ; omnia ex diſciplinâ abſoluta; mixtæ enim vitis fœminæ, diurnos labores conſtantiſſimè tolerauerãt; & ne pueri quidem leuiora omiſerant; vt ætas & ſexus ſecordiam (ſi quæ ſuberat) excuteret. Vbi munimentis prouiſum, diuiſa in portiones loca, & proprias quæq; excubias nacta ſunt; pérque vices ſolicitudo deſcripta: vt ſecuram diem tutior nox exciperet; nec inter certantes diligentiâ cuſtodes aliquid occurreret, quod excuſandum foret. Sed ante alia commeatus vis inducta, vberior neceſſitate; ſatis perſpecto præſidia ſeruantes, non aliâ cauſâ facilius in diſcordias labi, quàm vbi penuria premuntur; & illimitatus labor definito cibo penſatur. Annonæ cura in delegatos tranſlata; iuſſiq; ſingulis diurna alimenta fideliter largiri, præſcripta

lege, quâ quantum cuiuis centuriæ daretur miles ſciret, nec poſceret opulentiora. Poſtremò plumbi inopia non hactenus credita Rectorum ſtudium aduertit. Ergo paucos ante dies huic negotio impoſitus, acceptâ è publico pecuniâ iuſſus eſt à vicinis corradere, & ſecretiſſimè comportare: ſuſpecta enim itinera, imminentis hoſtis, & vicina inſedentis fama reddiderat. Hic cum longiori tractu, & geminatis metu difficultatibus, vnde olim comparare ſolitus fuerat eundum ſibi cognoſceret; fallaci ac periculoſo compendio, ſéque ac pecuniam (ſecuritatem enim itineris celeritatemq; ſectatus dicebatur) commiſit. Quamquàm peruium hoſti, vt vel in pace latronibus obnoxium moneretur. Paucis à Nizâ paſſuum millibus in prædones incidit; nec ab ijs aliud humanitatis retulit, quàm vt tradito auro, incolumis ad ſuos redire permitteretur. Statim vulgatum creditúmque Sabaudios præcurſores, & in obſidionem properantes peculatum admiſiſſe. Iam enim vſus aut opinio obtinuerat, vt vniuerſa ſcelerum quæ procul oppidis admitterentur, etiam neſcijs Sabaudijs imputarentur. Nec opinio cum iniuriâ erat; quod nullum vexationis genus apertum hoſtem dedecere crederetur, ſiue palàm, ſiue ſecreto exerceretur. Accolas fuiſſe facti conſcios; & quæ delata pecunia fuerat multi credidêre: & quia legatus neminem agnouiſſe aſſerebat; nec habitu, aut ſermone coniecturam ſumpſiſſe; fraudem illius nonnulli ſunt interpretati. Receptum enim conſenſu mortalium, quod in bellantibus Principibus ius eſt cauſa motus, in milite eſſe auaritiam; ideo ferè excuſatam, quod prodigentiâ vitæ, habendi cupidinem excuſare bono iure videatur. Nec tamen exactius ab eo facti ſeries petita: quòd inter ancipitia, nulla minorum cura ſit; & vexationibus grauioribus preſſâ Republicâ, non omnia Duces exequuntur. Miſſi ſtatim alij, iuſſiq; non eodem itinere proficiſci; qui vim plumbi, vnde olim haberi ſolitâ erat, magna Caſtilioni lætitia retulerunt. Bellici pulueris non ea ſuberat anguſtia: confecti abundè erat; & publicanus fabricandæ impoſitus in dies ſingulos centum quinquaginta pondo publico ſe reproducturum ſpopondit. His ritè diſpoſitis; domeſtico & externo militi agendorum ordo præſcriptus: ne duratione laboris ac vigiliarum, vniuerſi ſimul frangerentur. Metus enim ſolicitudinem addiderat. Septingenti cuiuis nocti deputati, partitaq; in Duces opera; vt iam nouo imperio opus non eſſet. Equites verò longius curare, viarum diuortia, & ſuſpecta itinerum ſcrutari iuſſi; ne quid inopinatum occurreret; quod inter neſcios aut pauidos tumultum conſternationémve conciret. Summam quoque turrim oppidi vigil aſſiduus ſeruabat; aduenarum & tranſeuntium numerum ictibus campanæ ſignificaturus: & ſi ſpecies exercitus ſeſe obtuliſſet, iterato ſæpius ſono multitudinem detecturus. Diſcretus labor diligentiam intendebat, quaſi ſucceſſuri, priores obſeruaturi & correcturi forent; nec alijs ſtimulis ad fortitudinem quàm mutuâ æmulatione egerent. Nil ſupererat quod humano ingenio, in ſecuritatem oppidi conquiri poſſet; forti tantùm animo opperiri hoſtem, & futurorum exitum ac remedia præuidere licebat. Mediam ciuium diligentiam, quorundam ſuſpicio remauit; qui opinabantur haudquaquàm eò flexuros Sabaudios; ſed partis opulentum, vlteriora neglecturum. Nizam quippe, ſeptem vallium coitione, in medio ac plano ſitam, excludi Monferrato non poſſe rebantur, quin pars aliqua falleret obſeſſorem, & eâ ſubſidium accurreret: nec putauerant promptum hoſti eſſe, vniuerſos aditus diſpoſito milite cuſtodire. modicum illi exercitum in tot expeditiones eſſe. Trinum, Moncaluium, Albam partem maximam abſumpſiſſe, dum vnicuique ſuffecturum præſidium infertur. Parum etiam prudentiæ congruere; ſi quod retinere nequeat, valida oſtentatione conatus aggrediatur. Iam Nizæ muniti ac defenſi oppidi oppugnationem ſine bellicis tormentis fruſtra tentari: ea verò humido paludum, & tenaci circum limo

conduci

conduci ad bellum non poſſe, niſi manifeſto amittendi periculo. Porrò non Trinum, non Moncaluium, non Albam Nizæ comparanda: illa enim imparata, & habito adhuc domi Mantuano Oratore aggreſſum dolo Sabaudium eſſe; Hanc prouiſu belli, opportuno auxilio minari potius poſſe, quam metuere. Non hic pauidos & externa tantùm auxilia proſpectantes aggreſſurum; ſed ciues intrepidos, ſed accolas conſanguineos populos, clauſos mœnibus ac vallo, foſſa & turribus ambitos, commeatu bellico & annonâ inſtructos, armatóſque. Tria ferè bellatorum millia numerare, ſtrenuos Duces, & quod ante alia ſit, coniuratos omnes in rerum tutelam, quin imò detectis iam Sabaudij deſtinatis, ſociorum inſuper auxilium è vicino opperiri. Eâ ſe imagine ſecuritatis Nizenſes nutriebant; vt crederent, hoſtem iam in vicino aut eam expeditionem non tentaturum, aut non auſurum. Augebat credentium errorem, vulgata per Monferratum opinio, ſecretis & priuatis cauſis Caſtilionum Sabaudio auerſum eſſe, & hunc illi acriter indignatum ſui quoque metu conſtantiam additurum. Inuiſus enim Sabaudio Caſtilionus, & non vna cauſa exoſus ferebatur; etiam antequam in eam adminiſtrationem miſſus foret. Contrà qui Mantuani ſtudio aderant, quiq; dicendi licentiam æmulabantur, breui affuturos Sabaudios dicebant: non alio argumento nixi, quàm quòd callidum opportunitatum, inquietum, odio Mantuani procurrentem, conſcientiâ Inoyoſæ ſecurum, neceſſitatibus militum ſuorum impulſum dicerent. Neque enim vnquam cupiditati ſatisfeciſſe, aut paratæ Monferrati poſſeſſioni abſtinuiſſe. Quod ſi tum pulchram, & ſeſe vltrò offerentem fortunam deſtituiſſet, fruſtra nouas occaſiones ſectaturum. Solùm nempe Mantuanum, non pecunia, non milite, non amicitijs ſeptum, ignarum militiæ; & pacis præſumptione circumuentum. Addebant Pontificem rebus ſuis ſtudêre, Venetos recenti ſeditione Auſtriacos formidare; Hiſpanos nouæ fidei non credere, Gallos auxilio accurrere, aut non poſſe aut non velle. Monferratum opinione quietis potius quàm armis vallatum; nec apud proceres integram aduerſus Mantuanam fidem, aut facto affectu indubitatam caritatem eſſe. His vel ſtupidum hoſtem imitari ad opportunitatem poſſe, quantò magis audentem, fidentémque. Quod ſi iſta metum affuturi Sabaudij non perſuadeant; cui ignotas ſpes eius, aut erga difficilia conſtantiam? Auſum non ſemel Geneuenſes, etiam Regem Gallum inuictum bello laceſſere. Nec quamuis fortitudo animi, aliquo nobilium Sabaudiorum ſanguine, & prouinciæ imminutione ſteterit, ideo generoſos ſpiritus demiſiſſe: ſed in Mediolanum ipſum oculos defixiſſe: Principem ad labores, pericula, bella natum; quem deſtinato metus non detrudat, non ſudor frangat, non difficultates retineant. Denique cui certum ſit quamquam certo exitio, nec ferre iniurias, nec ſuis in tempore deeſſe. Fouete quin etiam implacabilem in Mantuanum Ducem indignationem, eò acriorem quò recentiorem; & deſperatione recipiendi, cauſæ æſtimatione, quod tot annos apud Cæſarem experiatur, fermè ad impatientiam deuolutum. Timere Hiſpana arma potuiſſe; niſi Inoyoſa multo auro, ac beneficijs ſuperatus, conſcientiam illius conatibus compoſuiſſet; vt Mantuanus prouincia, Hiſpanus Rex exiſtimatione nudarentur. Tardè querelis Gubernatorem Mediolani, apud Regem accuſari, tardè præuaricationem perſuaderi, tardius exequi; amorem ſuorum, odia Mantuani, officia amicorum proceſſu temporis intercurrere: iiſque rerum faciem ac negotiorum conditionem mutari. Proinde concludebant ſubeſſe Duci fortiſſimo inchoati motus certam neceſſitatem: nec enim deſcriptam militiam, diu ſine ſtipendio retinere ſub ſignis poſſe: nec vnde tantum auri corraderet, quod præſenti ac futuro ſufficiat, occurrere. In direptionibus ac prædâ ſpem habere; vt Monferrati opibus nutriat ſubleuétque, quorum

S 2

operâ augeri res ſuas intendebat. Ea cauſa Trinenſes, Moncaluenſes, Albenſes collationibus hauſtos; in hunc finem imperatam paganis ſuorum hoſpitalitatem & ſponte deditis, iſta velut leuiſſima imperata. Quid factutum in peruicaces & obſidionem prouocantes, reliquorum comparatione poſſe coniici. His Sabaudio aut Mantuano faciles, modeſti & audentes celerem hoſtis aduentum perſuadere conabantur; non magis vt Nizenſibus ſubderent animos, quam vt terrerent.

Niuernienſium Ducem Sauonã delatum Nizenſes diſcunt.

Id ferè in eos dies incidit, cum Niuernienſis in Italiam naui appulerat. Futuræ itaque obſidionis metu anxios, delati Sauonam Niuernienſis lætus nuncius deprehendit: conuerſíque omnium animi in ſpem ac ſecuritatem videbantur: Nec enim Principis illius fluxa exiſtimatio hactenus fuerat: & Gallus gentem ſuam tracturus in nepotis tutelam credebatur, & auxilium Prouinciæ; ſacroſanctæ parentis memoriæ & virtuti ſuæ deuinctę. Mox Aichium deuectum recepere, & Caſalenſes continuato itinere deſtinare. Delecti publicorum munerum adminiſtri qui Principi obuiam procederent, aduentantem exciperent, & intra mœnia deducerent. Ad pontem Belbi amnis, Gubernator, Poteſtas, ducéſque cohortium venerant. Ille grato hilaríque obtutu officium populi commendauit; Bazanorum tamen ædes hoſpitio delegit, quorum hoſpitalitate vſum parentem, cum in Gallias proficiſceretur, didicerat. Vix alteram horam immoratus, qua maximè feſtinatione licuit, cœptum ad Caſalenſes iter eſt proſecutus, dimiſſis oppidanorum nobilioribus; qui ſeſe comites, dubiis licet rebus obtulerant. Accepere Ducem iam ciuitati ſuccedentem Marchio Rubeus & turba procerum; quos Principis amor, & in Gubernatorem obſequium aggregauerat. Breui ſalutatione reddita; cum cauſam Romanæ peregrinationis (quam auditi motus diſſuaſerant) expoſuiſſet; veniſſe ſe dixit, vt Mantuæ Duci nepoti ſuo ac communi domino, præſens ſtudium fidémque probaret. Inter gregarios ſe locum poſcere, & vel haſtatum primam in aciem iturum. Vulgus haud dubiè placuiſſe aduentum credidit; niſi quibus anxia dominatio & metus imminuendæ auctoritatis turbauerat animos. Ignari ſcilicet magnitudinis Principis viri erant; cui certum erat, non ideo veniſſe vt imperaret; & multo minus vt æmulatum cum minoribus exerceret. Sed potentia non ſua vi nixa fere cum ſolicitudine eſt; & quo magis ambita dominatio, eo promptius ſuſpicationes admittit. Profecto Niuernienſi, non iam à tergo relictos ſe Nizenſes, ſed ad tolerandam obſidionem (ſi caſus tuliſſet) animatos rebantur: & tanquam ſecura ſpe affuturi ſibi auxilij, certius vt in ſecuro agebant. Die eodem paganus Aſtio digreſſus aduenit. Hic expoſita in publicum tormenta retulit: & conquiri iumenta, quorum opera in deſtinatum trahantur. Addidit mendacium (ſiue inſcitia, ſiue ſtudio) Sandamianum quippe tempeſtatem belli verti, & eo miſſas aliquot centurias, quæ agrum circum occuparent; inſidiáſque, ſi quæ laterent, detegerent. Sabaudiorum conſilia clam Nizenſes fuerunt: quamquam enim fictę in hoſtem fidei incolæ, multo auro emercati, cogitationes illorum explorare; & maturè referre iuſſi forent; vniuerſa tamen apud Duces & minoris ordinis adminiſtros, tanto ſilentio expediebantur; vt ſecretum nemo perrumperet. Non alio argumento certius Sabaudij profectus innotuere; recepta iam apud præfectos opinione, dimidium victoriæ in ſecreto eſſe; & ſatius eſſe arcano quam armis negotia inuolui. Et quidem poſt factum accepimus, pręter ſupremũ exercitus Sabaudij Ductorem (in quo fortitudo, & militaris diſciplina, rebellionis aduerſus Mantuanum vulgatę notam eluere videbatur) nemine ante executionis horam conſilij participem fuiſſe. Sed cum nocturnum prælium meditaretur, de diurno; cum Nizam cogitaret de Sandamiano loqui ſolitum. Ferebatur etiam Sabaudius vniuerſa imperſpectis characteribus

perſcri-

Digitized by Google

perſcribere conſueuiſſe; ne deprehenſæ ac interceptæ literæ interpretarentur. Eos vni Sangeorgio cognitos; & Ductorum quoque ſingulos proprios, alteri imperſpectos habuiſſe. Adeo Princeps ille; quidquid vſquàm ſtudij, artium; virtutum eſt, in vſum contulerat; vt cum iniuriam Mantuani acrius vindicaret; &, ſi fortuna virtuti reſpondiſſet, cum vota ſua magno imperij incremento ſtabiliret, impleſſe Principem locum cognoſceretur. Sangeorgius quoque quò maiori flagitio peruicaciam aduerſus Ducem ſuum retinuiſſe incuſabatur; eò datam Sabaudio fidem, religioſius tuebatur: id præcipuè ſectatus, ne vtrinque perfidus audiret. Vitare ſe potentioris odium ſtrenuâ operâ nouerat; & tollere è medio ſuſpicionum inania, quæ nonnumquam vel integerrimos peſſumdant. Infidum Sabaudio credi Mantuanus voluerat, irrito euentu; quòd nullis coloribus appingi perfidia poſſet, ſciretq; vir nobilis credita à Sabaudio præuaricatione; nullum in poſterum Principem ſuperfuturum, cuius bonæ opinioni protectioniq; ſuccederet. Eo in primis temperamento ſtipendia faciebat; vt certum eſſet nec vigilantiorem ad occaſiones; nec fortiorem in periculis eſſe poſſe. Turpes quoque belli negotiationes ita auerſabatur; vt manipularium nonnulli exemplo potius quàm imperio, ſordibus abſtinerent. Quoties diuidi prædam conditio victoriæ perſuaſerat, militi omnia permittebat: apud ſe præter gloriam, nullum aliud præmium requiſiuerat. opes quoque domeſticas (quæ apud Monferratenſes inter prouinciales maiores erant) vſui militum erogabat. Ita vbi magnificentia, fortitudo, temperantia viſebantur; nec eſſe poſſe, nec credi perfidia debere videbatur. quod ille ante iuratum Sabaudio miniſterium proſpexerat; vt medio in curſu tumultuum, cauſas omnes excuſationum auerteret. Aſtium interim deſtinatæ Sangeorgio expeditionis cauſâ, ſolicitè agebat. Sed dum cogitur in centurias miles, luſtrabatur eques, puluis bellicus, tormenta, quæ in vſum oppugnationum comparantur promuntúrque, paulatim detegi conſilia cœperunt: in Nizam nempe vim deſtinari. Argumentum ab itineris correctione ſumptum eſt; quod miſſis operarijs complanari, & cœnum amoueri Sangeorgius iuſſiſſet, qua vehenda tormenta, & bellicæ machinæ erant. Porrò nobilis municipij obſidionem tradituri; vt pro virili vniuerſa ſerie cognoſcantur; quando facti huius fides adhuc laborat, ſitum loci exactius, & adiacentium compendio proſequemur: Neque enim certum factorum iudicium, deliberationumq; æſtimatio apud obſidentes & obſeſſos integra eſſe poreſt; niſi ſingula quo loco patrata ſint, ſciatur. Alibi enim pedites, alibi equites inuehi, tendere, certare conuenit. Locorum ille inſidias patitur, non admittit alter. Subſidia certis itineribus interdum, interdum furtiuis ſubmittuntur; & oppugnatio ipſa, nonnunquàm cum victoriâ damnatur, aut cum repulſa commendatur.

Niza vetuſtate & ciuium numero celeberrimum Monferrati oppidum, trans Tanarum apertâ in valle conſedit, trianguli figuram æmulata: Belbo Meridiem, Nizâ amnibus Septentrionem alluentibus. Circum elati colles fœcunditate inſignes; qui vt ornamentum delitiaſq; proſpectantibus; ſic quâ munimenti ſecuritas ſpectatur, parum vtilitatis conferunt. Horum bini proximè elati ſuppoſitis mœnibus imminent; vnde certo & librato ictu ea quati poſſunt. Per ambitum tribus portis aditur, Occidentalis Lancrij, Orientalis Belmontis, tertia in meridiem verſa, & anguſtior, ipſamet agri planicie humilior, in præſidium depreſſa, ſubſidij appellatur. Intus duo fermè incolarum millia; quos inter licet nobiles aliqui cenſeantur, plures tamen exercendo agro, & mercaturæ dant operam; ſitus opportunitate inuitante. Murorum ſoliditate, aut foſſæ profunditate haudquaquàm tuta eſt. Vanum muniendi laborem iniquitas ſitus diſſuaſerat; Arx tamen anguſtior, vetuſtâ murorum infirmitate, lateri portæ Belmontis magnifico opere impoſita *Niza flum.*

fuerat; quæ inſtante bello ſolo tenus æquata viſebatur; rudere ac ruinis in molem ſuperfuſis, præcedentium bellorum documento. Franciſcani inſtituti duo aſſidenr cœnobia; quorum qui Minores Obſeruantes Religionis ſolito vocabulo dicũtur, Septentrioni; Cappuccini Occidenti prætenduntur. Vtrumq; decenti ſtructurâ, & Monachorum numero celebre. Hinc latè fuſa planicies, frugum ferax, colles vineis conſiti; piſcoſi pro magnitudine amnes ſunt. Et licet vtilitati incolarum, vſus amœnitaſq; reſpondeat; inſalubre tamen cœlum, ſcaturigine aquarum, & ſubterraneâ palude cenſetur. Oriente die denſâ caligine vniuerſa ambiuntur, hinc argumentum. Bello locus omnino inutilis; non enim muris, non propugnaculis, non aggere vallatur; non ex tenuium alluuione amnium vllam habet ſecuritatem.

Quamquam audito metu, & formidine hoſtis excepto, curæ oppidi impoſiti, terrâ, ſarmentis, raptim cæſis comportatiſque, munimento firmare nixi forent, elatis mœnium vicinis, & ducta circum foſſa. Accedebat difficultatibus bellicorum tormentorum inopia; cum minoribus tormentis aduerſus bombardarum ictus decertendum haberent. Qua in Liguriam itur, mediam viam tenet oppidum, vnde diuitiarum occaſio, & ex mercatura frequens quæſtus. Hinc cupitam Sabaudio Nizam, opinione ingentis prædæ; quâ & bellum in futurum iuuaret, & milites egeſtate ſqualidos recrearet, apud Monferratenſes vulgatum eſt: ſed altiores illi cauſæ expeditionem perſuaſerant; validi municipij acceſſio, & accolarum toto eo tractu formido; quaſi minores potentiorum fortunam complexuri forent.

Vndecimâ menſis certiores nuncij detulerunt; iam hoſtiles copias loco motas, & in certam oppugnationem properare. Quia tamen tormenta bellica nondum Tanarum tranſiuiſſe ferebatur, ſpes inceſſerat, aliò belli impetum poſſe conuerti. Vniuerſi tum nocte ingruente Albiani ſubſtiterunt, retinentibus progreſſum impedimentis ac tormentis, quæ vis magna iumentorum ægrè vaſtabat; continuis imbribus effoſſa itinera & cretoſæ conualles congeſto humore putres, homines equóſque hauriebant; & præcedentes ſubſequentibus imperuia omnia coacto in lentorem cœno reddebant. Pedites quidem in genua vſque demerſi vix labore ingenti ſeſe hiatibus expediebant. Sequenti vicinorum oppidorum militiam in aliquot millium numerum auctam, & procedentibus Sabaudiis vnitam recta Nizam progredi; exploratores docuerunt. Primum agmen Heluetiorum peditum erat, Gualterio Amerino Duce; non ad bellum ſed tamquam ad prælium, diſpoſitis manipulis ac centuriis; quantum viarum latitudo, & impedita cœno via permittebat. Trecenti ſclopetarij equites fronti præfixi incedebant; ne itineris labore fractos Monferratenſes incurrerent obſiſtere iuſſi. Peditum equitúmque alij ordines ſequebantur, inde tormenta, cum puluere ac globis vt fortitudo hoſtium timórque ſtatim oculos exploratorum perſtringerent. Mox cæteri mixti vel aggregati modo diſciplinæ; nullo licet inſidiarum formidine. Quinque bellatorum millia dicebantur. Sanmarzanum primum caſtris locum delegerant: præſumpta ruſticorum ædium copia, quibus ſe aduerſus cœli iniurias tutarentur. Grauis enim tempeſtas, & fuſo indefeſſè imbri intoleranda erat. Nemini tanta erat tegumenti firmitudo, quin totus pluuia difflueret; & recepto humore rigeſceret: opinione tamen humiditatis eluſi ſunt. Raras enim ruſticorum caſas inuenere; quod pleraſque Nizenſes, ne hoſtibus præſidio eſſent, corruperunt, trabéſque & crates quibus conſtiterant intra mœnia conuectauerant. Id aduerſum patronos publica ſolicitudo peruicerat; vt priuata vti-
Sabaudij Nizam delati. litas omnis in Rempublicam verteretur. Simul quia copiarum duces, vlteriora quàm quæ initio deſtinauerant proceſſerunt, miles non ante ſubſtitit, quàm ad Cappucinos delatus, certiorem, ſecurioremque ſtationem reperit.

Motum

Motum iam hoſtem, & qua illi iter eſſet Caſtilionus multorum relatu didicerat. Ergo vocatum Siluium Viam, cum quingentis peditibus, & quinquaginta equitibus (cæteros enim ipſe domi attinuerat) obuiam aduenientibus procedere; & primos quidem infeſtis eminus ictibus terrere; vbi formidinem feciſſet, turbare ordines; & pro virili, ne ex arbitrio caſtra metarentur prohibere, iuſſit. Siluius Nizâ egreſſus, & in confertum equitem Sabaudium caſu delatus, parum abfuit quin circumueniretur. Ergo viſo periculo inhibuit ſuos;& ne ad certum ictum denſi deſtinarentur,ſparſit. Supra mille & quingentos fuiſſe; quibus vicina Heluecitrum duo ferè millia animos dabant fuiſſe retulit; Vix quingentis paſſibus diſſitos plures ſuccedere, in iuſti exercitus formam, quibus obiicere paucos ſuos non expedierit. Sabaudij raros, & inter condenſos arboribus campos Monferratenſes equites peditéſque trepidatione ſolutos conſpicati, fugatos ad ſua compulere. Nec illi timorem,ſed prudentiam interpretati ſunt; quaſi ſe inoffenſos Reipublicæ ſeruauiſſent. Id boni ominis initium Sabaudios audentiores ad futura reddidit. Receptum tamen illum ſolutæ fugæ haud abſimilem, & riſere hoſtes; & Caſtilionum ægrè tuliſſe accepimus. Quippe carpi primos ordines, & an numero animi congruerent experiri; leuíque ſaltem velitatione reſtari virtutem debuiſſe fatebatur. Sed Siluius multitudinem hoſtium, & equitatus ſui renuitatem excuſans, eò vſque inculcatione periculorum, & copiis inimicorum, & apparatus bellici amplificatâ, nouum ſuis terrorem incuteret, parum tempori opportunum. Iam enim nonnulli infractâ licet fide;cum abſentis hoſtis vanitati,ambitioni,infirmatique intonaſſent, præſente parcius locuti, indubitata pauoris ſigna præbuerant. Et ipſe quod apud Caſtilionum acriter executus fuerat, ſecretè apud militem ciuéſque vulgauit; vt creditus hoſtium numerus prudentiam formidinis perſuaderent. Ergo ne Siluij excuſatio, diu & anxiè reperita, frangeret vniuerſos, omiſſo præteritorum examine, in reliquorum curam intendit. Neque enim eas ſub ſignis copias habebat, quæ plura millia toto agro arcere poſſent. Summâ è turri Mantuani Ducis inſignia Cardinalitio galero conſpicua appendi imperauit: quóſque ante hoſtis aduentum locos cuique ſeruandos dederat, conſtanter inſiſtere iuſſit; breuem & inanem obſidionem fore conteſtatus; ſed apud militem ſuum ampliſſima fortiter nauatæ operæ præmia teſtatus. Niſi ſingula & non omnibus obuia perſequi animus eſſet, famam tum vulgatam conſultò omiſiſſem. Sed quia grauis auctor, & viſæ nobiliſſimi viri literæ ſuſpiciones intendunt,referre libuit. Monebat ille Caſtilionum vix oppidum ingreſſum; ideo illum municipio inermi, & omnibus quæ hoſtem morarentur deſtituto impoſitum à Rubeo, vt prodito amico, indignationi Sabaudij velificaretur. Id tamen aut non credidit Caſtilionus, aut amore laudis periculum contempſit. Nec mirum eſt, odio prouinciæ laborantem Marchionem cunctorum detractionibus diſtractum;aut apud Monferratenſes caritatem non inueniſſe, qui ne apud Mantuanos quidem & ſuos, inconcinnitate quadam morum, nemini tamen damnoſa carpebatur. Sabaudij qui elapſos Monferratenſes fruſtra perſecuti fuerât, ad Cappuccinos vſque delati,an clauſtra Cœnobij prouinciali milite tenerêtur,præmiſſis pauculis experti ſunt. Et vbi nullũ intus hoſtẽ, nullas ineſſe inſidias deprehenderunt, opportunũ ſtationi locum delegere. Præcipui ac nobiliores eò vertere;non hoſpitij magis quã vicini belli occaſione inuitati. Duo ſtatim tormẽta bellica rectà in Nizenſes conuertere, tutelæ loci, & formidini obſeſſorum. Illico enim quatere mœnia, & niſi deditio properaretur vim inferre cogitauerant. Excludendam moram omnem nouerant:breui enim Hiſpanos exercitus,& conclamatas in ſubſidium Monferrti copias laborantibus affuturas audiuerant. Præuenire neceſſitatem abeundi feſtinabant: ne tot oppidis vi aut deditione receptis, Nizæ oppugnatione vires famámque detererent. Et quidem Sabaudij futu-

His obuiam ſe dat Siluius Via cũ 500. pedit. & 50 equit.

Sed ſtatim fugatur.

ta præteritorum æſtimatione iudicantes; gnarique Nizenſes non numero, non tormentis, non mœnium robore tutos, quamcunque moram, licet cum victoria flagitio & ignauiæ dabant. Vt glorioſam celeritatem Duci ſuo, & honorato nomini induerent, ſtudium virtutis commune erat, ſpes eadem. Nondum venerat in caſtra Sangeorgius; itaque qui præmiſſi fuerant quoſdam militum vallum apud ſuos educere iuſſerunt; vt tecti aduerſus Monferratenſium ictus, oppugnationem cautius proſequerentur. Statim laboris vanitas patuit; quod longius ab oppido diſſiti, incertos ictus ingerere, & dare in caſum plumbeam glandem viderentur. Proinde tectas vtrinque vias (vt vocant) fodere miles iuſſus; vt egeſta humo, & aduerſus propugnatores iactâ, tolleretur agger quo vniuerſi tegerentur: ſicq; ad viciniora peruaderent. Equitatui, vt laborantibus aſſiduè adeſſet imperatum: ne qua ciuium eruptio turbaret operam, aut molientes in tutum ſe recipere prohiberet. Simul vt milites audita conſternatione arma caperent, & certamen operariorum exciperent. Incertum nihilominus Sabaudijs erat, an Nizenſes toleraturi obſidionem, aut forent certaturi. Quod pauci multis obuiam proceſſiſſent, conſtantiam; repentina eorundem trepidatio metum perſuadebant. Re itaque dubia equitum nonnulli intra teli ictum ſeſe clauſis obtulêre; non oppidanorum ſolùm animos tentaturi, ſed munimentorum quoque vim ac formam ſpectaturi. Ciues per loca diſpoſiti, viſo hoſte; nec habito adhuc Caſtilioni imperio, propius ſuccedentes, ſclopetorum ictibus impetiuêre. Sic illi viſa conſtantiâ ad ſuos rediere: cum inſuper Monferratenſes temeritatem, vilitatemq; à longè deuectis improperarent. Præcipuum in eo diſcrimine fuiſſe Sangeorgium & à ciuibus ambitioſè petitum fama detulit; nec à vero abhorret, voluiſſe illum ſitum ac propugnacula præſentem æſtimare, non alieno relatu fidere. Quod in forti ductore virtus fuit, imprudentiæ nomine, puſillanimes notarunt. Mirari ſubit eorum temporum recordatione; quòd cum bellum acerrimè gereretur, tanta loquacitati otia ſuppeterent. Nil fortitudine aut ignauia committebatur, quod apud ſuos, apud hoſtes flexis in contraria cognominibus non appellaretur. Eam me cenſorum militiam in Aula Mantuani memini; cum nullius laus ſine nota, nullius dedecus ſine excuſatione audiretur. Neque carpere aut conuiciari ſatis erat, niſi eandem in libellos ac literas licentiam tranſtuliſſent. Sabaudius præcipuè & Sangeorgius petebantur; quos malorum Monferrati auctores publica laborantium odia inſectabantur.

Vbi Sabaudij viſa mœnium ſecuritate, etiam fortitudinis Nizenſium periculum fecerût, parata occaſione offenſarum temperauêre; negotiatione quàm bello habere ciues vtilius opinati. Non minus quoq; gloriæ ſibi Ductores figurauerant; ſi nullo ſuorum ſanguine Duci ſuo victoriam retuliſſent. Feſtinatio deſtinatis blandiebatur, quam in obſidione ac bello, apud peruicaces propoſiti non credebant. Qua cauſa ſuccedere mœnibus Tubicinem, cum Oddone Roëro Aſtenſi voluerunt; vt habita loquendi copia imperia explicaret, ciuiumq; animos experiretur. Sed geminatus vtrinque rumor auditum ademerat; Nizenſibus pro mœnibus, Sabaudijs in aperto operantibus; imperantiumq; ac reſpondentium vocibus percuſſa valle denſatis. Et licet in Oddonem plerique impotenter collineari cenſerent; mos tamen & ius belli, ſciendiq; quid afferret deſiderium, abſtineri iniuria conſuluerunt. Redditum ergo à ciuium tubicine reſponſum, tutum acceſſum, & dicendi quæ vellet licentiam fore. Tum portæ ſucceſſit; quæ iam trabibus & aggeſta humo oppleta, validi munimenti ſpeciem acceperat. Caſtilionus non videri non audiri ab hoſte voluit; ne minori ſeſe componeret, aut accommodaſſe deditioni aures diceretur, ſed Antoniettum de Ruere progredi, & excipere quæ deferrentur iuſſit. Tum Antoniottus, quis mortalium eſſet, & quid poſceret quæſiuit: Oddonus dato nomine & Patria, à Comite Guidone Sangeorgio Sabaudij

baudij exercitus Locumtenente miſſum ſe reſpondit, vt vicino populo ſana conſilia deferret; ne parati iam hoſtis irritatâ potentiâ, ſibi exitium, ruinam Patriæ conciret; vtque in Sabaudij Ducis clientelam ſuccederent: id ante alia è re Nizenſium ab ipſis agnoſci cupere; quippe mitem comémque, & erga ſponte deditos humaniſſimum; niſi aduerſus peruicaces iram exercere: ſpontaneos ſubditos paterna ſtatim pietate complecti. Id promptius cum Nizenſibus facturum, quos non adhuc infenſos hoſtilitate expertus ſit. Antoniottus Caſtilioni iuſſu dixit, eſſe Nizenſibus Cardinalem Mantuæ Ducem; cui fidem cum vita ſacrauiſſent; neque debere illos à Sangeorgio ſui æſtimatione iudicari: quòd extremo diſcrimini ante concedere parati ſint; quàm datam ſuo Principi fidem frangere. Excepit Oddonus, eas Sabaudio vires eſſe, vt ſi rebus ſuis ciues conſultum vellent, facile coniicere poſſint vnam ipſis in celeri deditione ſalutem. Multa peditum millia; fortem, & nulli Principum militiæ comparandum equitarum, tormenta bellica, & ante alia cauſæ iuſtitiam; neque ſe Ducis ſui honori potius, quàm incolumitati oppidanorum laborare; eóque mirari illos tam lubricos in proprium exidium properare; & tam promptè ſententiam perniciem laturam complecti. Maturanda potius petito à potentiori tempore conſilio fuiſſe; quàm incautè ſemet, & res domeſticas perdere. Eam ſanè ſemel receptum, nullo ad pœnitentiam regreſſu perniciem accelerare. Hæc eadem ſæpius voce clara intonans; prædicto vt cauerent. Antoniottus ad hæc: Impoſitum ſibi Ducem, & milites eodem ſacramento nexos probè nouiſſe, quibus viribus, quibus armis, quâ iuſtitiâ freti, bellum periculoſum, quàm ſecuram deditionem præferant. Proinde pluribus opus non eſſe; & poſſe ad ſuos Oratorem redire; curaréque ne oratione ac manu æquè inualidus appareat. Oddonus nihilominus tracto in longum ſermone, non vt perſuaderet (obfirmatos enim in propoſito animos ſe deprehendiſſe teſtatus eſt) ſed vt milites formidine reſolueret, exclamauit; quando vtilibus conſiliis apud Nizenſes locus non ſit, tormentorum ſe bellicorum impetum conteſtari. Riſiſſe qui audiuerunt referuntur; & non ea primùm tormenta ſibi viſa; neque ſimiles minas pauēſcere. Mox ille tanquam ad ſuos reuerſurus abſcedere ſe finxit: ſed vix paſſus vigintiquinque proceſſerat, cum denuo reuerſus eſt: addito monitos ſe ciues cupere, ne in certum ictum dirigi tormenta, & quati mœnia vellent. Adhuc integra omnia, & certam ſalutis ſecuritatem: ſed ſi ad offenſas diſponi fulminantes machinas toleraſſent, igni ferróque tranſigendum. Antoniottus militari fortitudine prorupit; iuſsítque Roerum procul abſcedere, niſi aduerſum ſe quæ ciuibus comminaretur experiri vellet. Deprehendere ſe dixit, non iam conſilium id ſed fraudem, intempeſtiuámque poſtulationem eſſe; & in deditione non minus, quàm fide oblata manifeſtam fraudem latere: tantóque magis ſuorum conſtantiam publicæ ſaluti conferre; quantò pluribus blandimentis promiſſa impunitas & indemnitas adornaretur. Sic finitum colloquium.

Oddo Roerus missu Sangeorgij spontaneam deditionem consulit

Secuta nox nube atrox planitiem omnem in qua Sabaudij tendebant, effuſâ in immenſum pluuiâ contexit. Id nullum ciuibus incommodum, vix credendam tamen moleſtiam hoſtibus tulit. Non enim pedes progredi, non eques loco moueri poterant: & ſi mutanda ſedes erat, per lubrica lapſantes, mixti ac confuſi, craſſo cœno impediti, impetúque raptantis nimbi turbati procidebant. Neque ignei funiculi, humido & imbri corrupti ſclopetariis vſui erant. Ea occaſio parùm à Monferratenſibus æſtimata eſt; qui ſi integri feſſis ſuperfuſi forent, magnum in diſcrimen Sabaudios coniecissent. Et adduci tormenta potuerant, quæ iam conuecta, & luto inſepulta remanſerant. Nec enim vniuerſæ adhuc Sabaudiorum copiæ; nec deſtinatus in expeditionem eques omnis aduenerat; qui verò primi ſucceſſerant, laſſitudine fluxi, & tempeſtate quaſſati, vix ad ornatum arma retinebant. Id Sangeorgius prævıderat; & pedibus æger, & laterum fre-

quentes dolores morarentur; noctem tamen inſomnem, huc illuc equo vectus egit; ſuorum curâ anxius; quos incolumes bello deſtinauerat: excitari itaque frequentes per tentoria ignes, temporaria tecta ſuperſtrui, diuidi cibos iuſſerat; cunctos comitate & humanitate detinens, ſibiq; ac futuro labori confirmans. Paleæ quoque vim ingentem procul conuehi iuſſit, vt cubile innoxium miles haberet, & diurnos labores nocturnâ requie leuaret. Apud ciues omnia tolerabiliora. Quamquam enim diem noctemq; armati, ſeruandis quæ acceperant locis egiſſent, auulſis tamen domorum, & officinarum tabulatis, & in tecti modum ſuſpenſis, ſeſe aduerſus procellam muniuerant. Quin imo vbi ſuſcitari ab hoſte ignes haud procul mœnibus videre; Sabaudios iam excidio deſtinabant, in quos nocturnis graſſationibus ſæuire plumbeâ glande decreuerant. Nox & incertum lumen clauſis impoſuit; ne diſtantiam metirentur, neu certo ictu poſſent fulminare, quos longius diſſitos in vicino opinabantur. Ciues aduerſus procellam tecti, & permiſſa à Caſtilione licentia præliandi continuis ictibus obſidentes exercebant: ſed, vt diximus, in caſum plerique iaculabantur, fragore tonantis cœli; & inter tenebras coruſcantis ſyderis momentaneâ luce deluſi. Abſtinere itaque, & niſi certo ictu bellicum prouentum inſumere iuſſi. Vbi vicinos ignes, & congeſtos manipulos vidiſſent, ſæuiebant. Eo ſtudio quidam vulnerati, duo cæſi referuntur. Lucis id potius quàm virtutis peccatum fuit; eoq; retracti omnes, ne quamuis lumine proderentur, ad iniurias expoſiti eſſent. Plurimum incommodi pertinax plures iam dies tempeſtas faciebat.

Sangeorgius confirmat ſuos.

Cæterùm cum non eodem ardore omnes, quo Sangeorgius in bellum proceſſiſſent; & alieno tempore grauis militia eſſet; quidam nobilium omitti obſidionem, & Sanmarzanum aut Cannellum regredi conſulebant. Forſan & inuidia Sangeorgij, quem futuro decori abſtrahere nonnulli meditabantur; vt nos didicimus; ſed conſilio prætextus ſuberat, vt delaſſatos fractoſq; cœli aduerſis homines & equos hoſpitij oblectamento refouerentur; vtq; in ſecuro maiores vires opperirentur; quibus tractabiliori cœlo, cœptam obſidionem proſequerentur. Sufficere quin etiam eum numerum Aichio & oppidis eo tractu recipiendis: vtiliori forſan aduerſus Mantuanos conatu; vt ſaltem à tergo ſubſidium Nizenſibus adimeretur. Nec enim apud Monferratenſes, totis Sabaudij prouincijs ambitam Nizam, vicinorum, atque adeo Rubei ope deſtitutam, diu apud Mantuanum futuram. Et quando auerſa fortibus auſis tempeſtas, irritam tum obſidionem redderet, omiſſæ dedecus Aichij acceſſione ſarciri poſſe, vel cum gloriæ augmento. Magnam ſibi temporis iacturam credendam, paratis forſan Hiſpanis ad ferendum auxilium; & auctis Mantuani rebus; dum prouinciales certatim ad ſigna conuolant. Forſan victoriam illam, ſeu fato ſeu voto Sabaudium manere; vt cuius auſpicijs oporteat, tam ardua expediri. Vbi prior repertus eſt qui promeret ſententiam, plures acceſsêre: cum hactenus pudore eloquendi inter ſpem ac metum ambigiſſent. Et valuiſſet opinio; niſi Sangeorgius id ex gentis dignitate fieri non poſſe, generoſâ indignatione reſpondiſſet. Itaque delectum caſtrorum locum retineri, & inſtari oppugnationi iuſſit. Creditum eſt magnâ eorum oppidorum fortunâ conſtantiam propoſiti Sangeorgium retinuiſſe, quæ forſan minori negotiatio calamitatem Nizenſium in ſe vertiſſent. Inuidi Mantuano perſcripſêre ideo auelli Niza Sangeorgium voluiſſe; quòd modico milite, & tenui equitatu, de Nizenſibus inconſultam victoriam Domino ſpopondiſſet: quodq; promiſſorum magnificus, cum prouinciam præſumptâ ſpe gloriæ aggreſſus foret, falſus euentuum regredi erubuiſſet. Sed plus ſtudij otioſis erat, vt à Sangeorgio fortiſſimi Ductoris famam, quàm à prouinciâ Sabaudium auerterent. Et ille, ſolidis factis dicta rependens feſtinato Nuncio Sabaudium monuerat, plus propugnatorum Nizæ quàm audiuiſſet inueniſſe. Multitudine quippe & auxilijs, quæ in

Sabaudiorū quidam differri obſidionem conſulunt.

Sangeorgius obſtat.

promptu

promptu habeant, ſuſtuliſſe animos; deditionis conſilia faſtu ac irriſu excepiſſe; intus commeatum in plures menſes, & rerum omnium copiam. Tormenta quidem maiora deſiderari; habere tamen Cauallettos, amouendis procul oppugnatoribus. Vias omnes luto fluentes, cœlúmque procellis & imbribus inimicum ſpem feſelliſſe: Veſtem enim humore marcidam, dorſo militum computruiſſe, & contagionem quoque metuere, quæ contracto ſemel morbo promptè vulgetur. An maioribus viribus clauſorum peruicaciam frangi expediat, penes ipſum ſtare; & an impetu vel obſidione frænandi ſint. Sed vt animus raro alienam virtutem ſine æmulatione aut inuidiâ contemplatur, non defuêre in Aulâ qui apud Sabaudium deſtinationem criminarentur, quibus magnitudo & fama viri vmbram reſperſerat, ne clari viderentur. Accuſauerant, quòd visâ Nizenſium conſtantiâ, transferre Aichium & per vicina caſtella exercitum neglexiſſet. Potuiſſe *Cui inuidi detrahunt.* ſubſidia oppidi, viſo rerum ſuarum diſcrimine, ad tutanda propria reuocari, & vel in itinere intercipi, vel diuiſa opprimi; vel denique mediâ in cunctatione Monferratenſium capi ac ſpoliari municipia: mox ditem prædâ & hoſti formidatum exercitum Nizam reportari; quam certum eſſet, plus modeſtiæ eo exemplo induturam. Stationem quoque Cappuccinorum improbabant, longius quàm expediret ſitam; & immittendis recipiendíſque copijs in pugnam, parum opportunam. Riſit iſta Sabaudius; quòd non id tempus querelarum eſſet, nec media agendorum occaſione, offendere prudentem & ſtrenuum copiarum Ducem expediret. Maiores cenſuræ magis obnoxios; & ſueuiſſe vulgum conſilia præfectorum interpretari potius quàm intelligere aut exequi. Simul nouerat leues quóſque errores, qui inter ancipitia occurrant, nouis victorijs emendari poſſe; & grauiorum (ſi cognoſcere animus ſit) in aliud tempus rejiciendas. Iam verò oppugnantium conatus, nouis indies difficultatibus turbabatur: cum enim quam occupauerant planiciem, aſſidui imbres contexiſſent; iidem vicinis collibus effuſi, Belbum in ſummas ripas tumentem extulerant; vt vado ſuperari non poſſet. Præcipiti quoque decurſu iniectæ tignorum ac faſcium moles, in inferna rapiebantur; vt non vado, non ponte penetrari poſſet. Nec parte alterâ Niza amnis quamquàm anguſtior minori gloria fluebat. Creuerat vterque pluuio cœlo, & collium efluuio ſummum tenuerat. Iunctus Ponte Belbus erat, rectâ in oppidum obuerſo. Hunc ciues è mœnibus, & præcipui iaculandi peritiâ partitis excubijs ſeruabant. Per hunc vltrò citróq; ingredi miles; & ſi qui ſuccedere voluiſſent, recipere poterat. Hunc ergo diruere oppoſito ſtudio Sabaudij conati ſunt; quamquam res difficultatibus & magno diſcrimine implicaretur. Labor quoque ex voto non ceſſit; quod non igne, non ſecuribus, non alio machinamento liceret; & qui executuros ſeſe receperant, certo ictu è mœnibus foderentur. Spe diſſoluendi amiſsâ ſtrenuus Heluetius, nullo metu periculi, cæteriſq; è vallo proſpectantibus, ignem (quem vehementiâ artificialem dicunt) injicere auſus eſt: nec ille tamen humentia ligna, vt creditum fuerat, corripuit; auctor verò transfuerberatus, audaciæ pœnas dedit magnâ virtutis iniuriâ. Extremo pontis callidus & feriendi peritus Monferratenſis ſeſe abdiderat; qui paſſus aliquot procedere incautum paſſus eſt, vt è viciniori collinearet: & vbi ſub ictum Heluetium vidit, globo plumbeo in profluentem, & facem adhuc manu gerentem effudit. Ad caſum labentis ſuſtulêre vocem obſeſſi; & tamquam ſalutis præſagium feſtis vocibus acclamauêre. Nec Caſtilionus abſtinuit; ſed vocatum militem aureis aliquot donauit, in præmium & exemplum. Confictum id à Nizenſibus; nec eo loco Heluetios tetendiſſe, aut aboleri pontem igne tentauiſſe Sabaudij retulerunt. Plures tamen caſum literis proſecuti ſunt; & in meas manus exemplar venit, Iulij Nattæ, qui id Mantuanos docuit, ſimilium curioſos.

Cæterùm vt Sabaudios geminatæ difficultates audentiores; ſic Monferratenſes, quòd tecti, & velut in tuto agerent, ſecuritas conſtantiores reddebant. E turribus enim & altioribus domorum tectis ſuccedentem hoſtem, & è vicino aſſultantem plumbeâ glande impetebant. Et illi quidem propinquiora delegiſſe, quàm militaris diſciplinæ ratio præſcriberet, ferebantur: ſed commoditate, & accelerandæ deditionis ſpe à ſuis ductoribus illuc delati, vel cum ſuorum periculo, retinere locum volebant. Hinc aliqua apud Sabaudios vulnera; & quidam audaciores ſauciati. Quo admoniti ſublimem in aggerem tria bellica tormenta; ſed neceſſitati & ſternendis muris imparia traxêre. His lacerare tecta; & mœnium pinnas (vnde à ciuibus frequentibus ictibus petebantur) detergere aſſidua iaculatione aggreſſi ſunt. Formidinem ciuium credidetunt; ne è ſummis feneſtris ijs in ſua damna vterentur. Nizenſes quamquàm non vno loco tecti; & in aduerſos alijs è locis iacularentur, domorum tamen excidium grauiter ferebant. Neque ſecius mœnium ambitus ab armatis aſſiduè ſeruabatur: corporum humanorum denſatum aggerem dixiſſes, adeò conſerti conſtiterant. Clamor decertantium, ſclopetorum fragor, & tactæ ferreis globis ædes ſomnos excutiebant. Promptiores quidem opinione ciues deprehenſi ſunt: quod cum per vices requiem laborantibus Caſtilionus impetraret, maluerint nonnulli accincti armatique, ſubſtrato tantùm pallio, pro mœnibus accumbere: vt ſi quæ repentina vis incidiſſet, & ſtatim locum occuparent, & armati ſeſe occaſioni ſiſterent. Conſtantia opinione ac loco maior videbatur; niſi detinuiſſet æmulatio; & ſpes breui affuturi ſubſidij animos addidiſſet. Omnium id exhortationum apud Duces caput erat; vulgabanturq; literæ in eam ſpeciem compoſitæ: ſiue ex vero, ſiue in tempus confictæ: vt mirum non eſſet, inualidiores, & in exitium deſtinatos, aduerſus formidandum hoſtem licentius detonare. Apud Sabaudios eâdem conſtantiâ oppugnatio procedebat; & eminentiores ædes oppidi laceræ ac nutantes continuis ictibus fatiſcebant. Iamq; apud multos timor ſpei mixtus inſtiterat. Placandum precibus numen religioſi viri dicebant, votiſq; in ſubſidium Diuos conclamandos. Inſtitutæ eâ causâ publicæ Proceſſiones ad omnia templa, quæ viri ac fœminæ ſolemni pompa viſitarent. Vniuerſorum eadem vox erat, orantium ne ſe innoxios, & offenſionum ignaros, ſæuitiæ victoris dederent; ſed incolumes cum Patriâ Duci ſuo ac prouinciæ ſeruarent. Apud Diui Franciſci templum maior populi concurſus, & ardentior oppidanorum religio viſa. Hic Monachorum cœnobij antiſtes, deprompta ſacrâ Pixide hoſtiam, firmandis in pietate, & alliciendis fidelium animis ad Dei cultum, publicè expoſuit. Pueri ac puellæ Virginis Genitricis cœleſtium ſpirituum, & receptarum in æternam fœlicitatem animarum auxilium, humili lamentatione poſcebant. Vbi maiorem templi Aram toto comitatu venerati ſunt, Sacellum Diuæ Virginis, eiuſq; ſanctiſſimæ conceptioni dicatum, petiêre, vt cœli ac terræ Reginam proprio honore & precibus ſolicitarent. Sed quæ Diuo Carolo Bortomæo Ara oppidanorum religio erexerat prætereunda erat. Tum puellæ aliquot, ſtimulante forſan intus Diuo cultum ſui, ſubſiſti hîc poſſe retulerunt; ſi accenſa funalia, locum illuminaſſent. Nec immoratæ diutius, tranſiêre: mulierculæ tamen nonnullæ ſubſtitête; & humi fuſæ, ſancti viri ſubſidium gemitu ac lachrymis aduocarunt. Dictu mirum, ſtatim ſacellum omne nouo & inexpectato lumine inclaruit; & lampas fornici appenſa, concepto quem nemo addiderat fomite, accenſa eſt. Id ſupra naturæ vim omnes interpretati. Et Caſtilionus cæteriq; primates viſo oſtento, auctores pariter & teſtes rem vulgarunt. Epiſcopus quoque depulſo poſt bello facti ſeriem examinari, & futuræ memoriæ mandari, eorum qui interfuêre ſacramento imperauit.

Lampas miraculo ardêt in templo.

Iam Sabaudius equitatus aduentu militum qui Ducis cuſtodiæ aſſueuerant accreuerat;

creuerat ; quos inter magna pars nobilium , & non eam primam militiam experti cenſebantur. Pars obſidentium Cœnobium Sanctæ Mariæ alteri collium ſubſtratum, adſcitis ducentis peditibus inſedit ; apud reliquam militiam ſtrenuè Zammerra, & Toſtus capitanei nitebantur. Hic nobile facinus, irrito licet euentu meditatus eſt, vt Niuernienſem Ducem ea tranſeuntem interciperet; profeſſione iam, & conſanguinitate Mantuani hoſtem renunciatum. Sed præfectus Niuernienſis effugit inſidias, deſtinato itinere delatus, Toſti meditationibus ignotis. Nizam reuerſus, quædam diſtrictus illius oppida, villáſque ruſticorum, & marchionatui Inciſæ ſubditas Sabaudiam fidem recipere ; & iuuare opibus partes coëgiſſe fertur. Sed nec quos cuſtodiæ locorum imponeret paratos habuerat; nec populares tranſuolans imperium diu retinuêre , in Mantuanum priorem dominum abſente hoſte reuoluti ; magno rerum ſuarum diſcrimine , ſi Sabaudij in eadem loca delati , deſtitutis præſidio ſuorum , & perfidia mutatis ſupetueniſſent. Seu virtus ciuium, ſeu odium gentis in Sabaudium, tantum Nizenſes animo, quantum illi robore proficiebant, ſi ad paucos adhuc dies laborem toleraſſent ; dum Hiſpanus additis popularibus accurreret, obſidionem ſoluturus.

Decima tertia Maij crepera adhuc luce turrim (quam Merli dicunt) Sangeorgius quatere cœpit; eo acrius , quòd longioribus moſchettis , frequentia ſuorum vulnera notaret , & fortiores certiori ictu confodi. Sed Caſtilionus firmitudini murorum, quos tumultuaria opera farciri iuſſerat , diffidens , molem quæ ictibus patebat , congeſta humo ac trabibus complicatis , firmauerat : Vnde vanus hoſtium labor, & globorum pulueriſque ſine quæſtu iactura fuit: eorum quod minimum duodecim ; maximum ſexaginta libras pendebat. Ea pars quæ ſupra mœnium altitudinem eleuabatur , tempeſtate aſſidua iaculantium infirmata ; ima, qua terra denſata molem addiderant in tuto erant. Prominentes Municipij ædes , aſſeribus multo tignorum nexu vallatæ , ſclopetariorum magnum numerum tegebant. Ab his ictus in hoſtes , quos ob celſitudinem locorum cauere non poterant. Qua cauſa tormentorum bellicorum curatores , iram omnem in loca edita , & domos conuertêre ; & quaſi fruſtra peti mœnia faterentur

Frequentioribus ictibus quæ elatiora proſpectui obiiciebantur , concuſsêre , graui quidem ædificiorum malo ; quod tamen à longe iaculantes Nizenſes non aduertit : ſi quæ enim globorum vis effregiſſet , noua tignorum compage farciebatur ; & loco vno pulſi nouum deligebant , vnde idem exitium in obſidentes efferebant. Aſſiduus apud omnes labor ; ſuſpicione noui inſultus , & hoſtis præualidi nocte augebatur. Ideoque rari cibum ſumpturi domos diuertebant , ſedibus ſibi commiſſis indiuidui , & proſperis in eam diem rebus alacriores. Qui annonæ curam à Gubernatore acceperant , diuerſis officiis alimenta militibus , puluerem , funiculos , plumbum diuidebant : moniti tamen ne ſegnes ad offenſam , aut inconſulti ad ictus eſſent. Faces quoque ac lucernas è feneſtris in publicas vias proſpectantibus appendere ciues iuſſi : quod ſyderum ſplendorem denſæ nubes texiſſent. Qua enim alacritate Nizenſes propugnationi ſtudebant , Sabaudij inſtabant ; & apud ſtrenuos Duces ſecretæ inſidiæ non minus quàm aperta virtus formidabatur. Secuta nocte geminato imbri , & auctis tenebris denſato, cœlum procellâ ſolui videbatur ; adeo torrentes aqua compleuerat ; ciues tamen loco defixi, diſpoſitis excubiis motum omnem hoſtilem anxij obſeruabant. Nil negligentia ſolutum ; cuncta ad normam militaris diſciplinæ exercita. Quinta decima menſis Sabaudij nouum locum delegerunt quod murorum latus quateret ; & diuerſis ſimul partibus , mœnia quæ turrim maiorem ſpectant , foderentur. Nec turri ignouerant ; non ſpe certa potiundi ; ſed vt Mantuani Ducis in ſublimi appenſa

T

inſignia, iteratis ictibus lacerarentur. Vtrumque fruſtra fuit, quippe cum v altitudo radices & inferna murorum tutaretur, pars ſublimior & ictibus di poſita, terra tignisque ſolidata irritum laborem reddere videbantur. Equ Sangeorgium ipſum militiæ peritum, licet hoſtem, Caſtilioni ac Ciuium ſtabiliendis mœnibus induſtriam admiratum audiuimus, & apud ſuos mendaſſe.

Hæc inter bellatores agebantur, cum interim ſexus ætáſque inualida altaribus prouoluta, Diui Caroli opem indefeſſis gemitibus oraret, & iam cepta in Patrono ſalutis ſpes mouerat, vt ſolemni voto præſenti Diuo, ſinguli per annos feſtum decernerent. Valuit religio, vt abeunte hoſte & ſoluta dione incolumitas imputaretur. Quamquam enim ciues Sabaudiis fortiter obniterentur; nulla tamen humana ope in victoriam vſque durare ſe cognoſcebant. Maximè quòd cum obſeſſorum ſalus & ſecuritas auxilio Hiſpano toties promiſſo niteretur; & illud erubeſcenda cunctatione morabatur & aditus omnes inſidere Sabaudios, omnémque diligentiam præuenire videbant. Occupauerant plana & edita; proſpectum ipſum Nizæ popularibus merant. Sed inter pleraque difficultatum Niza amnis obſtare Sangeorgio debatur: qui tenui quidem alueo, & ferè vado peruius tum imbrium muerat; vt ripas vtrinque prominentes faſtigio æquaret. Pars itaque exercitus admota loco, vt ponte iungeretur: manipuli peditum, turmæq; equitum ſic diuiſæ, vt pars operi aſſiſteret; pars certis locis diſpoſita, hoſtem ſi erupiſſet coërceret: pars viarum ſecuritati inuigilaret. Tum ad cædendas arbores & conuertenda ingentia tigna manipulares conuertêre. Superato amne victor nior hoſtis futurus, certior tormentorum opera erat. Non potuêre Nizenſes deſtinationem tot hoſtium prohibere: nec auſi in aperto prælium; inanem nec profuturum laborem dicebant, quique duorum manipularium diſcrimen non mereretur: & tanquam læti è mœnibus proſpectabant; quòd hoſtis pluuio cœlo, luto & procellis eluctatus inutili opera fatigaretur. Vulgauerant inter ſuos, nec quidem vires omnes Hiſpanas eum conatum Sangeorgij poſſe retinere; nec ſi inuecti his Mantuani, in ſubſidium veniſſent eâ penetraturos; ſe vicinum hoſtem certiori ictu petituros. Vbi ſolidiora ſuſtinendo oneri & colligandis ripis impoſita à Sabaudiis ſunt, ſarmentis ac terrâ, glareáque è profluenti conuectata faſtigium contexere; breuíque fidum etiam equitatui pontem reddidere. Primi ex equitibus centum viginti, mox ducenti quinquaginta pedites tranſuecti, deinum & alij eò miſſi vel recepti. Hinc vetuſtiſſimum iter, quod ad Deiparæ gratiarum templum vertit vniuerſi inceſsêre. Vbi loco potiti ſunt, templi ac cœnobij parietes cauatis foraminibus foderunt; vt in clauſos ipſi tecti iacularentur. Neceſſitas & bellum excuſabant, quo minus intacta relinquerent; quibus victoriam ſtare ſperauerant. Parte alia bombardarum præfecti nobilium ciuium ædes flagellauerant, & inter alias Cottorum, Piazzarum, Marcianorum, Gambarottorum frequentibus ictibus ſuccuſſerant, altéque ruinas duxerant: cum iam tecta non vno loco procidiſſent; ſed & ex traxerant vicinos in mali partem, quod ruina ſua humiliores atterrerent, & ſecum traherent. Contra ciues ne propriæ tantum calamitatis ſpectatores, non etiam vindices agerent, moſchettis in hoſtem verſis, pleroſque audacius ſeſe offerentes vulnerarunt. Moniti à Rectoribus ciues fuerant, ne in vulgus fortuitò ſæuirent; ſed vbi ductores aut nobiliores ſpectaſſent, infeſta glande fulminarent. Quem ornatus aut ſpecioſior equus clariorem teſtabatur, ſibi quiſque deſtinabat; non die, non nocte quieſcentes, & fiduciam omnem in pulueris ac plumbi vbertate exiſtimantes.

Cæterum licet ambitum omnem, vagus & procul à mœnibus tutior quàm

quàm in caſtris hoſtis teneret, ſegetis tamen altitudine, & diuortijs itinerum, quæ popularibus cognita ab Nizâ Aichium, frequentes nuncij cum mandatis & literis veniebant. Intererat ſociorum ſalus, & quâ fortunâ clauſi agerent ſcire; vt rebus ſuis ex alieno euentu conſulerent. Et quamquàm nulla intus rerum penuria obſeſſos fatigaret, credidêre tamen, commeatum & puluerem bellicum vtiliter induci, quamquàm non requirerentur. Proinde miſêre iuuenem, qui diem horámque aduentus doceret, iuberétque ſuccedentibus obuios ciues procedere; ne quâ coniecturâ ductus hoſtis, pauculos properantes & onuſtos interciperet. Subſidium id nec orauerant Nizenſes; nec habebat ſatis cauſæ, cur in diſcrimen iretur: caritas tamen ſociorum, & pietas aduerſum amicos commendata.

Decimâ quintâ menſis occupatis Sabaudijs in tectis ciuium diruendis, & damno agrorum, Aichio miſſi, farinâ ac bellico puluere onuſti aduentare ſe, dato ſigno oſtenderunt. Conuenerant, vt ſummo vicini collis faſtigio, leuis è ſtipula fumus indicio eſſet: ſed aduertendus ad alia hoſtis & ſimulatione belli eludendus erat. Ergo Caſtilionus vocatum Antoniottum de Roere, centum quinquaginta ſclopetarios educere; & portâ quæ Belmontem reſpicit erumpere in Sabaudios, qui ſe munimento texerant, ſub vicinis villæ quæ Commendæ dicebatur, imperauit. Ille ſtrenuè factorum & conſerendæ cominus pugnæ auidus, Nizenſes ferè commilitones in eam operam delegit; quos fidos ſibi & promptos ad iuſſa cognouerat. Hoſtilis equitatus haud procul oppido ſubſtiterat; compoſitus in turmas, quaſi prælium offerret. Sed Nizenſes feſtinatione vſi, deſtinatum iam locum præceperant; & Siluius Via pluribus ſuorum in ſocietatem aſſumptis, & denſis arboribus tutus, latera inimicorum frequentibus ictibus carpebat. Liuius Piazza centum quinquaginta milites in tres turmas diſpoſitos immiſit; Franciſcus Sanctamaria planiciem & Inciſæ obiecta aggreſſus eſt; fuêre pedites ducenti. Sabaudius eques, vt loci quoque beneficio certaret, cœnobio Deiparæ virginis ſucceſſit. Hic inter properantes ac recipientes ſeſe, diu acriterq; pugnatum, eminus tamen, & numquam in manus dato hoſte, ſed inſidiarum metu, & ne Nizenſes elapſos equites Sabaudios audentius inſecuti, à ſuorum corpore auellerentur, mox paucitate circumuenirentur, ſignum receptui à Caſtiliano datum. Id Monferratenſibus laborem auxit. Quippe credita formido, & qui prius ſeſe prudenter diſcrimini proripuerant, in bellum alacres reuertêre. Denſata vtrinque peditum equitumq; pugna; auctiſq; numero & animo hoſtibus, tardius quàm oportuerat, & res requirere videbatur, Monferratenſes mœnibus ſeſe receperunt. Hoc ſtrepitu certaminis, & ſpecie creſcentis belli Sabaudij retenti; clauſis permiſſa deſtinationis occaſio. Sexaginta enim equites oppido egreſſi, aduentantes conterraneos, delatoſq; à popularibus commeatus comitati induxêre: cum ignarus conſilij hoſtis ciuium audaciam ſecus interpretaretur. Crediderant, affuturi propediem auxilij opinionem, addidiſſe obſeſſis ſecuritatem; fortitudinem verò, & inducendam medio die alimoniam non præſumpſerant. Deluſos Sabaudios exploratores falſo nuncio, & Monachum auctorem, in vicino Hiſpanum exercitum eſſe aſſeueraſſe didicimus; ſiue huic quoque populares impoſuerant; ſiue emptus ad fallendum, gratuitam operam patriæ præſtiterit. Cum adhuc magno nixu dimicatio procederet, Cantauena & præfectus auxiliaris, nobili æmulatione è ſubſidij portâ, diuiſis copijs in hoſtem inuecti ſunt. Pauculos haud procul Cappuccinis, inter arborum opacitatem clam agentes excubias intercepêre. Mox in Germanos qui maiori numero viribúſque locum ſeruabant, illati prælium inceperunt. Gens fortis nec cedere facilis intrepidè obſtitit; diuq; certatum: & ſi vtrique Monferratenſium ductores plus militum in diſcrimen traxiſſent; & detrudi munimento obſiſtentes; & tormentum bellicum, cuius cuſtodiæ

T 2

appoſiti fuerant,abduci poterat. Trepidatione tamen & tumultu vſi,veſtem partémque armorum detraxere; neminéque deſiderato compoſiti adhuc & minitantes, qua venerant regreſſi ſunt. Sed illi leui diſpendio locum & gloriam retinuere. Qui in ciuitate remanſerant,ſociis ſuis prælio intentis,offenſas in obſeſſores continuabant, moſchettorum fragore; & in eos qui ſeſe ad ictum dediſſent plumbea tempeſtate latè fuſa. Sabaudij & ipſi vicinio tecti vices obſeſſis rependebant,in eos iaculantes qui vel mœnibus,vel feneſtris caput exeruiſſent. Non clauſis non hoſtibus totus quicunque proſpectus erat; paratis ſclopetis vtrique incumbentes occaſionem oppetiebantur.

Sexta decima obſidionis die,longo tormentorum impetu; nec diduci mœnia, nec expeditum oppugnationis aditum in ciuitate patere, liuentibus oculis Sabaudij proſpectabant; tantúmque operæ fruſtra in eam diem inſumptum indignabantur. Cúmque deligendum locum, in quem ictus omnes verterent; nec ſpargi vires nullibi ſeorſim ſuffecturos ductores militiæ conſulerent, diu deliberato qua parte facilior iactura foret, in portam Lanciæ conuerterunt, ictibus expoſitam & nullo extrinſecus munimento tectam. Sed hanc quoque vepribus congeſta humo in ſoliditatem preſſis Caſtilionus aduerſus tormentorum ictus firmauerat. Quod ignarum hoſtibus, quibus ſitus & conditio loci parum capax firmitatis videbatur. Itaque in eminentia primùm ferreis globis Sabaudij collinearunt,mox cætera eodem impetu diſcuſſuri. Hunc ſibi locum Caſtilionus periculi delegerat,vniuerſorum exemplo, ne infirma metu negligerentur. Et quidem frequentibus ictibus tecta ac ſummæ pinnæ debilitatæ, in præceps tractæ ſunt; adeo vt vitare ruinas vix ciues poſſent, quamuis contra ictus ſe texiſſent. Toleratus nihilominus impetus eſt, quoad fragor & violentia deſæuit, vanóque conatu hoſtis deſtitit. Pulueris ac globorum copiæ Sabaudij illudere videbantur; quòd profectu nullo eum prouentum abſumerent, quo (ſi bellum diutius tractaretur) mox egerent. Deprehenderat Sangeorgius, ab iis domorum ruinam non exiſtimari, qui adultam ſegetem agrúmque circa omnem conteri ac vaſtari, nulla admiratione proſpiciebant. Spes certa gloriæ & affuturi Hiſpani ſubſidij indurauerat ciuium animos, vt Trinenſes ac Moncaluenſes acceleratæ deditionis rubore ſuffunderent. Fœminæ ipſæ ad quoſuis terrores pauidæ, inter labentium tectorum fragorem eluctatæ; quacunque humus, tabulæ,ſarmenta deferenda ad tutelam erant, tanquam ſumma in ſecuritate incedebant: nec earum vlla præter,vetulam quandam cibos militibus patriis deferentem,hoſtili vulnere imminuta eſt. Et puerum lagenam vini patri offerentem; cui tormenti ictu brachium corpori auulſum eſt. Maior apud ciues conſtantia rerúmque neglectus erat; quoties enim caminos globorum ictu in publicas vias fundi, aut tectorum pinnas magno fragore procidere audiebant, in aduerſam partem tripudiis exiliebant; tamquam vbi plus periculi, ibi minus timoris eſſet. Inanes etiam metus, mentitis ruinis improuiſos pauores, per iocum mutuo incutiebant, Caue Caue, vociferantes, & eos qui credidiſſent ſibilis & comploſione palmarum excipientes. Neque id Sangeorgium fefellit, qui contemptu diſcriminum auxit indignationem. Aedium proinde ſpecioſiſſimas & eminentiſſimas frequentioribus ictibus peti iuſſit; ne fruſtra riderent, & olim depulſo bello duraturam lachrymarum materiam haberent. Tum ciues quantum elata voce audiri poterant obuerſi in oppugnatores, eos increpabant; quòd ſuam ipſi infirmitatem accuſabant, à mœnium expugnatione, ad tectorum exidium verſi; quódque vanum terrorem leui eo damno apud ciues prætenderent. Apud ſe locum timori non eſſe; qui plumbo ac puluere in quinquaginta millia ictuum, vterentur; haberéntque vnde maiorem copiam conflarent. Porro nouus indies miles Sabaudiis accedebat; & feſtinari expugna-

expugnationem Dux imperabat; non difficultatum,non animorum apud clauſos ſatis gnarus: ſpei tantùm quam à ſuis acceperat confiſus.Seu ſitus oppidi,ſeu cœlum immani pluuiâ deforme obſtiterit oppugnantium diligentiæ, totus circum ambitus cuſtodiri non poterat; quin per ſecretos calles, frequenter accolæ cum literis ac bellico puluere commearent.

Vnde ciuibus intus ſecuritas, foris certa ſpes erat. Et forte euenerat, vt adiacentium villarum mulierculæ aliquot ſegetis altitudine ac tenebris tectæ haud procul hoſtilibus caſtris in oppidum penetrarent.Ex his ſolutos equos plures militum laſſitudine ac tempeſtate fatigatos; ſemimortuos ignes coronâ cingere, raros ex diſciplinâ coactos, ſed fuſos ſparſoſq; aduerſus cœli iniurias, hoc illove tegmine refoueri; denique omnia ignauiæ ac negligentiæ propiora Dominicus Alibertus didicit. Nec fruſtra ſciſcitatus fuerat; vt qui generoſo aliquo facinore, æmulatione virtutis,recentem gloriam meditaretur. Itaque Caſtilionum conuenit,& ducentos pedites ſcloperarios orauit; quibus ſtratum humi, & tot dierum pluuiâ confuſum hoſtem incurrere liceret. Spondet comparem conatui ſucceſſuum; aut (quod minimum) ferreis ſe tormenta fixurum, quibus impunè hoſtes tam diu in ciuium damna vſi forent. Cunctantem eâ deliberatione Caſtilionum, eamq; operam ſeriò æſtimantem, vrgebat Alibertus: ſed ad extremum ille ſtrenui viri multum laudatâ virtute egredi prohibuit: non gloriæ inuidiâ, aut odio (quod quidam maliuolentes fateri auſi ſunt) ſed formidine,ne parum ſecuris auctoribus, hoſtilis negligentiæ fama vulgata foret: niſi ducentos ſclopetarios tam ingentibus auſis impares credidit. Nec enim plures periculo exponere, ex præſenti vſu rebatur: ne fortiſſimis propugnatoribus nudatum oppidum, hoſtes vniuerſi coronâ complecterentur, occuparéntque. Vallum enim ſclopetarios certis ſpatijs diſcretos ſeruare nouerat, & eos quantumcunque impetum retenturos; dum equites ſoluta iumenta retraherent, conſcenderéntque, & bellum exciperent. Porrò licet fides aliqua mulierculis habenda foret, non tamen vniuerſos eadem negligentia agere opinabatur; ſed per vices curare corpora, & depoſita arma vigilantiam ſecuritate, in tempore reſumere. Ad extremum fugare hoſtem, cædere, ſpoliare, acceſſionem quidem gloriæ ingentem fatebatur; ſed retinere mœnia, & incolumes ciues Principi ſuo ſeruare,proprium delegatumq; ſibi munus iactabat. Laudari aut reprobari Caſtilioni deliberatio non potuit: cùm nec exitus (cuius æſtimatione pleriq; ad regulæ Leſbiæ formam conjiciunt) rationes agendorum firmauerit: & cauſarum robur, nullis extrinſecus adminiculis probaretur. Vſu tamen æmulationis,inter Duces copiarum accuſatum Caſtilionum ſcimus;magno militiæ malo,ſi in longius propugnatio proceſſiſſet.Clarior hæc & præteritis parciore imbri dies fuit: itaque agendorum opportunitates perdere Sabaudij noluerunt; ſed eò acrius Anerij portam quatere adorti ſunt. Cumq; ferẽdam obſidionem,non committẽdos ſe præliorum diſcrimini arbitrio Gubernatoris ſui ciues agnoſcerent;vt hanc præcipuè partem ciues tenerent;oppidi vices inuicem ſorte partiti ſunt. Vt prompti intra mœnia defenſi municipij decus,omiſſa conſectatione inimicorum mererentur. Sed non omnium eadem promptitudo,aut laborum vigiliarumq; tolerantia. Aliqui enim ſiue irritum oppugnantium conatum; ſiue ſatis à ſocijs qui in armis erant loco prouiſum crederent; ſiue breuem requiem ſectarentur, per domos ac templa deformi latebrâ ſomno ſe dederant. Hos centuriones conquiſitos abſtractoſq; repetere ſtationes compulêre, & quamquam religionem prætexerent acriter impulêre: ne raritas defendentium, & ciuibus animos detraheret, & hoſtibus adderet. Aſſiduis tandem ictibus portæ tectum laceratum, in ciuitatis interna effuſum eſt; traxítque muri partem ſupremâ nulla aut hoſtium vtilitate,aut damno propugnãtium. Sed globus ferreus obiecto fornici illiſus, & poſtquàm terrâ tetigit exiliens ſergentem

Caſtelnoui Bormidæ, & Ioannem Floritum in mortem affecit. Ea ſumma clades propugnanres afflixit; licet plures gregarios, & aliquot nobiles Nizenſes, belli vis anre confeciſſet. Vtrique proſpectantium & mœtentium oculis ſtatim ſubtracti, ſupremíſque perſolutis terra conditi; ne infauſto euentu, & longiori lamentatione ciuium animi conſternarentur.

Maximus, Nuncius Apoſtolicus.

Per hæc ferè tempora, Maximus, Sedis Apoſtolicæ Nuncius, natalibus ac virtute ſupra vulgum, cum ad Ducem Sabaudium recta tenderet, Vincentium Principem Mantuani fratrem apud Caſalenſes conuenit. Summa negotiationis erat; vt dum Regij Miniſtri Maximo congruentes, decertantium Principum lites compendio dirimere procurant, vtrique ſolida pace necterentur: vtque recenti inuaſione capta, apud Pontificem depoſita, ſuo domino in tempore redderentur: denique vt ſumpto ad conſultationem otio, certis indutiis vtrique iniuriis abſtinerent. Et quamuis Vencentio parata excuſatio abnuendi quæ proponebantur pacta ſuppeteret (quòd præcipui ad conſilia dolum ſubeſſe perſuaſerant; ideo nempe Sabaudium differre bellum, vt Etruſci qui magno conatu in Monferrati auxilium properabant, media in via ſubſiſterent; ambiguíſque conditionibus aliquid Mantuano detraheretur) ne tamen Pontificij Nuncij labores neglexiſſe, aut cupitam omnibus pacem abnuiſſe diceretur (admittendus enim ni colloquium erat) ſeſe diuerſis ambagib expediuit: miniſtrum enim ſe fratris, nec ni ſua manu ſitam Rempublicam reſpondit. Quin etiam ad bellum miſſum; nec niſi fratris imperio præeſſe. Suſpiciones interim qui aderant geminabant: quaſi Etruſcos magno numero in fratris auxilium properantes terinere, Sabaudius apud animum ſuum cogitaſſet; vt omiſſo aut dilato ſuis artibus auxilio, Nizenſes ad deſperationem impelleret. Alij eò temeritatis prouecti ſunt, vt Maximi fidem criminarentur, cúmque officiis à Sabaudio præuentum corruptúmque aſſererent: vltro enim citróque literas commeaſſe, ac munera; & neſcij & mendaces fatebanrur. Viro ſummæ nobilitatis, quíque magnis meritis ſuis Epiſcopatu celebri profecerit, huiuſmodi ſordes appingere, & inurere turpem calumniam iniquum eſſe meliores admonuerant. Sed Rubeo ac Mantuano doli ſuſpicio placuerat, nec Vincentio tantum auctoritatis accreuerat, vt hæc aliáque ineptiarum crimina poſſet aperrè reiicere: quamquam primo ſtatim belli die ſenectute digna prudentia, temperari cōuiciis Principum virorum ſuaſiſſet; & non ſemel fratri altercatus ſilentium bonámque de ſingulis opinionem probauiſſet. Cæterùm honeſtius & vero ſimilius eſt proſpectas Maximo compoſitionis odiorum difficultates, & iniuria æſtuantem Sabaudij animum; eóque pactis & conditionibus, vel in ſpeciem decoris, quæque manifeſtam vtilitatem Mantuani continerent, partium duritiam mollire voluiſſe. Neque enim alij Paulo V. Pontifici mores erant, cuius præcipua ſtudia, in Chriſtianorum Principum concordiam collineabant. Et Maximus dictatam à Pontifice legem tenuerat; quòd inducias optimum ſecuturæ pacis inſtrumentum didiciſſet. Sanè Maximus vbi Vincentium pacta auerſantem neque retineri quæ properabant auxilia poſſe vidit; certiori per litteras reddito Sabaudio, recta Mediolanum contendit; vt adiutore Inoyoſa, formam aliquam agendorum in commune profecturam ſtabiliret. Nec dum enim ſpem omnem deſponderat, honeſtis vtrinque ſuſpicionibus poſſe bellum ſopiri. Id vnum gloriȩ præ cæteris placebat; ne recens aliquis conſultor, famam ſancitæ pacis illi præriperet. Et Paulus V. indefeſſus per literas, huic maximè ſtudio ſatagebat: ſed vel horȩ vnius momentum, inter decertantes, optatȩ concordiȩ ſummopere detrahebat; æſtuantéſque ad iniurias partium animos corrumpebat.

Die ſeptima decima peruicaces obſeſſores; quam demoliendam ſibi oppidi portam ſumpſerant, continuata iaculatione quatiebant. Iámque quantum obiecti aggeris, qui foſſæ prætendebatur altitudo permittebat lacerum diſiectúmque: ſed ru-

ſed ruderum pars maior oppidum verſus deuoluta, ſecuriora opinione munimenta reddidit: licet reliquum in ſubiectam foſſam effuſum cauitatem omnem ad ſummum ferè impleuiſſet. Neque tamen anguſtia facilem hoſtibus aſcenſum præbebat; quamquam illi deſiderio victoriæ ardentes, rem ſecus ac erat iudicauerint. Itaque cum pleriquе propius ſuggreſſi forent, vt quantum ruinarum eſſet perſpicerent; & per quas in oppidum euaderent; Nizenſes moſchettis exceptos, procul vallo ac foſſa ſummouerunt. Tres tranſuerberati referuntur, paulo plures vulnerati; cæteri ne viſo quidem loco ad ſuos rediere. Modica ciuibus fiducia erat, ſi foſſam cæmento ac lapidibus oppletam, hoſtium arbitrio permiſiſſent. Itaque Antoniottus de Roere, die medio, & ſtrenuioribus in eam operam delectis, comite Gaſpare Gambarana, & vexilliſero Lando, quos alij Nizenzium ſecuti ſunt, portâ ſubſidij egreſſi, multitudinem operariorum in eum locum deduxerunt. Per muros diſpoſiti ſclopetarij, conſpicuum hoſtem & ad ictum datum certo ictu excipiebant. Pons, qui iam fracta catena ſolutus procubuerat, ſtatim auulſus; & vbi foſſa egeſtis ruinis priſtinæ profunditati reſtituta eſt, ſecuritate ſuis parta, & incolumes vniuerſi mœnibus ſe receperunt. Obſtupuiſſe Sangeorgium accepimus tantam in clauſis fortitudinem. Neque tamen aperto diſcrimini committere ſuos voluiſſe, quod intectos dum clauſi in tuto præliantur, obiicere vulneribus abnueret. Diem decimam octauam idem labor, eadem ſolicitudo Sabaudios attinebat; qui deſtinatam exeidio portam flagellabant; vt aditum ſibi ad expugnationem molirentur. Ante alia inuiſum oppugnatoribus vexillum, cum Ducis Mantuani inſignibus, è turri dependulum offendebat. In id irrita opera plures ictus directi. Neque tamen portæ quaſſationem intermiſerant, in quam tempeſtas globorum verſa Caſtilionum ipſum ad diuerſa concedere impulit. Sed & hęc pariter hoſtis ſtatim ferire aggreſſus eſt, tectoq; diruto, mutandis illi nouis ſedibus, cauſam dedit. Sed vbi hęc quoque infectis ictibus petita eſt, indicium domeſtici exploratoris apud Nizenſes fuit; cuius monitu in Gubernatoris caput graſſaretur. Neque tamen ambiguitate ſuſpitionum diuerſa perſuadente deprehenſus eſt; ſed crediti Sabaudij copiâ pulueris ac globorum dites, vniuerſa conſulto laceraſſe. Mox in ſacra monialium clauſtra vis conuerſa; grandinem cœlo deciduam crederes, adeo conferti, & mutuo colliſi globi procidebant. Vis hæc circa meridiem depoſuit. Modicam requiem quidem ſecus ac erat, ſunt interpretati; quaſi ideo à Sabaudiis temperatum foret, vt vicina oppida, quæ integram in Mantuanum fidem Nizæ exemplo retinebant, dediti iam oppidi aut capti ſignum illud crederent. Quia tamen nemo qui nutantes formidantéſque in fidem reciperet miſſus eſt; nec victores crediti ad vlteriora proceſſere, inopiam bellici pulueris docuit; quaſi ceſſatum ab ictibus foret, quod oppugnatores medio in conatu inſtrumenta deſtituiſſent. Intermiſſa vexatio, haud quaquam ciues negligentia reſoluit; ſed pars Gubernatori, pars Antoniotto, pars Sargenti maiori indiuidua, huc illuc delata, præcepto & exemplo diſpoſitos per ſtationes milites in officio retinuit. Id maximè apud militiam, etiam Sabaudij Ducis encomio commendatum; quod nemo diſcinctus intra priuata cubilia, aut ſolus ſomnos cœpiſſet; ſed breui vacatione munerum imperata, per vias ac tabulata ſtrati, id tributi naturæ penderent, quod reddendum vel inuiti cogebantur. Ibidem diuiſos cibos rapiebant; non alia lætitia ac ſecuritate, quàm ſi procul hoſtis fugatus ingentibus ciuitatem ſpoliis ditauiſſet. Parca ducum menſa erat, & in commune expoſita vt par omnibus labor, eadem recreatione ſubleuaretur. Ambirioſè id Caſtilionus ſeruauerat vt inter populares & exteros, nobiles ac plebeios inuidiam oriri facilem eliminaret.

Sangeorgius in omnes curas aſſiduus, difficultatibus eluctatus tres ante dies, deficientis prouentus bellici monitus Aſtium magna feſtinatione miſerat, vt

abundè ac citò conueheretur. Ne tamen apud vilem hominem egeſtatis gnarum malè ſecretum depoſuiſſe videretur; ſupereſſe ſibi copiam publicè faſſus eſt; nec in expugnandæ Nizę vſum, ſed belli, & cæterorũ quæ meditaretur, requirere. Rei cura ac cuſtodia fortuitò in auidum lucelli militem tranſlata fuerat. Qui ſiue negligentiâ, ſiue vt ruſticos conductioni deſtinatos acceptâ pecuniâ eo onere leuaret, in diem quartum deferre diſtulit; tempus id omne ſuorum profectum ac ſpes fraudatus. Vbi redijt ſtatim quæſtioni admotus eſt, & tam longè moræ interrogatus. Ille ſecuritatem itinerum quæſitam, ſimul conductorum commodo conſuluiſſe reſpondit. Nec ſtatim Aſtij inueniſſe; ſed aliunde conquiſitum emptúmque. Celeritatem porrò inconſultam, periculo obuiam haud quaquam neceſſariam ſibi viſam; quòd apud exercitum abundè ſupereſſe puluerem, & globos ferreos ipſiuſmet Sangeorgij relatu didiciſſet. Ea præcipua cauſa exitij homini fuit, quaſi imperatam ſibi feſtinationem mendacio abnueret; aut aperire Ducis artes vulgato ſecreto licenter auderet. Sed & teſtibus præuaricatio atque auaritia detecta, ideoq; more belli capitis damnatus eſt. Dubium non erat captarum à popularibus pecuniarum, & maculoſum auaritiâ reum probari; vt qui perſpectus furis eſſet, non alio morbo fœdius hactenus laboraſſe. Multum intereſt quo quis adminiſtro negotiorum vtatur, quâ is fide reſpondeat: nam ſpe, metu, auaritiâ ingentium rerum incrementa ſæpe corrumpuntur; & priuata flagitia Principis gloriæ ſuorum vtilitati detrahunt.

Decimâ nonâ menſis tot irritis conatious delaſſati oppugnatores, vanam collineandis tormentis ſedem delegerunt trans Belbum flumen, ima murorum oppidi ſubruere ſe poſſe opinantes: quod eminentiori ſitu magnam obiectæ foſſæ partem detexiſſent. Ergò orto die repens fragor & inopinatus, militum ciuiumq; animos confudit. Pars foſſæ extera denſo aggere, & continuo viæ vſu calcata, inferna mœnium, dorſi elatione protegebat: nec niſi ſumma & inania videri ſinebat. Infixi globi lentore terræ ligabantur; & ſi qui duriori loco occurriſſent, ſaltu trans mœnia exiliebant; id quantum obſeſſis ſecuritatis, tantum Sabaudijs iræ conciuerat; quòd ſupra ſpem omnem, aperto (vt dicebatur) municipio clauſi, tot ſe munimentis vallauiſſent; nec plurium dierum obſidium, aut ciuium animos conſternaſſet, aut metu ſaltem coercuiſſet. Contemni ac negligi vim, irritos conatus videri, audere interdum apertum, ingentem indignationem conciuerat. Sed illi ſpe aduentantis auxilij tuti maturam gloriam proſpectabant. Supremas itaque pinnas Sabaudij frequentioribus ictibus lacerare aggreſſi ſunt. Iram id non ſpem victoriæ præferebat: quòd nec Monialium clauſtris, nec templis Deûm ignoſceretur. In fronte templi Deiparæ Matris nunciante Angelo imago depicta, non ictu vno impetita, quamquàm expoſita iniuriæ iacientium, ad ſupremum belli finem intacta manſit, cum reliqua circum tempeſtate globorum quaſſa nutarent. Bombardarium inter cæteros quemdam, contemptu in eam imaginem ſæuiiſſe Nizenſes opinabantur: & tantùm audaciâ prouectum, vt quaſi aggere ſeptus in tuto inſultaret, nudatumq; latus ciuibus offerret. Tum Caſtilionum acciuiſſe gregarium iuuenem, & an temeritatem hominis notaſſet interrogaſſe; eo annuente ſubieciſſe, nobilis ictus certum ſe præmium offerre, ſi longiori moſchetto infeſtum ſuſtuliſſet. Illum verò ſtatim in tormenta exonerantem collineaſſe, collo transfoſſum, medio agro porrexiſſe. Secutam militarem acclamationem fauoris indicium; & quinquaginta aureorum munus, vt cæteri exemplo animarentur, adhuc teſtantur, qui obſidionis tempore Nizæ morabantur. Cæſo nobili iaculatore tormentorum bellicorum fragor toto die depoſuit: non quod Magiſtri tormentis deeſſent; ſed conſilio Ducis, quem iuſſa ſui Principis & difficultates, quâ præcipuè totus incumberet incertum habebant. Caſtilionus ſuos cibo primùm firmauit, mox horas aliquot ſomno indulgere voluit; non præteriti

laboris,

laboris, ſed futuri causâ. Itaque circa medium noctis ducentos fere ſclopetarios clam porta dimiſit; qui in ſecuram quietem agitantes Sabaudios inuecti ſunt: Non vt aduerſus paratos prœlium inciperent (quippe impares numero erant; & breui affuturum ſibi auxilium ſperantes diſcrimini obiicere ſe nolebant) ſed vt inquietos hoſtes, & totam noctem inſomnes haberent, laboríque & ſuſpicionibus laſſarent. Neque tamen eà Monferratenſium audacia aliud partum; quàm vt irruentis inimici metu, ſtatim ad arma conclamarent, arctiores excubias agitarent, & paratiores bello redderentur. Sic media in trepidatione omiſſi ſunt. Solitum id Caſtilioni fuiſſe dicebatur, vt ſuperbum ſuorum fiducia obſeſſorem fatigaret, & ſuos militari diſciplinæ & futuris aſſultibus componeret. Tres iam noctes ſine rumore armorum placida quiete prætererierant; ídque aduerſariorum ignauiæ ac formidini vnuſquiſque imputauerat. Et quidem bellici pulueris & globorum inopia, apud obſidentes credebatur: ſed ciues partitis excubiis, fidem omnem ſecuritatis excluſerant; id perpetuò ductorum ſermonibus admoniti, ne pacem incertam, manifeſto bello miſcerent. Viceſimæ diei continua Sabaudiorũ iaculatio Monialium ſepta, templúmque, quo Sacræ Virgines Numinis cultui operabátur, ſolo fermè æquauit. Ipſæ in vicinas ędes ſuccedere coactę; vt ſe latebrâ & ſecreto occuletent. Eadem loco quæ Cœnobio habita à ciuibus reuerentia eſt; imo admoti etiam publici cuſtodes, in ſupremum obſidionis diem perſtitere. Centum triginta tormentorum bellicorum ictus numerati, quibus partim quaſſati muri, partim templum magna ſui parte conuulſum eſt. Pro foribus ſacratæ ædis, duraturæ in omnem poſteritatem memoriæ globus pondo ſexaginta trium ferreo vinculo appenſus parum decoro obſidentium titulo eſt; quaſi ne Numini quidẽ pepeciſſent. Infenſos præſidio ciues Sangeorgius ſtratagemate agreſſus eſt, tãquam ſpe rerũ ingentiũ, & oppidi alicuius acceſſione cogitationes ſuas adornauiſſet; non vt Nizenſes ſubigeret, quod plurium dierum labore tentauerat, ſed vt aduentantibus auxiliis commeatum interciperet. Properare enim Hiſpani, cum aliquot Mantuanorum millibus audiebantur. Centum equites ſublatis in dorſum totidem peditibus Belbum flumen hauſto iam imbre tenuatum vado certo ſuperare iuſſit. Hi procul Nizæ mœnibus, duce (vt vulgatum eſt) perfido quodam prouincialium Geſſaram, mox in villam Comitis Henrici Sangeorgij deuecti ſunt. Statim fuga ruſticorum audita, & miles (quod vnum in voti habuerat) ignem vniuerſis immiſit. Concepere primùm flammas incendio proniora, ad hæc domus, & ruſticorum magalia; nec ante peſtis deſiit quàm quidquid humano vſui reſeruatum fuerat, conflagraret. Fœni in primis ac paleæ ingens iactura fuit: rurales opes abreptę; & ſub veſperam per eandam viam, ad ſuos regreſſi ſunt. Comes Henricus non publicum, ſed priuatum Sangeorgij aduerſum ſe odium accuſauit; addiditque plura, quibus ſuam miſeriam, hoſtis ſæuitiam teſtaretur. Hac occaſione monendum Lectorem ducimus, tam ingentis prouinciæ directione, minimum quid in gregarios Sabaudios ceſſiſſe, ſed ſpoliorum ac prędæ vim omnem in Germanos ac Gallos abiuiſſe. Plus hic auaritiæ illic virtutis fuerat: quamquam publicè admiſſa ſub eodem ductore, domini cognomine notarentur. Tot eius diei laboribus, tot ex aduerſo ictibus, apud obſeſſos vnus tantum deſideratus eſt, manipulo operarum præfectus: militum nemo ſauciatus; nec munimentum parte vlla quamuis tot dies ac noctes hoſtilem vim pertuliſſet, imminutum. Addidit ſecuritati Caſtilionus; ne quam hoſtes eo die viam triuerant, libera maneret. Is enim quibus fidebant ſublatis ſéque ac longius ſitos muniuit. Clauſis quippe intra mœnia is ſolus Archium excurſus ſupererat; qui pridem interceptus, tum & hoſtium arbitrio ſeruabatur, ſi vadare Belbum, & in oppoſitam ripam tutò progredi potuiſſent. Integri diei ruinæ, ſecutæ noctis duabus horis reparatæ ſunt, ac conſtantia obſeſſorum. Idque ante alia inimici admirati, quòd

bellici commeatus magnâ copiâ inſumptâ & tot laboribus, nihil adhuc in ſummam profeciſſent. Ambitus nihilominus omnem occludere, & infeſta omnia clauſis reddere nitebantur.

Proinde viceſimâ primâ menſis, quam externo die viam in Comitis Henrici Sangeorgij villam inceſſerant, magno comitatu repetiuerunt. Et quia domos in medio ſitas, ne præſidio hoſtibus eſſent, igni ferroq; Caſtilionus perdiderat, eas diuerſis munimentis firmauêre. Securum ſibi eo tractu iter proſpectaſſe videbantur. Nec Nizenſes numero ac viribus impares prohibere poterant: inſuper equitatu deſtituti, cui in planicie præliantibus, ſummum robur eſt. Ne ſuggredi quidem animo inceſſit; adeo multitudine & tormentorum fragore inhorruerant. Viciniora tamen oppido curatius communiuêre. Repetita quin etiam Nizæ amnis ſuperſtagnatio, iniectis quæ curſum morarentur: ſed & murorum eâ parte ambitus, comportatâ humo ac ſarmentis ſolidatus. Quaſſata ictibus aut hiantia, ſummâ feſtinatione ex diſciplinâ reſtitura. Quibus dum ciues tamquam in pace ac otio intendunt, repentino Sabaudiorum incurſu contremuêre. Sparſi enim per vicinos colles ac planiciem, dato ſigno vniuerſi in propinqua municipio accurrêre. Oppidani trepidantes ſtatim arma conclamarunt. Nec enim anguſtis publicæ rei fortunis, ingruentis mali ſuſpiciones; aut ſigna temnenda erant. Auxerat formidinem, quòd non temeritate aut impetu, ſed compoſiti, & tamquàm maturato ante conſilio pedites equiteſq; ſuis quique locis digreſſi ſuccederent. Etiam dolus, aut inter ſuos proditio metuebatur. & hoc maximè timorem intenderat. Franciſcus Sanctamaria, locumtenens Veggius, Ioannes Dominicus Albertus, alijq;, proximè ad exitium, Patriæ accedere, ſi vicinio inimicum acciperent teſtati, in procedentes impetu procurrêre. Horas aliquot tractum certamen; & paucis hoſtium deſideratis, pluribus vtrinque ſaucijs, vrgentibuſq; nouis Sabaudiorum copijs, qui velut in certamen properantes, vicinis collibus præcipitabantur, ſudore ac ſanguine reſperſi ciues intra vallum ſe receperunt. Eminus hactenus colliſa partium fortitudo fuerat: ſed tum cominus, conferto gradu & pertinaciter pugnatum: vt dubium non eſſet, ſi diutius conatus tractus foret, de victoriâ tranſigi vnam intra horam potuiſſe. Hoſtes pridiano incendio abſumptis domibus potiti, dum munire locum properant, & non ſatis cautè operantur infeſtis ciuium ictibus male excepti, manipulares aliquot amisêre. Sed poſſeſſionem, vnde haud dubium periculum Nizenſium ſi tardius auxilia accepiſſent, ſpectabatur, in quæſtum retulerunt. E propinquo minima quæq; certo ictu deſtinari poterant, & ne ciues eâ ſe parte oſtenderent prohiberi.

Leuia nec præliorum exitus ſpectantia proſequi, vt procul grauitate hiſtoriæ eſt, ſic omittere in animo fuerat, niſi populi æſtimatio, religio, ac prodigium, in ſui memoriam peruiciſſent. Ioannes Cremona cognomine, primâ iuuentâ, Coſtilioli ortus, ſed Caſtelnoui Inciſæ incola, priuatis negotijs vicina Nizæ tetigerat: & quia exploratores Sabaudij latè curabant, dum ſummo è colle deſcenderet, deprehenſus eſt. Itaque eodem ſtudio pro Monferratenſibus veniſſe creditus, à ductoribus Sabaudijs interrogatus eſt. Et quia viſo hoſte ſeſe in fugam dederat, nec ſatis congruentia retulerat pro conuicto habitus eſt & damnatus; vt militaribus ſclopetorum ictibus laceraretur. Abreptus itaque & annoſæ arbori alligatus, multorum globis impetitus & viginti ictibus confoſſus eſt. Alterâ à ſupplicio horâ ſuperſtes adhuc viſus, capitanei cuiuſdam militari pietate imperatum, vt inter extrema eluctatus, miſſo percuſſore Heluetio pugione confoderetur. Ille depromptum vaginâ ferrum ſepties iugulo ac pectori immiſit. Sancius iuuenis porrectâ in humum ceruice tranſiſſe vita videbatur. Nec apud Duces amplius illius cura fuit. Sub veſperam vir Caſtellazij ciuis in Patriam reuertens, cum hominem ſpirantem adhuc, & flebili lamentatione pietatem tranſeuntium innocentem

compe-

comperiſſet, propius acceſſit; an adhuc viueret ſciſcitatus, de cæde enim acceperat. Ille & viuere ſe,& opem orare patria caritate reſpondit. Ergo illum bono animo eſſe iuſſit; mox ad Præpoſitum Cappuccinorum delatus petijt vti à Sangeorgio ſibi concederetur. Annuit naturali facilitate Sangeorgius; id tantùm addens metuere ſe tardæ & intempeſtiuæ curationi. Ille tamen ſolutis deplorati iuuenis vinculis in cœnobium Capuccinorum primùm,demùm Cannellum cum cæteris ſaucijs vexit: vbi paucos intra dies & perfunctoria cura (qualis in caſtris habetur) conualuit. In hoſtico agebat, & religio arcere diſcrimen poterat iuuenis iam ſibi redditi. Vulgauit itaque ſe vitam à Deipara Virgine voto partum: aſſidentem ſibi,& ictus à vitalibus viſceribus auertentem,ſanguiniſq; profluuia inhibentem ſpectaſſe. Quo prodigio,ſeu ſubſidium à mendacio petierit,ſiue numinis tutela euaſerit; ſiue caſus illum exitio ſubtraxerit, Cannelli plures dies egit, Sabaudiorum eadem qua erga ſuos pietate vtebantur,ad extremum vſus.

Propinquitas hoſtium magna ciues moleſtia afficiebat; quamuis continuis ictibus illos ſuccedere mœnibus proluberent,magnorum moſchettorum beneficio quibus expertiſſimi militum proſperè aduerſus ſeſe oſſerentes vtebantur. Hector nihilominus Cocconatus,non poſtremæ fortis miles periculum illud criſtato pileo,& multo auro indutus,coq; conſpicuus ſpernere auſus eſt,& inſultanti ſimilis vicinius obequitare. Quem vt ciuilium copiarum ductor conſpicatus eſt, arrepto propinqui gregarij moſchetto, directa iaculatione transfoſſum,ante ora ſuorum equo effudit. Pro ictu a Sabaudijs redditum odium; & geminata in obſeſſos vulnera,tormentorum aſſidua vi, ſclopetorumq; contumaci exploſione. Inter hæc non minus hoſtibus moleſtus erat Albertus, ijs præcipuè qui propinquum monaſterium ſeruabant. Sagrum tormento nomen eſt, quo vno aduerſus maiores machinas vſus ita præliabatur,vt non murorum craſſitie, non contignationibus vim obſeſſorum Sabaudij tolerarent. Iamq; diuturnitate belli, virtute clauſorum laſſarentur. Plurimùm certè difficultatis munimenta ciuium faciebant,temporario opere ſolidata; ſed affuturum Hiſpanum auxilium fregerat inſultantium animos,concepta ante rem victoria elatos.

Fama fuit pleroſque ductorum æſtimato vallo, foſsâ, numero ciuium, ac conſtantiâ, diſceſſum Sangeorgio perſuaſiſſe; iamq; ſarcinas & cætera impedimentorum collegiſſe, quò celerius abſcederent: imo & bellica tormenta mouere loco aggreſſos; niſi deſperatione irriti conatus laſſatos,Sangeorgius,Comes Nouiliæ,alijq; proceres,recens in caſtra deuecti retinuiſſent. Mandata Sabaudij Ducis detulerunt,continuari obſidionem,& arctius ſtringi Nizenſes imperantis. Neque enim ſuſpicatos illis Hiſpanos ſtatim ex opinione affuturos; ſolitâ gentis cunctatione; non Inoyoſam quamquam Vincentij Principis Mantuani importunitate ſolicitatum,offenſas & iniurias laturum; nec regia vexilla in dedecus nepotum, ac damnum proceſſura. Iure id æquitatis in conſanguineis ſperandum fuerat; nec temeritas videbatur Patrui pietati, Inoyoſæ gratitudini,cauſæ aliàs probatæ credere. Quæ tamen exitus, & deliteſcens inuidia falſi damnauit; licet apud exercitum ſuffecerint, vt retinerentur firmarentúrque; quorum metu parum abfuit, quin turpi ſolutione obſidij honor proprius imminueretur. Quamquàm enim ſumma in Sangeorgio authoritas, & belli arbitrium eſſet; plerique tamen generis dignitate, & militiæ vſu celebres, ſine calumniæ notâ negligi non poterant. Miſſi proinde Aſtium ſummâ celeritate,qui globos ferreos & puluerem bellicum in longiorem oppugnationem conueherent. Inter hæc addi Sabaudijs caſtris robur,aduentu equitatus,cui in pace ſui Ducis cuſtodia committebatur. Nec abſimile vero credebatur, Sabaudium ipſum licet nemini cognitum eo cum comitatu in caſtra veniſſe. Auxêre quoque militiam duæ iuuenum centuriæ; quas Taurini liberalibus artibus eruditas, in belli formam deſcriptas fuiſſe fama detulerat.

His trans Belbum ſedes data, vt Niuernienſem Ducem Aichij moram trahentem, ſi auxilium obſeſſis ferre præſumpſiſſet, retinerent. Multum his animorum, feruor ætatis, & cupido gloriæ indiderat. Et dediſſe mutuò ſacramentum dicebantur, ſeſe vniuerſos eodem conatu præliaturos, aut quem accepiſſent locum corpore in morte tecturos. Nizenſes quamquàm propinqua ſpe auxilij firmitudinem retinerent, expectatione tamen confici cœperant, & famâ Sabaudij præſentis formidabant. Quantum in eo Principe ſapientiæ ac virtutis bellicæ eſſet non ignari, & quantum roboris coram ſuis adderet. Sub noctem eo tractu, qui Monbaruzum proſpectat, diſſiti ſedibus tres ignes micuêre; paulò poſt duo tormenti bellici ictus auditi, ad extremum & tertius; quæ aduentantis ſubſidij ſigna à Niuernienſi Duce Nizenſes acceperant. Vix credi poſſit quâ exultatione res accepta. Iam enim non tueri mœnia, ſed ſpontaneam eruptionem in plures & validiores audebant poſcebántque: ſed fidei vanitas breui patuit; & per exploratorem admoniti ſunt pauculos in dies auxilium differri; dum plures Monferratenſes Principi Vincentio, Hiſpani ſuis adiungerentur. Id quoque refecit animos. Itaque clareſcente iam die ciues quibus moletrinarum, & vexandi carpendiq; hoſtis cura iniecta fuerat, quieſcentem hoſtem, & ſignis properantis auxilij fortè conſternatum perculêre. Vnus alterve excubitorum cæſi, arma veſtiſq; abrepta; mox illæſi ac compoſiti ad ſuos regreſſi ſunt, oppidanorum tutelâ freti, qui à muris ac propugnaculis inſequentem hoſtem moſchettorum ictibus arcebant. Laudata pro tempore fortitudo eſt (quod tum ſtrenuis præmium Caſtiliono ſuppetebat) cum pecunia etiam in belli vſus deſtitueretur. Sequenti trepidi nuncij detulerunt, foſſam aſſeribus ac vepribus contectam per quam in propinquiora peruaderent Sabaudios cauaſſe. Terrorem incuſſerat repens aſtutia; niſi Antoniottus de Ruere, cui ea regio tutanda forte obtigerat, cæteriq; armorum rectores docuiſſent, irrito & nequaquam profuturo labori Sabaudios delaſſatos eſſe. Vrbanæ quippe foſſæ latitudinem ac profunditatem, ſufficere retinendo hoſti; & ſi in hanc quoque temeritate proceſſiſſent, fronte ac lateribus illos exponi ad ictus obſeſſorum; paulò poſt Antoniotti iudicium exitus approbauit; nec enim aggeris ea altitudo euenerat, vt fundamenta mœnium detegerentur; aut tecti ſecuriq; in diſcrimen proceſſerant. Tentatos eodem ſtudio in ciuitatem à Sangeorgio cuniculos referebant, ſed parum depreſſi, & murorum radicibus altiores deprehenſi profundius acti ſcaturigine aquarum oppleti forent. Id præuidiſſe Sangeorgius dicebatur, machinatoribus admonitis, vt certo filo viam ducerent; quod oppidi in planicie ſiti inferna, imminentium collium aſſiduo rore diluerentur. Sed illi ſummo inceſſere, non bene libratâ operâ, tot hominum labori illudentes. Et quia non paganorum ſolùm, ſed & militum ea cura fuerat, vt feſtinatione procederent, inuiſi eſſe apud ſuos, & calumnioſè audire, tanquam proditores ac perduelles cœperunt. Tolerandus illis vulgi rumor erat, cui cauſam incuria dediſſe videbatur. Quidam Comitis Verruenſis inuidiâ etiam Sangeorgium tractum retulerant; vterque tamen ſupra calumniam poſitus ſtrenuè nauabant. Haud multò ante Sancius Salina, Mediolanenſis Equitatus pro Hiſpano Rege adminiſtrator, Vincentium Mantuani fratrem apud Caſalenſes conuenerat: non vt viuâ ſpe ac promiſſis (quod falsò vulgatum fuerat) titubantes Monferratenſium animos firmaret; ſed vt tempus formamq; deducendi auxilij ſtatueret, vt Nizenſes obſidione liberarentur. Non enim aliud ardentioribus precibus plures dies oratum fuerat; & exprobratione Moncaluij, damnoſa negligentia caſtigata. Statim de modo conuenerant; & vtrique cogendis ſuis operam omnem impenderant. Porrò non ciues ſolùm, ſed & vicinorum oppidorum militia diuturnâ obſidione ac labore laſſata; nec minus tardiori quàm ſperauerat auxilio eluſa, ſenſim demiſiſſe animos videbatur. Nullæ quidem hactenus ſeditioſæ voces auditæ fuerant; ſed frigeſcens

Digitized by Google

geſcens ardor, & honeſtæ querelæ exceptæ: cum valetudinem nonnulli, alij longitudinem laboris, plures eorum quos domi reliquerant pignorum ſortem miſerarentur. Poſcebantq; haud dubiè quierem & niſi in procaptu Hiſpani forent, conditiones ab hoſte dictatas recipi conſulebant.

Parum opportuna ſeueritas aduerſus cum cauſa lamentantes viſa eſt; placuitq; mitioribus remedijs inſiſtere, & nobili aliquo ſtratagemate dubitantes in officio retinere. Antonius Arcaſius, cui Sargentis maioris munus delegatum fuerat, magnitudinem, & remedia mali ſtatim animo concepit; in eoq; municipij incolumitatem verſari, ſi profundo ſilentio conſilia inuoluerentur. Itaque porta ſuccurſus egreſſus, milites apud moletrinas aſſiduam ſtationem ſeruantes ad virtutem in primis hortatus eſt; mox per foſſam infimam delatus ſolus ac incuſtoditus per ingentes ambages Bottalis Pontem vſque delatus eſt. Tandem vt ijs quæ prius ſtruxerat, apud trepidos plus fidei compararet, tardo regreſſu, & occiduo iam ſole Nizam redijt, magnæ ſe rei nuncium afferre teſtatus. Obuios illico ciues ac milites ingenti numero habuit; quos vbi auidos ſecreti vidit, prorupit: ſe ſub Bottalis Ponte fido amicoq; Monacho collocutum. Retuliſſe illum omnia apud hoſtes indignationi quàm diſciplinæ propiora, abnuentibus iam centurijs ad oppugnationem oppidi duci, & per vulnera ac neces protecti fortiter municipij aſcenſum pertentare; quòd præmia victoriæ nulla (quoties intacti & indirepti ciues futuri ſint) ſuperſint. Cur enim dare animas in diſcrimen debeant, ſi loco potiti vti ſanguinem vireſque fudiſſent, ſpolia nulla operirentur? Hæc apud Sangeorgium non gregariorum ſolùm militum, ſed & minoris ordinis ductorum queſtibus repeti: tum peruicacia ac conſenſu victum Sangeorgium ſacræ aræ innixum, immane iuramentum concepiſſe; non ſe ciuibus conditiones aut pacta deditionis oblaturum; nec licet paratos obſequio aliter quàm vi recepturum; vt iure belli quod tamdiu traxiſſent, caderent. Id longam clauſorum peruicaciam, & exantlatos ſui militis labores poſcere. Proinde ad ſtrenuè nauandam operam accingerentur; & vitam, honorem, fortunas eius populi, apud ipſos fore ſcirent. In hæc firmatum conſilium: eos vero promptos ſui Ducis imperium expectare. Vbi hæc magnâ contentione vocis, apud eos qui pacem ante voluerant, proſecutus eſt; an innocentes liberos, defectam annis ætatem, pudicitiam fœminarum, res ſuas, vitamq; crudeliſſimi hoſtis arbitrio, qui datam Moncaluenſibus fidem fregerit, permittere vellent, interrogauit. Secutus centurionum clamor, perire potius in acie ſtatuiſſe, quàm inermes & pœnas daturos inſultanti inimico, hauriendum mucrone iugulum offerrent. Tum addita cohortatio, & renouata ſpes affuturi propediem auxilij; quantumque decoris, non ſitu non arte munitum oppidum adiret, expoſitum: cum Moncaluium foſſâ, arce, propugnaculis ſecurum eam vim non ſuſtinuerit. Equidem deprehenſum, non alio magis territatos ciues, quàm promiſſi auxilij fallaciâ. Et quidem Sargentis dicto, vna in ſecreto fides erat. Itaque Caſtilionem publico abſtraxit, & facti dictiq; conſilium aperuit. Laudata ars Arcaſij, ſed tegi cogitationes iuſſæ; quod ſciret arcanum plebi vulgatum maiorem conſternationem allaturum.

Iam Nizenſes continuo ſclopetorum vſu ardentes funiculi deficiebant; licet plumbum ac puluis bellicus in plures dies ſupereſſet. Stuppæ vis ingens collecta, & peritis conficiendi tradita. Sabaudij interim nouo bellico commeatu Aſtio decreto, & altiori loco tormentis implantatis, vt murorum ima detectius quateret, ſubruere mœnia vi omni aggreſſi ſunt. Nec expectatum à clauſis auxilium adhuc in propinquo eſſe audiebatur; hoſteſq; ne tertium quidem poſt diem affore, ſecretis nuncijs didicerant; cum obſeſſi, quorum intererat, inter arma, inter labores, ærumnaſq; omnium ignari eluctarentur. Nizam Sabaudio accedere, Hiſpanos aut cupere, aut non curare pudenda gentis cunctatio perſuaſerat. Apud Caſalenſes

Digitized by Google

enim,& vbi licentia ſermoni erat,vulgatum fuerat adeò miſerè eos deſeri nō potuiſſe,quos ſaluos voluiſſent.Et iam Inoyoſa apud Mantuanum & Venetos,Etruſcóſque,tamquàm conuictus præuaricationis,non tantùm perfidiæ ſuſpectus;ſiue ageret,ſiue differret accuſabatur. Imo vbi ſufficiēti milite inſtructus in publicum prodijt, dicebatur flagitij turpitudine ſtimulatus, non iuuandi ſtudio in auxilium properaſſe; licet certum eſſet,conſtantes in propriam tutelam Nizenſes extrema iam tolerare. Cauſam ſermoni dederat præter Mantuani pronum in ſuſpiciones animum,delatus per Italiam rumor,ingentibus anguſtijs & difficultatib. obſeſſos implicatos, non ſitu, non tormentis bellicis, non murorum firmitudine ſecuros, tot dies ac noctes inſomnes agere,in arcto omnia: vt ea quoque præda ditari Sabaudium militem velle videretur. Accedebant Monferratenſium & Vincentij Principis iterati queſtus;vt tarditas quæ ex neceſſitate erat flagitio daretur.Mantuani quoque Oratores, eadem lamentationibus expoſuerant, teſtatíq; fuerant ſi Nizenſes ante periјſſent, tarditatis culpam fore ; cuius apud Regem olim ratio redderetur. Immenſum pariter militiæ apparatum, & tot deſcriptas legiones peditatu & equitatu ſuppletas in crimen vertebant. Multitudinem nempe quæſitam, vt tarditas excuſaretur. Sufficere ſoluendæ obſidioni tria peditum millia cum quingentis equitibus potuiſſe ; qui Monferratenſibus iuncti, & Marchionem Rubeum ſecuti, pro ſuorum incolumitate, pro ſociorum fortunis procul mœnibus hoſtem abigerent. Alij contra vniuerſa caritatis ſpecie excuſabant. Certum eſt nihilominus fortunam virtutémque Nizenſium Sabaudiorum conatibus obſtitiſſe ; & nobiliſſimum municipium,credente nemine domi retinuiſſe. Iam clauſtra Monialium tormentorum impetu diſiecta erant : iam muri pars oppidum cingentis lacera, ingenti rima dehiſcebat ; iam tecta ciuium eminentiora,aut ceciderant , aut nutabant ; eaq; omnia laborem propugnantium geminabant. Vniuerſis tamen in animo ſederat, viæ quà Sabaudij ſucceſſuri forent obſtruendæ,vel demolitis domibus,trabes,aſſeres,arcaſq; prouoluere ; vel viua ſuorum corpora ictibus tormentorum laceranda obijcere. Ita cum periculo diligentia accreuerat. Et in primis prolapſum foras ruderem, ne propugnantibus impedimento eſſet, Caſtilionus denuò amoliri iuſſit , denſíſq; interim moſchettorum ictibus procul hoſtes arceri.Eo in opere ciues aliqui cecidere; qui periculum deſpicientes,& detectos ſe tormentis obtulerunt. Thomas quoque Veggius extremum diſcrimen adijt, tecti cuiuſdam ruina, quod globus vaſti tormenti præceps traxerat.Porro frequentes in oppidi mœnia ictus curam Nizenſium intenderant; ergò conſenſu laudatum,vt trabibus, lignis, ſarmentis, terraq; compoſitus agger objiceretur,qui ad dies aliquot impetum ſuſtineret.Et quamquam certi diſcriminis opus eſſet,non tamen dilata executio ; ſed breui morâ,eâ quoque ſede parata ſecuritas eſt. Perfunctoria præſidia,non in longum tempus duratura parare ciues poterant:nec enim loci infirmitas diuturnam ſecuritatem patiebatur:& ſatis erat ſi promiſſum in dies ſubſidium,ſuffecturâ ad dies fortitudine expectaretur.Aduerſus tot difficultates,tot locis tentatam mœnium ruinam, tot dierum labores,tantam Sangeorgij virtutem,cui ſolicitudo,animus,vigor corporis, experimento rei militaris mirè congruebant , digna commendatione Nizenſium conſtantia eſt: quam non Trini, Moncaluij, & Albæ neglectus , non tarditas promiſſorum loco mouere potuit. Laborabat Laucrij porta adhuc; quam cum Caſtilionus indefeſſe fulminari ab hoſtibus videret, lectos, tabulata, ligna, arcas, dolia eò aduolui iuſſerat ; informemq; & ingentem molem multâ humo oppleuerat ; in quam globi ferrei impacti perderentur.Iamq; in dies aliquot cautum loco videbatur. Ciues ipſi geminatis periculis fortiores ; non domorum foribus, non tectis, non cubilibus (cum ſimilia neceſſitas requireret) parcebant ; gnari quemque ſibi optimè conſulere , qui vniuerſa in communem ſalutem contuliſſet. Contra Sabaudij conſtan-

conſtantiâ obſeſſorum efferati, ſolidam diem tormentorum exploſione conſumpſerunt. Centum ſeptuaginta ictibus eo die res tranſacta; feréque globi ſexaginta librarum miſſi; ne ludere viderentur. His disiecta ferè propugnacula, & murorum pars ſolo æquata eſt. Caſtilionus vbi lacera mœnia; & conuulſa magnâ in parte munimenta conſpicatus eſt, ne ſpes potiundi hoſtem tolleret parte internâ foſſam ſummi arginis duci, latitudinis ampliſſimæ, opponi nouuum aggerem, ſolidari etiam hiantia imperauit; vt quandiu ſuſtinere impetum ſuccuſſionemq; priora poſſent, retinerentur: vbi fracta ac diruta ictibus ceſſiſſent, propugnatoribus ſecurus à tergo receptus eſſet; tutelæ interim nihil imminueretur. Aggreſſi operam milites, viri, pueri, ſenes, fœminæ; nec diu laboratum: vix enim tota nox prætererat, & iam vetera ſolitæ firmitudini reſtituta, nouáque abſoluta ſunt; tantâ ſingulorum alacritate; vt inter proſpera plus concipi lætitiæ non poſſe crederetur.

His intentos ciues certus nuncius deprehendit, qui cogitare aſſultum Sabaudios retulit, & in aciem octo die deſcenſuros. Id quoque prælij genus clauſus diu miles cupiuiſſe videbatur; eóque exercitatiſſimos ſclopetarios, qua aſcenſurus hoſtis credebatur, lateri vtrinque diſpoſuit; ſed tectos munimentis; vt cominus ſuggredientes exciperent. Vbi receptus & nouus agger elatus fuerat, quadriugenti, thorace & galea tecti diſpoſiti ſunt. Horum alij moſchettis, oblongis lanceis alij armati conſtiterant; crediti haud dubiè aduerſus quamcunque vim locum retenturi. Ignes quoque comparati, quos in ſarmenta ac ligna (ſi quæ replendæ foſſæ Sabaudij conieciſſent) & in propius ſuccedentes iacularentur: nec minus vt in ſubiectam foſſam conijcerentur, æſtu dolove hoſtium detegendis: & vt palam per lucem oblatos librato ictu impeterent. Diſpoſiti alij per diuerſa loca, ſeruare excubias, omnémque inimici motum obſeruare iuſſi ſunt. Ne fœminæ quidem officio caruêre: delectæ plures ætate ac robore præſtantes quæ præliaturis neceſſaria comportarent. Hæc intus.

Apud obſeſſores mixta periculo ſolicitudo, vniuerſa in dubio habebat; an conſtantiæ ciuium toties probatæ, an ſoliditatis munimentorum denuo periculum facerent. Quorum vtrumque cum cunctationem perſuaderet, audere tamen & progredi virtus imperabat. Maturare itaque, & vim oſtendere placuit. Eo initio animorum vi depreſſiora Bottalis riui ingreſſi, ſeſe intra foueam quam paucos ante dies cauauerant, oſtenderunt. Ciues ſecuritate ſua, & vanitate hoſtium notata obſtupuêre. Sabaudij tamen plurium ſclopetorum ictu viuere ſe & audere docuerunt. Ex aduerſo Nizenſes par pari referentes, nil eo tegumento profici poſſe docuerunt. Paulo poſt ſcalas aliquot deferre viſus hoſtis eſt, quaſi muri aſſenſu deſtinarentur; ſed non admotæ prudentiam ductoris oſtendêre. Antoniottus de Ruerc pars magna belli huius, viſâ comminatione prorupit, elataq; voce teſtatus eſt, non opponi ſimilia, ſed apponi, ſcandi, menſurari debere: & quo plus confuſionis hoſtibus faceret, ſuos maiori ſpe ac ſecuritate roboraret, per murorum ambitum, cythara ac teſtudine pleroſq; canere, agere tripudia, petulantiâ præferre voluit: cum interim alij ignauiam hoſtibus, alij tarditatem exprobrarêt. Vulgus quoque & è manipulis intemperantiores grauioribus conuiciis onerabât, opprobria geminantes, provt occaſio & audacia ſuggerebat. Sabaudij reddidêre contumelias; ſed vel periculo congreſſus, vel aduenientis pro Nizenſibus auxilij conſcientia, congreſſu abſtinuerunt; retuleruntq; ſcalas, trabes, & quę irruptio inſtrumenta poſtulat, & in ſua caſtra redierunt. Equidem licet Nizenſes, magnâ fiduciâ animorum agerent; multæq; Sabaudios difficultates retinerent, ſupremi tamen Numinis miſeratione haud dubiè pugna neglecta eſt; nã ſi obſeſſores acrius inſtitiſſent, multo partium ſanguine certamẽ, aut victoria ſtetiſſet: ſed obſtinatos æmulatione animos inhibuit, ne congrederentur. Nunquã hactenus oppidi tutela

intermiſſa fuerat; & tum curatius ciues mileſq; incumbebant; ne in portu naufragium (quod dicitur) facerent. Iam enim in propinquo amicas copias, & ſenſim auxilia accedere audiuerant. Nocte cœpta ſpes increuit; tormenti enim bellici ictus aliquot Onilium verſus auditi ſunt (ſignum aduentantis exercitus) quò iam Hiſpani graui agmine peruenerant. Id vbi per oppidum vulgatum vniuerſi ſolutâ lætitia exceperunt, feſtiſq; acclamationibus. Neque hoſtes res fefellit; eoq; breui quod ſupererat tempore agendorum, ſtrenuè vti decreuerunt. Quod in cauſa fuit, vt quidam teſtari auſi ſint, fictam Hiſpanorum feſtinationem fuiſſe; vt premere vrgereq; oppidum proſpectantibus ijs qui ſe auxilio veniſſe dicebant, & regijs vexillis per ſumma collium volitantibus Sabaudijs liceret, duraturâ gentis apud omnem poſteritatem præuaricationis infamia. Tertia fermè noctis horâ; ſiue proditores bene agendæ rei opportunitatem docuerant, tam conſtanti labore, tot dierum iniuria delaſſatis militibus; ſiue ſolutos intempeſtiua lætitia propugnatores, & auxilijs plus quam expediret fretos crediderant, Sabaudij ſuccurſus portam ſilenti ſed denſo agmine inuaſerunt. Alij Nizæ amni obiecta, & ruinis murorum æquata aggreſſi ſunt. Propugnatores tum maximè in cuſtodiam intenti & infeſtis ictibus vigilias agere deprehenſi. Sic hoſtes diuiſi (ne certior in cumulum iaculatio eſſet) in caſtra rediêre. Quod ſpatium reliquum fuit, præſenti fortunâ, & ſpe ſubſidij ſummâ intus lætitiâ tranſactum. Sed exitioſa ſemper rebus Mantuani Ducis Hiſpanorum cunctatio, expectationem deluſit. Et niſi conſtantiores ciues in tutelâ, quàm Hiſpani feſtinatione in auxilium fuiſſent, ante regij exercitus tot hominum millibus inſtructi ora, nullo vnquam æuo moriturâ obliuione, duraturiſq; cum memoriâ queſtibus, nec minus apud bonos auerſionibus animorum, nobiliſſimum municipium, magni Regis (cui opinio potentiæ pro præſidio eſſet) fide nixum, pauciorum inimicorum vi captum ac direptum foret. Sed corpora animaſq; cum facultatibus ciues pro honore deuouerant; & extrema quæq; pati iurauerant, quàm cedere virtuti oppugnantium, cui tot dies ſtrenuè eluctati fuerant. Moncaluij quoque fortuna perſuaſerat, eam ſolam incolumitatem ſibi credere, quam conſtantiâ vallauiſſent.

Viceſima tertia menſis, licet Hiſpanus equitatus vicinos colles, peditatuſq; fuſam in Nizenſes planiciem tenerent; Sabaudij tamen obſcuro noctis, mutato tormentorum loco, tamquàm Hiſpanos ſibi auxilio futuros opperirentur; & veluti extra muros nullum hoſtem forent habituri, octoginta (quod minimum globis, oppoſitum ſibi aggerem ciuium foderunt. Cæmenti ac lapidum pars maxima in prætenſam foueam effuſa, metum hoſtilis inſultus faciebat. Iam enim caſtris effuſi inimici, velut ad prælium progrediebantur. Ducenti cataphracti dimiſſis equis, & ictibus ſclopetorum impenetrabiles, cæteros raro aut nullo ferri tegmine munitos præcedebant. Latus hoc oppidi ſeruandum ſtrenuiſſimi militum acceperant; & Capitaneus Stephanus Paliarus, necnon Sanctamaria, quâ plurimùm diſcriminis videbatur; inſederant. Cum Sabaudij nil negligentia aut diffidentia rerum omiſſum deprehenderent, non tentatâ irruptione, ad ſuos regreſſi ſunt; & tormenta bellica quæ altiori ſitu, quatiendis murorum radicibus vicino colli implantauerant, retraxêre. Quod diei reliquum offenſis abſtinuêre. Qui intra caſtra erant, ſub veſperam bis arma conclamarunt. Nizenſes nouum aſſultum ſuſpicati, ſtabiles ac parati, ſuis quique locis hærebant: ſed paulò poſt ſequens equitatus, imminentibus oppido collibus, manifeſtiorem ſui proſpectum fecit; nemine ferè gnaro, amicive an hoſtes eſſent. Octingenti ferè equites erant, Vincentium Mantuani Ducis fratrem comitati; qui explorare itinera, hoſtilium caſtrorum ſitum, numerumq; venerant: vt reliquo exercitu conducto, qua parte tutiſſimè ciuibus auxilium ſummitteretur, præuiderent. Monferratenſes & Mantuani

erant;

erant; aſſiduò ad impetia Marchione Rubeo. Sabaudijs auxilij magnitudo ac forma innotuit,eoq; aduerſus Regias copias certam modeſtiam prætulêre: temperanter egiſſe crediti; quòd iniurijs abſtinuerint; cum virium non pœniteret. Nihilominus Antoniottus de Ruere, non ſpe vicini auxilij, non metu incertitudinis ſeductus,cùm procul imminere equitatum,& in vicino plura hoſtium millia proſpectaret, ne murorum ruinæ viam oppugnaturis facerent, cum delectâ ſuorum manu, in foueam deſcendit, & ingenti feſtinatione alueum omnem expurgauit: nobili facinore, ſiue oppugnationem formidauerit; ſiue aduentanti iam auxilio plus ſibi in propria virtute quàm alienâ,fiduciæ fuiſſe approbare voluerit. Viſus tamen ab hoſtibus; & militari conſuetudine conuicijs impetitus. Nox horrida tenebris & denſa caligine inſecuta; puluiſq; vento ac turbine glomeratus horrorem incuſſerant. Sabaudij caſtris egreſſi non ſunt; ſed duobus aut tribus tormenti bellici ictibus, quæ glareâ ac plumbeis orbiculis onerauerant, detinere in perenni vigilia oppugnatores ſatis habuerunt. Nizenſes tamen per foſſam ac diſſita,ignem (quem artificialem vocant) iaculati, diſpulerant tenebras,vt ſecretam apertamq; vim (ſi inferretur) præcauerent. Moniti quippe ab exploratore Pedemontano fuerant,non nocti,non diei,non luci, non obſcuro fiderent: quòd Sangeorgius ſuorum ſanguinis auarus, cognito niſi multâ cæde commilitonum occupare Nizenſes poſſe,artibus & occaſionibus intenderet; & tum præcipuè affuturum,cùm minimè ſperarent.

Viceſimâ quartâ menſis, fatigatis iam omnium animis expectatione ac morâ; Hiſpanus exercitus ſui ſignum ſuſcitatis in diuerſis locis ignibus præbuit. Tarditate ac morâ creditus beneficij quod attulerat magnitudinem oſtentare voluiſſe; cum tamen certum eſſet, feſtinationem pretioſius & acceptius fuiſſe collaturam. Preces & expectatio pulchritudini meriti detraxerant: imo haud procul iniuriâ putabatur, id quod ſtatim & ardenter dandum fuerat, tot dies fuiſſe dilatum. Clarâ iam matutinâ luce Sabaudij, non obſcuris inditijs, præter Hiſpanum ac Mantuanum equitatum (quorum turmas vicinis collibus ante viderant) etiam peditatus vim propius caſtris accedere; & breui planiciem omnem oppleturum conſpicati ſunt. Id quamquàm Duces non terruiſſet, gregarium tamen militem perculit vt paueſceret: non vt manifeſta formidinis ſigna tumultuaria fuga præferret; ſed vt cautè maturéque rebus ſuis conſuleret. Sabaudiorum conſtantiam Rubeus, eorum ſententiâ quibus procliuior in ſuſpiciones animus erat, vſus; crimini Hiſpanorum dedit: quòd Duces hoſtium conſcientia Inoyoſæ ſecuri, forſan & Aſculani Principis ſecreto, oſtentare vires, loco ſiſtere, offerre quæ haud quaquam permitteretur pugnam generoſè auſi forent; licet miles virtute propugnantium, & numero aduentantium conſternatus, imparem ſe, delaſſatum, clauſúmque cognoſceret. Sangeorgius quâ fortitudine pugnauerat, pari prudentia ſubtrahere diſcrimini ſuos ſtatim cogitauit; integro honore Ducis ac cohortium id tantum monens, ne præcipitato diſceſſu ordines turbarentur, aut inconſultâ trepidatione, hoſtibus animi adderentur. Certum enim ſibi erat, Hiſpanorum impetum licet validiorem retinere; & ſi prouocatus foret, pugnam non detrectare: iam enim ſitum colleſq; delegerat, ſuis commoda, hoſtibus iniqua. Vt ferè tamen repentinis in rebus euenit, dum vnuſquiſque ſibi ſtudens huc illuc properat, dum miles ſarcinas colligit, dum quærit iumentum, dum ſocium aduocat, confuſis inuicem hominibus, rebus, vocibus, receſſus ille quandam fugæ ſpeciem præ ſe tulit. Sangeorgius metu periculi formidinem cuiuſq; increpabat, amicos Sabaudio Hiſpanos, raros & inualidos eo in auxilio Mantuanos, non auſuros eruptionem ciues teſtatus, auctoritate ac minis vſus, prout cuique expedire crediderat. Vix precibus & dignitate retenti ſunt, quo minus nonnulli

Niza obſidij ſolutio.

horrore turbati, omiſſis impedimentis, proiectis armis, ſpreto imperio, turpi fuga diſpergerentur: relictiſq; à tergo tormentis bellicis, præteritam gloriam turpi fine dehoneſtarent. Ergo hæc additis cuſtodibus equitibus, peditibuſq; adiutoribus miſſa: mox pedites alij in cateruas aggregati, equiteſq; cohortium ſubſecuti. Pauoris id maximè ſpeciem retulit, quòd contra conſuetum militiæ ordinem, pedites planiciem, colles equites tenuiſſent; & quòd quæ proxima ſaluti via cuique credita fuerat, ſit occupata. Satis ſe Duci ſuo obſequi crediderant ſi vexilliferos comitati, integros ſe Hiſpanis legionib. (quas iam hoſtiles acceperant) ſubſtraxiſſent. Sabaudiorum ad Nizam alij ſex, quidam octo millia fuiſſe retulerunt; licet nos multo pauciores eorum relatu didicimus, qui pro Mantuano eam militiam ſecuti ſunt. Hos inter octingenti equites erant, flos robúrque Sabaudij exercitus.

Iam Niza abſceſſerant, cum progredi auxilia viſa ſunt: præmiſſis tormentis bellicis, & equitatus parte in terrorem. Proinde portâ Belmontis patefactâ quam dolia, tigna, ſarmenta, multa humus obſepſerat, Nizenſes milites egreſſi, obuios ſe ſociis obtulêre. Agminis initia Princeps Vincentius decoro Mantuanæ nobilitatis comitatu ſeptus, tenuit. Ioannes Stephanus Paliarus primus Vincentium Principem compellauit; & hinc imperio accepto, cum ſuis, quæ hoſtis loca ante tenuerat, inſedit. Vix quingentis paſſibus aberant Sabaudij; & ob collium vicinitatem in quos promptum receptum videbant, conſtantiam ductorum, qui animos addiderant; datámque ab his fidem, Hiſpanos in prælium non deſcenſuros, nec terga abeuntium carpturos, ſubſtiterant. Et quidem Mantuani pauciores erant, quam vt ſoli numeroſum hoſtem incurrerent. Paliarus tamen aſſututa laborantibus auxilia crediderat: neque Vincentius eam compoſitionem animi apud Hiſpanos præſumpſerat, vt paratam victoriam amicis Regique ſuo inuiderent. Ergo vbi in turmas equitem diſpoſuit, ác in expectantes adhuc hoſtes peditatum vertit, an irrumperet, cunctantéſque Sabaudios aggrederetur Vincentium ſciſcitatus eſt. Cum iſte annueret; addere animos militi, dare præcepta, aduocare alios orſus, & iam certamini accinctus ab Aſculano Principe prohibitus eſt: licet ille non ſuo tempore generoſus, Duci ſe ſuo morem gerere velle, & illius arbitrio arma tractare reſpondiſſet. Itaque quaſi non obtemperaturus Hiſpano, conuerſus ad Mantuanos equites, adeſte inquit, Domini Mantuani, & nobili pugna hoſtibus ſpectatoribus patriam virtutem nobiſcum approbate. His obſtrepere Aſculanus, ſuam illam curam, apud ſe militem, & imperium dicere, denique differendam vim monere, ſaltem quoad ipſe Vincentio Principi colloqueretur: Habere quæ conferret, vnde bellandi ratio omnis dependeat. Comminatum etiam quibuſdam acrioribus retulit Rubeus, niſi audientes ſe dicto præſtitiſſent, medio in diſcrimine, & præualentibus etiam Sabaudiis Monſerratenſes ac Mantuanos deſtituturum; nec Hiſpanos auxiliares in aciem deducturum. Quinimo addidiſſe ſuis ſubſiſtendi mandata, iuſſóſque conteſtatione Regiæ indignationis niſi iuſſu ſuo moueri. His & aliis (vnde manifeſta neceſſitas erat) dimiſſi Sabaudij, vt non minitantes, ſic nec pauentes.

Mantuani Sabaudios aggredi cupiunt.

Aſculanus prohibet.

Sed apud Mantuanos non ea ſimulatio quietis ſecuta eſt, quæ turgentem indignatione ſpiritum non teſtaretur. Oculis enim & vaſto ſilentio Hiſpanus deprehendit, parum iucunda fuiſſe imperata. Vniuerſos & Vincentium præcipuè ſauciabat; quòd toties pulſi ſedibus, oppidis exuti, direptione & expugnatione locorum ſpreti, nobili aliquo facinore mollire contemptum ſui non potuiſſent: quódque effuſam in ſinum fortunam negligere coacti forent. Cladem eam, certam audaciam hoſtilem corrigere magnâ partium gloriâ potuiſſe; ne ſemper victores dicerentur. Eo vlcerantem animum lancinante morſu, qui locum in prælio ac victoria ſibi figurauerant ſtatim vulgauerunt, cum adhuc Aſculanus decem mil-

Digitized by Google

cem millium via, à Caſtris Sabaudiis abeſſet, Sabaudij literas deſtinato curſore accepiſſe, quibus orauerit, nectere ſubſidio moras, quoad ipſe municipio potiretur; & id ſaltem honoris amici gratiæ daret; à quo certò ſciret ex arbitrio teſtituendum. Id ſuperbiam fuiſſe, & abditæ forſan perfidiæ inditium: niſi Dux vana ſpe cluſus receptum oppidi in facili crediderat, quod vix multo ſanguine haberi potuiſſet. Alij Comitem Calozij Alexandriam miſſum dicebant cui ſe iuuenis Principis Caſtilionenſis à ſecretis comitem addiderat, vt feſtinantes ad auxilium Hiſpanos motaretur, donec Mediolano ab Inoyoſa certior agendorum Nuncius reuerteretur. Nuncius quippe Apoſtolicus in hanc curam intentus concordiam pro virili promouebat. Illud tamen pacis amorem non fuiſſe, ſed fatigandorum Nizenſium quæſitam occaſionem, & opprimendæ Nizæ diripiendæque cupidinem. Addebant Comitem Calozij in mandatis accepiſſe, vt moneret Aſculanum quoque quâ iniuriâ Sabaudius, ſocius, amicus, ac conſanguineus Hiſpani Regis, honeſtæ cauſæ aſſertor afficeretur. Nec minus qua à Mantuano contumelia potentiſſimus Rex ſperneretur, retenta per vim pronepoti, & vſurpata Regij ſanguinis tutela: Obligari certè Sabaudio neceſſitudine proxima: niſi illud quoque cenſeat æſtimandum, an datam ſibi fidem Mantuano frangi impunè, cum dignitate tolerari poſſit. Haud diſſimili prætextuum ſerie, Biancam Caroli V. Imperatoris ſententia in petitorio iure reſeruatam proponi noluiſſe; vt grauia ſingula, multitudine inſuper, confidentia, ac querela commoueret. Quæ omnia nota Inoyoſæ erant, dicebatúrque reſpondiſſe Calozio, ne tertium quidem poſt diem, auxilia ſummiſſurum: & id arte, quaſi opportunitatis ac temporis, intra quod voto potiretur, Sabaudium admonuiſſet. Cæterùm honore Regis Hiſpani, gentis gloria potiorem Sabaudij caritatem apud Aſculanum quoque fuiſſe aſſeuerabant: nec illud fortiori argumento coniectabant, quam quod ſtabili loco fixis Sabaudiis, & Mantuanis ac Monferratenſibus, precibus querelíſque poſcentibus prælium, nuncium pacis ad fugientem iam hoſtem mittere prior voluerit; quàm irrito conatu confuſum, inter ſarcinas trepidantem, & cunctantem inter arma, aut ſupplicem accipere, aut conficere peruicacem. Barnabas Barbo, cum nonnullis eiuſdem dignationis viris, ad Sangeorgium & Verruenſem ab Aſculano miſſi ſunt; quòd explicatis ab Hiſpanis Regiis inſignibus ac vexillis, & tota mole exercitus illuc verſa, oſtentare auderent, expoſtulaturi. Et ſi minora deprehendiſſent palpata indignatione ductorum, vt amico agro excederet oraturi. Mantuanos quippe & Monferratenſes Nizam non tentato prælio redituros. Cunctante Regio miniſterio, & qui plenam belli conficiendi curam non habuerat, herente, promptum Sabaudiis fuit, momenta omnia honoris captantibus diſſimulare formidinem, ſi quæ gregarium attinuerat: & ſic plus ex hoſte gloriæ reportare; quàm ſi captum oppidum, auditis mediatorum precibus omiſiſſent. Reſponſum à Sabaudiis inſtructa iam acie, & funiculis ignitis ad ictus appenſis, eſt, paratos ſe quidem quacunque fortuna vim ſuſtinere, & animos in conflictum dare; Regis tamen Hiſpani reuerentia, certam è Nizenſibus victoriam omittere; vt vel eo documento teſtarentur, non deeſſe virtuti modeſtiam; pluſque manifeſtum aduerſus Regios miniſtros obſequium, quàm ſimulatam Mantuani amicitiam mereri. Vt non ambitione pacis nuncios quæſiuiſſe, ſic nec formidine admittere. In eorum manu eſſe, amicos an hoſtes experiri mallent. Non erant artes aut iactantia fortitudinis, cuius periculum non fieret, ſed verus animus, & certa deſtinatio vniuerſa retinendæ amicitiæ tentare potius, quàm arma tractare: & quocunque euentu (integra tantum exiſtimationis fama) amicè cum potentiori agere. Non enim adhuc deſponderant animum; affuturos ſuis cogitationibus Hiſpanos: licet Sabaudius conſiliis amicorum & Mantuani medici, qui bellum primi aut auerſati fuerant aut pauerant, non ſemel abſtinere inani ſpe

Barbo mittitur ab Aſculano ad Sangeorgium.

monitus fuiſſet. Et Medicus quidam, quo ille benignè & familiariter Taurini vſus fuerat, Goito literas miſerat, quarum argumentum diuinatio erat; non permiſſuros nempe Hiſpanos, magnam tum illius potentiam increſcere, quod ſcirent non obſcuris inditiis, Mediolanum, aliaq; dotalitio nomine ab ipſo requiri poſſe. Sed Sabaudius cauſæ fidens, & tam procul à metu, quàm à proſpera fortuna, quod iure & vi repoſcebat, ſperauerat ſucceſſurum. Hæc Nizenſis obſidij finis fuit.

In oppidum reſeratis iam portis viginti fermè militum millia recepta ſunt; Hiſpanis, Italis, Germanis coactus exercitus. Nec quamquàm aliquot popularium millia tolerandæ obſidioni inducta forent, vtbanumq; commeatum imminuiſſent, recens aduecti annonâ caruerunt. Pluris tantummodo vænibat; quod moris vbi fatigat inopia. Die ſequenti pars Hiſpanorum maxima, quiq; prouincialium, auxilio Nizenſibus initio periculi venerant; tamquàm nullo in poſterum metu; militia ſoluti ſunt. Sindicus verò ac ciues datis ad Ducem Mantuanum literis, abundè fidem ſuam, parcè labores & quæ demeruiſſent; effusè admodum conceptam ob ſeruarum oppidum lætitiam proſecuti ſunt. In adminiſtros quidem belli vmbræ quidam irarum ſuſpicionumq; obortæ ſunt, querelis tamen & accuſationibus abſtinuêre, ne commune gaudium triſtiorum recordatione minuerent. Ad eas ſtatim Dux reſpondit: Acceptam ſibi ante alia fidem fortitudinemq; optimorum ciuium fuiſſe; & ſicut ipſi præ cæteris inconcuſſam conſtantiam retinuerint, ſic promptiorem ipſum in beneficia futurum quandocunque gratificandi occaſio inceſſiſſet. Importuna & intempeſtiua eorum quæ objiciebantur cognitio videbatur; cum nec fides nugas tetractari, nec ductorum virtus, ſingula ad trutinam exigi præſenti rerum conditione paterentur. Nobili temperamento Mantuanus eruditus à prudentibus fuerat diſſimulare apud aliquos ſcelus, virtutem apud omnes commendare. Turbatis quippe rebus ſatis apud ſubditos virtutis eſſe, quoties fides non deſideretur; & niſi perfidia peccatum ſit fidem credere ex vſu eſſe. Denique vbi duo treſve pœnâ admoneantur, intempeſtiuam animaduerſionem cenſeri; ſi cæteri exemplo offendantur irritentúrque. Concepta diſceſſu hoſtium lætitia viſo agri damno corrupta eſt. Vbi enim mœnia ciues egreſſi, adoleſcentem iam ſegetem detritam, vites ab ſolo auulſas aut laceras, exciſas arbores; hortorum amœnitates conculcatas fœdatáſque, agreſtia ædificia diruta & conuulſa: non portas, non feneſtras, non ſupellectilem relicta; ferramentorum genus omne reuulſum; abactos greges, ruſticos in captiuitatem tractos; alios fugâ diſperſos, cellaria vino vacua (quod enim abſumi & aſportari ab hoſte non potuit, effuſum fuerat) vaſa omnia igni abſumpta deprehendêre, altius animo contriſtati ſunt: & Mantuanus quaſi bona pacis bellum ſequerentur, ſæuitiam per literas apud Hiſpanos queſtus eſt; barbaram illam immanitatem, Chriſtiano exercitu indignam crudelitatem appellans; addenſq; agro ac tectis non populo fuiſſe bellum illatum; Neſcius calamitatum inter arma, ferre non poterat templorum irreuerentiam, ſacrarum ædium profanationem, ruinam domorum, ſegetis excidium, direptiones locorum; quæ prælium aut infert, aut inſuper excuſat. Religionis verò profeſſores quoſdam, quòd intempeſtiuam temperantiam victoribus militibus obtruſerint, iniurijs ac metu fugatos, detractas ſacris imaginibus gemmas; ſacrificulos & fortunis exutos & pulſatos; vaſa ſacrificio deſtinata pollutis militum manibus inquinata & rapta querebatur, exaggerabátque: vt turpitudo facinorum, accedente generis humani conſenſu ſtatim hoſtem damnaret. Epiſtolâ verò magno ſuo ac ſuorum ſtudio dictatâ quam ad Pontificem dederat, inuidiam Sabaudij quæſitiſſimis nominibus intendebat: nil adeo ab humanitate alienum concipi poſſe dicens, quod Sabaudius miles, tolerantibus forſan & ſtimulantibus Ducibus, non admiſerit. Similia

niſi

niſi vbi fides ac ſacramentum viluerit, aut negligentem, parricidium in præceps rapuit, admitti poſſe. Non apud Gallos nouæ religionis ſectatores, & rabie quadam ferocientes; non apud Britannos Catholicis moribus infenſos; non Batauos rebelles tantum impietatis auditum. Modeſtius Turcam, iuratum Chriſtiani nominis oſorem, cum Græcis ac Paunonijs, quos belli iure ſuos fecerit egiſſe. Minori licentia in delubra ac donaria Sanctorum graſſatum. Horrendum auditu eſſe, tot Principum, tot Regum, tot Cæſarum longa ſerie pugnatum Ducem Sabaudium; cui pietas natales, ſalutem religio Diuo Carolo Borromæo adminiſtro tulerit; qui ſupremi numinis cultum equeſtris ordinis inſtituto, & accepit à maioribus, & tranſmittendum in poſteros retinet; quem ſacratiſſima ſyndone ditatum cœleſtis fauor, cæteris Europæ dominatoribus antetulit; nulla honeſta cauſa, cærimonias Eccleſiarum conteri, reliquias calcari, præſens numen ſacra è pixide per ludibrium ac contemptum effundi, templa dirui, ſacras imagines lacerari paſſum: vix vllo mortalium credituro, è Chriſtianis parentibus natum, tantum dedecoris admiſiſſe. Ignouiſſe templis non ſemel Barbaros & Turcam altaribus pepercisse; quæ in præſentem integra adhuc apud victores ſpectentur; valuiſſeq; alienam reuerentiam. Vtinam (ſcribebat) quam in reos pœnam iuſta Dei vindicta comminatur; & ſeruet Principem, & alienum fuiſſe reatum exemplo doceat.

Hic ſenſus epiſtolæ fuit; quam intempeſtiuam nec profuturam cauſæ ſuæ plerique monuerant: ſed quantum Sabaudius virtute & armis; tantum Mantuanus ſcripto ac voce cauſam ſuam præferebat. Nec Pontifex ſtudium laudauit, aut commendata Romanæ Aulæ querela eſt; quò minus mirum, Gallis & Germanis literarum argumentum ſtomachum mouiſſe. Quamuis enim Vgonottos, Caluiniſtas, & id genus ſectarios, Romanæ religionis ea in gente ſectatores, auerſos à Pontificijs moribus ſcirent, ciuilium tamen apud eos fidem valere nouerant; & ea cauſa promiſcuè Reges, Principes, & Republicas falsò perfidiæ damnari. Cura dehinc publici rectores inceſſit, habendi cenſus militaris, vt quantum iuuentutis amiſſum in partibus eſſet, in Libirinam veniret. Nizenſium (ſi vniuerſos complectamur, triginta deſideratos retulerunt, obſeſſorum fermè centum quinquaginta. Neque cenſus tantùm fuit, ſed apud reipublicæ adminiſtros deſiderium ſalubritatis. Sindicus enim patenti circum agro, mortuos conſectatus, ei ferè ſe numero terram inieciſſe retulit: ne putreſcentia cadauera, graui halitu contagium inferrent. Creduntur hoſtes ipſi per interualla cæſos humi texiſſe, vt plures eorum periiſſe coniectura probaret. Cæterùm vt priuatæ vtilitati publicam fidem ciues anteuliſſe crederentur, miſſi qui ruinas, incendia, excidia, rapinas æſtimarent; & in publicas tabulas, duraturæ ad poſteros memoriæ referrent. Centum octoginta aureorum millibus damnum illud ſtetiſſe deprehenſum; agri enim circum vaſtati, ſeges detrita, vineta exciſa, & ciuium ædes malè habitæ. Omnia in vili habita, quod nullis in eam diem obſeſſorum conatibus captum oppidum, veterem gloriam, integrum inſuperatumq; retinuiſſet. Vulnera, quæq; opum à ciuibus in communem vtilitatem collata fuerant extra cenſum habita: incolumitas rerum, & depulſus obſidione hoſtis, otium ac negligentiam ſemina ignauiæ induxiſſet; niſi centuriones hoc ipſum metuentes, labore & curâ in futurum durare, ſibiq; ac Patriæ firmare ſategiſſent. Quod tamen perpetuo prouocantem hoſtem tantum retinerent, nunquam primi impeterent, flagitium illius militiæ videbatur. Nec audacia ſine propinquâ ſpe quæſtus erat. Pleraque enim eo tractu oppida à Sabaudijs ſponte aut vi capta fuerant, & Sangeorgium campi vniuerſi dominum receperant; nemine aut Monferratenſium aut Sabaudiorum credente, conatus inimici aduerſus pauciores non in perfidiam non in bellum paratos irritè caſuros. Deuoluta omnia in victores videbantur tantâ proſperitate rerum; vt in priorem conditionem reditura nemo ſibi perſuaderet, incolæ inſuper deſperarent.

Fama victoris exercitus omnia terrore cõfuderat,& populares præ forib. exitium eſſe pręſumebant, ſi tardiores imperia accepiſſent, ſi obſidionem operiri, ſi vim experiri maluiſſent. Accedebat Hiſpanorum nunquam ſatis apud Italiam & Mãtuanos præcipuè exagitata,accuſata,damnatáque cunctatio;ſimul ſui Ducis æſtimatio,& abſentis,& ſuſpecti,& artium belli neſcij.

Paucos ante dies, cum omnia circum formidine horreſcerent,Alice, Moaſca, Altare, & adiacentes villæ miſſos à Sabaudiis milites acceperant ; loca ferendæ obſidioni inualida, & Nizæ metu conſternata. Præſidium quod ſpeciem potius quam vim haberet ſingulis dixerat Sangeorgius : qui nec diuiſo ſuorum numero infirmare legiones volebat;& fama ſui fidem omnes retẽturos ſperauerat.Paucitas ſeruantium Monferratenſib. ſubdidit animos vt recipere ea loca auderent:victores quoque Nizenſes animos addebant, vt abducto Sabaudio exercitu ſecura poſſeſſio videretur.

Alice, Moaſca, Altare. à Monferratenſi recipiũtur.

Et Alice quidem ac Moaſca, quæ paulo ante Sabaudios admiſerant, ſtatim ad Monferratenſes rediere:quiq; militum à Sangeorgio impoſiti præſidium agitabant, ſeſe ſuccedentibus dediderunt ; irritam virtutem opinabantur, iam elapſis ſociis,& alias in partes tranſlato bello. Altaris difficilior receptus fuit; nec cum compendio tradere animus eſt,ſed perſequi ſingula,vt tanta virtus memoriam habeat. Princeps Aſculanus cum in Nizenſium auxilium veniret,vocatum Granæ Marchionem(iuuenem cui natura ac fortuna ſuffragio virtutis decora omnia contuliſſe videbatur) ſciſcitatus eſt, quo munimento Altare, quot hominum millibus recipi poſſet; nec publicæ aut priuatæ cauſę omitti conducere. Copias quippe Regias,quæ per Liguriam in Mediolanenſes tenderent ea tranſire ; nec apertum iter, niſi depulſis hoſtibus eſſe poſſe. Itaque Vincentium Principem ac Marchionem Rubeum hortatus eſt,ne nobile oppidum diutius negligeretur. Placuit proceribus ſententia, & in equitem Rinaræ cura tranſlata. Octinginti pedites ſatis eſſe viſi:plures enim virtus cuiuſque, & nobilium qui comitaturi fuerant decuriæ aſpernabantur. Octo die Rinara in expedionem profectus eſt;cui ſe Marchio Alexander Blandrata, Comes Franciſcus Scoccia, Neſtor Suardus,Carolus Gazius,Iulius Cæſar Pedoca, Maximilianus Calorus, Innocentius Foreſtus,Gulielmus Tarachina;alijq; non remnendæ conditionis, comites addidêre. Sed ante alios ſe Marchio Granæ Altaris dominus, cum Ioanne & Ioanne Baptiſta Picis, Franciſco Sanazarro, Ioanne Iacobo Gambera, Octauio Montilio,Antonio Sala res ſuas repetiturus accinxit. Nec inter tot proceres vlla ordinis aut conditionis prærogatiua fuit ; negligebatur æmulatio, vbi certamen gloriæ erat ; & commune ſtudium pari animo ſectabantur. Cairum vniuerſi ſub noctem delati;extra oppidum liberalitate ciuium recepti refectiq; ſunt. Hiſpanorum id & Mantuani Ducis pari imperio continetur.Carcherâ eundum erat, vt recta Altare peteretur : Miſſus proinde qui loci Præfectum (Regio nomine habebatur)oraret vti amicis liberum tranſitum concederet. Abnuit Hiſpanus,nec ſibi in mandatis ab Inoyoſa reſpondit. Quod in cauſa fuit vt Bormidam amnem vicieſies ferè vado tranare miles coactus ſit,& per ardua & inuia eniti; cum arbores ac ſtirpes obuię milites armáque retinerent.Summa tandem laſſitudine,cum pręcedens nox denſa tenebris diem retuliſſet Altare delati ſunt ; licet à Cairo vix quatuor paſſuum millibus diſtet. Temporis ea iactura Hiſpano imputata : qui tamen delegato muneri probè functus ab Aſculano dictus eſt ; cum eâ causâ querelas Mantuanorum aduerſus hominem didiciſſet. Hic reficiendis militum viribus horam ferè immoratus Rinara,concilium agendorum cum ſuis iniit.

Altare nobiliſſimum & vetuſtiſſimum Monferrati oppidum eſt, quod mille ac quingentos ciues complectitur, medio collium ſitum,antiquiſſimæ Carrettorum poſſeſſionis.Forma loci oblonga eſt, Caſtroq; parte vna ſolidæ ſtructuræ firmatur, ſummo leuiter accliui collis. Foſſa pariter ambitur ; ſed minus depreſſa

quàm

quàm belli neceſſitas, & loci conditio requirit. Inerant (vt ferunt) Sabaudiorum quinquaginta; quibus vexillifer præerat; modicum præſidium; ſed vt exitus docuit, plus opinione validum. Mantuani vbi coram fuêre, in foſſam ſeſe dimittere iuſſi à Riuarâ ſunt; vt hinc pettardi opera porta diſrumperetur: priorq́; ſe ille in diſcrimen dedit. Illum ſecutus eſt Comes Aleranus Sangeorgius, aliją; nonnulli. Sabaudij vbi ſub ictum hoſtes vidêre, moſchettis exceptos fodere aggreſſi ſunt: & primo quidem aſſultu octo ſauciati, plures vulnerati ſunt. Cum pettardus valuis affigitur, alij eminentes ſcalas muris admouent, conſternati propugnatores in ſequentem inducias pacti ſunt; niſi ſubſidio deforis delato firmati forent, certam deditionem polliciti. Non accepta à Mantuanis conditio: itaque denuò iaculari vtrinque cœptum, & decem fermè alij Monferratenſium confoſſi ſunt. Sed maior horum numerus erat, quàm vt quinquaginta militum fortitudine retinerentur. Coacti ergo nullo ſolemnium deditionum decore, cædere neceſſitati, & vita tantum permiſſa exceſsêre. Victoria Monferratenſibus triginta militum cæde ſtetit, vulnerati totidem; & ſi Sabaudij ſpe auxilij freti in tertium aut quartum diem conſtantiam retinuiſſent, aut abſcedere obſidione oportebat; aut ducentorum (quod minimum) ſuorum amiſſione, gloriam recepti Altaris fœdare. Moniti ea occaſione populares fortius in tutelam ſui niti; degenerem enim conceſſionem Caſtelli ſine pœna non futuram.

Capitaneus quoque Burginus inter copiarum ductores delectâ cum manu Cameranum ac Veſinum, vi tantùm ciuibus oſtentata recepit. Illud promptius; quòd inermes & parum auxilij præſumerentes eſſent; Hoc ægrius ſecutum, & numero ſuorum, & ſubſidij ſpe aliqua elatum. Conſtantiæ quoque ſtimulos addebat Sangeorgij caritas; quo domino per Monferratum diu vſum fuerat. Iam eo tractu nihil hoſtium, plus præſidij & externæ militiæ: Sabaudius quoque eò verſus inutilem multitudinem Monfertatenſium copiarum ea parta reddiderat; metuſq́; & ſuſpiciones in diuerſa conuerterat. Ergo Aſculanus Princeps Hiſpanienſis exercitus mille & ducentos, retinendæ Nizæ ſub Ioanne Brauo reliquit; & ducentos quinquaginta equites, per vicina oppida diuiſos, ſeruare fines, & depellere pauores iuſſit; aduerſus repentinas hoſtium eruptiones præſidium. Id petitum à Mantuanis vulgarum eſt; nos tamen Rubei & Riuaræ fide didicimus, Aſculani iuſſu eum delectum habitum; vt non requirente ſic nec abnuente Vincentio Principe. Præmium id laboris inſumpti occupatum fuiſſe creditum; vt collatâ diſſolutionis obſidij operâ, plurium dietum hoſpitalitate rependeretur. Cura erat cui contradici non poterat. Eo quippe numero tutum oppidum; & adiacentia ſecuram pacem vſurpatura videbantur: neque vrbanitatis ſpeciem habuiſſet, eos quorum beneficio præſens diſcrimen euaſiſſent, repellere. Quod militiæ reliquum, ſecum Alexandriam recto itinere reductum, commeatu Monferratenſi domeſticâ familiaritate vſum: quam Rubeus cum ptoperarent ſpoponderat, Hiſpani renuerant. Scilicet interdum vſu venit, vt quæ offeruntur magnâ contentione renuantur; niſi offerantur, auidè extorqueri. Sed ea Mantuani Ducis ac Monferrati conditio erat; vt nec ſuo vti, auxiliorum verò modeſtiam orare tantùm, non imperare poſſent. Equidem pleraque externum auxiliaremq́; militem atrocius in prouincia, ſub amicitiæ nomine, quam Sabaudios hoſtes admiſiſſe, in tempore docebimus: vt euentuum hiſtoria clam nemini ſit; infirmioreſq́; Principes æſtimare poſſint, quos & quo tempore potentiores quibuſve conditionibus in ſui præſidium aduocent; vel Sabaudij monito; qui id ſeriò Monferratenſibus Hiſpanum aduocantibus ſucceſſurum, apud communes amicos diſſeruerat: denique vt Mantuani irritæ ea cauſa querelæ cognoſcantur; quod habere in ſuo protectores vellet, non alimonia, non pecunia, non hoſpitio innatos. Officium quidem & tolerati labores plurima merebantur: ſi quid aſperius exactum,

Cameranũ & Veſinum recipiũtur à Mantuanis.

imperioſius extortum, violentius popularibus detractum eſt, licentia fuit, quæ vt apud militiam ſueta eſt, ſic queſtibus irritè exagitabatur. Princeps Vincentius cum Monferratenſibus cohortibus ad Caſalenſes profectus eſt; ne tot dierum obſidione, & populatione agri incolæ tenuati, nouis inſuper expenſis haurirentur. Id miſerè ſecretò orauerunt, cum tardo & fidei ſuſpecto auxilio gratias egiſſent. Rara in Vincentio humanitas, & auerſus ab oneribus populorum animus ſemper fuit. Felices illi, ſi rerum arbitrium, & pacem militiamq; complexus foret.

Cunctantibus adhuc Hiſpanis, & promiſſum Monferratenſibus ſubſidium ſegni morâ corrumpentibus, Sabaudius illos in Mantuani tutelam tranſiſſe, cum amicis & conſilij gnaris acriter lamentatus eſt: eò magis offenſus, quòd non viris procerum literis perſuaſus eſſet Regem apud ſe fore, & Inoyoſam Aſculanumq; amicè acturos. Proinde complexum illum Mantuani ægrè ferens, datis ad vtrumque epiſtolis lamentatus eſt; petijtq; eâdem quâ ſemper reuerentiâ vſus, ne honeſtas ſpes ſuas, & certam Regis voluntatem fruſtra eſſe vellent. Difficile creditu eſſe apud æquiſſimum rerum æſtimatorem, ſanguinem, promiſſa, ius contemni; & vbi de rerum ſummâ agatur præferri eum, quem Gallica amicitia hoſtem probauerit. Quod ſi vniuerſa in ſuam iniuriam conſentiant, prudentis tamen viri eſſe, ea non contrectare, quorum aut reddenda in tempore ratio ſit; aut diſcrimen partium tractura. Nec Iſabellam Belgij dominatricem omiſit; quam magnâ apud fratrem auctoritate valere, & interceſſione profuturam ſciebat. Nec id metu aut virium diffidentia, ſed cultu, & obſequio Regis dedit; vt armatus iuſtitia & armis, inferiores magnitudini ſuæ preces præferret. Vulgatum à Mantuano ſcimus, datum Sabaudio ab Inoyoſâ conſilium; vt ſpretis longè viæ difficultatibus, filium Principem Pedemontis, in Aulam ad patruum Regem mitteret; efficacius vota delaturum; ſi coràm ipſe ſuam cauſam expoſuiſſet. Addiderat quoque præmiſſum ab Iſabellâ legatum fuiſſe, vt diſpoſito ac parato iam Regi, recens ab itinere Nepos queſtibus occurreret; cogeretq; non ambigua ad Hiſpanos Mediolani miniſtros imperia mittere; quibus ius illius ſuſtentaretur. Iſidorum quoque Bernabitam ſupra nominatum laudaſſe conſilium, ſpemq; ingentem prædixiſſe: ſed ante alia belli facem acerrimam Verruenſem (hunc Mantuanus eodem quo Sangeorgium odio proſequebatur) cum caritatem nepotum, iuſtitiam cauſæ, Inoyoſæ, & Iſabellæ commendationes cenſuiſſet, perſuaſiſſe; haud quaquàm tanta peruicacia Regem fore, vt in ſuum honorem, profecto illuc Principe nepote, ſtatim non acquieſceret. Duo vincula caritatis apud Patruum futura; ſimul expoſtulatione, querelis, precibus offenſum expreſſuros. Vtq; dedecoris aliquid Curſoris accelerati inſtar miſſus in Hiſpanias filius adire videbatur; ſic humilitate ac reuerentia plurimum profuturum.

Pedemontis Princeps mittitur à patre in Hiſpanias.

Hæc apud Mantuanum commentationum ſeries erat; Sabaudius quamquam vi magnâ bellum, & meditaretur & ageret, cauſam tamen ſuam inniti iuſto docere ſatagebat. Itaque Chieraſco Pedemontanum filium cum mandatis per Gallias in Hiſpaniam miſit; ipſe Albam ante à ſuis receptam contendit. Salutio & adiacentibus locis tria fermè iuuentutis millia coegerat; & Sanmadrino tres additæ centuriæ, Baroniq; Adres mille & quingenti conuocati. Hi paulò ante properare in caſtra diſtulerant, vt reuertentibus in tuta ſocijs latus tegerent, & aduerſus Monferratenſes, extrema forſan carpturos præſidio eſſent. Turbari properantium ordines poſſe formidauerant; vnde certum exitium. In eundem vſum exciti Valeſani Moncaluio fuerant; & ne maiori quàm tempore expediret præſidio retinendum eſſet, dirui mœnia, & ſolam Arcem retineri Dux iuſſerat. Alia ſubſtiterant vniuerſi; tamdiu illic toleraturi, donec Princeps illos in expeditionem traxiſſet. Medio iam die cum feſtinari impedimenta, & confectos Nizenſi expeditioni accingi iuſſiſſet, redeuntis exercitus ſui fama, via qua Alianum ſpe-

ctatus

ſtatur retentus eſt. Improuiſa res euenerat, eóque omnes cedente iam die Aſtij recepit. Hic ſolicitum futuri Ducem multa agitabant; tenderetne in Monferrati intima, vt bellum aliò necteret; an diuiſis viribus huc illuc ferret arma; & Mantuanos cui maximè occurrerent ambigentes detineret, quo interim ſui feſtinatione proficerent. Sangeorgij ſententia valuit; qui Moncaluium retineri, vt valido præſidio firmari conſuluerat: nec enim clauſum intus militem anguſtiis conflictari, aut deeſſe annonam, diti circum agro, & ſacramento ab oppidanis comparato. Hinc Caminum, Ponteſturam, Ponzanum, Serram longam, & ſi quæ ſecuritati patriæ fiderent exerceri poſſe. Facilè quoque expeditum militem in adiacentia Caſalis excurrere. A tergo ſita, aut caritate aut metu ſtabile obſequium retentura. Securum enim aduerſis rebus, & fortunâ turbante deſtinata, receptum magnos militi animos addere; nec vllam certiorem poſſeſſionem credi. Parte alia Trinum primam ac proſperam cœpti conatus acceſſionem, loco & milite tutum; Liuornũ, Bianzanum, quæ haud procul Taurino excurrunt, inſuper Canaueſum, vberrimam commeatu prouinciam, in compedibus fore. Si quid Hiſpani inuidia Sabaudiæ gloriæ per vim attentaſſent (neq; enim protectos Mantuanos diſſimilia perſuadere) ſecuriorem receptum fore: & ſi pax inter hoſtes placuiſſet opulentiorem conditionem poſſidentis ſperandam. Etiam non inanem eum honorem fore; ſi quę tueri potuerint loca vicini aut longius ſiti relicta agnoſcerent. Quamquam dominationis ceſſionem magna cunctatione admittendam. Nil ſpecioſius humano generi euenire; & proximè ad Deos accedere eum qui plura tenuiſſet. Etiam occaſiones, conſilia, nouas cauſas in tempore occurrere, quæ negotiorum, conuentionumq; formam immutent. Imo plerumq; apud eos manſiſſe potentiam, qui vt nullâ causâ aliena aggreſſi ſunt, ſic tardè ſe exuti tolerarunt. Enitendum quin etiam in proprium honorem, vt Mantuanis opinio decedat; qua celeritate paucos ante dies Hiſpani Nizam obſidione ſoluiſſent; eadem etiam quæ ſub cuſtodia haberentur recepturos. Quæ haberentur ſi forti præſidio inceſſiſſent; & Mantuanis petulantiam detrahere; & monere Hiſpanum, non ſemper depellendo hoſti ſufficere auctoritatem. Quo plus rerum feciſſent, eo magis recuperandi deſiderio Mantuanos æſtuaturos, damnaque & iniurias quę ab hoſte acceperint, & ſibi ſarciri cupiant, impatientia tarditatis toleraturos. Sic ſatis ſuperque ex hoſte vindictæ ſumpturum Sabaudum. Ius in armis (ſi cum hoſte res ſit) ſtatuendum: nec vno exemplo probatum pleraq; malè capta bene retineri, iniuriamq; tempore in ius abire. Horum alia Sangeorgius, alia alij conſulebant; qui militares artes probatæ prudentiæ ante compoſuerant: de cauſa vniuerſi abſtinuerunt; ſiue honeſtum ſui Principis titulum præſumerent; ſiue iudicium examinare & interpretari nollent. Eluſa haud dubiè ſpes eorum eſt, qui confirmatam deſiderio Hiſpanorum Sabaudij promptitudinē ſemper fore iactauerant; & eorum arbitrio quieturum: cum enim Nizam nec prælio, ſed explicatione ſignorum regalium (vti ferebant) liberaſſent, ſatiſq; egiſſe viderentur, quod Sabaudum oppido arcuiſſent: quæ tamen ille virtute præceperat, eripere non potuerunt; nec agro Monferratenſi, per quemglorioſè Mantuani hoſtis ſpatiabatur, depellere. Parum Sabaudiæ magnitudinis eruditi erant; qui vſu rerum & militiæ diſciplinâ faſtuoſi, iactare auſi ſunt, honori Hiſpano, conniuentia ac permiſſione illâ abeundi parum fuiſſe conſultum. Nam & Mantuanus inculcatis querelis aſperauerat gentem, in ſua commoda properantem; & Sabaudius arma in vindictam ac iura ſua non mouerat, niſi deſtinatione certa, aut potiundi bono iure quæſitis; aut cuicunque obſiſtenti ſerio bellum facere. Creditus etiam fuerat, apud Nizam modeſtè quidem cum Hiſpanis acturus: nō tamen niſi acie victus obſidione ceſſurus: Itaque quæ à nonnullis cunctatio, dolus, præuaricatio apud Hiſpanos dicebantur, neceſſitatem & prudentiam fuiſſe; vt qui non ignorarent, cum

Sabaudus Aſty recipit ſuos Nizæ detinet.

Sangeorgij ſententia de agendis.

fortiori duce rem eſſe, quàm vt vexillorum explicatione pompoſa, & vmbris inanibus inhorreſceret.

Oddo Roërus pro Sabaudio Mõcaluium munit.

Quò lentius Hiſpani, eò acrius Sabaudius ſtudio ac vigilantia indefeſſus, cœpta promouebat. Oddo Roërus cum mille peditibus, equitibus ducentis Moncaluium à Sabaudio miſſus eſt, vt diruta mœnium reſtitueret, ambitumq; omnem diuturnæ iterum obſidioni ſuffecturum redderet. Præſtare operam ciues, & accolæ iuſſi, Nec fœminarum infirmitati condonatum, quin facilioribus non admouerentur; ſarmenta ferrent, humum conueherent, amouerent impedimenta, tollendo vallo, & opplendis locorum inanibus. Longo tractu vicina Moncaluio oppida, cœpto munimento, ſeruituте obſtringi videbantur. Quæ verò prius acceſſerant quoquomodo datam fidem retinere coacta ſunt. Haud minus partium ſecuritati, dubitantiúmque terrori, bellicus prouentus, & commeatus in plures dies illatus eſt; nitente præ cæteris Sangeorgio, vt ſuo voto ac virtute parta, nulla extrinſecus cauſa perderentur. Nec ceſſabat Roërus, abundè in obtemperantes præmia ac promiſſa diuidere; vt recens ſub imperium accepti, ſibique ac Duci manſura fide ſolidarentur. Qui amore Mantuani obſtrepentem intus conſcientiam experiebantur, licet vanæ fidei parum crederent; neceſſitate tamen ſimulare, condere affectus, & parere cogebantur. Qua cauſa vt caritatem imbiberent, militem ſuum Roërus etiam modeſtiam (raram apud victores virtutem) retinere imperauit; ne ſubditi ſpoliati ac malè habiti, inuiſum ſæuitiâ miniſterium abrumperent, nouis contumelijs & repetitis iniurijs prouocati. Diſciplina nihilominus ſtatim elanguit; quod exequi omnia Roërus non poſſet: niſi certum eſt acriora initia virtutum, tempore deponere; nudumq; ac inopia detritum gregarium, licentiam furandi inter militiæ ſtipendia numerare. Dictum quoque fuit, ab inuidis gloriæ Sangeorgij, Roërum ab illo monitum, vt in contumeliam & irriſum Mantuani Ducis, infœlices ciues oneribus frangerentur, contributionibus haurirentur; vt forſan Regis Hiſpani arbitrio, propediem ſuo Domino reſtituendi; ſicq; partem vindictæ præſumeret. Sed mendacio occaſionem dedit, quod prædarum impunitas promiſſa videretur, & ſciretur, ſi quâ rapinâ miles profeciſſet, apud illum manſurum. Ergò cum lecti, linea tegumenta, cibi militibus compararentur, cuiuis Capitaneo certum argenti pondus in dies ſingulos, & militi, licet minus, cenſus tamen grauis repræſentanda erant; quæ ciues omnibus ferè fortunis nudati conferre cogebantur. Subſidium ac diurnum ſtipendium (quod inuidi prædationis & furti vocabulo appellabant) erat; ſolitum belli tempore; vt miles eo blandimento illectus, præliorum diſcrimina libentius iniret. Eâdem cauſa ciues, plumbum, tormentarium puluerem, & ſi quæ in belli inſtrumenta inſumuntur, conferre iuſſi ſunt. Ea omnia ſubductis expenſarum rationibus, duorum millium aureorum ſummam in menſes ſingulos æquabant. Impatientiſſimè ferebat Mantuanus populorum ſuorum collationem; & nutrire hoſtes ſuorum fortunis; ſcriptiſq; ad Inoyoſam literis, prodendorum populorum inhumanam, & Chriſtiano Principe indignam viam, à perduelli Sangeorgio imperatam appellabat, iuſſamq; aut toleratam à Sabaudio; vt doceret non irrupiſſe illum, vt capta diuturna poſſeſſione retineret; ſed vt creditarum iniuriarum vindictam, barbarum in morem proſequeretur. Inuaſionem & excidium ſponte quæſita: deſtinatos quippe in dominij partem, mollius haberi par fuiſſe; non detritos, & omni in poſterum vſui ineptos poſſideri. Ad hæc Inoyoſa componendis querelis fatigatus, reſpondit; curaturum ſe vt male capta illicò redderentur; pecuniarum in belli vſus exactionem, conſuetudinem intuliſſe; quæ niſi bello aperto aboleri poſſit; ſed ab vno in alium, & in victorem abire: vbi exutum Sabaudium Monferrato vidiſſet, hæc vt inania neglecturum; & quam nunc ſummam hoſti pependerint, ſuo Domino collaturos; ſi in tuto agere voluiſſent. Neminem hactenus Regem

bellum

bellum ſuâ expenſâ inchoatum, abſoluiſſe. Et hinc natum vetus adagium, *Bellum ſeſe ipſum nutrire.* Nil habere Principes quamquàm potentiſſimos, quod à ſubditis ſibi populis diuerſis exactionum vocabulis non corradant. Poſſeſſionem & vſum ferè congruere. Similium inculcatione ac recordatione laſſari Lectores dubius non ſum; ſed quia literarum exemplaria & ferè authographa in meas manus deuenerunt; & curæ & fidei minus facturus videbar, ſi quæ curioſi vt arcana rimantur, conſulto aut negligentia ſilentio inuoluiſſem. Laborem hinc meum æſtimari, & ſingulorum narratio candoris argumentum eſſe cupio.

Agentem Ponteſturæ Gubernatoris nomine Hieronymum Guidobonum, vetere miniſterio Mantuæ Ducibus fidum, equite Riuarâ vlterioribus intento, Gabiani incolæ docuêre, Arcem oppido à raro & inualido hoſte ſeruari, ſparſis ad occupanda cætera Sabaudijs: eos ipſos qui præſidium agitarent, velut rerum dominos, & præſumptâ ſecuritate, luxu ac inertia diffluere: epularum ac ſaginæ, quàm bellici pulueris denſiorem nidorem excipi: clamores, riſus, luſuſq; negligentiam teſtari. Quippe Trino ac Moncaluio ſuorum armis obſeſſis, tutiorem Gabianæ, quàm præſens conditio ſuaderet poſſeſſionem credere. In eo illos articulo rerum deprehendi, quo ſe temeritate coniecerint: Iam pacis propediem ſanciendæ famâ ſoporatos Mantuanos putare, eorum quæ ſponte hoſtium habituri forent, receptum cum diſcrimine non tentaturos. Quorſum enim cupitam diu, & tot diſputationibus agitatam concordiam, nouis iniurijs laceſſerent; aut integris rebus ſuis paratam iam quietem per arma confunderent? Expedire ſcilicet præteritarum iniuriarum memoriam aboleri; quàm paratæ licet vindictæ annuere. Hos animos fuiſſe Sabaudijs ab incautis & parum gnaris vulgatum eſt; tamquàm minori honore amiſſa pacto reciperentur, certiori verò gloria ſolutus hoſtis occuparetur. Guidobonum communicato cum Rubeo conſilio iſta perpulerunt, ne accenſi & ſpe procurrentes populares, inconſultas ſine duce vires effunderent; ideòque Capitaneum Pelizam, & Vexilliferum Vaſinum, certam velut ad victoriam mitteret. Nec præter quindecim pannoſos, & egentes milites aliud illi roboris additum: ſiue ne Ponteſtura detractâ præſidij parte infirmaretur; ſiue quod fideret virtuti oppidanorum; quaſi quæ animoſè cœperant, oſtentatâ fiduciâ, eſſent non intermiſſâ fortitudine proſecuturi. Sed non ideo aut neglecta diſciplina apud Sabaudios, aut quæ irruptioni opportuna erant, curâ deſtituta reperta ſunt: ſed multo prouſu ſeruata. Ita plerumque vſus obtinuit, vt nonnulla magnificè iactata, vbi exequendum eſt maiora aut minora opinione deprehendantur: tignis enim, vimine, dolijs, rudere ac humo congeſtis (quæ ſolidis aſſeribus nexerant) ad tumultuarij munimenti formam, ardua ac difficilia Monferratenſibus omnia reddiderant. Quantum ingenio & loco potuerant, ſtrenuè munierant. Plus tamen in externâ ſecuritate, & ſuorum auxilio ſpei habuerant: non ignari, quòd ſi primos ſeditioſorum aut miſſorum ad oppugnationem impetus conſtantiâ retudiſſent, certioreſq; ſuos diſcriminis vltimi feciſſent, aduolatura ſubſidia; & Sangeorgium ante alios gloriæ ſtudioſum feſtinatum militem tranſmiſſurum. Is non longè aberat, Mantuani odio, & iactatâ apud Monferratenſes proditione, acrior intentiórque; vt ingenti virtute magnitudinem infamiæ quâ diſtrahebatur elueret. Nec in dubio erat, oblatas promendæ fortitudinis occaſiones illum neglecturum, quod nobilitate, ingenio, & indignatione in contemptum periculorum animaretur. Plumbo ac puluere bellico, omninò à præſidiarijs parci iuſſerat; nec prodigere, ſed in tempus vtendi ſeponere. His enim bellum conſtabat, & exercitis per tot loca prælijs, horum frequentior inopia vrgebat, metuebatúrque. Peliza, quod præſens neceſſitas ſuadebat, viarum in Arcem aditus omnes, vocatis in militiam paganis, ſtudioſè ſepſit; locum diſpoſitis ſclopetarijs circumquaq; ambiuit; ne quò erumpere clauſi, aut externi ſuccedere

Capitaneus Peliza mittitur à Guidobono ad recuperandam Gabianam.

poſſent. Id verò ante alia cauerat, ne quo nuncio Sabaudij ſuorum periculi docerentur. Ipſemet quique eius expeditionis comites fuerant, retulerunt, ſtatim excedere, & pacto incolumitatis & armorum victoriam concedere Sabaudios in animo habuiſſe, niſi ad manus ſpes auxilij ſupra numerum vires addidiſſet. Qua tamen ſuſpicione tumultuanrium popularium admoniti diligentiam Pelizæ præuenerint, ſpes oppidanorum eluſerint, & ad Sangeorgium preces miſerint, ſciri non potuiſſe: cum alij obductis cœlo denſiſſimis tenebris, alij die medio, pernicitate curſoris & aſtutia vſos referant. Demiſſo per abrupta fune, ſenem vt gracilitate artuum expeditum, ſic viribus validum Arce egreſſum; mox inter vepres & elatiora gramina, humi plus quàm centum quinquaginta paſſus prorepſiſſe; & vbi extra ictum obſeruantium ſe vidit, veloci curſu tranſuectum, ſuorum diſcriminis ſocios admonuiſſe, ex iis quos conuenerat, didicimus. Nomen viro Georgius. Teſtabatur hic, viſâ obſidenrium fiduciâ commilitones primò dubitaſſe, num innoxij & illæſi inſtantibus concederent; fortiorum tamen conſilio & auctoritate, reperto qui ad ſuos dilapſus acciret ſubſidia, retinuiſſe conſtantiam. Primos enim de conditionibus deditionis locutos, primos dandæ accipiendæq; fidei obſides obtuliſſe, primos tempus ad integram conſultationem popoſciſſe, primos mutuas iniurias deprecari auſos. Alij trahendæ in longum obſidionis ea fuiſſe conſilia, & quærendo à tempore beneficium inductam dubitationem ferebant. Equidem primo ſtatim colloquio Peliza conditionib. annuit; ſed mutuos obſides parum cum honore concedi putans, feſtinato nuncio à Guidobono quæſiuit, quid ea ſe in re facere imperaret: ducis enim in bello anxiorem quàm gregarij cenſuram eſſe; & cùm dedecore partam victoriam damnari nouerat; in eâ præcipuè militia, quæ fortuna ac criminationib. maximè conſtabat. Ille in hunc modum reſpondit: obſides ſtatim non receptos à Peliza, deditionémque pari pignore non maturatam diſplicuiſſe ſibi. Proinde ſi integræ res eſſent, nec ſubſit aliqua doli ſuſpicio, ne cunctaretur pactis annuere. Sternendam enim fugienti hoſti viam; & poſſeſſionem loci, quocunque modo offeratur recipiendam: rejiciendos inanes cauillos, quoties credenti, victoria pro præmio oſtendirur. Cæterùm miſſurum ſe ſub noctem partem equitatus, quâ non Ponteſturæ ſolùm conſulatur, ſed amicis ſociiſque animi addantur. Vix obſignauerat literas, cum recens occaſio conſilium inuertit, itaque ſcriptæ iam epiſtolę addidit ſchedulam, quâ continebatur; Mombelli Caſtellanum certo indice didiciſſe, iam iam peditatus & equitatus vim Sabaudiis obſeſſis affore. Et quia retinendæ Ponteſturæ, & miſſo ſubſidio occurrendi, imparem ſe numero nouerat, receptum illi ad ſuos ſuadere: maximè quod copias hoſtiles, & quo itinere ducerentur ignoraret. Cum vltro citróque nuncij mearent, flexit in veſperam dies; & iam Sabaudij in Monferratenſium poteſtate futuri videbantur: nec enim de conditionib. deditionis hactenus agere deſtiterant; tardanſq; auxilium illorum fortitudinē fregiſſe videbatur. Itaq; horam vnam deliberationi pacti ſunt; quâ elapſi abnuentibus reſpōſum expreſſa deliberatio eſt. Tota nocte eam ſe rem examinaturos, ſole orto reſponſum daturos. Id acriter Pelizam irritauit; tamquam per irriſum captioſas conditiones propoſuiſſent. Ergo diſpoſitos in oportuna loca milites, & iuratæ fortitudinis monitos eminus infeſta glande excipere clauſos iuſſiſſe quos locum offenſioni præbere vidiſſent, aut ſeſe ad ictum offerentes. Illi futurorū ſecuri, tecti ac libratiori ictu è ſummo reſpondebant; tam diu eruptionem differentes, quoad copiis aucti, virib. & animis valuiſſent. Quj pro Sabaudiis ad Sangeorgium euaſerant, anguſtas ſuorum res, preces obſeſſorum, vim, minaſq; oppugnantium detulere: præter inſtantes, & aſſultum iam iam auſuros mille alios in partem excidij properare; ingenti celeritate tormenta conuehi, ſcalas, petardos: quandoquidem horum defectu auctam ſibi conſtantiam cognouiſſent.

Strenuos

Strenuos quoque ductores mitti; qui multò ante formidinem dedidérint, & ridere diſcrimina. Pauciſſimis decurijs auſuros, cum pluribus manus conſerere; & vicinum periculum facere; vt ceteris virtutem teſtarentur; cuius opinionem bellorum initijs, in ſequentia valere ſcirent. Ad extremum plus dedecoris eſſe farebantur, ſi quod ſemel cepiſſent, amitterent, quàm ſi nunquam recepiſſent. Ergo Sangeorgius detractam Moncaluij præſidiò manum, & additis quatuor Sabaudiorum centurijs, in ſociorum auxilium miſit: neque enim Moncaluio timebat; tendente eum vniuerſo exercitu per vicina duce; nec credens oppidanum ob modicam fidem ſemel malè habitum, priorum formidine, in deploratam libertatem aſſurrecturum. Simul breuis mora videbatur, quæ Sangeorgium apud Gabianam diſtineret. Iam ijs qui recepti fuerant in officio continendis, immane edictum aduerſus rebelles vulgari iuſſerat. Continebat, obſequentes & ſacramenti reuerentiâ vſos mitiſſime à militibus habendos; deſciſcentes verò excidio perdendos; non agro, non domibus, non ſexui ignoſcendum; denique nil ſæuitiæ omittendum, quin capite ac fortunis acceptæ ſemel à victore fidei caueretur. Iuſſæ à Sangeorgio pietati obtemperatum; in reos ac tumultuantes mos belli verſus, vt cæteris exemplo eſſent. Neque tamen cædibus ſæuitum, aut incendijs oppidum corruptum; legis ſeueritas pars pœnæ fuit; & ij tantum fortunis proditionem expiarunt, qui in crimine deprehenſi ſunt. Quamquàm amici, fratres, ſocij, delecti, & coacti in flagitium traherentur.

Eodem tempore Montilij grauior Sabaudijs motus viſus eſt: quod municipium magnâ celebritate habitatum, & eminenti in colle ſitum, plus negotij recepturis facturum videbatur. Monferratenſes id iam ex hoſte receperant, popularium opera vſi, apud quos Sabaudium nomen præ morte inuiſum erat: vt ferè inter æmulos & vicinos infida pax, & merſi animi malè ferruminantur. Taffinus cum ſexcentis peditibus (Monferratenſes mille fuiſſe dicunt) Perrœnutus cum equitibus ducentis; quibus nonnulli vt ad rapinam aggregati, in deſciſcentes miſſi ſunt. Vix quingentis paſſibus aberant; cum Taffinus accedente ductorum conſilio, in tres partes diuidere copias maturauit; vt pluribus ſimul locis arma & ſolicitudinem inferret. Ipſe cum Guebâ dexterâ, Vacca & Arbaudus ſiniſtro; Paulinus vbi expeditior aſcenſus patebat, ſucceſsêre. Non maiori nixu ac curâ, Arcium Europæ munitiſſimæ tentari poterant; ſed vnde ex prælio gloriam non opperiebantur, è diligentiâ quæſiuetunt: niſi victores ſpecioſiſſima quæque fingunt; vt creditus labor honorem intendat. Intus ne ciues quidem in armis; pauciores erant, quàm vt prudenter virtutem auderent; parata aduenientibus omnia: tantùm paucos ante dies, ſtipulâ, aſſeribus, terrâ, duos treſve meatus obſepſerant; qui concitatioris calcis ictum vix tuliſſent. Et quidem aduerſus equitatum educta ea moles fuerat; coactiq; Sabaudij ſunt diſijcere inertes tumulos, vt ſocios cum equis inducerent. Nec ferro opus fuit, haſtarum cuſpide ſtatim aperta via; nec apud ciues præter domorum fores, quas trepidatione clauſerant, quidquam munimenti quod victoriam moraretur, inuentum fuit. Eâ tamen deſperatione rerum (efferati enim vexationibus Monferratenſes, in irâ pericula non nouerant) nonnulli oppidani inconſulta, & importuna tempori arma tractare auſi, hoſtium ſuperfuſo numero oppreſſi ſunt. Cæteri non ſuâ non amicorum virtute nixi, diſcincti ſimpliceſque ſeſe validioribus dedidêre. Iuuit modeſtia infelices; qui cum miſericordiam elatâ voce ab hoſtibus conclamari audiuiſſent, fiduciam armorum proiecerunt. Fortitudo animis concepta gentem omnem perdidiſſet. Caſtellum, cui præter nomen nil præſidij inerat, non tormenta bellica, non commeatus, non firmitudo murorum, & vix à quinquaginta gregarijs tenebatur, poſcentibus deditionem Sabaudijs ſtatim acceſſit: cum interea per domos direptio ac licentia, more captarum vrbium exercetetur. Mitigare quidem ſuorum

Montilium & Gabiana à Sabaudijs recipiuntur.

ferociam Sangeorgius, & vt miſerrimis dediti〈ſq;〉 ignoſcerent orabat: ſed lex non ſtatim, nec ab omnib. excepta: vt fit quoties rumore ac conſternatione victorum & captorum voces confunduntur. Si quid aſperius animaduerſum, rebellione ac perfidiâ meritum dicebatur.

Conſtantiæ nihilominus exemplum in vili, ſed non inelegantis formæ muliercula oblatum eſt. Siquidem cum adeſſe inimicum; & eadem apud Sabaudios victores Montilij, quæ alibi obſeruata fuerat licentiam audiuit, pugione freta, quem deſtinatæ pudicitiæ præſidio ſinu abdiderat, domo ſe proripuit: mox in pertinaciter proſequentem decurionem verſa, vix multitudine victorum inhiberi potuit, quin libidine turgidum, medio in ſuorum globo confoderet. Horruère virtutem etiam ij, quibus inuiſa erat; & morti certus animus meruit, vt vita digniſſimus crederetur. Ita nec res eius domeſticæ auaritiam, nec corpus vim experta ſunt. Quidam id militari pietati cum ſilentio flagitij adſcribunt; alij ne meminerunt quidem. Sed nec Montilij fœminæ arma in patriæ ſecuritatem tractauêre, & plus negotij inuaſoribus fuiſſet, ſi virorum virtus fœminæ fortitudi congruiſſet. Neque nos factum rumore hauſimus, ſed Guidoboni literis didicimus mulierculæ animos ea occaſione ad miraculum claruiſſe.

Capto Montilio Gabianam copias omnes verti Sabaudius iuſſerat: ſi populares aut Peliza forent bellum meditati, vt pluribus eluctarentur. Ille tamen animos ſolummodo hoſtium rentauerat, ſi irriti Nizenſis obſidij memoriâ, eas quoque ſedes ſponte omiſiſſent, & ardente tractatione pacis eâ poſſeſſione abſtinuiſſent, quâ ſine bello paulo poſt ceſſuri videbantur. Proinde vbi paucis ſuis tantum inimicorum circumfundi (nam & Commendator Motta inexpectatam peditatus equitatúſque vim immiſerát, non adhuc Sangeorgij motu excepto, & loci opportunitate inuitatus, Mantuaníque formidine, ſi priores recepiſſent) vidit, nec adhuc noua ſubſidia aduenîſſent; quanquam iteratis queſtibus Rubeo & Guidoboni ſupremam neceſſitatem ſignificaſſet, diſceſſum meditatus eſt. Pauci ſolummodo amicorum iam ſeſe itineri accingenti comites addiderunt, qui in ſummam coacti vix ducentos expleuerant. Quingentos pedites, equites ducentos fuiſſe quos Manta miſerat populares aſſeruerant; hóſque iis quos Sangeorgius duxerat additos, & Taſſini cæterorúmque centuriis, tria hominum millia fuiſſe. Siue minor hoſtium numerus Monferratenſes vrgeret, ſiue plures opinione ac famæ eſſent, negari non poteſt vſos prudentia Sabaudios, vt ſcilicet expeditiones omnes, vno velut ictu conſummarent; & multitudine oppugnante omnibus in locis præualerent. Nam ſi pauci paucis congrediebantur, frequentibus cladibus etiam numerus imminuitur; ſic〈q;〉 victoria multo ſanguine pêſatur. Confertam vim illâ, quâ pari pugnantium numero Sabaudij componerentur exerere Mantuanus non poterat; quem non proprius miles ſecurum, non Hiſpanus reddebant. Vanitatis quoque damnare conſilium poterat, ſi modica manu ſponte bellum prætuliſſet, quæ numero inferior neceſſitati eſſet, nec ſtipendiis ſuſtentaretur. Tardantis quidem auxilij indignatione primùm, mox literis Guidoboni motus Peliza dubitauit, an cum paucis ſuis, tot millibus occurreret. Id certam illi ac ſuis perniciem laturum Sangeorgius & Motta noluiſſent; licet aliqui diuerſa ſuaderent, ne fortitudine ac deſperatione ruentes in pugnam luctuoſam victoriâ facerent. Vbi tamẽ impetus ille mentis elanguit, & ſubiit Ponteſturæ ſolicitudo, pugnâ abſtinuit, quã Sabaudiorum nemo detrectabat, ne amiſſis ſociis, rem omnem in caſum daret. Honori tamen & exiſtimationi, quantum inter quaſſas res licet, conſuluit. Elato quippe vexillo, & militari ordine ſeruato, non preceps, nec tamquam elaberetur, ſed tardo & graui inceſſu, tamquam ad bellum vadens, Ponteſturam rediit. Plures Monferratenſes fuiſſe Sabaudij crediderant; eo〈q;〉 per inuia, & equitatui parum commoda procedentes carpere ſuperſederunt. Tantum ſe ſuoſ〈q;〉 diſcrimini

propiores

propiores, quantum hoſtem formidini fuiſſe Peliza teſtabatur: & bene cum partibus actum, quod ſibi ſclopetarij mille non fuiſſent: omnibus enim ancipiti pugnæ paratis, certum vtroſque diſcrimen fuiſſe adituros; adeo cum numero ſui inferiores hoſti eſſent, animis intumuerant, vt imperio opus eſſet, ne congrederentur. Commeatu interim & bellico prouentu Gabianæ à ſuis prouiſum, cum ante curâ Guidoboni ſeptis itineribus, parum ſecura conuectio eſſet; nec populares timore Monferratenſium propius ſuccedere auderent.

Proſperis rebus læti Sabaudij (licet Nizenſis obſidio diutius & infructuoſius quàm crediderant tracta, aliquid exiſtimationis detraxiſſe videretur; & eo exemplo poſſe aliqui Monferratenſium tollere animos dicerentur) ambigua cætera, aut proniora in Mantuanum ſolita feſtinatione aggreſſi ſunt. Non quia quæſito certamine, aut cumulatis iniuriis victores laceſſierint (metus enim vniuerſos modeſtiâ defixerat) ſed vt captorum oppidorum gloriam intenderent. Hiſpanis quippe plura auctoritatis iactantiâ quàm viribus complexis, & creſcente Mantuani inopiâ, apertam ſibi ad vlteriora viam ſpeculabantur. Sangeorgius ipſe totus in occaſiones ac victorias, noctis beneficio vſus, poſtquam cibo ac ſumno diem ſolidum ſuos recreauit Cazorſum delatus eſt. Agmen (vt iuſſum fuerat) ſummâ taciturnitate inceſſit, donec muris iam ac portis vicinum elato clamore tonuit, Sabaudiamq; concordi voce conclamauit. Ciues quieti ac paci ſuæ indormientes, imparati deprehenſi, & victoria acceſſu habita. A popularibus certe non enſis exertus, non vibrata lancea, non clauſis foribus, non ſclopeti ictu repugnatum; quæq; miſerorum ſecordia, & nimia ſecuritas fuerat, recepta iam opinione, Sabaudiorum virtus appellata; præliaturi enim venerant, & hoſti ſi datus in manus foret congreſſuri. Cuncta vt in capto municipio vis belli ſolet admiſſa; rapta pecunia, detracta veſtis, fœminarum aliquot violatæ. Et licet metu ducis Sacra palam intacta viſa forent, mox tamen explicatum ſacrarium, & Eccleſiaſticus mundus abreptus eſt. Id præcipuè Sangeorgius vetuerat; ſed in tumultu ac confuſione, & mixtis exteris domeſticæ militiæ, cum aduerſus hoſtem certare ſe dicerent, inuito ac neſcio duce, pleraque hoſtilia exercebantur. Cæterùm aduerſus agreſtes opes non maior, quàm contra ciues moderatio fuit. Armentorum magnus numerus deſideratus; quæ toto campo vaga victoribus ſors oſtenderat. Siluêre tamen miſerrimi, peiorum metu trepidantes. Nam inter Sangeogij modeſtiſſima edicta, & impunitam militum licentiam dubij agunt, repeterentne irritè, an minori malo permitterent. Iulius quidam, cui cognomentum Leſti vulgus indiderat, viliſſimę mercis negotiator, cum apud Centurioné acrius quàm capto deceret, ademptos ſibi calceos quereretur, calcis ictu depulſus eſt, deprehenſo mẽdacio, quòd vſu detritos primũ, mox nouos aſſeruiſſet. Ad extremũ cùm in peruicacia duraret, & Mantuani obſoletũ iam nomen obtruderet; ne flebili lamentatione aut ciues conſternatione confunderet, aut Sangeorgium acrem violentiæ vindicem appellaret, pugione confoſſus eſt. Cazorſi didicimus, Ciuibus ipſis Iulij temeritatem accuſantibus, & debitas mendacio pænas exſoluiſſe dicentibus. Vt ferè totius populi non vna vox, nec ſemper idem eſt animus, quidam ciuium taciti ac veluti militantes ingenium militare aſpernauerant; vt vexati ignominiâ, inſuper contemnerentur; ne qua dies ſine metu eſſet. Prudenter à conſiliis ſeditionis ad ſui curam, formidine reuocari videbantur. Vulgus reliquum ſiue ſic ſentiret; ſiue quid apud Moncaluium, cæteráque ſeruientium oppida actum foret callerent; cum minora pacis quàm belli mala cognoſcerent, gratias inſuper agebant. Id vnum afflictis ſubſidium ſupererat, vt cum pietate tractari ſua quæ perdebantur, faterentur, licentiam militum vrbanitatem appellarent; idq; Sangeorgio quietis ac diſciplinæ auido, voce ac ſcripto teſtarentur. Lætabatur vir nobilis, quòd cum temperantiam famámque ſectaretur, obſequentes inſuper habere

milites diceeretur. Iuſtam ſe cauſam proſequi, & recti animi virtutem nobili ſe diſciplinâ approbare credidit, ſi apud domeſticos & externos bono nomine claruiſſet. Quo magis mirari ſubit, quoſdam morum belli non ignaros, furta, rapinas, libidinem exercitus potuiſſe vſque ad ſacrilegium incuſare; cum ne in compoſitiſſimâ quidem Republicâ, minora his quæ eo bello admiſſa referuntur, audiantur. Aut armis, aut belli occaſionibus abſtinendum eſt, vbi ſclopettus inſonuit, micauit enſis, lanceæ vibrari cœptæ vis pro iure dominatur. Intempeſtiuum eſt ijs intercedere, quæ quis nullâ alienâ culpâ prouocauit.

Hinc à Sabaudijs itum in Montemagnum cuius Arces quadraginta Monferratenſes exili nec ſuffecturo præſidio tenebant. Receptum ſtatim oppidum, caſtellum eminenti loco ſitum plus habebat difficultatis; cum inſuper non commeatum, non puluerem bellicum, non plumbum clauſis eſſe Sabaudij neſcirent, conctoſq; diffidentia ſui, opportunum fugæ tempus circumſpicere. Carolus de Ceua veteri militiâ & nobilitate, famâque virtutis apud ſuos clarus, cum paucis munimenta ſpeculaturus propius ſucceſſit. Aliquot ſociorum eius è muris vulneratis, ipſe plumbeâ glande traiectus eſt: nec alio ictu acrius Sabaudij indignati; ſtatimq; clarâ voce exitium loco ac militibus comminati ſunt. Nec dubium erat præſenti diſcrimini vniuerſos paratos fuiſſe; ſi quis iuſſiſſet pro victoria projicere animas & incolumitatem Mantuani ſtudio prodigere. Obſeſſores inuaſionem diſtulêre, quod ſcalarum aſceſus, & pettardi vſus die medio certi periculi viderentur. Lentis ſpatijs elabi nox oppugnantibus viſa; ſtatimq; vbi certa lux craſtino affulſit, cum Sabaudij ſcalas, tormenta bellica, & cætera expugnationi neceſſaria expedirent, admouerentq; eadem nocte militem caſtello elapſum, & propriæ infirmitatis conſcium, tenebras fugæ prætendiſſe animaduerterunt. Modicum commeatum, & quæ pauci arma induxerant, ſecum aſportarunt; nudi muri inuenti; & porta carie marceſcens, quæ ne pettardi quidem pondus ferre potuiſſet. Ambitum omnem cuſtodijs vallare impoſſibile erat: quòd pars accliui edita; ambagibus ac cauernis obſepta eſſet, Arcis verò externa, quâ per confragoſa abeuntibus iter fuit, prærupto dorſo innitcerentur; in quo non haberi ſtationes, non videri fugientes poſſent.

Hæc agentibus Sabaudijs, tot locis victis Monferratenſibus, ſub equite Riuarâ ac Duce Niuernienſi adhuc minitabantur. Et quidem Riuaram in valle Spigni Niuernienſis curſor offendit, cum literis, quibus monebat, vt die eodem emitteretur, eo nobilium numero comitatus Aichium venire: niſi gregarius continuo labore fatigatus, expeditionem abnueret. Tum Riuara vocatos copiarum duces deſtinationis certiores reddidit; inſtitq; vt nocturnis tenebris vſi Monbaldonum eadem in valle ſitum, Sabaudijs inopinantibus eriperent, & abactâ prædâ deferent. Non enim relicto præſidio ſuos imminuere animus erat, quos vlterioribus deſtinauerat. Ille cum nobilium manipulis Aichium profectus eſt: relictus miles Monbaldonum improuiſo quidem inſultu cœpit, prædæ tamen parum deprehendit: ſiue nobiles opes non inerant; ſiue metu in tuta tranſtulerant. Nil aliud diuitiarum agreſtibus erat, quàm frumenti ac vini copia; quæ diues ager magno fœnore colentibus repræſentat. Corrumpere non placuit, aut offendere, quamuis in vſum militum aſportari non poſſet. Vbi Niuernienſis Riuaram ac cæteros nobiles coram habuit, gratulatus primum de gloriâ recuperati Altaris eſt, mox addidit, erubeſcere ſe ad Caſalenſes regredi, nullo adhuc facto ſuo quod commendationem mereretur. Cortemiliam aut Cannellum Pedemontanæ oppida in propinquo, nullo militari præſidio tuta, ſecum æſtimaſſe. E duobus alterum properatâ virtute occupari poſſe apud animum ſuum ſtatuiſſe; ſi ſtrenui fortunæ ſocij, periculum proprio iungere voluiſſent. Reſponſum ab omnibus eſt, placere deſiderium, & nouæ gloriæ materiem, paratos itaque ſe cuicunque expeditioni præſtituros.

Monbaldonum capitur à Monferratenſibus.

turos. Itaque Niuernienſis ſeptingentos pedites, iis quos ab Altari Riuara reduxerat addidit,& in quindecim centurias diuiſit. Vocati quoque in partem gloriæ equites Mantuani coſtodes, & quos recens delatus capitaneus Thomas Adamus Mantuæ deſcripſerat, centum octoginta ferè numero vniuerſi. Riuarę miles vt die ſequenti Bubium (oppidum eſt Monferrati) procederent iuſſit, quibus ſe cæteræ Niuernienſis copiæ iunxere. Sequebantur centum quinquaginta Galli ſclopetarij, famam belli & nomen Principis ſecuti, & quinquaginta eiuſdem gentis Nobiles, quos in Niuernienſem obſequium & vetus amicitia traxerat.

Monferratẽſes Canellũ tentant.

Nec adhuc decretum Niuernięſi erat Cortemiliamne an Cannellum aggrederetur. Proinde miſſi exploratores faciliorem receptum Cannelli fore: quod ciues ſummam ſecuritatem præſumentes, nil præſidij, aut bellici prouentus haberent; quod in vicino foret; & æmulatu conterminis Monferratenſibus inuiſum, docuerunt. Et acceptum conſilium. Profectio ſub noctem fuit, & minus quàm oportuerat, expedita. Viæ enim inæqualitas, & frequentes foueæ, plauſtra quibus pettardus, bellicum tormentum iaciendis ſaxis comparatum, aſſeres ingentes vehebantur, ſæpius effuderant, peditéſque & equites alto cœno retinuerat. Quamquam Hieronimus Vialardus ſtrenuus iuuenis, accepta à Riuara cura, quantum breui morâ licuit, pleraque complanaſſet, & obſtantia amouiſſet. Is quoque ſparſos per loca milites explorare vias, & an inſidiis inſederentur detegere imperauit. Tenebat Cannellum gregariorum manus; non numero magis aut ſitu, quàm propinqui auxilij ſepe ſecura, ſi quid Monferratenſes expergiſcerentur. Nec pauci qui numerabantur intus ciues conſtantiam depoſuerant; apud quos inconcuſſa apud ducem ſuum fides; eóque morti aut virtuti paratus animus. Vbi iam viciniora agmen tenuit, de modo expugnationis inter proceres deliberatum; nec enim die medio; aut locorum opportunitate, nullo periculorum præuiſu, ſocios perituros deducere expediebat: neque perſpectum alicui fuerat, quæ murorum altitudo, quæ foſſæ profunditas, quod robur portarum, quis vndequaque loci citus eſſet. Quippe hinc agendorum conſilia, formámque pendere; & pleraque cum virtute ignoratione ſimilium improſperè euenire nouerant. Neque tamen qui ſeſe ſtatim communi vtilitati deuoueret, gloriámque explorati Cânelli magno ſuo diſcrimine referret, inuentus eſt: niſi Federicus Narta certè apud Monferratenſes nobilitatis periculum ſuum Niuernenſi ac Rinaræ cupitis impendiſſet. Hic licet ſecura, & quæ ſibi perſpecta nouerat in medium protuliſſet; ne tamen metu ſolicitudinem abnuere videretur (cum recẽtiora nonnulli requirerent) luſtraturum ſe denuo vniuerſa obtulit; cum ſocij id quoque illius labori addidiſſent, vt decimam quintam ſequentis diei horam regreſſui ad ſuos definirent. Paruit Narta, & paſtorali habitu paganum eius tractus ementitus, villico amico in partem ſolicitudinis aſſumpto Cânellum rectà contendit. Longiorem, quippem ſed tutiorem viam elegit, vt Monferratenſes illâ inexpectati, & indeprehenſi deducerentur. Vbi ſuburbia ingreſſus eſt, nemine nouam formam, & hoſtilem fallaciam ſuſpectante, viuo è ſaxo mœnia deprehendit; ſed extrema, fluxo iam cæmento vix ſuſtentando ponderi ſufficere. Portarum quoque eroſos vetuſtate aſſeres, malè cohærentes, & cuicumque vi ceſſuros. Externi militis octoginta moſchettanos, ciuium qui arma ferrent, & opem præſtarent patriæ ſuæ centum triginta; non bellicum puluerem; non plumbum, non commeatum abundè eſſe. Sed & Sanauarum eius pro Sabaudio Gubernatorem, cum ſelectioribus militibus recipiendo Altari diſceſſiſſe: denique nullum hoſtilis impetus apud ciues eſſe. Minas quoque in Mantuanum excepit; nec in Hiſpanos molliora, niſi cauſam diuiſiſſent. Tum feſtinatè regreſſus Narta, ne morâ communes ſuorum ſpes infringeret, breuiori itinere Moaſcam deflexit. Vicus hic medio inter Bubbium & Cannellum ſitu eſt, ratis

colonis,eoq; aliorum fortunæ obnoxium. Tranſeunte Nattâ, ruſtici loci campanæ ſono, vicina arma, tamquàm viſis hoſtilibus copijs conclamauêre ; ſiue duos omninò Monferratenſes non conterraneos, ſed hoſtes rati,ſiue certiori in Pedemontanos caritate ; quod à quibuſdam creditum accepimus. Vix progreſſus fuerat,obuios curſores copiarumRiuaræ habuit,cum cæteri facto agmine tamquam ad certam prædam accurrerent. Vulgatum nempe fuerat;non Cannelleſium ſolùm, ſed & vicinorum opes, illùc velut in tutum delatas ; nec minuncentis aureorum millibus intus eſſe.Sic Monferratenſes præſcriptum Nattæ tempus,impatiẽtia ſecuræ victôriæ,& promptiori milite ad rapinam aduolante,quàm ad repetẽdam ex hoſte vindictam,horam vnam anteuertit.Natta vbi ad Niuerniensẽ venit , ab expoſtulatione orſus,tantum diſcriminis aditum, & petitam quintam decimam diei horam,quę nõdum aduenisſet,quęſtus eſt.Et ante alia iniquam exercitui viam,hoſtiq; nil tale ſuſpicanti apertam ingreſſos , quâ è mœnibus ſinguli poſſent recenſeri.Parte alia tectum agmen inceſſurum fuiſſe;nec niſi vbi mœnijs appropinquaſſet,à Cannellenſibus videri potuiſſe. Neglectam operam ſuam , & parum ſibi creditũ iniquè tulerat. Niuernienſis Antoniotto deRuere nitebatur, cui ætas,& agendis rebus plures anni inſumpti,multũ fidei conciliauerant. Etiam locorum peritum crediderat. Iamq; haud procul Cannello erant ; & peditatus equitatúſque ab excelſo ac prærupto monte in ſubiectum planiciem prouolui potius quàm deſcendere coactus eſt. Inuia vel peditibus expeditis via erat ; adeo minus idonea impeditis & armorum pondere grauatis.Nec enim aut ſtare gradu, aut confectos itineri inſiſtere licebat ; ſed manibus dorſo incumbere,& ſaltu vlteriora tenere opportebat,dum commodum ſibi quiſque deſcenſum quærit,vt in decliue corpus iaciat potius quàm ferat.Confuſi iam ordines locũ non nouerant; & pedes equiti,eques pededi incurrebant , vrgebantq; poſtremi priores impellebantq;:& cum inſuper feſtinare miles à Ducibus iuberetur, inuicẽ collidebantur. Parte aduerſâ pettardi & ſcalæ ingentis ponderis trahebantur, quib. in aſcenſum murorum,& oppugnationem vti deſtinauerant.Cannellenſes viſis Mõferratenſibus, & vniuerſis ad vnum numeratis, portas ſummâ celeritate clauſêre , currusq; inerti mole graues tranſuerſos obiecêre , prouolutis ſaxis ac humo, quæ timor & feſtinatio obtulerat.Plures circum mœnia diſpoſiti intrepidi aduentum hoſtium opperiebantur. Nobiliores Monferratenſium primi, mox cæteri facto cuneo,cupidine gloriæ,amore opum, quas paulò ante ſibi deſtinauerant, in muros ac portas decurrêre,cum aggere viæ,aut veteribus ædificiorum ruinis tecti,vſque in vicina peruaſiſſent. Quod ne oppidanorum certo ictu peterentur,obſtitit; qui iam ſe propugnationi accinxerat. Haud dubiè parùm æſtimata difficultas pleroſque ſub mœnia traxerat ; cum pettardus quo portarum clauſtra perfringenda erant, non adhuc ad manus eſſet. Tandem valido fortiſſimi iuuenis nixu tormentum delatum eſt ; ſed (vt in feſtinatione nimia) parum abfuit, quin praue à machinatore Gallo appenſum,pleroſque nobilium qui adſtabant conficeret. Exitus quoque minor opinione fuit ; cum diutius ſerratis conris ciues eluctati , quò minus certiori loco figeretur prohibuiſſent : & pars tantum exilis portæ rimam duxit: vnde non Sabaudijs metum fecit ; nec oppugnantibus liberum aditum aperuit. Ciues ex aduerſo, per æſtimata loca diſpoſiti, & quâ fores hiauerant , aut caute exeſæ fuerunt,moſchettis imperuia & infeſta omnia reddiderunt. Et Monferratenſes conclamatis ſcalis (quibus maximè fidebant) irritum aſcenſum parabant, Maior enim mœnium altitudo deprehenſa , quàm vt gradibus æquaretur. Hac decertatione & æmulatione virtutis, nobilis Baro Gallus Niuernienſem Ducem impigrè ſecutus , vt gentis ſuæ virtutem deſpectu periculi approbaret , propius

Hieronymus Violardus. ſuggreſſus,moſchetti ictu confoſſus eſt.Haud diſſimili fortitudine & euentu Hieronymus Violardus ſublatus , generoſus iuuenis , & dignior aperta pugna concidiſſe.

diſſe. Duo præterea gregarij dum muris ſcalas aduoluunt, nec quantum diſcriminis adirent reputantes, occubuerunt. Sabaudius enim miles reclinato in ſolidum moſchetto, tectuſq; rectius trepidantibus & detectis iaculabatur. Caſu ſuorum Monferratenſes, & non vno ſuorum vulnere efferati peruicacius in pugnam ruebant: vindicta occaſiones periculorum intenderat; ſed Niuernienſis irritum laborem deprehendens, expectari Nattam debuiſſe, & tectiori via milites oppugnationi ſuccedere faſſus eſt. Tres fermè horæ certamini iniquo inſumptæ, cum ciues & Monferratenſes eminus indefeſsè iacularentur. Et quidem rari propugnatorum ſauciati; plura & grauiora apud Monferratenſes vulnera numerata. Cæſi & vulnere infirmi ſtatim aſportati; inſultantibus Sabaudijs, & parata victoribus mœnia oſtendentibus, ſi viribus animiſq; valuiſſent. Vergebat in noctem dies cum abſtractus certamini miles eſt, ſcalæ detractæ, & iuncto pettardo plauſtris impoſitæ, vt aueherêtur. Cannellenſes deprehéſa vanitate ac deſperatione, eò audacius ingerere probra, geminare côuicia, exſibilare cohortes, fremente præcipuè indignatione Riuara aggreſſi ſunt; cum apud ſocios deceptum ſe; nec benè examinatis itineribus, aut conditione loci aduenisse lamentaretur. Eâdem via Niuernienſis regreſſus. Et Riuara agmine medio, cum peditibus inceſſit, iuſſis ruſticis plauſtrum quo pettardus & ſcalæ vehebantur, comitari. Sed alto ac tenaci cœno rotæ hæſerunt, vt vi nulla promoueri poſſet; & ruſtici ſoluta iumenta præ ſe agere feſtinarunt, ne co quoque lucro Cannellenſes ditarent. Sic omiſſum obſidium, & pars armorum amiſſa. Cœptâ iam nocte Roccam Palaſcam deuenêre; vbi miles à ſuis hoſpitaliter exceptus eſt. Cannellenſibus minimo diſpendio ingens gloria ſtetit. Monferratenſes enim Molatrinas, & ruſticas caſas receſſu in ipſo immiſſo igni cremauerant. Haud dubiam tamen victoriam Cannellenſes literis ac nuncijs apud Sabaudium reſtati ſunt; doniſq; ab eo & promiſſis, in fortiter nauatæ operæ præmium, ac imminentium conſtantiam firmati: vt ferè nullus Europæ Principum certius ſubditorum animos deuincire nouit, aut tempeſtiuius præmia diuidere. Monferratenſes Cannellenſibus impræuiſos incurriſſe, plerique credunt; & Nattam eam ciuium apud Niuernienſem conditionem teſtatum ſcimus; idq; in Gallijs atteſtatos duos milites, quibus præſidium Cannelli agitantibus prohibitum fuerat; ne cum hoſtes moſchettis impeterent, in quendam dirigerent, qui ſuccinctâ & alba veſte conſpicuùs, velùt fidei & fortitudini teſtandæ, inter primos oppugnatores inſultabat. Vtcunque ſe ea res habuit; ne perfidia quidem tutos obſeſſos reddidiſſet; ſi oppugnatores cautius, & cum duobus tormentis bellicis aduenisſent. Sed in fato erat; cum omnes ſecuritatis ac honoris viæ, Mantuanum nec re, nec opinione proficere.

Sed relictâ impedimêtis diſcedunt.

Apud Monferratenſes verò incertum erat, præſentémne an abſentem Sabaudium magis pauefcerent. Nec enim copiæ illius adhuc Niza (vt ferebatur) depulſæ, formidinem populatium ſoluerant; quòd rediturum ſuo in tempore crederent; & plura meditari, quibus prouinciæ nouâ trepidatione horreſcerent. Magni Principis conſtantiam, fortitudinem, & inuictum laboribus animum laudationibus proſequi ſuperuacuûm eſt; ne nos panægyricum compoſuiſſe, illius gloriæ iniqui putent, non hiſtoriam ſerie texuiſſe; quodq; iam non vno bello impauidi ſpecimen dederit; & maioribus quàm ferre illius vires poſſe putarentur conatibus, ingenitæ virtutis famam comparauerit; clarus firmitudine animi ac prudentia apud ſuos, apud exteros, eo æuo parem non habuiſſe. Sed ſolutâ Nizenſi obſidione id præcipuè in gloriam trahebat, quod paratam victoriam Hiſpani Regis gratiæ condonaſſet; perſiſtentes verò in iniuriâ aduerſum ſe miniſtros eius ſpreuiſſet; alia capturus, carpturus alia ijs inuitis, quorum operâ Mantuanus, nimis fidenter ſecuritatem imbiberat. Illi quidem verborum magnifici ideo Nizâ ceſſiſſe iactabant, quòd imparem ſe conferendæ pugnæ credidiſſet. Nec ducto-

Sabaudius Monferratenſes in timore habet.

rum eius prudentiam, nec militum animos, nec Hiſpanorum infirmitatem ſuis ponderibus æſtimarunt. Cum etiam rerum incurioſis innotuerit, non ſemel illum pauciori militiâ, magnas Regis copias, profectò iam bello afflictauiſſe: & primum Europæ principem, regnorum vaſtitate tanto minorem vniuerſos docuiſſe, plus in ea gente faſtus quàm virium, famæ quàm rei, pompæ quàm fortitudinis eſſe: Deniq; creditam nemini debilitatem in apertum dediſſe, vt eius exemplo cæteri expergiſcerentur, armorúmque & animorum periculum auderent. Ergo ne gloria ſui ſeneſceret, noctes diéſque negotio inſtare, diurnos labores nocturnis continuare, curſores indefeſsè huc illuc mittere, firmare ſuos, cauſæ iuſtitiâ cæteros deuincire, diuidere deliberantibus munera; obnoxios conſilij, debiti & futurarum vtilitatum admonere; inter arma & hærentia corpori ferrea tegumenta (quibus tamen parcè vtebatur) ſolidos dies agere; vix vnquam (niſi mutationis neceſſitas iuberet) equo deſcendere; duces copiarum, & ante alios paterni animi hæredes filios, dicto & exemplo mouere; ad extremum non pericula non metum nouiſſe; & eo præcipuè hoſtes terrere, quod apud ipſum locum formidini eſſe non crederet. Nec tamen per artes paucis notas, & ciuilem prudentiam, aut oblatis amicitiis renunciare, aut nouas poſcere, Inoyoſamq; totiens à Mantuano querelis læſum, cæteróſque Hiſpanos proceres colere deſtitit: aurum, gemmas, ſubditos, auxilia, ſuam ac filiorum incolumitatem præ gloria deſpiciens; cui vni ſe viuere dicto ac facto ſemper teſtatus eſt.

Cæterum quia facilis pauor apud inualidos & infirmiores eſt ſimul conditionis prouinciæ gnarus; vt ſaltem quietem turbaret, quam Monferratenſes ſui domini imitatione præſumebant, turmas ſuorum equitum eodem tempore, in plura loca diuiſit; præſentis aut mox affuturi ſpeciem offerens; & tamquam in imperia reſpuentes impetum facturus. Vix credi poſſit quantum calamitatis & belli imago populis inferret; quo pauore conſternarentur: Famâ aut ſuſpicione ſolâ inhorrebant prouinciæ; & minori expenſa Mantuanus hauriebatur, vt ſubſidiū aliquod ſuis ferret, quā ſi aperto bello inquietaretur. Speciosiſſimus ac ſtrenuiſſimus Sabaudio equitatus, Regiæq; potentiæ par, triginta ferè turmarum erat. In his equorum nobilitas, virtus equitum æſtimabantur. Singuli enim plures annos bello meruerant; & vel imperatorio muneri quoties adminiſtratio committeretur idonei cenſebantur. Alium ab his equitatum populares ſummittebant, vt non virtute, non experimento conferendum, ſic numero maiorem; qui expeditionibus eruditus, ſtrenuam duci ſuo operam nauabat. Fortè accidit vt decuriæ nonnullæ equitum, haud procul Moncaluio & Montemagno viderentur: & quia incerta deſtinatio; nec quo flexuræ forent ſciebatur, vniuerſos accolas Monferratenſes aduertere. Nec enim diruiſſe Moncaluij mœnia, & fido milite caſtellum retinuiſſe, perſuadebant omiſſurum victorem quæ cœpiſſet. Rumor incertus conſternationem auxit, Ponteſturam iam peti, vt Sabaudus ad Caſalenſes vſque liber excurſus eſſet. Alij famam erroris excuſabant; ſpeciem enim illam oblatam ab hoſte, vt clauſi & impediti Monferratenſes, cætera tamquam vilia negligerent, vires omnes in ciuitatem conferrent. Auxerant ſuſpiciones frequentia incendia, quæ per vicinas villas hoſtis excitauerat, ſed ille præuiſis popularium commodis ignem ſtramento immiſerat, ne pabulo in ſua commoda vterentur: neve tecti aduerſus Cœli iniurias agerent. Ruſticum quoque commeatum, quā non abſumi aut aſportari non potuit corruperat: nec alio grauiori malo (vbi bellum tranſlatum eſt) Hiſpani conflictati ſunt, annona ac pabulo deſtituti. Eques Riuara prudentiâ ſupra ætatem euectus, inanem timorem eſſe docuerat; referens non eas Sabaudio vires eſſe; vt relictis aliquot ſuorum millibus qui Trini, Albæ, & Moncaluij præſidium agerent, Ponteſturam ſitu ac milite validam aggrediatur; audeátve in Caſalenſes erumpere, quo multa bellatorum millia conuenerint ſuſtinendo bello

para-

parata: vbi tormentorum bellicorum numerus, mœnia vallo ac foſſa ambita, & inexpugnabilis, ſecuritatem promittunt. Secretas potius inuaſiones metuendas, repentinos inſultus, oppidorum ac villarum quæ mœnibus non ambiuntur direptiones. Imo diſſita quàm propinqua Caſalis, in communi calamitate magis periclitari; cogi quoq; tandem Hiſpanum exercitum tempeſtatem illam in ſe conuertere; & vel ab inuito modeſtiam exprimere. Satis opportunè & rectè iudicaſſe Riuaram exitus docuit; longas enim & difficiles obſidiones, tum in animo Sabaudius non habebat, ſed omni prouinciâ nudatos ante Mantuanos, ad extremum Caſalenſibus mœnibus claudere.

Porrò collationum grauia onera, ipſis nunquam neglecta (vt ij quibus bellum intulerat ſuo illud nutrirent) Sabaudij à Monferratenſibus ſeuerè exigebant. Id in pace educatis populis intolerandũ videbatur. Alij itaq; magnitudinẽ mali precibus ac lachrymis deprecati ſunt; alij impatientia neceſſitatis, relictis domibus & agris, fugam rerum ſuarum excidio prætulerunt; quidam ſiue famâ ſemel ab Nizâ depulſi hoſtis; ſiue pompoſis Rubei promiſſis inflati; ſiue deniq; trahente in exitium fato infauſta arma tractare auſi ſunt. Nondum Mantuani ductores ſupremæ neceſſitatis gnari, populis vexatione agitatis vt ſibi quoquomodo cauerent, permiſerant; ſed pernicioſo cõſilio, imo & præceptis inflammauerant, vt cõſtantiam & intempeſtiuam, & perniciem laturam, inter aduerſa omnia, & nullum à ſuis auxilium retinerent. Spontanea deditio (quæ tamen ſciebatur vi expreſſa) rebellio appellabatur; amiſiſſe tes, aut fortirer occubuiſſe, ignauia; querelæ & preces in tutelam, degener animus. Hos inter Moranenſes, haud amplius tribus à Caſalenſib. trans Padum millibus paſſuum diſſiti; cum frumentũ, vinum, paleas, quæ belli neceſſitates omnino requirunt, Sabaudiorum copiarũ procuraror aſperius à ciuibus, quàm vt illi tolerare poſſe viderentur, cogeret, pulſum loco, vix ſibi ipſis temperauêre, quin confoderét. Hinc manifeſta iniuria, ſecutura Ducis indignatio, & lateri accumbens hoſtis munire oppidum, & diſpoſitis aliquot ſclopetarijs tueri aditus perſuasêre. Mox tamquam ſeſe in ſecurá libertatem vindicaſſent, & ad Caſalenſes fortitudinis nuncium, & ad Marchionem Valerianum Cataneum (cui ſubditi fuerant) miſerunt. Indignũ id, & nocituri ad cætera exempli Sabaudijs viſum; præcipuè quod non mœnibus, non tormentis, non externo milite freti, tãtum audaciæ concepiſſent: contumaciam ac temeritatẽ proprijs nominibus vocabat. Nec inter Duces repertus eſt, qui in deſciſcẽtes extrema nõ probaret. Vix octoginta pagani iuſtis cum armis inerant. In hos Sabaudij quingenti, deductis tormentis bellicis, & omni armorum genere ſecuri, miſſi ſunt; vt imperatum tributum à nolentibus referrent; in peruicaces, igni ferroq; animaduerterent. Non alia deditionis pacta Sabaudij perſcripſerant: paucos enim & inualidos ſpecioſis conditionibus recipere, dignitas victorum non patiebatur. Nec tamen illi multitudine hoſtium territi paruerunt (quod miſeris ſalutem tuliſſet) ſed opinione vicini auxilij miſerunt ad Rubeum nuncios; quibus docebant, erectum ab ipſis infenſum Sabaudij exactoré, paratoſq; ſe ad tuẽdum municipium: ſed acceleratá opem requirere: ne derelicti ac neglecti hoſtibus ludibrio forent; ſocij verò ex ipſis quo in pretio virtutem ſuorum habendam ducerent, coniectarent. Laudati tantùm à Rubeo; nec tamen aut miles trãſmiſſurus, aut ſpes certa oblata. Hinc multi querelis in illũ non abſtinuerũt: quorſum enim publicè laudatos Moranenſes, niſi vt maiori fortitudine acriorem hoſtis indignationem concirent, ſi ab ipſo in vicino ſito fuerant deſtituendi? Prorſus quæſiuiſſe occaſioné quò prauis conſilijs populares ac Dominũ perderet. Neminem amplius pro ſalute, aut pro Principe ea arma tractaturũ, quæ neglecta, & inimici libidini expoſita vidiſſent. Nimis in propinquo ſubſidium, & ſpem popularium fuiſſe, quibus excitati ad virtutem forent: ſuperato Pado Moranum obijci: etiam Ponteſturam ſecundo flumine auxilium tranſmittere potuiſſe. Contra,

Sabaudij collationes pecunia à Monferratenſibus exigunt.

pto Rubeo numerus hoſtium, robur equitatus, obſeſſa in vicino omnia & Trinum cetuicibus imminens in excuſationem trahebantur. Partem Caſalenſis ſecuritatis corrumpi, & præſidium arcis Regiæ detracto milite infirmari non debuiſſe. Laudatos quidem ab ipſo Moranenſes, ſed non datum conſilium, quod ipſi ante amplexati fuerant. Non id tempus obſiſtendi; ſed ſeruiendum tempori fuiſſe. Hi vulgi ſermones erant; apud Mantuanum tamen, vt probata Moranenſium conſtantia fuit, ſic accuſatus Rubeus eſt, quòd extremâ in neceſſitate poſitos ſocios deſtituiſſe diceretur. Interim Sabaudij vi omni, ante ora multorum millium qui apud Caſalenſes erant, aut Ponteſturæ rendebant; atque adeo Hiſpanos libertatis Mantuani vindices oppugnarionem orſi, id præcipuè nitebantur, vt feſtinatâ victoriâ cunctationem Monferratenſium præuenirent. Ictibus aliquot tormenti bellici, rudem materiam ſpatijs, & nullâ diſciplinæ lege aggeratam diſiecère. Nil ordinatè munierant incauti oppidani, & temerè audaces. Mox impetu facto vniuerſi incubuère. Qui in armis & defenſionem audete deprehenſi ſunt, ad vnum omnes confoſſi; alij in fugam acti; vulgus reliquum humilitate ac lachrymis expreſsâ miſeratione, facturos ſe iuſſa receperunt: deſertores ſe Rubei conſilio appellanres, & meritos extrema. Dedère tamen maiores delicto pœnas; & quia in dominationem peccauerant, crediti à victoribus ſunt extrema meruiſſe. Stultitiam nemo excuſauerit; quòd potentem hoſtem laceſſierint; nullo domi, nullo foris præſidio, & coactum licet ſacramentum, capitis ac fortunarum periculo violauerint. Oppugnantium nemo vulneratus dicitur; tres tamen ſauciatos Monferratenſes teſtantur. Infœlices Moranenſes, lubrico conſilio abreptos; & fruſtra expectato ſubſidio, ſeriò ac tardè pœnitunt. Irrumpentes quippe Sabaudij vindictam cædemq; ſpirantes, fugientium per vias ciuium quoſdam ſauciarunt: lenito poſt feſtinatâ deditione & obedientiâ odio; cum inconſultam vim in preces verſam ſpectaſſent; vt in pecuniâ rebellionem luerent, ſatis habuerunt. Vincti plures, & proprias opes, alienas pecunias prodere intentato mortis metu iuſſi ſunt. Ditiores illico requiſiti; ſupellex, arma, veſtis detracta; & à nonnullis tormentorum cruciatu ſecretæ opes expreſſæ. Non decrepitos infirmitas, non pueros innocentia tutata. Auulſi fœminarum digitis annuli; mundus mulieribus aſportatus. Abſtinere querelis maiorum timore poterant: quod enim rarum in victoribus aduerſus rebelles, honeſtati fœminarum temperatum; licet duas treſve mulierculas, quæſtum corpote facere ſolitas Trinum abduxerint; tripudijs ac cantu Bacchanalia petſultantes. Ad extremum pars maior fœminarum templi religionem pro aſylo deligens, Sabaudios milites ſpe vberioris prædæ illexit, vt irrumperent. Id tantùm eâ ſolicitudine procuratum; vt vniuerſi certiori compendio diriperentur. Subterraneis tamen ſpecubus, hortis, cloacis, ſepulchris, abdidiſſe pretioſiſſima dicebantur. Victores ſcrutati vniuerſa, pauciora opinione inuenère. Et vix credi poterat inopes paganos diuitias poſſediſſe: ſed ſtimulauerant auaritiam ruſtici, qui vt ſe abſoluerent, & calamitate inquiſitionis liberarent, alios accuſabant. Temeritas tamen ſacrificuli cuiuſdam (cuius nomen non didicimus) parum gnari quod victori in captos liceret, ſæuitiæ notam Sabaudijs inuſſit: Cum enim intempeſtiua reprehenſione moleſtus eſſet, & acerbioribus objurgationibus licentiam militarem caſtigaret, pietatiſque in Deum & homines memoriam obſtreperet, barbaros, ſæuos crudeles milites vocando, plures aduertit, vt temporis & opportunitatis admoneretur. Cúmque illi dictis dicta rependiſſent, nec ille conuicijs & exprobrationibus finem faceret, ſed religione tutum ſe crederet, pulſatum loco exegerunt. Expilatum fuiſſe ſacrarium ciues Mantuano perſcripſerunt; negant conſtanter Sabaudij; cæteri Monferratenſes, variè differunt. Vtcunque fortuna ceciderit, certum hæc ſimilia, etiam grauiora victores in victos exercere. Dimiſſo ſacerdote, & ſilere iuſſo, niſi de ſua cute actum

Sabaudij Moranum excindunt.

actum vellet, ira in libidinem vertit: fanaticum agmen Moranum obſediſſe dixiſſes, tot intus facibus vniuerſa lucefcebant: ſed & tectis ignis immiſſus, additáque ſunt ſarmenta ſicciora vt vniuerſæ ſtatim flammam conciperent. Neque tamen proceſſit incendium, ſed paucis ædibus abſumptis, cæteræ omiſſæ ſunt. Agreſtes diuitię poſtremò conquiſitæ, abacta armenta; currúſque quibus onera, prædam, frumentum, vinum, oleum conuectabant, Trinum verſa. Corrupta ac diſiecta pleraque, ne hoſtis frueretur, & in exemplum pœnámq; deſertorum. Recuperati Morani fama ad Sabaudiũ delata, exitu victoriæ non placuit: cum enim auſos obſidionem didiciſſet indignatus, vbi ſtatim victoriam cóceſſiſſe, & neminem ſuorum amiſſum audiuit, incendia, vim, rapinas, & quæ præliorum mala ſunt, nec pro malis habentur, deteſtatus eſt. Quamquam enim in bello plus timori quàm caritati detur; ſolę átque aſperiora eſſe remedia quam delicta; nobilis tamen animus amari maluerat, miſeriæque ciuium altè indoluit. Conquiri etiam armenta iuſſit, vt dominis redderentur; ſed nullo profectu, quod iam vniuerſa apud diſſitos co ipſo metu væniiſſent. Vicina Trino oppida, vbi fortunam Monferratenſium didicêre, alieno periculo cauere ſtatuerunt: quam dederant fidem ſeruare ex vſu rati potius, quam temerariam fortitudinem in proprium exitium tentare.

Mantuani, qui ab improſpera Cannellenſi obſidione redierant, vbi Aichij fuêre, diuerſa in loca ductorum imperiis diuiſi ſunt; vt vel ſeparati propriis conatibus proficerent; vel plures in partes diſtractum hoſtem fatigarent auerteréntque. Marchio Iulius Cæſar Malaſpina, Mantuani Prætorij præfectus, cum trecentis equitibus Alicum profectus eſt. Vocauerant incolæ, & infirmitatem Sabaudiorum docuerant; quamquam externum fuiſſe monitorium propius vero ſit, certâ gentis in Sangeorgium veterem dominum caritate. Carolus Alaſia cum triginta militibus initio Monferratenſis belli loco impoſitus à Sangeorgio fuerat; non vt obſidionem validiorem opperiretur (nec enim commeatus aut bellicus prouentus abundè ſuberat) ſed niſi Monferratenſes aduenißent, vt locum ſuo veri domini nomine ſeruaret, gloriámque miniſterij, nullo licet documento virtutis captaret. Impiger & promptus vir Alaſia erat; & ſi auxilio Sabaudiorum protectus foret, Malaſpina fruſtra eam deditionem tractauiſſet. Multò ante Sangeorgius opes omnes ac ſupellectilem (quæ magnæ nobilitati & vetuſtis diuitiis competebat) aſportauerat; præuiſis belli malis, & deſtinationis ſecurus. Improuiſúſne an expectatus affuerit Malaſpina incertum eſt, Monferratenſibus diuerſa teſtantibus, adeo Alicenſes & pro viribus ſecuri agebant, & viſo hoſte victoriam conceſsêre. Ea tamen confuſione rerum Alaſia cum ſuis Caſtellum ingreſſus eſt; quod eminentiori ſitu ſpei aliquid promittebat. Accelerata deditio inualidos ſeruauit, ne cum bonis omnibus vitam amitterent: & quamquam iuraram Mantuano fidem arbitrio Sangeorgij fregiſſent; non tamen aut ſanguine pœnas dedêre, aut amiſêre domeſticas fortunas. Ea confeſſione infirmitatis, & reiecta in Sangeorgium culpa meruiſſe videbantur. Vix ſclopeti vnius ictus auditus; nec vt obniterentur ſed apud Sangeorgium quæſita excuſatione, quaſi officio ſatisfeciſſent. Die medium receptum Caſtellum, & præſidium diuiſum eſt. Ingreſſis enim Monferratenſibus ſupplices procubuêre dicebantur; fortunæ viciſſitudinem teſtari, & accepiſſe quam orauerant fidem. Neq; Malaſpina infringere ſacramentum auſus eſt; ſiue innata nobilitate; ſiue ne Sabaudij exemplo docerentur. Illi vbi extra mœnia in patenti fuerunt, cum rebus quiſque ſuis conſulens diuerſa agitaret, inter Alaſiam noua præſidia conſulentem, & auerſionem belli diſtracti, ad extremum palantes & diuerſi in ſua conceſsêre. Alaſia perfidiam vana conteſtatione exprobrauit. Statim apud Monferratenſes vulgatum eſt, Alicum pulſis Sabaudiis receptum; præſidiarios metu ſui ducis palantes hue

illuc ſpargi dites prædâ & onuſtos, abiectis armis latibula quærere. Itaque naturali odio, & vt pœnas redditum aliquid vindictæ futuri præciperent, ſeſe diuortijs viarum abdidere, vt incautos, & nullâ ſuſpicione turbatos opprimerent. Vbi miſeri in inſidias delati ſunt; cum datam impunitatis fidem ſartam tectam apud quoſcunque Monferratenſes præſumerent, nemine requirente, partem ſe Alicenſis præſidij fuiſſe confeſſi ſunt, iuſſu Sangeorgij pro Sabaudio miſſos; ſed à Malaſpinâ circumuentos, non tentatâ vi locum permiſiſſe. Id agreſtes animos vindictæ ac prædæ paratos ferè in necem ſtimulauit, meliorum tamen conſilio retenti ſunt, vt ſpoliati tantùm & nudati incolumes dimitterentur. Neque enim aut Alaſia cum Malaſpinæ commeatu aderat, aut crediderunt pagani, eos impunè abire permiſſos. Mediolanenſis etiam ditionis nonnulli, nemine ad quæſtum vocante, ſed ſtimulante auaritia inſerere ſe auſi ſunt, partemq́; Sabaudiorum nacti ſpoliarunt: Monferratenſes ſe appellabant, ſimilitudine ſermonis, facile id vicinis imputari poſſe credentes; quos odium & iniuria ſuſpectos excuſatoſq́; reddebant. Sed Sabaudij quoſdam ante bellum nouerant; vt fallere mentito titulo non liceret: quamquam coram ignotos deprehenſi prudenter faterentur, peiorum metu; ne prædones tutos ſe cæde eorum facerent. Securius tamen honeſtiúſque viſum, Monferratenſes (de quibus Dominus crediderat) accuſare, & amouere culpâ Mediolanenſes; quorum fauore victoria partium niti videbatur.

Miles dimiſſus à paganis ſpoliatur.

Exilem Monferratenſium lætitiam, maius diſpendium turbauit; nam Sabaudij parum de Alico ſoliciti, Veſimum magnum ac nobile oppidum (quod poſtmodum Marchionatus titulo decoratum eſt) aggreſſi ſunt: vbi plus opum ac ſubditorum certiorem turelam promittebat. Sangeorgius huius quoque dominus, vniuerſos exemplo ſui in Sabaudiam fidem tranſtulerat; vt æmulatione & imitatione, quem ille bello Principem ſequebatur, mallent. Non arduum factu fuit trahi ſubditos & ſuaderi, apud quos vna in obſequio laus erat, & in contumaciâ flagitium. Maior hæc patrimonij Sangeorgio pars erat: & cùm frumentum, vinum, & quæ inſtruendis à Principe viro ædibus comparantur abundè eo in loco ſeruaret, auehi ante bellum curauerat. Formidaſſe Mantuani vindictam dicebatur; quaſi ea quoque Fiſco infenſi Domini ſubtraheret. Sed Taurinum illa tranſtulerat, quibus domeſtica neceſſitas egebat. Rarò enim cum familiâ in Monferrato agebat. Cœpto prouinciæ motu Marchio Rubeus Iulium Balzianum non rudem militiæ Veſimo præpoſuerat; haudquaquam fidei ſuſpectum. A Duce quippe Mantuano, cum Goiti ſuſpicionibus agitaretur, & neptis Infantis ſecuritati metueret, illius cuſtodiæ admotus fuerat. Quâ in re aut inuiolatum ſacramentum habuit, aut perfidiam non oſtendit. Non potuiſſe illum prodere, Mantuæ dicebatur. Vbi de Veſimi præfectura deliberatio incidit; non defuêre qui militari viro obſtreperent; inania, ſordidos nempe natales, & luſui mancipatam vitam objicerent: in quibus raram & parum duraturam fidem dicebant: nec minus deuinctam Sangeorgio voluntatem accuſabant; & communicata rebellionis conſilia. Boziæ quippe genitum, quod oppidum Sangeorgio parebat; eóque ferebatur eandem quam Dominus ſecutus fortunam eſſet, amplexurus. Addebant magis excuſatam quàm apud Sangeorgium in ipſo futuram perfidiam: quòd humili loco ortus, minus virtutis habere cogeretur. Sed & multa aureorum millia Mantuano debere; quæ luxu & rapina Neapoli interuerterat; & cum prioratus Barilettæ reditus adminiſtraret; nec in bonis vnde paria Domino faceret, haberet. Metui proinde poſſe ne compendio, & maiorum criminum prætextu, minora obliterare niteretur. Timuiſſe alij dicebant; ne ſopito bello, & reuolutâ in priſtinum Dominum prouinciâ, peculatus, & nimis ambitiosè ſeruatæ fidei rationem reddere cogere-

Iulius Balzianus Veſimum Mantuano eripit.

cogeretur. Ideoq; hoſtilem animum induiſſe, & ſpreuiſſe dignam honeſto viro conſtantiam; dummodo fiſcum Ducalem lucrifaceret, & turpiori flagitio, leuius tegeret. Datos etiam Rubeo à quodam Mantuano codicillos didicimus; quibus continebatur, fœdi ac decocti hominis quamcunque fidem lubricam eſſe: præ ſimilium foribus proditionem, mendacium, rapinas, cædes excubare. Vilem gregarium virtute quidem multum claritudinis accipere; ſed quàm nobilem in perfidiam proniorem eſſe; quoties aut magna aliqua vtilitas oſtendatur; aut virtus diſcrimini committatur. Ita in Sangeorgium pauciora, quam in Balzianum crimina ingerebantur. Sed & ille gnarus calumniarum erat, Rubeuſq; voce ac ſcripto electionem accuſabat; ne vanitatis & inconſtantiæ argueretur, aut detecto odio viri, illum in prærupta ſtimularet. Ante alia rei bellicæ peritiam, vetus miniſterium, & Mantuani in primis iudicium commendabat: bene curam oppidi ei viro permitti, cui rerum ſummam Dux Mantuæ legaſſet. Flagitium in fidem hiſtoriæ admiſſurus videar; ſi quod magni Mantuani adminiſtri relatu didici, ſilentio tramiſero. Inuiſum enim Balzianum Rubeo fuiſſe; & cum Infantis cuſtodiæ Goiti à Mantuano deputaretur, obſtitiſſe Rubeum dicebat, plura ingerentem, vnde infidum probaret. Electionem hominis contumeliam ſuam Rubeum interpretatum fuiſſe: itaque vt vindictam de Mantuano ſumeret (vbi Monferrati adminiſtrationi impoſitus eſt) eundem Veſimo præfeciſſe: ſiue vt ſuſpicacem odij leniret; ſiue vt proditori occaſionem decipiendi offerret: quam nouerat apud Mantuanum exemplo excuſandam. Adeo id Aulicorum ſermonibus percrebuit, vt non alia tegendi Rubei via occurreret; quàm ſi mutua inter proceres viros odia fuiſſe dicerentur. Balzianus Veſimi agens certiſſimâ in Mantuanum fide, vt ſedulitate ac cura conuiciantes confunderet; ſubſidium, commeatum, puluerem bellicum, plumbum, funiculos ignitos, nuncijs ac literis flagitauit: ſcripſeratq; ingentem intus inopiam; & ſi hoſtis acceſſiſſet; quæ intus haberet; ne diei quidem vnius conflictui ſatis eſſe. Ad hæc parum in tempore à Rubeo reſponſum: ſiue alia diſtraherent; ſiue pecunia deſtitueretur, vnde neceſſaria compararet. Eadem enim totius Monferrati querela erat; & Arx ipſa Caſalenſis integro prouiſu carebat. Inſtitit Balzianus ſupremam neceſſitatem docendo, & innocentiam ſuam teſtando ſi inermis, omnium egenus, & neglectus, armatis validiſque loco deceſſiſſet. Sed Rubeus in contumelias lapſus grauius adhuc hominem offendit. Tum primùm labare fides Balziani credita, pati opprobria neſcientis: licet Paulus Clodius priuatis odijs Balziano iniquus, ſcriptis ad Mantuanum literis inſeruerit, Inſtabilem hominem inter fidem ac perfidiam pleraque agitaſſe; ſed ante alia deditionis Veſimi moram inutilem credidiſſe: neque ſe Sabaudiorum gratiam capturum ratum niſi ſtatim ſibi commiſſos prodidiſſet.

Pauli Clodij litera ad Mãtuanum contra Balzianum.

Feſtinationem enim præcipuè ab hoſte quæri; cunctanteſq; præoccupatam ab alijs beneficentiam reperire. Celeritate itaque procurrentem, conſilio à Sangeorgio firmatum, eruditumq; per epiſtolam, ficta illum conſtantia plus prodeſſe partibus poſſe; quàm ſi inconſultâ feſtinatione, animum iam ſuſpicionibus petitum, obſeruatoribus, & factorum examinatoribus aperuiſſet. Quâ enim facilitate Rubeus Veſimum illi permiſiſſet, conceſſurum & alia; ſi prudenter perfidiam exercuiſſet. Habiturum à Rubeo aut Nizam aut Sandamianum; quorum acceſſione vetera merita, & ſpes ſuas eſſet præuenturus. Proin firmitudinem ſimularet, & annonam, militem, paratum bellicum indefeſſè flagitaret: quæ ſciret fruſtra requiri; hinc enim excuſationis neceſſitatem, & futuri fiduciam futuram. Paruiſſe teterrimum mortalium; didiciſſeq; publicè in Sangeorgium conuiciari profeſſione Mantuani Ducis; quam olim amicus peculatu, tum etiam parricidio eſſet violaturus. Hæc forma literarum fuit. Mantuanus tamen ſuorum mutuis querelis ad faſtidium delaſſatus, has quoque neglexit; aut quod creditum à quibuſdam fuit

ſecreto continuit. Id forſan Balzianum in res ſuas reddidit. Inter hæc Iulius Appianus, Ioannes Andræas Boito, & Auditor Porta cum valida manu affuerunt, parati obſidioni, niſi Balzianus neceſſariam deditionem maturauiſſet. Et quidem vel apud eos, qui perfidiam obiectabant certum erat, non potuiſſe vim tolerari, nec in oppidanis fuiſſe præſidia, quibus Sabaudios victores depellerent. Balzianus pandi mœnia, & admitti hoſtes imperauit; teſtata prius apud circumſtantes neceſſitate ſua, fortitudine ac numero inimicorum. Qui victoriam modeſtè habuerunt, ducem enim ad ſuos cum paucilis abire permiſerunt; & vniuerſa quæ poſſederant auehere. Nimia facilitas ſuſpiciones in Balzianum auxit; quaſi aduerſum victos nunquam hactenus tantum clementię ſpectatum foret, niſi pacto conueniſſent. Sed lex Sangeorgij fuerat, deditis nihil adimi, in peruicaces tantùm hoſtilia exerceri. Et dictata à Sabaudio dicebatur; apud quem vt tuta ſummiſſio, ſic intolerabilis ſuperbia erat.

Rubeus Balzianum iniurioſè excipit

Die ſequenti cum quindecim militibus ſuæ fortunæ ſociis (iis enim teſtibus ſe munierat) Balzianus Rubeum conuenit, facti hiſtoriam, & excuſationes laturus. Tum Rubeus iræ impatiens, apud circumfuſos nobiles populares, & vtroque brachio in latus anſato ſic hominem excepit: Quin tu perfide proditor oppido & violato ſacramento, pœnas mihi ſuſpendio daturus es? Ignorare me fortè credideras, ea te hoſtibus væno expoſuiſſe, carere iactaueras; imminuiſſe arma, bellicum puluerem, ac funiculos ignitos humore ſuperfuſo corrupiſſe, ne ſociis vſui forent; literáſque Sangeorgio miſiſſe, & viciſſim alias accepiſſe quibus deſertionem adornares? Tua temeritas, quæ te maculoſum conuenire Gubernatorem ſuaſit, ſupplicio deſtinat: niſi quæ mihi certo deferentium conſenſu comperta ſunt, vana euidenti confutatione docueris.

Ille conſtans reſpondet.

Balzianus vultu intrepido, qui vix in ſuperiorem reuerentiam præferret, reſpondit: Me Domine communis calamitas, inopia militum ac commeatus, fruſtra oratum à te expectatúmque ſubſidium, & Sabaudiorum copię, non famâ ſed viſu numeratæ, cædere Veſomo coëgerunt; ne irritato hoſte, méque ac miſeros ciues exitio darem. Si criminum quibus vrgeor copiam obtuleris, apertum faciam, plus apud me aduerſus ducem, quàm accuſatoribus contra nitentibus fidei fuiſſe. Quamquam & famam boni viri tot annorum miniſterio partam, nunc demum tueri me; & pro gratia odium referre, non poſſum non queri cum lachrymis. Iſta certè eſt conſuetudo militiæ, in quâ plura inuidiâ quàm mucrone tractantur: & tu forſan accepturus à detractoribus documentum es; quibus boni diſſimilitudine morum, mali odio flagitij non probantur. Quid de me cenſeas vide, eadem nos trutina examinabit. Nec pluribus vſus abſceſſit: Iámque apud ſocios eius vulgatum eſt, parari quæſtionem, & craſtinum vinculis deſtinari, quod diceretur bellicum puluerem madore putrefeciſſe; partem vendidiſſe, cum Sangeorgio conſilia rebellionis habuiſſe; quamquam ille quæ objiciebantur intrepidè abnueret. Quinimo iudicium opperiri decreuerat, niſi potiores amicorum monuiſſent infenſum Rubeum, amicum Sangeorgium, apud Mantuanum promptum ſuſpicionibus, certum exitium minitari. Itaque octo die elapſus ad hoſtes eſt; & verſâ cum ſolo fide, palam armis tueri incolumitatem ſuam orſus. Non Mediolani, non Genuæ, non in patria ſecurum ſe nouerat; eóque flexit vnde incolumitas oſtendebatur. Inoleuerat iam ſcriptorum (quę Manifeſta vocant) conſuetudo: cúmque Balzianus inferiori ſe fortuna eſſe, quàm vt Mantuano ſcriptis contenderet, agnoſceret, miſſa mihilominus epiſtola ad nobilem amicum, deſciſcionis cauſas occaſionéſque complexus eſt. Eam nos multis precibus habitam in hac verba latinè reddidimus. Mirari pleroſq; poſſe, quòd ortu & tot annorum miniſterio Duci Mantuano obſtrictus, illico ſeruitutem exuerit; ſed Marchionis Rubei inhumanitatis, & inſolentiæ gnaros, iudicaturos; ſub impotenti Gubernatore

Balziani Manifeſtũ.

Monfer-

Monfettati, fortem & ingenuum hominem diu tolerare non potuiſſe. Vetus odium credi poſſe, & proprij excidij cupiditatem, quæ præfecturam Veſimi, & adiacentium permitti ſibi conſuluerint: vt ſiue hoſti Monferratenſium dediſſet, ſiue ſtrenuè obſtitiſſet, & Mantuano & Sangeorgio iuxta inuiſus eſſet. Data aliis locorum munitiſſima, centurias militum, commeatum, tormenta bellica nulla criminatione, quamuis parum fortiter vſi ſint: ſibi ne breui quidem obſidioni ſuffecturum Caſtellum, nullo prouiſu commeatus, nullo apparatu bellico contigiſſe: & (quod ſpectandum ante alia fuerat) medio inter hoſtes ſitu; quódque indubitatam obſidionem expectaret. Præuiſu periculi plures ſe gregarios, ad Rubeum miſiſſe, quibus firmari neceſſariis Veſimum in futurum bellum orauerit; ſed ſolita Gubernatoris ignauia & neglectum ſe, & cum ſuis ad perniciem hoſti monſtratum. Vbi inimicæ copiæ aduenerint; ne victorum fortitudinem morâ prouocaret; vtque militari cum honore dimitteretur, eius oppidi deditionem feciſſe, quod retineri ne cum quingentis quidem militibus potuerit. Volentibus quoque ciuibus id feciſſe; qui irritatis bello animis excidium patriæ properari videbant; forſan & in Mantuanum auerſione, quod negligi res ſuas indignarentur. Vbi ad dicendam cauſam conſilij ſui aduenîſſet, à prærupto Gubernatore obturbatum, miniſque ac conuiciis reiectum: haud inualidâ coniecturâ, vt more deſertoris quæſtioni ſubjiceretur. Neque ſe tamen cauſæ examen vitauiſſe, ſi veritati apud animum irâ corruptum locum vidiſſet: ſed ſtolidam Rubei ferociam formidaſſe, apud quem omnes experimento didicerint, iuſto & iniquo eaſdem partes eſſe. Equidem multo ante apud Sabaudium fas & ius eſſe audiuiſſe; & cupidini honeſti eluctatum, ne cauſas occaſionéſque bellorum interpretaretur, perſtitiſſe in fide, quam immanitas Gubernatoris flagitium appellabat. Id excuſationi ſatis apud Mantuanum eſſe debere: cæteris verò iudicandum relinquere, an pereundum ſibi potius fuerit, quàm ſponte eo loco cædere, vnde totius rei publicæ damno fuerat ejiciendus. Bellum militi, militem armis conſtare; ſe vtroque deſtitutum, ſoli Rubeo ſecurum & tutum viſum fuiſſe. Id ſociis belli, & amicis vulgari cupere, vt omnibus innoteſcat, non ſe facti neceſſitatem, ſed tarditatem potius excuſare; & vi omni curaturum, ne quem ignauum Rubeus appellauerit, ſtrenuum factis deprehenderet. Deſiderio Balziani velificatus eſt, qui literas acceperat, miſitq; Mediolanum ac Mantuam exemplar, quod diu ſuppreſſum, vix tandem importunitate nobis communicatum eſt, vt ſciretur. Interrogatus Mantuanus an reſpondêri vellet, auerſatus eſt: dicens, tantam eſſe profani municipij vilitatem, tantum apud ſe mediaſtini famuli contemptum, vt reſponſum non mereretur: quòd vel Sabaudio Duci liqueret, ganeonem, profligaturum, periurum & naturæ iure ſibi obſtrictum, inhoneſto ſeceſſionis nomine vti; & ante alia peculatum flagitium perſuaſiſſe; & fugam debiti, non libertatem aut indignationem, tranſitionem perſuaſiſſe. Cæterùm apud Sabaudios ille in Rubei iniuriam honeſto loco habitus eſt; ſiue quòd quæſitis qui deſciſcerent primi ac validi magnis præmiis inuitarentur, ſiue in rebellibus Mantuani, non credita probitas, ſed vires ac numerus poſcerentur. Datus illi ſtatim ad manus miles, centuriæ aliquot popularium, cum externo ornatu, & geminatis honoribus, vt detergere obiectam infamiæ notam inciperet. Nam & inter gregarios fortiter egiſſe, & quoties congrediendum fuerat, ſtrenuè auſum fama circumtulit. Et ante alia quod dexteritate ſingulari Rubeum deluſerit præuenerítque. Spectabant à longè conatus hominis Hiſpani, tacitique mirabantur Mantuani deſertorem regiam protectionem contemnere.

Ingenti feſtinatione ac præuiſu Coſſanum primò, mox Sanſtephanum; necnon villas aliquot vallis Tinellæ, per quam Belbus amnis effunditur, occupauit immuniuítque: & niſi ad commune bellum aduocatus à Sabaudio foret, magna *Balzianus occupat quædam loca Monferrati*

ſtrage recens odij Monferratenſes afflictaſſet. Tot circum à Sabaudio captis municipiis, commeatus anguſtia Nizenſes laborabant; licet ante obſidionem ſollicitè annonam intuliſſent. In accolas qui auxilio aduenerant diuiſerant, demum in Hiſpanum militem, qui opulentiſſima quæque conſumpſerat. Quanto enim maiori rerum ſuarum parſimoniâ eſt, tanto maiori licentia vtebatur alieno. Turorio nomini nihil poterat negari; & labor eorum pro patria videbatur excuſandus.

Hiſpani impotenter Mõferrato vtuntur.

Monferratenſium quidem nemo non fatebatur, magnifici nominis tutelam plus damni, quàm hoſtes ipſos feciſſe: quòd deditos iſti clementer habuiſſent, ſæui tantùm in peruicaces; at Hiſpani hoſpitalitate, fortunas omnes popularium abſumpſiſſent. Ferebatur Sabaudius affectuum gentis callidus multò ante ſimilia prædixiſſe, & licentiam ſuorum ſeueris decretis repreſſiſſe; vt immanium quæ ab Hiſpanis tolerатuri forent comparatione, plus gloriæ haberet: eorumq; quæ neceſſitate excuſanda erant, memoria obliteraretur. Sed ille protectorum Monferrati inſatiabilitate fretus, cum in damna Mantuani intenderet, coactis aliquot peditum centurijs & ducentis equitibus, nec referre crederet, ſuáne vi an Hiſpanorum auaritia laceraretur, Vignalum Monferratenſe oppidum aggreſſus eſt; diu Caſalenſium & Ponteſturæ vicinio oſtentatum. Inerat Federicus Callorus nobiliſſimi generis, & pars dominorum loci: ſed miles qui primùm illi auxilio datus fuerat, quaſi tutò ab hoſte ageret, longè in externam expeditionem abductus fuerat. Ambigebant tum Sabaudij; nec quâ parte adhuc carperent, decreuerant. Vbi Callorus diſcrimen, & vicinum exitium vidit, miſit ad Rubeum literas; quibus orabat, vt frumentum, vinum, aliaq; commeatuum ſibi liceret aſportare. Vniuerſa enim hoſtium commodis ceſſura niſi ſubriperentur. Abnuerat Rubeus militaris indigentiæ prætextu; ijs enim retinendo municipio deſcribendiſq; copijs egere iactauerat. Propediem quippe miſſurum ſe nouas centurias promiſerat, quibus locus ſeruaretur. Sed nec illi miles ad manus erat, & beneficij inuidiâ, abſtinuiſſe accuſabatur: ne Callororum opes in ſecutum deferrentur. Non ſi ſuppetiſſent copias mitti debuiſſe, & quæ Calloro reſponderat clam Sabaudium non fuerunt. Fidus explorator docuerat, aperto ferè ſecreto, cui nullum robur, nulla ex virtute fiducia. Miſſi itaque ſummâ feſtinatione vſi ſunt; vt noua conſilia parata aut quæſita impedimenta præueniretur. Claro die deducti infeſti manipuli; & pluribus ſimul locis conſpicui maioris exercitus ſpeciem præbuêre. Vignolenſes viſo hoſte territi, miſêre tibicinem aut accepêre; qui deditionem requiſitam, pacto incolumitatis & fortunarum paciſceretur. Paucas quidem ante horas

Sabaudij Vignalo potiuntur.

Callorus literas à Rubeo acceperat, quibus excedere loco, & non irritato victore poſſeſſionem concedere iubebatur. Ergo inducti Sabaudij; nec popularium rebus niſi quantum neceſſitas coegiſſet vſi ſunt. Licet (vt ferè in exercitu non omnium eadem modeſtia eſt) reperti quidam gregarij fuerint, qui licenter, & neſcijs ductoribus aliena tractarunt. Simulata quorundam virtus, occulta vitia retexit. Reperti enim qui nonnulla corruperint, quòd vniuerſa abſumere non poſſent. Accuſati à quodam popularium Callori Vignali Domini; quòd eorum culpâ ciues in eum diem deditionem diſtuliſſent. Hauriri cellas generoſo vino famoſas, & tot horrea frumento plena euacuari, pœna flagitij dicta eſt. Pars militi præſidiario relicta; pars ad amicos & ſocios populos ducta. Sed vis maior erat, quàm vt ſtatim vniuerſa abduceretur. Ne quidquid prouentus inerat eodem die raperetur, iumentorum ac curruum inopia obſtitit: iterare enim operam, & ire ac regredi coacti. Cum tandem tertiam ad vecturam reuerterentur, popularium aſtu deterriti ſubſtiterunt. His enim obuij ſciſcitatiq; an Monferratenſes Vignalo potiti forent, aut hoſtilis Sabaudio equitatus vicina inſideret, reſponſum eſt, quingentos intus pedites inductos; ducentos equites vias ac planiciem excurrere; ſilentium tamen accolis impoſuiſſe, vt conuectores ad omiſſam prædam

Google

dam reuerſi, ad vnum omnes opprimerentur, iumentis verò ac ſpolijs quæ illata damna forent, ſarcirent. Illi formidine ruſtica, feſtinanter ad ſuos elapſi ſunt: quâ re parti annonæ conſultum, & Calloris dominis aliqua frumenti portio reſeruata. Parari apud Caſalenſes & vicina oppida popularium auxilia, & mitti equitatum aduerſus inuaſores fortè didicerunt, nullâ dicti aut facti ſecuritate.

Vix Sabaudios ruſticorum impoſtura diem integrum fefellit; & iam illorum *Sabaudij pecuniam à Monferratenſib. exprimunt.* equitatus adiacentia impunè laceſſebat: alimenta ac ſtipem à villicis corradens: & pro bello graues pecuniæ collationes exprimentes. Tergiuerſari aut quæſitis excuſationibus cunctari parum tutum videbatur: cum agrum omnem in poteſtate hoſtis haberet; & dubitatio ac lamentatio, non minus quàm contumacia & iniuria, direptione, verbere, cædibus, laſciuia puniretur. Aberat quippe Sabaudius; qui cum onera ſubditis iniunxiſſet, exceperat inopes, religioſos, infirmos: ſed piiſſimi Principis crudeles miniſtri, etiam in egeſtate diuitias ſcrutabantur: & egeſtatem in eo tumultu probare operoſius erat, quàm pendere quod imperabatur. Minima ſemper fortunarum in bello, & multò minor vrgente neceſſitate erogandi querela fuit: nam & ſuperati ſemper pro reis habiti, & opum collatio, impunitate penſatur. Quò plus malorum infœlicibus erat, eò frequentiores lamentationes ad Rubeum deferebantur. Nulla dici hora querelis vacua erat; perſonabatq; Aula exclamationibus lugentium & ſubſidium orantium. Licentias deditionum alij, alij fugam ab inſultante hoſte, præſidium aliqui, multi peditatum, *Monferratenſes orant Rubeum, vt liceat ipſis ſibi conſulere.* plures equitatum poſcebant; vniuerſi commeatum ac bellicum prouentum aduocabant, quibus aliqua loci fiducia ſuberat. Sed nec Caſalenſibus quidem hæc abunde ſuppetebant. Et apud conſiliarios pleriq; e ciuibus quos tueri non poſſent libertatem permittendam aſſerebant; vt trahenti ſe fortunæ raptandos committerent: quæ Sabaudio præſtarentur iuramenta, irrita futura; nec diu duraturam poſſeſſionem illam, eoq; certo exitio præferebant. Rari erant qui permiſſo pacis arbitrio bellum mallent: licet nonnulli, non viribus freti, non ſeueritate obſiſtendi; ſed irâ & odio in populatores arma perſtreperent.

Horum querelis inter Monferratenſes Duces ſedentariæ militiæ pertæſos, quidam excitati ſunt, vt iunctis precibus Rubeum adirent, vrgeréntque, tentare per vices prælia: ne tamquam prorſus inutiles, & nunquam virtutem probaturi ab hoſte contemnerentur. Hos inter Riuara vix conuicijs temperauit, creditæ ſuorum ignauiæ frendens, teſtatuſq; id ſe belli genus proſequi nolle, quod hoſtes ſecordiam, amici negligentiam appellent. Fortitudini proſpera omnia, formidini aduerſa euenire, illius etiam ſiniſtra commendari, huius ſecuritatem probro notari. His victus Rubeus turmas aliquot equitum à Caſalenſibus dimiſſas, amiſſum iam agrum percurrere, & Vignali etiam mœnibus ſuccedere permiſit. Sexcenti fuiſſe dicebantur; quod equiti peditatum addidiſſet. Sed hoſtes Vignalo clauſi numeroq; potius quàm virtute freti; & ſuppetente abundè commeatu inſultantes à longè Monferratenſes negligebant; nullâ belli neceſſitate, nec opportuno loco diſcrimini. Nec hi aut propius ſuggreſſi excire clauſos auſi ſunt, aut vim cunctantibus inferre; nec illi tutò digredi, aut experiri fortunam voluerunt, metus ac prudentia vniuerſorum conſilia compoſuerant. Tandem Monferratenſes ad Caſalenſes redière; ſatis gloriæ retuliſſe credentes, quod pari vtrinque numero militum, congreſſu Sabaudij abſtinuiſſent. Apud hoſtes tamen ea ſpecies timoris fuit: & tamquam in poſterum caſum pugnæ non tentaturis vlteriora meditati ſunt. Vbi enim Sabaudij metu ſoluti, medio campo exceſſiſſe Monferratenſes didicerunt, Caſtagnolum ac Granam nouæ expeditioni deſtinarunt: ſiue vt hos quoque in officio haberent; ſiue vt pluribus munimentis, & viciniori ſubſidio v- *Sabaudij Caſtagnolū & Granam capiunt.* terentur.

Sequenti ad Caſalenſes delatum eſt, Sabaudios iam Granam inſediſſe; & (prout

in formidine maiora vero creduntur)additum, eam ipſos fidem delegiſſe;quâ niſi pellerentur aduocaturosſocios,&m aiori numero Caſalenſium planiciem omnem & vicina carpturos. Ambire vndique vrbem ſtatuiſſe; vt lenta obſidione, & infeſſis itineribus, quibus auxilia conuocantur, delaſſatos vexationibus ciues infringant. Scire illos plus intus mortalium quàm commeatus, metu cingentis hoſtis eſſe;& plures indies vt in ſecurum accurrere. Quinimo trepidis rebus in maiori numero plus regnare formidinis: duos treſve puſillanimes detrudendis conſtantiâ cæteris ſufficere, præſertim vbi increſcere victoriis hoſtem, & annonam ſibi in arcto deprehendiſſent. Imaginem veri fama præferebat: itaque communi miniſtrorum decreto ſancitum, vt longius à ciuitate hoſtis arceretur; ne vicina libidine populàtium hauſta,agreſtes opes omnes abſumerent.Segetis quoque cura ſtimlabat, quæ iam in maturitatem adoleuerat, & paucas poſt hebdomadas meſſores expectabat. Simul futuri anni prouentum tueri operæ pretium videbatur; non alia in duraturum bellum ſpe commeatus. Delectus Alphonſus Guerrerius Belgicâ militiâ clarus cum trecentis quinquaginta equitibus, & certo peditum numero, nullis quidem certis mandatis; ſed permiſſo agendorum arbitrio, occaſioni ac tempori famulaturus.Minoris ordinis ductores aſſumpſerat Vincentium Gnazzum, Thomam Mitriotum, Lælium Salamonium, Federicum Luzariam. Medio vtriuſque oppidi ſitu Sabaudij conſiderant, apertâ fugæ viâ, ſi vis maior vrſiſſet; & prompto (vt rebantur) receptu,ſi hoſtis præualuiſſet. Cunctati pauliſper mox Granam recepêre ſeſe;non quod plus ſecuritatis in loco haberent, ſed vtilitatis. Deprehenſos ſe putabant;quòd impedimentorum cura, quo minus promptè aut certarent,aut elaberentur, prohiberet:multitudine enim ac vanitate grauia trahebant, vt in ſecurum referrent; iiſque ſeque & equos iuxta fatigauerant. Monferratenſibus pulchritudo gloriæ, & receptio prædæ ſtimulos addiderant: ſimul magno commilitonum dedecore adrepere ſe opinioni virtutis rebantur; ſubſidio in futuras expeditiones, ſi fregiſſe ſemel victorem hoſtem dicerentur. Victoriæ cauſa in feſtinatione fuit:neque enim dubium eſt hoſtilem equitatum conſtantiam apud Guerrerium non credidiſſe:Pauciores enim aut fugâ ſibi conſuluiſſent,aut præmiſiſſent impedimenta,ſi vim certam formidaſſent.

Alphonſus Guerrerius.

Conſternationem res inopinata conciuit. Neque tamen deſpondere animos; aut ignauiâ corrupti ſolutæ ſe fugæ commiſêre;ſed diſpoſitâ turmâ in frontem; & (quà oppidum ſecatur)reliquis opperientibus certamen auſi ſunt.In hos Guerrerius impetu delatus, cum alta voce Gnazzum aduocaſſet, & ſclopetarios pedites feſtinare imperaſſet, tantum paucioribus formidinis incuſſit, vt præcipites loco elaberentur. Fugientium timor inſtantibus addidit animos; cùmque decus, vindicta, quæſtus ante oculos eſſent; & trepidantium internecione, gloriam conatui acceſſuram audirent, facto cuneo diſiecêre turbatos, & ne fugæ quidem ex lege militiæ ſatis compoſitos. Incolumes ferè vniuerſi euaſiſſent, niſi dum ferocius ſocios requirunt,ſarcinas colligunt,ambigui agendorum cunctantur,tempus ad plenam victoriam Guerrerio dediſſent. Cecidiſſe quindecim equites, alij triginta referunt:captos aliquot,cæteros Aſtium incompoſitos ac palantes deueniſſe:Capitanei Scotti vexillum(alij lanceam tantùm fuiſſe dicunt)abreptum;& Comes Honoratus Monticellus ſæuientium ac inſequentium iræ ſe ſubtraxit; longiori nec perſpectâ Monferratenſibus viâ Aſtium delatus. Maior quàm pro fugatorum numero præda fuit,veſtis,arma,equi, pecunia: & ditatus rapinâ miles eſt, quam victi amicis detraxerant. Nemo deſideratus, quinque leuiter ſauciati, poſtremò omnes adCaſalenſes redierunt.Guerrerio ingens,tanquam repreſſi hoſtis, gloria fuit: quia inſueta Monferratenſibus victoria ſciebatur: Sabaudij quoque leui eo diſpendio cautius vires exerere moniti ſunt; quòd victi deſperatione interdum virtutem, metu aduerſorum emorientem,reuocent. Pauciores equidem fuiſſe

Sabaudios ad Granam fugat.

fuiſſe Sabaudios certum eſt; quàm vt tot equitum peditumq; centurijs eluctarentur: nihilominus exili illo ſuorum damno Sabaudius indoluit; obiurgatis qui reuerterant; quòd cum omiſsâ prædâ euadere incolumes ad ſuos potuiſſent; ſanguine etiam hoſtilem victoriam adornare maluiſſent.

Aſtij agebat, quò infœlicis conflictus reliquiæ, prædâ ac ſocijs imminutæ contenderant: vbi vt ſeſe abſoluerent, numerum ac vires Monferratenſium augebant: alij enim quingentos equites, quidam mille inſuper pedites; alij inter equites ducentos cataphractos fuiſſe referebant. Granâ quoque ac Caſtagnolo excitam militiam vt numero validiores incurrerent, teſtabantur. Addebant vniuerſos ea loca inſediſſe; & ſi valida ſuorum manu inuaderentur, proſperæ fortunæ exitu elatos certamen non detrectaturos. Sabaudius rem coniecturâ, non ſuorum dicto interpretatus eſt; & ad vicinos conuerſus; ſciebam inquit Guerrerium fuiſſe; nec quantacunque virtus ſit, eam potuiſſe Rubeo imputari. Et verè quidem auaritiâ & incuriâ corrupti ſunt; nos mutatâ bellandi formâ præterita corrigemus. Nobile hoc Guerrerij encomium, a magno ac prudenti Principe profectum, æternitate dignum eſt, honori gentis Guerreriæ; tamquam indubitatæ fidei teſtimonium.

Itaque Sabaudius quod cladis inſolens eſſet; & partum decus vel minimâ ſuorum cæde imminui crederet, paratiſſimos equitum, (quadringenti fuiſſe dicuntur) aſſumpſit; & ingenti feſtinatione mille & quingentis peditibus inſequi iuſſis, ductiſq; duobus tormentis bellicis, rectâ ad victores (quos adhuc Granæ agere crediderat) contendit. Si Monferratenſes in prælium deſcendiſſent numero & vi ſuperior; ſi mœnibus ſe continuiſſent, obſidione cincturus. Plurimum referre crediderat, ſi nobile facinore elapſæ pugnæ ſiniſtram famam oblitteraret; exterosq; fortuitam ac breuem apud Monferratenſes victoriam, vindictæ nuncio ſimul miſſo doceret. Prouecto iam die, eoq; popularibus detectus Roſſignanum vſque venit; Monferrati id oppidum eſt, & à conterraneis ſummâ conſtantiâ ſeruabatur. Plus hic præſidij quàm apud Granam erat; & ciues moſchettis inſtructi, pugnæ caſum non auerſabantur. Itaque vbi hoſtem muris ſuccedere & eorum contemptu adequitare portis viderunt; ne audaciæ inimicorum famulari, aut mediâ in ſecuritate præferre formidinem viderentur, frequentibus ictibus viciniores exceperunt. Sex eorum ante Ducis ſui oculos equis fuſos, & plures ſaucios, quos Aſtium ſocij vexerint Roſſignanenſes aſſeuerabant. Operoſior ac diuturnior obſeſſio Sabaudio viſa; quàm vt tempus tereret, & aduolaturos à Caſalenſibus Monferratenſes prouocaret: ſiue ille potiora deſtinauerat; ſiue (quod didicimus) literis ac legatis Hiſpani proceres hortarentur, vt conditionibus honeſtiſſimis pacem concederet; quam honori ac iuribus ſuis congruentem promittebant. Proinde quamquàm nouâ iniuriâ prouocatus; nec vim clauſis intulit, vt eos vlciſceretur; nec donis aut promiſſis fidem tentauit. Oliuolam regreſſus eſt; mox in Pedemontis intima ſe recepit, tamquàm audiendis pactis differret bellum, & niſi ſatisfactione Mantuani leniretur minitabundus.

Sabaudius Monferratenſes inſequitur.

Adiacentium municipiorum incolæ, vbi Roſſignano regreſſum, & ad ſuos incompoſito agmine properantem (quippe pluribus retrò omiſſis, quod pedites equitatum aſſequi non poſſent) audiuerunt, communicato cum amicis conſilio, & mutuò hortatu, in ſparſos; & per vias aut ſaltus errantes abditoſve impetum fecêre. Plus deformitatis quàm iacturæ ea Sabaudiorum clades habuit: neque enim numero cæſorum, aut vllo Monferratenſium in ſummam profectu res tranſacta. Septuaginta (quod minimum) dicuntur oppreſſi, impedimenta direpta; datumq; documentum, non Trinenſes, non Moncaluenſes, non Albenſes ſi integrâ fide, & aduerſus Mantuanum pietate vſi forent, tam celerem occupatoribus victoriam fuiſſe conceſſuros. Vbi inſequi Sabaudios deſierunt, reuertentes ad ſua populares

nonnullos adhuc infœlici latebrâ tectos deprehenderunt; alios agrorum foſſis, aut vepretis abditos, quoſdam emarcidâ paleâ contectos. Quod ſi miles Sabaudius ſeruatis ordinibus inceſſam à ſuis viam properaſſet, terribilis incolis, incolumiſq; ad ſua rediјſſet. Cum interim virtus ac fortuna gaudia luctumq; apud decertantes miſceret; quamquàm Mantuani oppidum Altare recepiſſent; ſecreti tamen motus eâ regione audiebantur, feſtinatam ad Sabaudios defectionem minitantes. Mantuani intuta fides, & lubrica poſſeſſio videbatur, quaſi impetu quædam capere, retinere aut tueri bello non poſſent. Incidiſſe Altaris poſt Granæ caſum pro Mantuanis victoriam, ſunt qui aſſerant: nos exquiſito ordine euentuum omiſſo interdum, congruenti ad tempora & compoſito ſtylo, res proſequimur, haud multum diſtantia tradentes, dummodò & hiſtoriæ veritas, & factis ratio conſtet.

Sabaudius mittit Nizam ad Io. Braunum.

Sabaudius poſthæc numquam ita in apertam vim intentus, vt ſecretas offenſionum artes omitteret, Bartholomæum Roërum Nizam miſit: ſumma legationis fuit, vt à Ioanne Brauo eius oppidi curæ relicto, nec minus à Principe Aſculano, ſi præſentem inueniſſet ſciſcitaretur, an Aichium ciuitas Monferrati Hiſpanorum tutelâ vteretur, an verò Mantuani tantum armis fideret: decreuiſſe enim eò exercitum promouere; ſi Regis auxilio non ſuſtentaretur. Vbi Roërus Nizæ fuit legatione palam expoſitâ plura dicitur addidiſſe; nec querelis, quod in amicum tam apertè pugnarent Hiſpani abſtinuiſſe. Iam enim aſperari animus Sabaudij cœperat, & ſuſpiciones euidentiâ confundere. Vniuerſa ad Mantuanum militem delata ſunt; cuius ſtatim ea interpretatio fuit: conſcientiam vtriuſque proprijs commodis, Regio imperio parùm congruentem detectam; diſceſſumq; imò fugam ab Nizâ paucos ante dies, Hiſpanorum reuerentiæ datam, nouo documento, ne metum aut diffidentiam præferret, teſtari voluiſſe. Aut certè Aichium valido milite habitum, cui expugnando imparem ſe ſciret, tacitis comminationibus terrêre. Cui enim incertum eſſe poſſet, eum qui torâ prouinciâ prohiberetur, Aichio quoque arceri. Rubeo etiam perſcriptum, inductum à Sabaudio metum obſidionis, vt illuc Hiſpanorum plures centuriæ deducerentur; quibus nouerat non minus hauriri ciues, quàm ſi foris hoſtilem inuaſionem experirentur. Sanè Braunum orauit Mantuanus vt miſeros Nizenſes clementius & temperantius à ſuis haberi vellet. Vbi Aſculanus de Aichio audiuit, duas ſtatim centurias in ciuitatem miſit, perdendis potius ciuibus quàm protegendis idoneas. Titulus è protectione & hoſtili formidine petebatur: ſed peculatus, auaritia, odium Mantuani; & non auerſus à Sabaudio animus, tempore occaſionéque nudatus, accuſabantur. Nemini quippe mortalium, qui res æſtimatione, non inani relatu meriretur incertum eſſe, promiſſam multò ante ab Inoyosâ tutelam vniuerſæ prouinciæ fuiſſe; obſtinatis autem in ſecuritatem rerum ſuarum ciuibus; & accitis quoque popularibus aduerſus hoſtem ſatis virium collectum. Pars ſatisfactionis eſſe Sabaudio potuit; ſi quos proprio milite non diripuiſſet, Hiſpanus laceraſſet caritatis prætextu (ſi verba ponderarentur) ſed ſæuitia vbi rapiendi ſe occaſio obtuliſſet. Cæterum ſe nouis victorijs à Regijs miniſtris prohiberi iniquiſſimè tulit; & contra Mantuani creditam, aut in dubium vocatam amicitiam, manifeſtiorem indignationem protulit, quàm vt conſcientia aut fraus Inoyoſæ ſubeſſe poſſe videretur. Adeo rerum exitus in ambiguo ſunt, & incerta amicitiarum fides: quoties enim ſua cuique vtilitas rationes ſuggerit proficiendi, & ſpes deſideria voto firmat, peruicaces ſententiæ, & opinione ſuæ magnitudinis freti, in ſolidum amorem rarò coaleſcunt. Nec minus Inoyoſa & Aſculanus, quoſque Regi ſuo & Mantuano impoſuiſſe primò vulgatum ab inconſultis fuerat, magnis & indefeſſis queſtibus à Sabaudio deſciuerant. Cum hi cupidinem, iras intempeſtiuas, irreuerentiam Regiam illi objicerent, hic etiam perfidiam, & contemptum promiſſorum ingereret. Et

Sabaudius indignatur manifeſtè Hiſpanis miniſtris.

quia

quia eadem plures dixerant crediderántque eo implacabilius vtrique incanduerunt; in æmulos quæcunque Aulæ perſtreperent regerentes; & diluendis quæ circumferebantur indefeſſi: Nos ſingulas odiorum cauſas, & enatas in tempore occaſiones, finémque æmulatus ſuo loco reddemus.

Virginius Paganus Altare à Monferratenſibus recipit.

Virginius Paganus, & facto & dicto notus, cui recipiendi Altaris cura, & deducendorum auxiliorum munus iniunctum fuerat; etſi feſtinatione Mantuanorum præuentus occupatum iam locum audiſſet, communicato tamen cum Barone Adres, & Matthæo Magliano conſilio, coactíſque in validi exercitus formam pluribus militum centuriis; eadem qua facilitate Mantuani cœperant, oppido potitus eſt. Et quidem vt plurimum inſtabilis Mantuanorum poſſeſſio erat, vt quæ vix tertiam victoriæ diem numeraret. Cauſa ex infirmitate: nec enim eas per Monferratum vires habebant, vt pluribus ſimul locis pugnas ac præſidia continuarent. Inſuper Hiſpani verborum hactenus magnifici, rerum inanes, cum pacem ac concordiam religiosè nominarent, in longmn negotiationem trahebant; ne quæſtus, & occaſio vtendi Monferrati opibus, elaberetur. Vbi Altare Sabaudiorum fuit, vim equitatus in vicina effuderunt; vt captos in officio haberent, ambigentes allicerent, ſuos exiſtimatione retinerent. Quod inter Cortemiliam & Roccam Vignali eſt, Sabaudia militia iam inſiderat, eáque Monferratenſes acceſſu ac ſpe prohibebat. Et quia ambitioſo mendacio vulgatum fuerat, parare illos excidium, direptiones, cædéſque in captos ac deditos, per ea loca oblatum eſt documentum in omnes pietatis, dummodo bellum pro viribus annona iuuiſſent. Humilitas illa cunctos validius timore obſtrixit; ne inutili & perniciem latura ſeditione pulchram pacem mutarent. Adres Baro cum ſuis Cortemiliam reuerſus eſt, poſtquam ductorum ſupremi conuenerunt, vt rebus ſuis quiſque intentus, vbi alterius diſcrimen accepiſſet, in auxilium aduolaret. Id ex vſu & diſciplina militari, quod nemo artium ac conſuetudinum bellandi peritus damnauerit.

Prædones in Monferrato.

Ea belli imagine ſexaginta ferè pagani, Sabaudiam militiam ementiti, latrocinia paſſim in mercatores publica Sabaudij fide vſos agitabant. Nec ſtatim reprimendi præſidium occurrebat; quòd apud ſuos tuti, apud Sabaudios, ſe commilitones offerrent. Latibula quoque & mediis in conuallibus ſecreti ſpecus latrones ac rapinam tegebant. Itaque vt gliſcentem indies Sabaudiæ virtutis gloriam Mantuanus eleuaret, differri noluit, manipulos Pedemontanos à Duce ſuo immiſſos, itinera obſidere, & in mercatores direptionibus graſſari. Id ore Domini exceptum fœdidiſſimi adulatorum vulgauêre, vt mirum bonis viſum ſit, aut neſciſſe conuicium Sabaudium, aut magna licet compoſitione animi tolerauiſſe. Certè plerique amore patriæ infenſi Sabaudio temeraria voce inhorruerant. Donec vis latronum inter leuia ſtetit, ſiluêre negotiatores: vbi rapina ac inhumanitas modum furti ſupergreſſa publicè exercebantur, graues vndequaque queſtus auditi. Mediolanenſes ac Genuenſes mercatores ſericum & aromata conuectantes inter anguſtias vallis quæ Altari oppido prætenditur deprehenſi, ad vnum omnes opibus ac veſtibus exuti ſunt. Cúmque Hiſpani Regis ac Sabaudij Ducis diplomata, quæ illos ſecuros eſſe iubebant, proferrent, riſêre nebulones, addito, non aliter militiæ diſciplinam, niſi accepto à ditioribus conſtare. Non fuiſſe milites ſubſignanos, eo argumento didicimus, quòd iumenta dominis reliquiſſent, quorum in bello ſummus vſus eſt. Probri nihilominus deformitas Sabaudium impulit, vt quæſtionibus veritas facti ſciretur. Et obtemperauêre Adres, Paganus, & ante alios Sangeorgius de conſceleratis ſumendæ vindictæ deliberati. Iudices quoque & exploratores eâ causâ miſſi, ne quo latibulo flagitium tegeretur. Valuit diligentia, & ruſtici fuiſſe deprehenſum eſt, non Monferratenſes ſolùm, ſed accolarum numero in maſſam coacti; quòd

iis finibus plures prouinciæ nectèrentur. Examen quoque id fœdius docuit, priuatum nempe nobilem, eo tractu dominantem, & fouiſſe prædones, quorum audaciam exagitauerat, & furti portionem pacto recepiſſe. Ne nobilis viri exiſtimatio imminueretur Sabaudij humanitas obſtitit: çui ſatis fuit, turpem calumniam manifeſtis probationibus iugulare, & in auctores deriuare. Eam quoq; rem Mantuanum indagine proſecutum ſcimus; ne ſuis peculatum condonaret, quem apud Sabaudium militem fuiſſe vulgari voluerat. Miſerrima populorum conditio eſt belli tempore; cum inter cædes, rapinas, largitiones, hoſpitalitates eluctantur: & eo miſerabilior, quòd nullum adeo enorme flagitium occurrat, cui belli nomen, & hoſtilitatis occaſio, honeſti ſpeciem non circumdet. Quaſſa prouincia, inter populares milites, & Hiſpanos infœliciter lacerabatur. Suas quoque partes Sabaudius hoſtis habebat: quem alieno inſiſtere, & ſuo nutriri, extra belli leges videbatur.

Mantuanum continuæ ſubditorum querelæ conſuderant; çum ſe impares ferendis oneribus vociſerarentur, & plerique magnitudine exactionum omiſſis domibus dilaberentur. Cruciabant iuuenis animum, non præſentia ſolùm, ſed & futura: incerto rerum exitu; & dubitantibus ſuis quem præſens calamitas finem eſſet habitura. Populorum ſuorum fortunis ærarium in pace ſuſtentari, abſentibus imminui cum exiſtimatione potentiam ſciebat. Et quidem quantum humana ope licuit, ne raptarentur innoxij, ne contributionibus haurirentur, ne miniſteriis fatigarentur, curauerat. Temperare vexationibus & ſuos iuſſerat, & Hiſpanos obnixè orauerat. Ne cenſus locorum pendi ſoliti, tum exigerentur, ne quauis de cauſa ad Caſalenſes aduocarentur, imperauerat. Dederat quoque ad Regem, nouas in hæc verba literas: ſuam ſe cauſam primùm, tunc & ſubditorum facere: quorum ſubſtantias immaniter perdi, ab iis quos tutores Rex dediſſet, cum gemitu videat. Non annonam à populo, ſed ſtipendium omni fide maius extorqueri: non ſupereſſe infœlicibus quod conferant; inter hoſtes & amicos medios, & ſiue in bello ſint, ſiue in pace agant, ſemper abſumi: orare piiſſimum Regem, ne decus liberandi à ſe Monferrati, fama direptionum imminui velit: ſed ſartum tectum Mantuanis Ducibus, certum officium in tempore redditurìs, ſeruare. Plus calamitatum populos ex tutela regia quàm hoſtili vexatione tetuliſſe. Forte euenerat, vt quorundam etiam Mediolanenſium literis Rex prædationum ſæuitiam exciperet; nec accuſatores publica querela correxerat, ſed in futurum tantum cautiores reddiderat, & erudierat ex diſciplina expilare: ea forma rapinas adornantes, quæ lachrymas non exprimerent. Libera erogatio, munificentia, libera erogatio, quæ intus rapina erant, dicebantur. Princeps Vincentius inhumanitatem hanc præcipuè inſectabatur: ſed fruſtra nitebatur; ſilentes enim ſpoliabantur quod tacerent; lamentantes quod quererentur. Nec deerat ille publicæ ac priuatæ rei curam, militúmque gerere. Sed nec Hiſpanos imperio arctare poterat, ſuorum tantum iuſſa audientes; & ab illis populares didicerant, non quæ ſpoponderant ſolùm, ſed & obſeruatores fallere.

Mantuanus queritur ad Regem Hiſpaniæ ſuos aſpere haberi ab illius miniſtris.

Ad extremum cum vana querela eſſet, tutius Mantuano viſum eſt domeſticis auxiliis munire ſua, quibus poterat modeſtiam auctoritate ſuadere. Flexit itaque ad magnum Etruriæ Ducem, veteri neceſſitudine illigatum; & recens ſororis ſuæ coniugium fortè meditantem. Multo ante Ioannes Magnus ab intimo ſecreto in Vrbem miſſus, neceſſitatem feſtinandi auxilij expoſuerat; & cœpto iam bello celeritatem orauerat. Quippe non ſolùm longius diſſita à Sabaudio in ſeruitutem; ſed in vicinio ſtare diſcrimen, niſi paratum & ad manus præſidium haberetur. Sed tum nouæ literæ periculum docuerant: neque enim paci fidendum; & quando reſtitutio oppidorum negotiationem ſequatur, id ſuis copiis honoris acceſſurum, vt expreſſiſſe viderentur. Etruſcus non tum

primùm

primùm concocto conſilio, vt eâ occaſione potentiæ ſuæ ſpecimen daret, Marium Capozuccam exercituum ſuorum ductorem parare copias, formam ducendi ac neceſſaria prouidere iuſſit. Ille militem ad manus eſſe, annuente vel conniuente Pontifice facilem tranſitum teſtatus eſt. Requiri arma ac pecuniam, vt ſolutus difficultatibus expeditúſq; exercitus, nullo Mantuani diſpendio (cuius vtilitati laboraretur) procederet. Requiſitus à Mantuano & Etruſco Pontifex eſt, vt innoxias copias Bononienſi agro in Mantuanum traducere liceret. Cauſæ honeſtas prætextum fecit, vt videretur patrocinium mereri. Non enim alicuius prouinciæ poſſeſſionem à Mantuano occupatam, aut opreſſam pretio veritatem, apud Carolum V. æquiſſimum iudicem: ſed illum ſecundùm fas cenſuiſſe, cuius ſententiæ (ſi aduerſam pretuliſſet) ſtatim ceſſurus abauus ſuus fuerit. Hanc vim & arma imparato illata, vt à communi humani generis parente repellantur, mereri. Sin deſcendere in cauſam nolit, poſſe & debere nullo populorum incommodo, tranſmittere pro iuſtitia pugnaturos. Eâ Romanum Pontificem auctoritate eſſe; ne apud illum ſtare ius credatur, cuius ipſe bono ſtuduiſſet. Etiam ſi vetuſtiora in exemplum retrahantur, non ſemel Mantuanos ac Monferratenſes Marchiones, ſuo milite iuuiſſe Pontifices; & magno cum honore ſtipendia meruiſſe, quoties ſedes Apoſtolica, vi potentiorum turbaretur. Vrgere quinetiam præſentia, quòd Sabaudius non Mantuano ſolùm, ſed etiam Eccleſiaſticis iuribus iniquus, Aſtenſi Epiſcopatui ſubditos opprimere, nulla honeſti, nulla religionis reuerentia videatur. His præcipuè Mantuanus Pontificem modeſtiæ ac prudentiæ probatæ agreſſus eſt, vt ſolido illum conſilio dimoueret, liberúmque copiis Etruſcis per Bononienſem agrum tranſitum impetraret. Pro nihilo habebat ſedem Apoſtolicam inuidiâ potentiorum, & diffidentiâ onerare. Contra plerique pro Sabaudio ac Pontifice nitebantur: non eam publicæ caritatis ſpeciem futuram; nec domui Burgheſiæ offenſo Sabaudio plenè conſuli; ſi ſe partem belli oſtendiſſet. Nec in vno Sabaudio indignationis cauſas credi poſſe, ſed in iis omnibus, qui eandem cauſam pari ſtudio probauiſſent. Ergo his motus Pontifex, quæ pro Mantuano dicebantur, vt inania reiecta voluit, eorum leuitate obliquè perſtricta, qui vt aſſentiretur perſuadere nixi fuerant. Nec enim præteritorum meritorum recordatio, aut præſentium æſtimatio, ſenis prudentiam peruicêre, vt data exercitui via, cauſæ Mantuani pronior ſe fateretur. Imo hortatus illum eſt, vt miſſum in ſua commoda legatum, & frequentes ad Deum preces, medio armorum ſtrepitu, inter cædes, incendia, direptiones, arbitraretur ſuffectura. Plerique conſilium Pontificis, etiam religione diuerſi commendarunt; ne qui generis humani parens publicè audiret, ortáſque inter Principes (quos filiorum loco habebat) controuerſias componeret, aut tranſitu nouæ militiæ vrgeret turbas; aut decertentium alteri, ſpecie obnoxij ſuſpectus eſſet. Non defuere tamen (vt in incertis) qui Mantuani cauſam præferrent: non quòd iura examinaſſent, ſed præſumptione, quòd Cæſar, Galli, Hiſpani, Veneti, Etruſci fouerent; & omnium ea ratio eſſet, quod Sabaudius inuaſor alieni diceretur. Specie validis etiam inania ac puerilia iungebantur: Quòd Mantuanus Purpuratorum numero adſcitus potentioris iniuriæ exponi non deberet. Mereri religionem ac ordinem Pontificis fauorem; eóque à malè feriatis parum conſultæ voces efferebatur, Pontificiæ magnitudini iniquæ: quòd auaritiam, formidinem, ignauiam, quo minus arma iuſtis armis coniungeret, obſtitiſſe dicerent, Romanæ Aulæ aut vulgo credita vitia, aut calumniæ intentatæ. Quaſi apud Sabaudium eiuſdem fecturæ Cardinalis, & maioris nobilitatis non eſſet; aut Mantuani Domini ſedis Apoſtolicæ honorem ſecuritatémq; ante Sabaudios ſuſtinerent. Pontifex non fauentibus non auerſantibus ſententiâ motus eſt, vt collato in Mantuanum

Etruſcus parat exercitū pro Mantuano.

Et à Pontifice tranſitū poſcit

Qui renuit.

beneficio,Sabaudium grauiter offendent. Quâ causâ hic Etruſcum acrius ſtimulare, ſua pericula, gloriam miſſi auxilij teſtari auſus eſt; vt ſua, & propria cauſa prouocaret. Iamq; conſanguinei animo impreſſerat, niſi Pontificis reuerentia turgidum irâ animum frænaſſet,vel armis obſtantia perrumpere. Cura quoque Pontificis retinuiſſe præruptam deliberationem ferebatur: qui miſiſſe ad Legatos prouinciarum mandata dicebatur; vt prompti in armis aduerſus quamcunq; vim eſſent; nec aditum militibus externis aperirent. Ita prorumpendæ Pontificiæ ditionis ſpes euanuit. Vocauit proinde Etruſcus Capozuccam denuò in conſilium; qui prompſit ſententiam forti viro & neceſſitari congruentem: duo peditum millia, & quingentos equites, inuitis prouinciarum Dominis, in Monferratum non penetraturos (tot enim Mantuani præſidio tranſmitti patabantur) Violato Pontificis agro vrbem ignominiâ & contemptu abalienari. Mutinenſem ad latus,tam exſli numero plura armatorum millia obiecturum: proinde duodecim quod minimum legiones in eam expeditionem promouendas, vt ſocijs numero viam faciant; ſiſtantq; in Monferratenſi agro, quos libeat auxilio Mantuani deduci. Tum redire cæteros in patriam poſſe,ſuâ vi tutos, & quâ incedere placuiſſet,pacto aut armis penetraturos. Placuit ſententia,& duodecim peditum millia, mille & quingenti equites ad ſigna vocati, iuſſiq; vt ſe armis inſtructos proximæ expeditioni accingerent. Iam enim per Carſagnanam & Mutinenſem agrum, in Mantuanos peruadere decreuerat.

Capezucca conſilium.

Dux Mutinenſis, ſiue caritate Sabaudij (id enim ſtatim vulgatum) vnius filia Iſabella,Principi coniugio obuenerat,ſiue cogitatione dedecoris:ſi externus miles per ſuos fines eo inuito tranſiret; ſiue denique Inoyoſæ inuiſum auxilium Etruſcum eſſet,ne diſcordia iam in quietem prona oſtentatione armorum confunderetur,aut in partes amicitiarum fiducia plures illicεret, feſtinatas Mediolanum literas dedit,obreſtatus,vt Etruſcos audentes Carſagnanâ perrumpere,ſuâ auctoritate retineret. Addidit poſtulatis rationes; quibus in propriam cauſam,Etruſci inuidiam,Hiſpani Regis gloriam, vniuerſa trahebat, ſi pax nullis externis armis obueniſſet. Nurus quoque Mutinenſis idem per literas obteſtata dicebatur; vt & dignitati gentis ſuæ reſpectu conſuleretur,& parentis commodis operaretur,prohibito externo auxilio. Inoyoſa cuius iam animus gratis à Sabaudio defecerat, Etruſcas legiones feſtinanter deſcriptas fuiſſe,arrecto ſupercilio acceperat;& cum miſſo nobili à cubiculo,fruſtra eo ſtudio dimouere Etruſcum conatus foret,flexit in Mantuanum moueri propoſito facilem, quem videbatur poſſe imperijs coërcere; admonens vt conſanguineo Duci ſuaderet, ne per alienum agrum armatâ manu incederet; daturum ſe quippe alios aditus; quibus minori negocio auxiliares illius copiæ, neceſſitati Monferratenſium ſummitterentur. Non quidem, dicebat, obtrectari à ſe pietatem magni Ducis, ſed Mutinenſis communis amici cauſa orare, ne bellum ex bello ſeri vellet; & cum iam in Pedemontanis tractata pax exitum ſpectet, ne nouis ſuſpicionibus turbaret. Diffidentiam Regij auxilij, & alienas ſpes votum illum detegere: ſimul dari documentum Hiſpanis an plenè in poſterum ſacramento credant. Tum Mantuanus diſcrimine ſuo actus perrupit; manifeſtas Hiſpani inſidias accuſans; quod pridem conceſſa abnueret; ne liceret ſibi armatum conditionibus pacis accedere; ſed inermem cuperet diſtrahi arbitrio potentioris. Non enim Hiſpanos niſi Liguſtico pelago tot millibus armatorum patentem viam dare poſſe: vtróque moras quærere, quibus gloriam omnem compoſiti belli ſibi adſciſcerent; Sabaudius magis magiſque proficeret. Reſciuit Inoyoſa Ducis querelas,& reſpondit,quando deduci duo ſolum peditum millia Equites quingentos cupiat, Etruſcam claſſem ſufficere. Excepit Mantuanus modò Regis in ſua commoda teſtatam voluntatem,modò compoſitionem modeſtiamq; aduentantium legionum,ſeq; vadem omnibus obtulit,

Vt per Mutinenſem agrum copia deducantur.

Mutinenſe queritur cũ Inoyoſa.

Inoyoſa Mãtuanũ iubet Etruſco diſſuadere trãſitum per Mutinẽſem agrum.

Mantuanus de Inoyoſa queritur.

obtulit, cui vis omnis foret imputanda: ad extremum celeritatis neceſſitatem proſecutus eſt. Quinimo motos iam ſedibus Patrijs,& itineri inſtantes; ne à ductoribus quidem abſque ſeditionis metu poſſe retineri.

Inoyoſa vbi fruſtra officium fuiſſe deprehendit,addidit comminationes; ſcilicet Mutinenſem aut obuium aduentantibus proceſſurum; aut ſi huius primum impetum Etruſci fregiſſent, & in Mantuanum agrum deueniſſent; per Mediolanenſem aram iter illis in Monferratum non conceſſurum. Id Mantuani animum altè perculit; obiectis difficultatibus; nec cui ſe conſilio permitteret ſatis præuiſo: non quidem quòd miſſum ſibi auxilium inhiberi deſideraret, ſed vt vniuerſi cum Capozucca incommoda declinarent.Miſſus ad Capozuccam curſor per Mutinenſes qui ſingula explicaret. Effusè riſiſſe illum accepimus (vt ille dixit) inanes Inoyoſæ curas; mox addidiſſe: ſibi ſuiſq; ſatis fore,ſi medio ditionis Mediolanenſis impeditus, & vlterius progredi prohibitus, ciuitatem aliquam ingreſſus foret: nec enim id ſibi arduum videri. Certè ſe ibi Hiſpani Gubernatoris mandata opperiri ſtatuiſſe. Quod imaginem obſequij & officij habebat, intus comminatio erat; credita viro forti competens, prudenti intempeſtiua. Cæterùm apud Mantuanum propediem ſe cum reſponſo fore promiſit. Illum locum tempuſq; eſſe; quibus de itinere ac impedimentis diſceptandum duceret. Interim accelerandam à ſe rem eam, quæ laudari aut proficere non poſſit, niſi abſoluta. Perſpicacibus,quiq; Mantuani ſortem lamentabantur,ſententia plus militaris animi, quàm compoſitionis habere viſa. Temerè quippe dictum eo cum exercitu vim Mediolanenſi prouinciæ inferri potuiſſe: nec enim aut paratas occupantibus vrbes,aut ſemel cæſum habiturum vnde centurias expleret; aut Mantuanum ſuſtentaturum,aut Venetos id bellum probaturos.

Franciſcus Etruſci Ducis Germanus præerat vniuerſis; ſed ætatis,quæ tanto oneri ſufficeret,inualidæ; eoq; in Capozuccam veterem militiæ vniuerſa curarum tranſlata fuerant. Mutinenſis vbi certos ſententiæ Etruſcos,& iam Apennini iuga occupaſſe vidit, pluribus millibus prouincialium raptim accitis, obtineri clauſtra montium,ne quà ſine bello via eſſet; informeſq; ſaxorum moles prouolui, & in ſpeciem munimenti denſari,vnde Etruſci fulminarentur,aut metu deterrerentur, imperauit. Capozucca præuiſo periculi,& anguſtiarum non minus quàm obſtantium gnarus, celeritate prouectus eſt, ante quàm vniuerſi qui à Mutinenſi mittebantur,adueniſſent. *Mutinenſi obſtat.* Conglobantes ſe Carſagninos,& præſidia parantes deprehendit.In his ſtatim impetum fieri iuſſit; tantumq; vanâ comminatione,genti quamquàm fortiſſimæ conſternationis intulit, vt dilapſi per decliuia, & ſubiectas valles, locum conceſſerint. Perſequi fugientes animus non fuit, aut licentia raptove in miſeros colonos ſæuire; ſed repræſentato alimentorum pretio, innoxios ſuos per Mutinenſem agrum in Mantuanum deduxit. Orare viam videbatur quam ſibi fecerat; tantâ modeſtiâ alieno vſus eſt. Tandem apud ſancti Benedicti in Padolirone Cœnobium(quod duodecim millibus paſſuum Mantuâ diſtat)conſedit. Vbi omnes Ducis munificentiâ vſi ſunt: licet potiora & victui maximè neceſſaria gregarius proprio ære mercaretur. Nam & à Principe ſuo pecuniam in hunc vſum acceperat, & magnum auri argentiq; pondus Capozucca detulerat,longo quamuis bello ſuffecturum.

Mutinenſis indignatione incanduerat quod Etruſci per vim penetraſſe viderentur: & iam redituris obſiſtere parabat;quem in vſum vires ingentes coegerat. Vbi tamen vulgatum Mediolani fuit, permittente illo Etruſcos tranſmiſſos, pactis cum Rege ſancitis (vt quandocunque Mediolanenſis ditio ſubſidij eguiſſet; & ipſa conferret,& alios properantes tranſitu iuuaret; precibuſq; Inoyoſæ ceſſiſſe; qui ne feſtinantes retineret,orauerat) quaſi ſatis honori ſuo fama conſuluiſſet, iram omnem depoſuit. Illuſiſſe eo officio Etruſco & Mantuano multi dicebant

quòd ſicut breui inter Mantuanum & Sabaudium pacem expediendam; eóque irritum laborem,& vanam expenſam vtriuſque probauiſſe.Simul vt Mutinenſem Hiſpanæ potentiæ admoneret, quem veteri Eſtenſium ſtudio in Gallos proniorem exiſtimabat.Mantuanum quoque deterrere voluiſſe,& vexatione corrigere, querelarum & obtrectationum aduerſum ſe nimium,& (vt ferebat) intemperantem. Et quidem Etruſcam militiam paruì pendere videbatur; quòd in ſua manu ſitum videret, cunctatione ac mora Mantuanum & ſubſidia corrumpere.Etruſci dies aliquot eo loco vſi ſunt;non ante ad ſuos reditum meditantes, quàm vbi vno ore conclamari pacem,& flexum Sabaudium reſtitutioni oppidorum,Gallico & Hiſpano conſilio audiuiſſent. Porro qui cogitationum Inoyoſæ perſpicaces credebantur; non ante feſtinatam concordiæ negotiationem, aut facilem reddendis quæ cœperat Sabaudium fuiſſe vulgarunt; quàm vbi tot millia peditum & ante alia equeſtres copias in propinquo, Venetoſq; Mantuani cauſam tueri, nec quieſcere Gallos viderent. Non enim adhuc Inoyoſa quid bellum conferta mole veheret, aut Sabaudius immanibus conſultis, nutrire exercitus ſuos alieno ære didicerant.

Sanè præter Mantuanos & Etruſcos in eandem expeditionem verſos Gallos etiam trium millium numero (quos Niuernienſis preces apud Reginam expreſſerant) & inter eos magnam nobilium manum Antibum veniſſe,vt in Monferratum mitterentur vtrique acceperant. Sed & multo plures qui in Sabaudiam, auertendo a vexatione Mantuani Duci immitterentur, ſub Aldigherio militare; non odio Principis, ſed impetu, quamcunque expeditionem præ quiete deſiderare. Hi non ante progredi deſtitere, quam Hiſpanus Rex præter opinionem mortalium & ius creditum, per Oratorem ſuum Chriſtianiſſimo Regi teſtatus eſt, ſe Sabaudia arma aduerſus Mantuanum iniqua cenſere; curaturúmque vt huic vniuerſa reſtituantur.

Traianus Guiſcardus. Traianus Guiſcardus pro Mantuano tum in Gallia agebat.Hic nobiliſſimo ortu,& prudentia ſingulari,cum aduerſis diu eluctatus(nec enim Sabaudius ſine Patrono in ea Aula erat) ſui Domini cauſam egiſſet; Reginam etiam deſcribere ac mittere militem,auctoritate ac cōſtantia orationis impulit:ſpecioſum Italicarum rerum arbitrium, fiduciam conſanguinei Principis, exiſtimationem (qua regna continentur)obtrudens:quæ omnia repreſſo Sabaudio potentiam ſapientiámque videbantur approbare. Regina quoque in nepotem procliuior,ſecuritatem illius in omni ſectabatur. Et haud dubiè plus nimium, & acriores eo principio Gallorum pro Mantuano conatus futuros fuiſſe didiſſimus; ſi aut hic minus Hiſpanis credidiſſet, aut paratis accitiſque auxiliis vti ſciuiſſet. Ab vtroque quidem Rege certam Mantuani tutelam fuiſſe didicimus: ſed vt anceps,& eundem intra diem incerta huius poſſeſſio erat (quod modo Hiſpanum, modo Gallum præferret) ſic inter æmulas gentes, diuerſa ſtudia videbantur, vt nec Galli Hiſpanorum illum auxilio vti,nec Hiſpani ſi Galli Alpes tranſcendiſſent, vellent. Qua origine multò ante monuimus, ſua Mantuano arma oppoſiturum Inoyoſam conteſtatum fuiſſe,ſi offerentes ſe in ſubſidium Gallos recepiſſet acciuiſſétque. Tueri ſe Monferratum (licet laceraretur laniareturq;) velle iactabat; &, quod fidei commiſſis miſerrimum eſt, non niſi tempore,loco,& arbitrio ſuo occurrebat;ferè fruſtra oratus, & vrgente excidio imploratus. Admoneri illum opportunitatum, & feſtinationem vrgere pernicioſum erat, quaſi amici diligentia accuſaretur, & minus officio promiſſo faceret. Ea morum incertitudine obnoxium ſe ſuſpicionibus Mantuanus reddiderat; & paratam Inoyoſæ excuſationem adornauerat; vt ipſe ſingulorum quæ improſperè eueniſſent, damnaretur. Apud prudentes etſi calamitoſa Mantuani conditio, & in lubrico res eius videretur, profeſſio tamen neceſſaria credebatur; nemine ſatis amico futuro, qui ſibi plenè credi non vidiſſet.

Mantuanus cogitur ſate ri cuius ſe protectione credat.

Plures

Plures Hiſpanos vt potentiores præferebant, integra adhuc gentis exiſtimatione, & glorioſa armorum famâ; Non dum enim Sabaudius degeneres Italos experimento docuerat, plus valere formidantes & contemptos, quoties iniuria virtutem ſtimulat, quam opinionem, ferè experimento vaneſcentem. Cæterùm non vno aut fugaci documento approbanda Hiſpano caritas erat; perſuadebántque vniuerſi; non ſuſpicionem ſolùm, ſed & vmbras Gallicę fidei amouendas, ne quo argumento, ſanguinis aut veteris cutæ meminiſſe videretur: præcipuè quòd calumniis laceratus Inoyoſa eſſet, cuius in manu ſalus erat; quíque poſſet ambigua pro certis, incerta pro infeſtis apud Regem ſuum criminari. Nec ille ſolùm ſed militiæ Hiſpanæ ductores omnes, recepiſſe Mantuanum à Regina aut miſiſſe literas, legiſſe Oratores, confœderationem hoſtilem, & communicata per ſecretum inimico conſilia, appellabant criminabantúrque. Annitentibus inſuper Sabaudij amicis, vt proprio ſubſidio egentem, regia etiam tutela excluderent.

Continuis nihilominus officiis ac precibus Hiſpanorum Sabaudius quatebatur: non dies ſine curſore, non hora ſine literis labebatur, quin conſiliis ſolicitaretur, ſi accipere indecorum ſibi crederet, ad dandam ſaltem Italiæ pacem. Nec Pontifex ſolùm, quiq; extra cauſam erant; ſed hoſtes iam Hiſpani eadem acrius proponebant; id maximè perſuadere nixi; ne nullo honore illius, arma deponere videretur. Et quamquam reprobari vim, præferri tamen cauſam ſuam Sabaudius ſciret; ne per ipſum ſteriſſe, quominus Italia atque adeo Europa, dulci concordia conquieſceret, videretur; pronas tractationi aures accommodauit. Compertum eſt multorum procerum teſtimonio, qui præſentes adſtabant, ipſum monacho religioni inſigni, & eadem Principum imperio curanti, inculcantiq; cauſas pacis, reſpondiſſe; Se rerum ſuarum Iudices Chriſtianos Principes recipere; & Cęſarem in primis eius potentiæ hæredem, cuius iniuriâ cecidiſſet; nec minus Gallum Hiſpanúmque: imo & Venetos diſceptationis arbitros admiſſurum fuiſſe (quos antiquo fœdere complecti Gonzagos ſciret) niſi contemptum ſui, & non audito partium iure feſtinata profeſſione docuiſſent. Ea Sabaudij facilitas detrahentium maliuolentiam confudit; quibus notum erat opulentiori per Monferratum re ſua, fortunæ blandimenta rejicere; eoque in Principe plus compoſitionis ac modeſtiæ deſiderari non potuiſſe. Inoyoſa erectiorem Mantuanum tranſacti ferè negotij reddidit; oraŭitque ſuperuacuis exercitibus, ne ſeque ac ſubditos fatigaret; aut deductam iam in pactum concordiam ſuſpicionibus mergeret. Etruſcorum duodecim millia cenſebantur (vt diximus) haud longè cœnobio D. Benedicti tendentes: ſed horum nobiliores eodem cum monachis tecto vtebantur: ſufficiente ad plura peregrinorum (quos hoſpitari locus veteri inſtituto ſolet) millia domo; laxiſſimis ſpatiis quoquo verſum porrecta. Temperantiam militarem, non monachi ſolùm & Mantuani Aula, ſed & copiarum duces obſtupuerunt. Cum enim domeſticę atteę maturis iam fructibus ſcaterent; & quod circum agri multo olete viteſceret, in tanto bellatorum numero qui ceraſum decerperet, aut lactueam demeteret. Ea fuit religio diſciplinæ, vt ne aërem quidem niſi pretio comparatum ducere velle viderentur. Secreta Capozucchi mandata fuerant, quę diſcedens patriâ ſuis dederat: & ideo maximè omnes modeſtiam mirabantur, quod iuſſam publicè nemo audiuiſſet. In proceres tamen Mantuani munificentia valuit; & quanquam auerſati munera, coacti ad extremum ſunt acceptis donariis, labores itineris mollire. Acceptis Inoyoſæ literis, Mantuanus Etruſcos ad Sancti Benedicti cœnobium conuenit; & poſtquam multa gratiarum actione, obſtrictum ſe vniuerſorum caritati profeſſus eſt, remittere quod ſupereſſet benficij dixit, compoſitis iam rebus & pacem vndequaque ſpectantibus. Nemo in eo numero fuit quem nuncius deponendi belli non ſauciauerit; pluribus verò querentibus tot dierum cunctationem inconſultè interpoſitam, cùm ſi pro-

greſſi ſtatim forent, compoſiti gloriam occupare potuerint. Sed nullâ amplius neceſſitate, gens omnis quâ viâ venerat ad ſua reuertit: contento Mutinenſi oratum (vt ferebatur) regreſſum abeuntibus permittere. Capozucca tamen tantundem virtute quantum ætate prouectus, opulentiorem tamen Mantuano conditionem ſpoponderat; ſi tot armatorum millia Sabaudijs paratam bello aciem oſtendiſſent. Inuito redeundum fuit.

Etruſci ad ſua redeũt.

Franciſcum Principem viſendæ ciuitatis cupido inceſſerat, quam ſitu & fabricâ decoram, ambienteq; lacu munitam audiuerat. Itaque cum paucis inuitante Mantuano in vrbem venit: vbi magnâ hoſpitalitate exceptus cum ſuis eſt, & inſigni gemmâ donatus. Sed breuem hoſpitalitatis lætitiam inconſultus impetus confudit. Cum enim inter epulas duo philoſophiam profeſſi de rerum natura differerent, & ſuam quiſque ſententiam acriter tueretur, inſerere ſe alterius opinioni Mantuanus voluit, & conuicijs onerato viro iactare ſapientiam. Ille impotens ſui, & quando honoris controuerſia vrgebat, obuerſus in Ducem, licentius quàm expedire ſeueriores crederent, & æmulum ignorationis increpauit, & obuerſus in Mantuanum teſtatus eſt, alienum illum negotium agere; non philoſophiæ niſi ſuperficie & hiſtoricè gnarum, non ordine diſcendi, non methodo, nullâ denique cognitione vocum (quos Terminos appellant) parum in ijs quæ agitarentur peruidere. Creditus à circumſtantibus fuit, redituras per iugulum voces miſiſſe; quod eâ maximè ambitione Dux laboraret, vt credi cuperet, non alium philoſophiæ præceptis profundius conditum. Sed improuiſo reſponſo deprehenſus, & hærens vix tandem eloqui potuit; adeo veritas arguentis iram vocemq; defixerat. Princeps Franciſcus ſingulari morum dulcedine quantum ex intuitu conjicere licuit Mantuani impetum damnauit; oruitq; Ducem, vt cum ipſe veſceretur, permitteret philoſophos diſputationibus exerceri. Id referre libuit, vt ad quorum manus labor noſter venerit pro certo habeant, non alio grauiori animi morbo Mantuanum ægrotaſſe, auxiſſeq; acceſſione annorum corruptelam; fouentibus inanem præſumptionem ſcientiæ ijs, quorum intererat fauorabilem habere Principem & in ambitione ignarum. Die eodem ad S. Benedicti reuerſi ſunt, vbi Dux decreuerat publicâ fide excipi teſtimonia, eo in loco conditæ magnæ Comitiſſæ Mathildis. Cum enim apud Tuſciam haberi illam, fallacijs ignara iactantium diceretur, aperiri vrnam, & agnoſci publicè cadauer voluit; non aliunde quæſito teſtimonio, quàm ab ijs qui diuerſa profitebantur.

Comitiſſa Mathildis recognoſcitur.

Scipio Paſchalis tum Prothonotarius Apoſtolicus, & paucos poſt annos (fauore Hiſpano inter eos quos Mantuanus nominauerat prælatus) in Caſalenſem Epiſcopum aſſumptus; ſupra ætatem eruditione ac morum honeſtate prouectus; & deprehenſam veritatem in publicas tabulas retulit (cui locus, inſcriptio, inſignia, cultus, cum vetuſtioribus coniecturis adſtipulabantur) & controuerſiam reſcindit. Quingenti ferè anni erant ex quo depoſitum cadauer, incorruptúmque adhuc ſeruabatur, ara cipreſſina, quam holoſſericum purpureum, intus & extra ambibat. Cadaueri ſua adhuc forma, & priſtinus cutis candor inerat; nec vllâ parte vngues, pilive defluxerant. Sed & tenellæ partes corruptioni procliuiores, aurium extrema & naſi intacta, plura ſecula durationem promittebant. Mantuanus tamen præſentis æternitatis deſiderio, familiaris ſibi Medici conſilio ſeductus, vnguine ac cærato condiri corpus voluit, vt in poſterum ætatem non ſentiret. Id nos acriter improbauimus, non alio argumento vſi, quàm perennem eius cadaueris durationem fore, quod quingentos per annos incolume, corruptione non contabuiſſet. Induratum quippe aridúmque, carere humore omni, cuius contagione corpora diſſoluantur. Opinio nihilominus familiaris Medici valuit; eoq; tres poſt annos detectum repertumq; eâ parte quâ curatum in decliue proſluxerat, hæſeratq; computruiſſe. Ne cætera conſenſu traherentur, nudari oportuit, &

tuit, &

tuit, & aridis ſuffumigijs madorem eum depelli, quem vnctione contraxerat: quærentibus monachis tantum iacturæ celeberrimæ ſepulturæ ignari Medici temeritatem intuliſſe.

Tot externis, & velut in tempore affuturis auxilijs, paratiſq; ſocietate Mantuanis, maiori iam numero in Monferratenſem expeditionem proficiſci, populares certiorem ſpem conceperant, ſuſtulerantq; animos leuibus interdum velitationibus (quibus aduerſam fortunam minus experti fuerant) elati. Sabaudium non hæc magis (quippe infractus animi, & inter prærupta impauidus agebat) quàm Hiſpani Regis deſtinatio; & amici quondam, tum parum fidi Inoyoſæ cogitationes turbabant. Inſuper auerſus Cæſar, & Iſabella Archiducis Alberti coniunx: quorum ille minas; hæc pacis conſilia conſentiente Cæſare ſuggerebat, concordiam admittere cogebant. Vltrò enim citroq; literæ, Nuncij, Oratores properabant, nec auſpicia illa (præter quoſdam ſtipendiarios Heluetios) alij magni nominis ſequebantur. Hæſerant Reginæ imperio Galli, Germani Imperatoris auctoritate retinebantur; vt tota vis eius intra ipſum eſſet; nec victorias, & fortitudinem, niſi ſuis liceret imputare. Pecuniæ quoque cura angebat quam à ſubditis cortadi eò iniquius ferebat, quò illi alacrius erogabant. Nuſquam maior aduerſus ſuos pietas, & certior humanitas viſa eſt.

Aſculanus Princeps ijs diebus Mortaram venerat; cunctorumq; oculos ac ſpes in ſe conuerterat; quaſi arma eâ parte moturus eſſet, aut de conditionibus inter aduerſos acturus. Et iam Sabaudij hoſtis creditus, à Mantuani fidis colebatur, tamquam honeſtiora conſilia agitaret. Id auditum Rubeum & Mombelli Marchiones impulit virum Principem conuenire; ne medio ardore negotij negligentiæ aut contemptus arguerentur. Multa vtrinque iactata in rem pacis; quibus ſi Sabaudius inclinaſſet, finitum bellum videbatur. Placere quidem Duci concordiam vulgatum fuerat, ſed quàm integra ſui exiſtimatio, & fortiſſimorum iurium compoſitio ſequerentur. Non enim gratuitam quietem, & inhonoram armorum depoſitionem in eo Principe ſperari poſſe, qui vt iure, ſic facto præualeret; & alijs conditionibus inermes, alijs armatos ad pacem cogi: quamquàm ne inermem quidem cogi promptum facto videretur. Et Aſculanus virium animorumq; conſcius, tutiorem ſatisfactionis viam exiſtimabat. Apud Mantuanum plus neceſſitatis, ac difficultatum erat. Iam enim Hiſpanorum promiſſis elatus, quæ nunquàm Sabaudius conceſſurus foret, poſcebat, licet in eius manu ſitum non eſſet, armáne an pax exercerentur. Spem Mantuano Hiſpani dederant redigendi in ordinem Sabaudij, antequam vires eius experimento cognouiſſent; ſed vbi fortitudinem, & ſua quoque pericula æſtimarunt, verbis eluctantibus primùm, mox apertè arctare ſpes Mantuani aggreſſi fuerant; vt bellum quod nulla eius gloriâ, ingenti iacturâ patratum fuerat, diſpendioſa inſuper pace concluderent.

Itaque Aſculanus Franciſcum Patigliam ab Inoyosâ venientem, ad Ducem Sabaudium cum Regijs literis miſit: quibus mixtis imperio precibus iubebatur, quæcunque per Monferratum armis occupaſſet Mantuano priori domino reddere; bellum etiam apertè denunciabatur, niſi illico paruiſſet. Id ſponte ſuâ Regem, nec minus Galliæ Reginæ literis ſtimulatum præcipue Padiliâ dicebatur: proinde non dubitandum apud rerum Hiſpanarum per Italiam adminiſtros, datæ Mantuano fidei indubitatam curam fore. Documentum quoque conſtantiæ, in Hiſpaniâ à Rege datum: nec enim Pedemontanum Principem adhuc à Patruo admiſſum auditumve; nec niſi imperio expleto, aditum Aulæ Regiæ habiturum. Certiſſimæ id voluntatis inditium eſſe, quo coniectari Mantuanus poſſit, apud iuſtiſſimum Regem, nec quidem arctiſſimæ neceſſitudini, vbi præualeat iuſtitia, aut honeſti ſpecies, locum eſſe. Velle Regem controuerſiam hanc Cæſarei iudicij, cœptum bellum ſui arbitrij eſſe: & Mantuanum certo documento admoneri

Franciſcus Padilia ad Sabaudum cum Regijs literis mittitur; quibus iubetur reddere Mantuano loca occupata.

vana formidinum rejicere, manifeſtæ protectioni fidei e. Aſperè Sabaudius ea imperia excepit:non quòd arbitros litis ſuæ Reges auerſaretur, ſed inſolentia parendi, & neſcius alicuius iuſſis auſcultare. Lacerauerat animum filij in Hiſpania neglectus, nec auditæ pacis leges, niſi redditâ prouinciâ. Et cum hactenus rarâ modeſtiâ egiſſet; tum primùm excidiſſe vocem Sabaudio dicebant manifeſtæ indignationis. Vrgente enim Padilia, & Regis ſui præceptum voluntatémque perſtrepente, fertur reſpondiſſe: quandocunque honeſta proponerentur, reperturum cognatum Regem apud ſe ſuóſque certum obſequium: ſubditis ac pronis in pauorem nulla exceptione imperari. Se Principem liberum, nec alieno nutu regnantem, vbi paria inueniſſet, comem reuerentiam vſurpaturum. Aliquot ante dies, cum ſecretiori congreſſu Aſculanus cum Rubeo procedentis belli formam agitaret, duodecim tormenta bellica petierat, quibus aduerſus communem hoſtem vteretur. Hæc in promptu haberi hortatus fuerat; etſi aliunde non ſuppeterent, Caſalenſi arce detrahi; ſi Padilia ſibi ac ſuis, minus cupita à Sabaudio retuliſſet: iactabat enim bellum & obſidiones ſeriò ſuos meditari. Placuerat Rubeo deſtinatio; ſed Caſalenſi arci tot tormenta detrahere durum videbatur: nam & loco impoſitus Gubernator imperium non acceperat; & pauciora intus erant, quàm quæ belli ſuſpicio, & laxitas mœnium requirere videbantur. Quæ enim vniuerſa Monferrati caſtella penuria vrgebat, eadem in arce Caſalenſi erat, In qua magnitudini munimenti, non annona, non commeatus bellicus, non arma, non miles ſuppetebant. Curſores ac hoſpites interim, domeſtica Mantuam tempeſtas & bellum erant: & quo magis in quietem ac ſpem componendæ diſcordiæ ferebatur, eo ſtudioſius Sabaudius arma futuro congreſſui comparabat. Id obſeruabant deteſtabanturque Hiſpani, longo vſu ſeruientium plenam ſidem inuenire ſoliti; & nunc apud Principem minorem reperta duritie, diffidentiáque niſi affectibus reſpondiſſent.

Honoſrius Mutus inſtat agro Caſalenſi.

Honoſrius enim Mutus inter Vignalum ac Montemagnum, cum mille peditibus, equitib. ſexentis (cum Padilia huc illuc ferens pacem mearet) conſederat: vnde turbida Caſalenſibus planicies aperto incurſu carpi poterat. Iuſſerat Sabaudius, ne qua pars Prouinciæ ſine metu ageret. Promptum agri excidium Sangeorgio ac Verrunenſi erat; & Mutus cum parte equitatus, deſolare obuia omnia parabat; niſi Sabaudius ſuas ipſe victorias, alieno rogatu moratus foret. Satis irarum in Mantuanum expleſſe videbatur; tantúmque oppidorum occupaſſe, vt iuribus ſuis ferè conſultum crederet. Sed Mutus præ cæteris ſolicitudinem addidit, impulitque Caſalenſes, quantum in equitatu virium habebant, ea parte apponere, ne iam propinqua meſſi ſeges, iumentorum vſui viteſcens demeteretur. Sed quia numero & fortitudini hoſtium impares erant, oratus à Mantuani miniſtris Aſculanus eſt, vt Ludouicum Gambaloitam ductorem ſtrenuum, cum Italo peditatu cui præerat Tarrugiæ ac Cellæ imponeret. Annuit Deſiderio Aſculanus; & decimâ quintâ die Iunij affuere, hoſpitalitate, quàm Sabaudius hoſtilitate grauiores. Eadem querela populorum trans Padum erat: quod Trini poſſeſſione Sabaudius vniuerſa in ſe traheret, & infeſta omnia Monferratenſibus redderet. Trecenti pedites Hiſpani Villanouæ impoſiti; plures inter hanc & Balzolam locati: nulla enim pars tuta à Sabaudio erat. Nizæ ducenti relicti, & Aichij totidem, ne extrema Prouinciæ præſidio nudarentur. Securitas omnis in Hiſpani nominis reuerentia erat: quos enim populares è ſuis auxilio adſciuerant, vim Sabaudiam non tuliſſent. Sed oppreſſio, laceratio, peculatus miſeros prouinciales accíſis iam opibus, cæteris fortunis dejiciebant, vrgebántq; Mantuanum vt quibuſcunque conditionibus pacem admitteret. Iam enim magnæ illæ ſpes & pompoſa Hiſpanorum promiſſa refrixerant; videbantúrque quam ipſi pacem cuperent impendio Mantuani procurare. Neque tamen ideo tuti populi agebant, excurrente ac carpente

pente vicina pro arbitrio Sabaudio milite,& ad Padum vſque penetrante: vt nauigatio,traiectio,conuectio alimentorum, plus diſcriminis quàm vtilitatis haberet. Eâ causâ trans amnem capere locum,& tumultuariâ operâ munire Caſalentibus placuit;quo centum equites,pedites quingenti clauderentur;in omnes occaſiones diſpoſiti. Id magno ſociorum ſtudio procuratum. Trepidare enim ciues ipſi vicino hoſte videbantur: Nam & pabulum infeſtare,ingentes arbores in vſus cædere,& armenta iuxta apricantia abducere audebant. Quod ſi prouinciales milites,ad rumorem aut querelas ſuorum accurriſſent, viciniori receptu vtebantur, quàm vt facilè interciperentur. Irrumpentes quoque hoſtes, & numero validiores,non aliter quàm parato munimento,& propinquo refugio frænari potuiſſent.

Monferratenſes caſtra trás Padum muniunt.

Eadem neceſſitas vltra Padum, Ponteſturam contra extemporaneum munimentum erigi perſuaſit; quod priori minus, viciniæ tamen flumine & arce ſuorum breuem incurſum pati poterat, & aduerſam ripam tueri. His quamquàm non omninò repreſſi aut fugati, cautius tamen procurrere. Sabaudij admoniti; prohibitiq; maturam iam ſegetem auchere; cum pagani centurijs ſuorum mixti, rurales opes curarent conderéntque. Porrò temperatum frugibus Sabaudij imperio didicimus, vt popůlorum inuidia vitaretur, pietatiſq; gloriam pluribus argumentis compararet. Niſi credamus ſatis illi fuiſſe, intra muros oppidorum annonam recipi,quam ſciebat in ſuorum militum neceſſitatem ceſſuram,ſi quando eguiſſet voluiſſétque. Ex eo coniectura conſilij; quòd oppida ad Moncaluium & Albam ſita impune meſſem terere ac in ſua deducere voluerit; iuſſis Capitaneis iniurijs ac prædâ in agricolas pro tempore abſtinere. Præcedentis enim anni frumenti abundè erat; & huius anni collectum, plus expectatione reſponſurum videbatur;ſi bona in pace fructus terræ colligerentur. Et quamquàm ſpes Sabaudij per Monferratum duraturâ poſſeſſione proficiendi indies tenuaretur, continuâ Nuncij Pontificij, & Caſtilionenſis Principis negotiatione (quorum ille conſilia ac preces, hic imperium minaſq; offerebat, & vtrique Hiſpani Regis auctoritate niterentur; cuius nutu deponi arma, & redire oppida ad veterem Dominum iubebantur) quia tamen incerta pacis tractatio,& anceps adhuc agendorum forma erat,non ita Sabaudius conditionibus intendebat, quin promoueret incepta; & ea maximè adgrederetur, quorum retentio probabilior videbatur. Illi haud dubiè ſuorum Principum mandata deferebant;ſed illud præcipuè moras ac difficultates intendebat, quòd cum potenti ac generoſo Principe ſuperuacaneum eſſet imperijs agere. Preces magis ex vſu; & Mediolani Hiſpani,& Mantuæ Venetus internuncius admonuerant; nullo fortiori vinculo quàm modeſtia ac reſpectu poſſe indignatum retineri.

Sabaudius permittit ruſticos ſegetes colligere.

Itaque viuo adhuc negotio pacis, ſed conditionibus incertis, Baronem Adres (ſtrenuus hic ductor, & indefeſſus militiæ erat) cui plenæ centuriæ ad manus, & perſpectus locorum ſitus erat, arctâ obſidione cingere Sandamianum, nobiliſſimum Monferrati municipium, iuſſit. Quòd mediâ in Pedemontanâ eſſet, eoq; ægrè foret auxilia recepturum, facilem expugnationem promiſerant. Ager ferè omnis in colles erigitur; quod decliue eſt,in fertilem planiciem funditur. Amœna ac frugifera omnia,& commeatu ditiora,quàm vt vniuerſum abſumatur. Quod ſi etiam bello neceſſaria inferantur, aduerſus vim tutus locus eſt. Quinquageſimum ante annum turbatis prouincijs Galli tenuerant: Cæſaris autem viribus Ferrantes Gonzaga longâ & irritâ obſidione ſtrinxerat: nam & auxilia penetrauerant; ſituq; ac mœnibus vrgentes repulerant. Collis cui inſedit,non idem toto ambitu preſpectus eſt; nec pariter expugnationi opportunus. Latiori gyro concluditur,quàm vt exiguis copijs vallari poſſit: ambienre tamen vndequaque Pedemontano agro,& hoſtilibus copijs obſeſſis itineribus, ne Monferratenſium auxilia penetrent,ſed pro viribus obſiſtant, carpant,vexant, clauſum oppidum, & à

Sandamianum obſidetur à Sabaudijs.

Municipij conditio.

Digitized by Google

ſuis diuiſum videbatur. Monti qui Prioccam reſpicit (Lanctolæ vocabulum eſt) religioſorum virorum Cœnobium impoſitum eſt, vnde non mœnia ſolùm,ſed & intima oppidi,ciuéſque ipſi diſtinctè numerantur. Vicinitas hæc facere ad offenſam credita. Proinde locum Adres Baro cum ſuis inſedit, ductáque foſsâ & elato aggere,dorſum temporarij munimenti communiuit : vnde certo ictu ciues excipi, & Municipij viæ domúſque infeſtari poterant.Exitiale id ſibi ciues agnorunt, cum inſuper fuſus per planiciem equitatus , agrorum opes interciperet, abſumeret,perderétque. Ita arcta omnia obſeſſis Baro fecerat. His anguſtiis circumuenti Sadamianenſes, auſi facinus ſunt ſupra vires ac numerum, vt ſe eo vinculo expedirent:centum enim & quinquagina mœnibus egreſſi , tamquam deturbaturi loco hoſtem , & inuicem dato acceptóque conſtantiæ ſacramento proceſſere ; iuuantibus conatus ſuorum iis , qui ſupra muros præſidium agitabant , Moſchettorum infeſtis ictibus in aduerſos iaculantes. Maior oppugnantium numerus erat, quàm vt ipſi in arduo ſiti,à ſuccedentibus & paucioríb. deturbarentur. Vbi iuxta fuêre,glande plumbea certamen inierunt, (nec enim haſtatos cominus pugnare, fragor moſchettorum ſinebat) reſpondête Sabaudij & tecti , & ictibus è ſublimi non in caſum ſparſis. Ambiguè nihilominus pugnatum ; & vulnera & captiui vtrinque numerata.Sed infauctior ciuium virtus fuit;quòd redeuntes tergore vulnerarentur;cum conſtantiam æmulati,tempus ictibus præberent. Credidêre proinde curæ oppidi impoſiti ſecuriora conſilia tractare,ſi mœnibus ambiti,obſidionem & bellum traxiſſent;donec amici caſus ſuorum gnari,magno numero in tutelam accurrerent. Haud dubiè fruſtra ſperabatur:nam Tanarum ac Nizam verſus ſparſus hoſtis equitatus vniuerſa obſepſerat:aut pugnam,aut(quod minimum) vexationes aſſultúſque , ſi nouæ clauſis vires aduenisſent,auſurus. Campi reliquum , quod Aſtio ac Trino interiacet Sabaudij Ducis vniuerſæ copię tenebant; quas duplo maior exercitus in munitos & loco tutos non perrupiſſet. Diſtrahi tanta vis poterat , ſi multa millia alio verſa prouincias illius infeſtaſſent , aut pro obſidione obſidionem reddidiſſent. Sed nec Hiſpani aut volebant, aut poterant; nec Monferratenſes audebant.

Accreuerat iam Lanctolę munimentum; & huic ſimile aliud; quod alteri colli eminenti impoſitum fuerat, qua valles in Monferratum agrum excurrunt. Illud Heluetij Lucernâ pretio exciti ; hoc miles Delfinato euocatus ſeruandum receperant. Mille ducentos fuiſſe referunt Georgio Ochetto, Ioanne Laurentio Amadeo , Luca Picconello impoſitis qui curarent. Equitatus planiciem obſidebat , nullis certis ſedibus , ſed huc illuc vagus ; & vel in auxilia quæ aduenisſent pugnaturus , vel ambiguos in fide continuo metu retenturus. Ducenti ſclopetarij dicebantur bello ſueti , & militiam illam ingentium ſpoliorum opinione ſectati. Apud ciues annonæ plurimum , nec minus animorum erat: quin enim è vicinis oppidis hoſtiles inſultus , vt in ſecurum euaſerant , alimenta in longum tempus detulerant:& oppidum fertilitate agri conſpicuum vim frumenti aſſeuerabat, vicinorum commodis recondi ſolitum ; & tum ciuium bono cuſtoditum.Quod in agro diuitiarum erat,præ tuendæ Patriæ gloriâ in vili habebatur : neque rapinæ, aut peculatus, aut direptiones villarum, ab vllo oppidano ſuſpirium expreſſerant. Peruicaci cunctorum aduerſus Mantuanum fide ; & in Sabaudios inuidia : in quos nunquam deficientibus irarum cauſis ob vicinium æmulatu ſtimulabantur. Exteros in municipium receptos & Pedemontanos pleroſque intoleranda belli onera prælioſúmque mala formidantes, vt in tutum, ſupellectilis cariſſima detuliſſe; electúmque ab iis præſidio Sandamianum, licet incertus rumor detulerit, vix crediderim; niſi quib. ante bellũ Patria illa fuerat, aut vagi, negotiatoréſque, ſedium mutatione vniuerſa ſecum aſportantes. Ab his nihilominus metus aliquis erat , ne proditum potius quàm habitaturi aduenisſent.

Fiducia

Fiducia certè gentis ſecuritatem promittere videbatur; ea tamen firmitudo externis & aduenis futura non ſperabatur; quæ paratum miſericordiæ hoſtem, & veniam deſertoribus offerentem rejiceret. Obſeruari ſingulos adpoſitis velut cuſtodibus placuit, vt maiori integritatis præmio, ſic pœnâ proditionis. Rubeus nihilominus teſtatus per literas fuerat, Sabaudij ſubditos aduenas Sandamianenſium fuiſſe; eóſque vexationum Patriæ, & collationum impatientia, vel apud accolas hoſtes, quibuſcum æternum diſſenſerant, domicilium maluiſſe. Mantuanum quoque monuerat, Pedemontanam omnem eum pecuniam, armenta, & ſi quid elaborati argenti habuerat, in belli neceſſitates contuliſſet, offerte etiam delectibus iuuentutem coactam, quorum opera nutriebantur; & alibi tendentes diſcretione (vt aiunt) ſuſtentare cogebantur. In eam hoſpitalitatem fruges & ruſticas fortunas inſumpſiſſe; & quò tolerabilior ſæuitia videretur, diurno aureo capitaneos & centuriones obligaſſe. Nec ſine ſenſu manipulares milites egiſſe; duplicari ſibi ſtipendia volentes; quæ niſi populares repræſentaſſent, in retinentes immaniter egiſſe: miſerrima ſingulorum conditione; ſiue vniuerſa contuliſſent, ſiue ob negatam pecuniam punirentur.

Hos fuiſſe Sabaudij militis mores queſtum non ſemel Rubeum didicimus: quaſi ignoraret, aut falſa vulgaret; aut eadem Hiſpanos aduerſus Monferratenſes vſurpaſſe. Equidem plures Monferratenſium, cum Patriam, domos, agrum hoſtis, & Hiſpanorum ſæuitiæ permiſiſſent, ad interna & inimicis vacua profugerant, communem fortunam pace aut bello toleraturi. Sandamianenſes, numero ac ſitu validiores, non ea conſternatio turbauerat: ſed quamquàm per ambitum omnia hoſtilibus armis poſſiderentur, armenta nihilominus induxêre, quæque comportari potuerunt, in oppidum intulerunt; & tectis domorum in rei euentum reſeruarunt, fœni ac paleæ in aliquot menſes prouiſu ſuffecturo. Conſtantiam quoque addere, ſecretæ literæ ad obſeſſos penetrantes viſæ ſunt; breuem eam vexationem futuram docentes; ob paratum iam reſtitutioni Sabaudium: quòd Regina Galliæ, Hiſpanus, & Cæſar Mantuanum protegerent. Ante alios calamitoſa eorum Pedemontanorum fortuna videbatur (quamquam pauci omnino, & ferè turbidi eſſent) qui jam iam pace ſecutura, longum Patriæ exilium, & facultatum amiſſionem breui malo prætulerant. Quippe Sabaudius pietatis in omnes probatiſſimæ, implacabilis tamen rebellibus, & deſciſcentibus ferebatur. Sandamianenſes inter hæc, vt cum fortunis honorem victoriæ retinerent, Gubernatorem olim ſibi impoſitum, tamquam ignauiæ & forſan perfidis ſuſpectum amouiſſe dicebantur, & Andræam Prandum ſubſtituiſſe; quem Belgicæ militiæ experimento, dignum tantæ adminiſtrationi putauerant. Eâ re maieſtatem ſui Principis læſiſſe dicebantur, & fidei meritum corrupiſſe. Id tamen falsò iactatum ſcimus: quãdoquidem Marchio Rubeus Cæſarē Confalonerium priuatis ſimultatibus, & ciuium odio inuiſum loco mouerat; nullâ Sandamianenſium operâ aut officio ſtimulatus; & Prandum non virtute minus, quàm familiaritate obſtrictum impoſuerat. Hoc ferè tempore Princeps Caſtilionæus Gonzagi ſanguinis, Mediolanum iubente Imperatore reuerſus fuerat; vt ſuo munere functus (Commiſſarium enim Cæſareum dixerat) graui comminatione banni Imperialis, Sabaudium abſtinere armis; & quæ loca Monferrati cœpiſſet, reddere iuberet. Menſes aliquot comminatus modeſtè ferebatur, nec aſperè imperia expoſuiſſe, ſummâ dexteritate vſus vt & intelligeretur; & ne magnum Principem magnitudine remedij aſperaret. Sabaudius tamen vt iure ſic facto potior, quamquam reddere victorias paratus eſſet, prætextuum ſuorum tamen rationem haberi, armatus & minitans orabat. Quod Caſtilionæo non probatum; vt qui nullis legibus aut excuſationibus circumſcriptam obedientiam requireret. Vbi itaque fruſtra conſilia, preces, & ex Hiſpano metum cecidiſſe vidit, literis ad Ducem datis acriter comminatus

Caſtilionæus minatur Sabaudio bannum Cæſareum.

eſt, ſe Cæſareum bannum aduerſus illum publicaturum. Sabaudius ſententiæ ſecurus, quamuis modeſtiſſimè ac honorificentiſſimè de Cæſare loqueretur, deceptúmque falſorum pro Mantuano iurium diceret; nil tamen ſolitæ ſibi diligentiæ omittebat, aut belli ſtudia intermittebat, decoram pacem recepturum daturúmque ſe profeſſus, iniquas conditiones ferro ac vi propulſaturum. Intempeſtiua vniuerſis ſecuritas credebatur. Itaque Nuncius Pontificius & Caſtilionęus Princeps, denuò ad mitiora verſi, traxêre in plures dies negotiationem; vt Sabaudius vim illam animi indignationémque molliret. Et profuit modeſtia; qui enim iam conditiones auerſatus fuerat, vbi reuerenter interpellari, & orari ſe vidit, ſpem dedit feſtinatæ concordiæ. Et quia vterque habiturum Cæſarem prætenſorum iurium rationem ſpoponderant; magno animo reſpondit: non ſe niſi vis fáſque poſcere. Proinde capta arbitrio Cæſaris redditurum, à quo non abnueret veteri Domino reſtitui. Quod vbi Mantuæ innotuit (quaſi honori Ducis ea ſpecies detraheret) Aulam omnem queſtibus confudit; facili Mantuano etiam in amicum ac conſanguineum Caſtilionæum ſuſpiciones neglectus admittere. Dicebatur ea forma reſtitutionis, exiſtimationi Mantuani detrahere: quòd quæ dolo ac vi capta forent, ſtatim ſuo Domino reſtitui oporteret. Negotium quoque è negotio duci, & ſeri moras, Mantuanus indignabatur; tamquam receptio oppidorum plures menſes differenda eſſet, vt interim ſubditi alienis oneribus haurirentur, Sabaudius temporario quæſtu proficeret. Tumultuarią arma & inuaſionem, nullo honeſto titulo initam, vt res in priorem formam reduci poſcerent, ita medium neminem qui recipiat quærendum. Habere proprium Dominum, qui eâ in re procuratoris non egeret. Diffidentiam quidem Cæſaris, Pontificis, Regúmque procul eſſe, ſed dignitatis & conditionis ſuæ rationem haberi debere; vt vel ipſo reſtituendi modo notum vniuerſis ſit, & intuliſſe Sabaudium grauem iniuriam, & inuaſoris alieni pœnas mereri. Plures deditionem locorum ſponte victoris quoquo modo factam amicè recipiendam eſſe dicebant; ſiue Cæſari, ſiue Hiſpano Caſtella permitterentur, deponi apud amicos fautoréſque: qui cœpto ſtatim bello indemnem Mantuanum, & cauſa potiorem decreuiſſent. Eâ aſperitate irritari fortunam; vt totius Europæ votis pax quęſita reſcindatur; & ſuſpicionibus ac diffidentiâ arbitri cauſæ delaſſati, vniuerſa in præceps ire conſentiant. Nec enim quod continuis Principum officijs, & eorum gratię Sabaudius conceſſerit, ratum in poſterum habiturum; ſi facilitatem ſuam negligi, & interjici concluſioni difficultates vidiſſet. Creditâ iniuriâ potuiſſe turbari Ducem, & ſpe rerum nouarum conditiones pacis agitatas aſpernari certum eſt; niſi Hiſpanorum literæ querelas minaſq; detuliſſent, modeſtiſſimis monitis ambitas; & Inoyoſa ſuſpicionibus fœdatus, minus illi ſpei non vno documento obtuliſſet. Principum quoque Chriſtiani orbis conſenſum (cui contradicere Sabaudius innata moderatione noluerat) obſtitiſſe didicimus, quo minus bellum paci præferret; magniſq; victorijs amicos Mantuani erudiret, aliud eſſe prælia, quàm verba, & pompoſas plumarum toto pileo explicationes. Quas enim in illius fauorem armari copias audiuerat, moræ impatiens opperiebatur, in quas impetum facere deſtinauerat, priuſquam locorum gnari, popularibus militiæ pręceptis conuenirent. Quietem etiam ac moderationem ſuam, cum quæſitu fore cognouerat; quòd temperantia, humanitas, Cæſarem Regiumq; obſequium cauſæ iuſtitiam approbarent. Iuribus quidem ſuis cędere in animum non induxerat; ne promptus in neglectum temerè procurriſſe videretur: ſed Cæſaris ac Regum gratię id condonare, vt Iudex ipſe, ſibi aſſerere quę poſcebat, nollet.

Sabaudius promittit ea quæ cœperat ſe Cæſari redditurum.

Inſtabat Nuncius Pontificius, & Inoyoſa non vnis literis teſtabatur, Pontificem, Cæſarem, Regem Hiſpanum Sabaudij iurium curam habituros, cauſamque pro veritate promoturos; aduerſúſque infirmiorem inuiſam violen-

tiam

tiam eſſe, cauſâ certare honeſtiſſimum. Sed tarda per literas negotiatio, & in tot militum millia oneroſa expenſa erat. Spes tamen componendæ controuerſiæ miſſo à Sabaudio Mediolanum Comite Aloiſio Criuello, Gubernatori affulſit; vt in ſummam pacis, Sabaudio, Nuncio, Inoyoſæ, Caſtilionæo conueniret. Primo quidem congreſſu ſententiis certatum eſt; vt ferè eluſione & tergiuerſatione contentiones exercerentur, quoties inter inuitos de re magna tranſigitur. Comes nihilominus Criuellus, innata nobilitate iuribus ſui Principis pondus ingens oratione contulit; in veteres prætextus, & recentes iniurias compoſitiſſimè diffuſus. Non id tempus vetera tractandi, aut examinandis indignationis cauſis, qui medij pacis erant retulerunt: eſſe vtrique arbitrum Imperatorem; & illatæ violentiæ inuidiam accelerata reſtitutione corrigendam. Si quid præſumpſiſſet hoſtis, & in Cæſarea ſententia iniquitatis credidiſſet, cauſâ proſequendum, quam plures annos partes agitauerint. Ad extremum negotij abſolutionem vrgente Pontificio Nuncio, inter diuerſos ea lege fuiſſe accepimus, vt quando Imperator & Hiſpanus Rex decertantium ſeſe medios obtulerint; quæcunque Sabaudius vi aut pacto per Monferratum cæpiſſet, Inoyoſæ ac Caſtilionæo traderentur: tamquam vtriuſque majeſtatis dignationem præferentibus: ea verò mox Mantuano redderentur; lis omnis Cæſari terminanda permitteretur. Vbi conſenſu res peracta, requiſitus Criuellus eſt, vt habito à Duce ſuo mandato ſponſionem chirographo firmaret. Paruit Criuellus, quòd à Sabaudio in mandatis habuiſſet, ſingulari facilitate vniuerſis annuere, ſi minis & imperiis temperaretur. Plures iam dies Mantuanus negotiationis exitum opperiebatur: itaque miſſas ab Inoyoſa literas accepit, quibus fidum miniſtrum Mediolanum mitti iubebat; cum quo reſtitutionis formam componeret: Nec enim niſi cupita illi, & dictata exequi ſtatuiſſe. Illico Comes Annibal Chieppius profectus eſt. Crediderat Mantuanus diſputationibus inſiſtendum, & Chieppium iurium Monferrati eruditum deſtinauerat, vt cauſa ſua patrocinium haberet. Sed ille finita omnia reperit: nec diu immoratus agendorum leges tantùm Mantuam retulit. Arbitrium cuiuſcunque potius quàm Mantuani erat; cogebatúrque conditionibus quas Inoyoſa & Sabaudius ſanciuiſſent accedere.

Sabaudius mittit Aloiſium Criuellum Mediolanum.

Sabaudius Inoyoſa concordat in pacis leges.

Comes Chieppius Mediolanum.

Vicesima Iunij erat, & alterum menſem producta diſcordia; cum Princeps Aſculanus Mortarâ omiſſâ Villanouam ſuis comitatus venit, præmiſſo tamen ad Vincentium Mantuani fratrem curſore, qui Principem aduentus ſui certiorem reddidit. Nobilis viri acceſſum Vincentius expectare noluit; ſed ſolita ſibi comitate Villanouam profectus officij meritum præuenit: non enim ludicra tractaturum, ſed formam abſolutæ ſatisfactionis laturum crediderat. Nec fefellit expectatio: retulit certum ac fixum Sabaudio eſſe omittere quæ occupaſſet; & Hiſpani Regis arbitrio ſua iura remittere. Iámque in quos oppida & arma transferrentur deliberatum; & Inoyoſam ac Caſtilionenſem; honorum ac munerum eminentiâ prælatos. Simul quia Padilia congruentia à Sabaudio retulerat, militem ac iumenta dimitti imperauit, quibus duodecim muralia tormenta à Caſalenſi arce in bellum quod parabatur deduci conſuluerat. Eodem & Caſtilionæus venerat, facti ordinem proſecutus, & data fide eadem quæ cæteros Aſculanum expoſuiſſe. Dictu mirum quo ardore ſinguli pro Mantuano niterentur; qui incertâ adhuc Regum voluntate, & irato Sabaudio tergiuerſabantur ambigebántque. Sequenti vtrique ad Caſalenſes profecti ſunt, obuio Principe Vincentio ac Niuernienſi, cùm equitibus ferè quingentis. Negotiatione triſti ac difficili in lætitiam verſa, regio more omnes excepti: & aliquot armatorum millia, diſpoſitis vtrinque ordinibus inducti. Plena vrbis itinera turbis erant, geſtientibus omnibus Principes viros, quorum ſtudio quies

Aſculanus cum P. Vincentio Villanouæ.

obueniſſet, intueri. Eâdem quoque vrbanitate Caſalenſis arx oſtentata; vt famam magnitudinis, ſitus, militis præſidium ſeruantis, ſupra rem non eſſe deprehenderent. Obſtupuiſſe foſſæ latitudinem altitudinémque, murorum molem, tormentorum numerum, internos receptus Aſculanum & ſuos, Mantuanus aſſeruit: nobilique encomio teſtatum, non aliud per Italiam munimetum plus regiæ majeſtatis præ ſe ferre. Procerum tamen virorum qui præſentes aderant fide didicimus, pauca illum laudationibus proſecutum, plura inopiæ & enormis vaſtitatis accuſaſſe. Sanè magnitudo murorum, latitudo, ambitúſque latè fuſus ſpectantur; ſed nec neceſſitati tormenta reſpondebant, nec vſui ſuffectura militia; commeatus quoque vix menſtruus erat. Sed & pauciora intus erant quę in vſum obſidionum munimenta requirunt: Puluis bellicus, materia artificialis ignis, plumbum, ferrum, nitrum, ſulphur, & his ſimilia belli preſidia requirunt; quod nos quoque oculati teſtes cum pleriſque curioſitatis noſtræ æmulis deprehendimus.

Reuertentem ad ſuos Aſculanum, Vincentius ac Niuernienſis magno nobilium comitatu Padum vſque proſecuti ſunt, in eam præcipuè curam intenti, ne quod officij genus omitterent; pronis in ea ſtudia magnatibus, teſtandæ caritati. Poſtero vtrique Inòyoſam Mortanæ conuenerunt, quo Marchio vt reſtitutionem properaret, venerat, vt è vicinio promptior dictorum factorúmque executio eſſet. Cæterùm ne inani tantum apparatu, & ſpecioſis congreſſibus tempus perderetur, Cruellus additis Inoyoſæ literis Sabaudium monuit, executionis initium tertium poſt diem Trini reſtitutione præſumendum: non enim lenta cunctatione tot Principes expectatione laſſari poſſe; & iam communi ſententia ſancitum, aut pacem dictis legibus, aut bellum atrox reſumendum. Id quoque pactis addebatur Monferratenſium immunitati, ne Sabaudius diruendis quæ extruxerat munimentis, ciuibus ruſticiſve vteretur: neve auehendis tormentis, popularium iumentorum opera fatigaret; ſed vtrumque proprio milite exequeretur. Id æquitati dari creditum; quòd pagani frequentibus querelis inhumanitatem accuſare, & intolerandos labores (inſueti malis belli) queri conſueuiſſent. Partem hanc conditionum Sabaudius ex arbitrio tractauit; vt qui magna calamitate Mantuanum ac ſubditos leuari; & opulentiſſima pacta cencordiæ reſpexiſſe. Culpam nihilominus malorum in Sangeorgium Mantuanus, ſcriptis ad regios miniſtros literis retulit, aſſerens, eius ſtudio accendi Sabaudij inimicos: quod ſciret iam ſe Principis ſui miſerationem aduerſum ſe conſumpſiſſe; nec abolere defectionis ignominiam niſi geminatâ contumaciâ, & nouis flagitiis credidiſſe; vt ira non perfidię prurigine inſoleſcere cognoſceretur. Conſcelerato famulo, & irato domino ſatis eſſe, ſi aſſiduis incurſionibus, & vexatione popularium, nullo ipſorum profectu, Princeps immeritus carperetur. Contulit & alia conuiciorum, quæ Inoyoſa ſolitâ ſibi prudentiâ neglexit; gnarus & eas Sangeorgij iniurias non eſſe, & inultas fore. Cauſam ſuſpicioni Mantuani, milites dedêre, qui paganis præerant; eo quòd centuriæ Sangeorgij eſſe & eius imperio nauare cognoſcerentur. Cum tamen non illæ, non Sangeorgius ſimilia exercerent, ſed Sabaudij imperio mouerentur.

Cæterùm cum iam modus oppidorum reſtitutioni dictus eſſet, acceptis à Sandamianenſibus literis Princeps Vincentius didicit, arctari obſidione oppidum, & media in negotiatione pacis bellum ardere. Quod etſi ignotum Inoyoſæ credi poſſit, Iuuenem tamen aſperauit, vt apud circumfuſos proceres prorumperet:

P. Vincentij querela cum Inoyoſa ob Sandamianum obſeſſum.

Nos (inquit) ſpecioſa cōcordiæ pacta componimus; regio nomine leges hoſtilitati dicimus, quidq; bona pace agēdum ſit conſulimus: At Baro Adres vicinorum coacta militia Sandamianum viget, maioréne Ducis fratris mei, an protectionis regiæ iniuriâ vix diſcreuerim. Quæ iſtæ concordiæ fabulæ, quæ forma quietis; ſi cum Monferrati arma vana ſpe ſecuritatis diſtinentur, contra hoſtem Munici-

pijs

pus noſtris inſultantem tum maximè ſæuus inſtat, cum abſtinere bello iubetur? Atqui cunctatione & ignominiâ noſtrâ exultat; cumq; imparatam prouinciam feſtinatione oppreſſerit, id inſuper in gloriam trahit; quòd Regis Hiſpani conatus prouiſu ac numero validos deſpiciat; audeatq; cum de reſtitutione agitur, expugnationes exercere. Futuram certè apud nos æternam Monferrati poſſeſſionem non ambigo; ſed quo honore, tanti Regis arma vireſq; circumferantur; quâ contumeliâ ſpes illius ſeneſcant, ante alia proſpicere adminiſtros debere iudico; quorum ſtudio tam magna agitantur. Merſam ſemel hoc totius Italiæ atq; adeo Europæ theatro exiſtimationem, nullâ virtute reduxeritis. Non alio certè ſtabilimento fama tanti hominis vtitur: quàm quod poſſe credatur, & velle. Infamiæ quoque notam arguerem, niſi cum Principibus viris res eſſet, quibus compertum ſcio, aut credi iniurioſè in nos agere Sabaudium, aut flagitioſè Hiſpanos conniuère. Alterutrius culpam eſſe, vos quorum tutelæ ſucceſſimus, opinione generis humani nouiſtis. Plura dicere parantem, ne calore indignationis acerbius ageret, Caſtilionæus interpellauit; eadem Cæſaris nomine lamentatus, ſed inuidiæ ac comitatis mixto temperamento.

Plus Vincentij Principis quàm fratris Ducis apud Hiſpanos valuiſſe auctoritatem, non ſemel didicimus; cuius fidei conſtantia morum, ſermo moderatus, grauitas facilitaſq; pretium feciſſe videbantur. Ignoraueritne obſideri Sandamianum Inoyoſa; an debiles vires ſuas excuſatiom accommodauerit, incertum eſt; miſſurum ſe tamen ad Sabaudium literas promiſit, quibus turbari nouâ inuaſione prouinciam, & inter pacis tractationem, bellum exerceri quereretur: & niſi iniuriâ abſtinuiſſet, negotiationis amicæ finem fore. Quinimo dilatio reſtitutionis ne ſibi à Vincentio imputaretur (nouerat enim Mantuanum cuncta malorum in ſe flectere) protractam in eam diem dixit, quòd cui à ſe fratris ipſius iuſſu redderentur, non perſcripſiſſet. Legitimo quippe procuratori debere permitti, qui Domini nomine accipiat tradátque. Inane id & vanum procraſtinationis prætextum riſit Vincentius; ſatis ſuperq; ſufficere teſtatus, ſi ipſe cum Caſtilionæo Principe recepiſſet: propediem nihilominus expectare ſe fratris literas, quibus auctoritatem recipiendi, cui ille libitum foret, ſit conceſſurus.

Inter hæc etiam de Niuernenſi ſuſpiciones retractæ: nec enim adhuc vmbræ metuſq; animo exceſſerant, magnum Principem, & tot nobilibus comitatum Hiſpanis ſuſpectantibus. Sed iam iter meditari, & finē querelis factum reſponſum eſt: ne innumerabilibus hactenus iniurijs & criminationibus læſus Mantuanus, vllis in poſterum accuſationibus laceraretur. Quamquam oculatiores rerum obſeruatores pro certo habuerint, non Hiſpanis magis quàm Mantuano inuiſum Niuernenſem fuiſſe; vbi turbas in quietem flecti, & nullo externo auxilio egere cognouit. Sed nec eos animos Niuernenſem fugiſſe; eoq; diſceſſum properaſſe. Nec fateri auſim vulgatùm politicorum axioma, nec abnuere; quoties dominationis diſcrimen incidit, non conſanguineis, non amicis, non ijs ipſis quorum intereſt, fidem conſtare. Adeo fraudium & diffidentiæ frequentia exempla ſuppetunt. Sub veſperam concitato curſore à Mantuano epiſtola venit, delegatâ in Vincentium fratrem poteſtate recipiendi oppida; & per loca mittendi, qui Ducis ſui nomine eodem munere fungerentur.

Mantuanus iubet Vincentium fratrē recipere oppida ab Inoyoſâ.

Viceſimâ quintâ menſis, Niuernenſis Dux, cùm compoſita in quietem omnia deprehendiſſet; coacto Aulæ ſuæ vniuerſo comitatu, relicto Monferrato Mantuam profectus eſt, vt Lauretano itinere Romam, quò cum Galliâ ſoluerat, tendebat, proficiſceretur. Et quidem tempeſtiua profectio viſa; non Inoyoſæ magis quàm Sabaudio: cui Principis virtus, & ex gentis ſuæ caritate, vis ſuſpecta erat. Hiſpanorum quoq; ſecreti queſtus non ſemel in publicum eruperant; procurantibus Sabaudij amicitijs, corrumpédæ Mantuani ſpei, admitti ſuſpiciones. Nec ſine

Niuernenſis Mantuam.

ſpecie potentiæ vmbræ Hiſpanis accreuerant: cum etiam in Monferrato ageret, accitis aut ſponte in diſcrimen properantibus Gallis comitatum ſuum auxerat; iamq; plures trecentis numerabantur, iiq; nobiles & titulis dominationum ſupra vulgum. Inter eos quoque militari diſciplinâ celebres plures cenſebantur, quorum ductu bellare populares gloriam credebant. Hoc ortu primùm centurias, mox cohortes, ad extremum & legiones expleuiſſet; ſi properantibus Gallis liber acceſſus, & gratum Domino ſuum periculum cognouiſſent. Turbidis certè rebus, & fortunâ omni in Sabaudium verſâ, è proprijs ſubditis auxilium Niuernienſis deſtinauerat (nec enim Regina magnis viri conatibus obſtitiſſet) ſed vbi compoſitos tumultus, & paratum reſtitutioni oppidorum hoſtem vidit, procurrentium impetum attinuit; quamquàm Marſiliæ & Antibi aliquot iam centuriæ conueniſſent. Nepotis cauſam iuuare in animo habuerat, quamuis inermem & imparatum neceſſitas offendiſſet. Sed vbi ſponte ſuâ rumorem depoſuiſſe, & Hiſpanos ſerò tutelam rerum Monferrati complexos nouit, indemnem & ſuo potitum Mantuanum agere, ſatis credidit; non ignarus quibus conuicijs odijſq; exerceretur. Neque tamen præcipiti diſceſſu auerſum ſibi Inoyoſæ animum agnouiſſe oſtendit; ſed cum cauſam longioris moræ grauiter proſecutus foret; id præcipuè connixus eſt, vt fidem ſuam approbaret, crederetuiq; quoad Mantuanæ ac ſuæ domus dignitas in gentilitio honore manſiſſet, non alia caritate Hiſpanos quàm Gallos, Regijs nuper coniugijs iunctos, proſecuturus. Inoyoſa & Aſculanus, diligentiæ ac operæ excuſationem, in bonum pacis, decus familiæ flexêre; inſuper comitate deuinctum protectionis duraturæ promiſſione ſolati dimisêre. Nec ſiluere quibus cauſis ſerius in bellum deſcenſum, & petitus armis Sabaudius foret.

Plures ante dies apud Monferratum, cum inter pacem & bellum mediæ prouinciæ agerent, rerum publicarum pro Mantuano adminiſtri in rebellium cognitionem intenderant; Quæſtore ciuitatis, iiſq; quibus facinorum executio commiſſa erat deſertores Mantuam perſequentibus. Res hæc ſeuerius tractata, vt nonnulli falsò accuſati diſcrimen capitis ſubirent, fecit; ſiue pietas Domini Iudices, ſiue priuatum odium excitaret. Diuturnâ tandem vexatione agitati quidam, tandem innocentes declarati ſunt. Si quos extrema neceſſitas, & vis hoſtium inſuperabilis mentiri ſacramentum, & fallacijs tueri vitam fortunaſq; impulerat, excuſati: iam enim intempeſtiuum rigorem Senatus Caſalēſis Mantuano perſuaſerat. Mitius quoque in eos animaduerſum, qui potentiorum imperia ſecuti, validiorem & victorem Dominum prætulerunt. Proditionis transfugijq; non coacti crimine aliqui damnati. Quos inter Comes Guido Sangeorgius; quem Mantuanus inter alios implacabiliter oderat, æmulorum votis in pœnam poſcebatur. Et quamquàm non Hiſpani, non Galli, non Veneti apertè excuſarent; ſilebant tamen quoties nominari audiebant; ſiue excuſatum crederent; ſiue (vt tempori decebat) excuſatum cuperent. Quid eo læſo, & immaniter habito prouincias maneret, & quibus viribus executurus contumelias ſuas foret, peruiderant. Horret animus illuſtrem familiam, collectis in poſteritatis memoriam opprobrijs, quibus publicè iniuſta eſt, fœdare: ne bonis domi artibus, foris militari virtute ad omnem claritudinem euecta (quibus rari mortalium adornantur) ſtudio ſugillare; aut creditas ab aliquibus fœditates, iis qui eodem ſanguine, & priſcâ virtute agunt, obiectare videamur. Sed factorum veritas, & ſeries hiſtoriæ rem inſignem ſilentio inuoluere non permittunt; ne alienæ cupidini, noſtro arbitrio famulari videamur; id tamen acturi ſumus immutabili apud nos conſilio, nec de odioſis ingratiſq; inuidioſum ferre iudicium; nec tacere, quæ multorum teſtium indubitatâ fide nixa, mendacium ſilentij arguerent.

Fiſcus Mantuani inquirit in rebelles.

Ergo Iunij viceſimâ ſextâ, Theodorus Pendaſius Villæ ſancti ſecundi Comes, & Man-

& Mantuano Duci à conſilijs, rerumq; Ducalis Fiſci in Monferrato Curator, & Iudicis hac in re officio defunctus, Fauſtus Croa Senator Caſalenſis, & intimi conſilij collega; & Ioannes Iacobus Bruſcus, totius prouinciæ Quæſitor, huic cauſæ cognoſcendæ & abſoluendæ ſimul delegati, pluribus hominum millibus adſtantibus; quos Præconis publici voce coëgerant, in hanc quam inſero formam, redditâ verbatim ſententiâ de Sangeorgio decreuerunt. Nos Theodorus Pendaſius, Fauſtus Croa, Ioannes Iacobus Bruſcus, in cauſa Guidonis Sangeorgij, Comitis Theodori filij, vrgente ſententiam Fiſci Monferratenſis Procuratore, interrogatis teſtibus, viſiſq; actis publicis, manifeſtam eius viri rebellionem, proditionem, læſamq; maieſtatem; cœpto non minus quàm continuato ac conſummato delicto, aduerſus Sereniſſimum Cardinalem Ferdinandum Mantuæ ac Monferrati Ducem, eiq; debitam fidem admiſſo, arguunt. Itaque diuino orato auxilio, permiſsâ nobis cognoſcendi auctoritate; & ante alia maturâ deliberatione præmiſſa, rerumq; ad id productarum æſtimatione vſi, decernimus Guidonem Sangeorgium ingratiſſimum Mantuani an Monferratenſis Ducis ſubditum, rebellionis ac læſæ maieſtatis reum eſſe: quod hoſtilibus, ac prærupto conſilio Sabaudiæ Ducem inimicum comitatus, exercituum illius Præfectum egerit: quod Trinum municipium tormentis bellicis aſſultu ac dolo cœperit, & ad deſciſionem cuſtodiæ impoſitos hortatus ſit: quod Moncaluium conſilio ac fraude occupatum, Caſtellum loci dies aliquot obſeſſum captúmque: quod Nizam vi omni adortus, diu multis armatorum millibus obſederit, bombardis concuſſerit, agrum circa vaſtauerit: quòd pleraque Monferrati oppida, armatis centurijs interceperit, diripuerit, exciderit, ciues expulerit, vim pecuniæ contributionis nomine expreſſerit; furta, ſacrilegia, vim admiſerit impuneve habuerit: quod nonnullos nobiles prouinciales ſuæ perfidiæ per nuncios ac literas illigare conatus ſit, ſocios flagitiorum quæſierit: quod inter cætera Cortioni, Alici, Veſimi (quæ oppida eius patrimonij cenſebantur) hoſtiles copias, & conſcios auctoréſque rebellionis milites Mantuæ ac Monferrati Duci ſupremo Domino aduerſos, induxerit: alia fœda, immania, atrocia patrauerit. Quâ causâ dicimus concordiq; voto ſancimus; & obiectorum criminum, & culpæ, nec non pœnarum quas in rebelles & læſæ maieſtatis conuictos omnia iura proclamant, reum eſſe, ſigillatim verò capitali ſupplicio perdendum: Nempe vt infami plauſtro raptatus per opprobrium, in locum facinoroſis puniendis ſepoſitum deducatur, ibiq; clauâ mactatus, & quatuor in partes diſſectus, ijs in locis vbi flagitia exercuit, publico exponatur; ſi quando in Mantuani poteſtatem venerit. Interim eo apud hoſtem agente ſtatuam eius formari quæ pede altero ignominioſæ furcæ appendatur, cum ſuorum criminum notâ debere. Eumq; perpetuò exulem, infamem, omni honore ac dignitate exutum: quæq; per Monferratum patrimonio, aut ſui Principis liberalitate olim poſſederit, in Fiſcum auocanda cenſemus. Hæc ſententiæ in Sangeorgium ſubſtantia fuit: ſed & proſcriptionis leges edicto additæ; quibus decem aureorum millia, ei qui viuum Mantuani Ducis poteſtati tradidiſſet, ſex qui occiſi caput detuliſſet, quatuor qui quocunque modo iugulaſſet, promittebantur. Et ne qua facti ignoratio prætenderetur, tubarum ſono, multa ciuium millia congregata, in Ducale palatium fuerant; vbi latino & Italo idiomate, iudicibus pro Tribunali ſedentibus, res vulgata. Ad famam dedecoris procerum, ciuium, militum animi concidêre: & eorum quos obiecta crimina offendebant; & quos nobiliſſimi viri commiſeratio mouebat. Sed & inter amicos, & veteri affectu obnoxios multa dicebantur, vt cum causâ rebellaſſe cognoſceretur. Auerſio iniqua Dominorum, contemptus, Patrui Cardinalis iniuriæ, intentata veneficia, & capitales inſidiæ. Mantuano proniores breuem eorum dolorem fore dicebant; & vbi diſcuſſo errore, ſuo vigori mens reſtituta fuiſſet, neminem eo in numero futurum, qui exe-

Et Sangeorgium condemnat

cratione ac diris tantum ſcelus non foret proſecuturus. Non enim ipſum Sangeorgios ſolùm perduellione, ſed plures nobiliſſimaſq; Monferrati familias contagione læſiſſe accuſabatur. Alij maiori adhuc licentia, Sabaudium fœditatis auctorem transferendo crimini peragebant; dicebanturq; ſententiæ; tamquam malo conſilio vſus, non vno nomine reprobaretur: quod nobilem virum inconſultâ indignatione procurrentem, non permiſſo deliberationi tempore, non communicato conſilio, inter adminiſtros ſuarum cupidinum recepiſſet: quantúmque alienâ perfidiâ creuiſſet, tantum ſibi dedecoris, vt alienæ operæ egentem, ſordido nomine comparaſſet. Plerumque facilitatem criminis, & validos ſtimulos, vel integerrimos corrumpere: & potuiſſe Sabaudium ſuis cogitationibus eundem exitum, proprijs armis ac ductoribus, maiori gloriâ nanciſci. Nunc fouiſſe rebellionem; & (ſi apud maieſtatis reum creditum locus laudi eſt) plus parricidæ, & externo, cuius virtute profeciſſet, quàm proprijs viribus imputandum. Dediſſe documentum quibus opibus actibuſq; præualuerit; & quantum difficultatum vaſtæ cogitationes eius adituræ fuiſſent; niſi fortitudine ſeditioſorum aduerſus æmulum vſus foret. Melius Romanos, & ſolidam bello gloriam ſectantes, quorum virtutem Sabaudius æmularetur, egiſſe; qui parricidas perſecuti, tam fœdo adminiculo in hoſtes vſi non ſunt, eoq; indubitata virtute ingruerunt.

Hæc corruptorum in Mantuanum temeraria ſententia; eorum qui pro Sabaudio nitebantur ſermonibus confutabatur; ne publico quidem temperantes, quin teſtarentur honoratas illius victorias, licitas artes, decorum Sangeorgij miniſterium fuiſſe. Dolo ac virtuti parem in hoſtem locum eſſe: & ſi Mantuanus ægrè ferat, fortitudinem ſuorum Sabaudio militare, ſibi ſuæq; aſperitati adſcribere id debere. Neminem adeo ſubditum ſuo Principi eſſe, vt iniurias offenſionéſque, vitæ, facultatum, honoris ferre debeat. Quinq; iam dies preterierant, quos Iudices Sangeorgio legis more conceſſerant, vt ſe coram ſiſteret: proinde ſexto, formatam in illius ſimilitudinem è fœno ac obſoletis telæ fruſtis ſtatuam, infami furcæ, à publico carnifice ſuſpendi fecerunt. Aliam quoque prominenti in ciuitatem Caſtelli munimento, in eandem ignominiam exponi; horrentibus etiam bonis informem ſæuitiam, parum cauſæ & tempori congruentem. Sed maior illi ex addito titulo inſania quærebatur; quod Rebellium ingratiſſimus diceretur. Sangeorgius quamquam honeſtas deſciſcionis cauſas præſumeret, vulnus id tamen intra animum altiſſimè admiſit; quod fortiſſimos etiam mortalium, qui exiſtimationi viuunt (aduerſus poetæ opinionem) & falſus honor, & mendax infamia perſtringant. Coniugis illius nobiliſſimæ at honeſtiſſimæ fœminæ, manifeſtiorem fuiſſe mœſtitiam didicimus. Accepto quippe infœlicis ſcenæ nuncio, adeo animo conſternata fertur, vt parum abfuerit, quin ſubito deliquio oppeteret; paruulos liberos ingenti dolore complexa; & amiſſas opes, violatum honorem impar tolerandi conteſtata. Sed augeri hoſtium lætitiam queſtu ſuo; & ſi lugere impenſius videretur, ſuum iam ab illis non leuem pœnæ partem, admonita: publicè lamentari deſtitit. Sabaudius non ignarus eâ ſe inuidiâ petitum, inuiſere voluit, prolapſam dolore adleuans, & ſpe veri honoris ad firmitudinem hortatus. Notum ſibi quantum coniugis illius fides aduerſum ſe diſcriminis adierit, quas iniurias ab hoſte retulerit: ſed eandem ſibi & illi fortunam velle; & vel ab inuito Mantuano, antiquum decus, auitas opes, honorem expreſſurum. Tanti Principis comitas languentem haud dubiè ſubleuauit: niſi plerique nobilium inanes eos pauores, ſolidumq; in marito decus eſſe (quod à cæteris agnoſceretur) docentes, plus ad ſolatium profuêre.

Sabaudius ſolatur coniugem Sangeorgij poſt eius damnationem.

Cuius bona confiſcantur.

Vbi in famam Sangeorgij ſæuitum eſt, Iudicum animaduerſio in fortunas vertit; & ſigillatim Fiſco petita, quæ ille per Monferratum poſſidebat: eaq; in plures partes diſtracta, ne facilis receptus & apud eundem poſſeſſorem depoſita viderен-

deren-

detentur. Ante alia Veſimum, cum caſtro cui Sangeorgio Scarampo nomen eſt, addito Marchionatus titulo Ioanni Octauio Gonzagæ à Duce dono data: Vetera merita, communis educatio, conſanguinitas prætendebatur. Leuari inopiam viri nobilis, & decus familiæ retineri eâ largitione crediderat. Alicum Marchiæ cognomento Claudio Gonzagę permiſſum; qui nobilitate natalium, morúmque dulcedine toti ciuitati carus, functarum apud Pontificem & Imperatorem legationum merita contulerat. Sed ſecretorum gnari teſtabantur, debita illi pridem multa aureorum millia, ea imagine Mantuanum ſoluere decreuiſſe; quæ Claudio Vincentius parens quanquam promiſſa rependere neglexiſſet. Bozia quæ Sangeorgium ac Balzianum condominos habuerat, Ducis medico nexo Comitis honore collata. Corſionem Comes Ibertus ſibi comparauit, cum partem pretij dono Mantuanus remiſiſſet. Bozola Præpoſito Foreſto: Molatrinæ Reipublicæ Villanouæ; agri ad Ponteſtutam Ioanni Franciſco Pico, ad Balzolam Cęſari Arditono, Bozolea Gulielmo Galloni venundata. Cenſus annui Tunci Senatori Cinalerio in pręmium optimè nauatæ operę conceſſi. Pars quoque Comitatus Sangeorgij, Corij, Rocchæq; Marchioni Vulpiani promiſſa dicebatur. Eorum qui emerant, nemo præter Foreſtum publicè excuſatus. Patriæ enim dicteriis res agitata, id interpretationis nacta eſt, vt cum altero oculo captus Foreſtus eſſet, mirum videri non deberet, ſi minus peruidiſſet; etſi in id præcipitium lapſus foret, quod optimè oculati non vitauerant. Cęterùm pernicioſa Mantuani largitio prudentibus credita; ne habendi cupidine qui nacti fuerant iratum Sangeorgio Mantuanum conſilio firmarent, prohiberéntq; reddi; quorum retentio exitium prouinciæ accelerabat. Hinc cunctante ſuper venia rebellium Mantuano, acres per Europam querelæ eos maximè petebant, quos ſuſpectos fama differebat, reſtitutionem Sangeorgio fieri diſſuaſiſſe. Nec aliud in Vrbe ac Mediolani frequentius conclamatum, quàm donationem illam ac venditiones (quæ nec in Mantuani poteſtate eſſent, nec ſine exitio accipi poſſent) perniciem Italiæ maturare. Sanè cordati & apud Mantuanum agere ſoliti, magnitudiniſque Sabaudij periti, illum monuerant, temporariam munificentiam, non donatori beneficij gloriam, non accipientibus vtilitatem laturam. Illum olim conſenſu generis humani victum, modico honore ſuo, quæ conceſſiſſet retractaturum, hos collatam in emptiones pecuniam prodigituros, vanoſq; honores publico irriſu depoſituros. Gonzagam quidem aduerſis communi bono conſiliis in Hiſpaniam Oratorem à Mantuano miſſum dicebant; quod omni officio foret reſtitutionem apud Regem moraturus; ne ipſe Veſimo excideret. Et licet pleriquc riderent anxiè pètitum à viro titulum, qui ipſo ortu nobiliorem accepiſſet & circumferret; ille tamen Hiſpanū faſtum & Aulæ illius conſuetudinem accuſabat, vbi nobili viro nullus locus eſt, niſi titulo aliquo dominationis adornetur. Claudij Gonzagæ moderatio ac prudētia cum ab omnibus, tum à Duce ipſo ſeriò licet commendata: cum enim vltro Alicum offerretur, titulo ſe interim abſtinere; & donec pax ſolidè coiuiſſet, differre poſſeſſionem velle reſpondit. Præuiderat vir nobilis, lubricam eorum conceſſionē lætitiam, quæ nec à Mantuano ſine exitio Patrię dari, nec ab ipſo ſine leuitatis nota recipi poterant. Balzianus vel inuito Mantuano, ſe fructibus Bozię vſurum publicè iactauit; & curaturum ne Medicus integra cute ſua, malè acceptis frueretur. Sangeorgius certa ſpe nitebatur, non fruiturum alienis Mantuanum, qui ne ſua quidem tutari poſſet; ſtrenuámque Sabaudio operam præſtabat; quo ſuperſtite ſciebat, non minori ſecuritate bona ſua, quàm Taurinum fore.

Expleto apud Caſalenſes deformis ſcenę die, Princeps Vincentius & Marchio Rubeus, Moranum nobili comitatu ſepti profecti ſunt, vt Caſtilionæum & Aſculanum ibi opperirentur, quo ſe venturos eodem die prædixerant. Hic regiæ copiæ, equitum peditúmque ingens numerus conſedit; per cohortes & centurias

diuiſus,magno decore;quaſi paratus ad bellum. Vbi inter magnos viros officio,ac comitati ſatisfactum, vniuerſi Trinum contendêre: Vincentius extra mœnia cum ſuis ſubſtitit. Caſtilionæus & Aſculanus,intra muros accepti;quibus municipij reſtiturio,à Verrunenſi Comite ac Viualdo facienda erat. Hi ſtatim Sabaudij mandata protulerunt;& portarum clauibus productis,poſſeſſionem loci permiſerunt: mox egreſſi aduersâ portâ cum ſuis ſunt,integro honore Ducis; quem certum eſt officio victum,ſpontaneam deditionem feciſſe. Paulo poſt vtrique Principes, adhuc foris opperientem Vincentium Principem conuenêre. In hunc conuerſus Aſculanus:Excuſſit (inquit) Sabaudius,& magnitudini regiæ infirmiora ſua arma ſummiſit.Itaque fratris Ducis nomine,dominationem velut nouam auſpicare;& nobiliſſimi oppidi ius antiquum recipe.Hinc non Mantuani ſolùm,ſed & per Europam Principes omnes,integritatis ac protectionis regię aduerſus ſeditioſos experimentum accipiant; diſcántque nemini caritatem Hiſpanam præferenti, aut inutilem amicitiam fore.Sumere ſe Vincentius reſpondit,& chirographo conceſſionem ſibi factam teſtatus eſt, (quod Verrunenſis ac Viualdus, publicis tabulis quod egerant excipi voluiſſent;nec tamen obtinuerant) ne ea ſpecies magnitudinis admitteretur, apud hoſtem iam cædentem; aut quod illi vi peruieiſſe videri noluerant, ſolemnitate actorum, velut cum difficultate expreſſum oſtenderent. Aliquot minora tormenta bellica, quæ Trinenſes ante Sabaudij aduentum habuerant, ſuo quidem loco reſtituta; ſed quod armorum reliquum, militari licentiâ vt ductorum imperiis diſtractum fuerat,deſideratum. Inſtabant quidem Sindici ciuitatis, vt ſubſtracta arma repreſentarentur: ſed vbi de quibus dubitatum fuerat an concederentur,inuenta ſunt,illa vt minoris pretij neglecta. Opulentior quàm credebatur Mantuano conditio euenerat; nec Hiſpani tantam Sabaudij facilitatem ſperauerant.

Sabaudij Mantuano Trinum reddunt.

Caſtilionæus ne ſegnius conſanguinei Ducis cauſam agere videretur, acrirer repoſcebat. Aſculanus tamen ſiue Sabaudij promptitudini vices redderet; ſiue leuem illam in tanto quæſtu iacturam ſciret,Caſtilionæum negligere querelas,& inanes flagitationes rejicere orauit. Tum ceſſit Caſtilionæus; nec Princeps Vincentius vlterius quæſiuit; eam patientiam poſcentibus qui potiora contulerant. Eques Rinara (nunquam mihi ſine additione laudis nominandus) Trino Gubernator, cum trecentis peditibus ducentis equitibus impoſitus: vt qui eo præſidio fretus,ſi bellandum denuo foret,hoſtilem impetum ſpreturus, & vltro eruptionem auſurus cognoſceretur. Mox eo procurante, annona & bellicus prouentus à Caſalenſibus aduecta ſunt;quæ longiori obſidioni ſufficerent. Vtriuſque portę lateri,duo prominentia munimenta Sabaudius extulerat; quæ paucis ante reſtitutionem diebus demoliri,& nudari mœnium latera imperauerat. Ea denuo Rinara,reductâ comportatáque materiâ,veteri formæ reſtituit,& oppoſitæ Trini portę denſos aggeres in lunę formam circumdedit;ne vis omnis mœnibus exciperetur, ſed elata moles obſiſteret. Auctus quoque bellicorum tormentorum numerus;ne facilis hoſtis incurſus, contemptu & ſecuritate eſſet. Ciues non die non nocte occurſare mœnibus, non arma niſi iuſſu ferre, non pandere aut claudere portas niſi imperio ſuo, non efferre prouentum agri, non accipere exteros, niſi permiſſu voluit;non aliâ curâ nixus,aut maiori ſecuritati indormiens;quàm ſi foris hoſtem,intus proditores metueret.Sabaudius quidem nobili teſtificatione,iuueni licet infenſo gloriam addidit: cum enim inter epulas,quorum maximè virtus obſiſtere cupitis ſuis examinaretur, Rinara primum nominauit; dixitque natalium ſplendore, eam ſui opinionem apud hoſtes ipſos mereri.

His compoſitis Moncaluium vniuerſi proſpectabant. Et quanquam in veſtibulo negotiationis Trini exemplo deditionem præſumerent; eo tamen acrius poſcebatur,quod ſciebatur validiori arce ſeptum,plus apud ſingulos habere ſecu-

ritatis

ritatis. Itaque ab Aſculano Principe Ioannes de Caſtro miſſus, vt deputato à Caſtilionæo miniſtro Cæſareo traderetur. Paruêre hi quoque, eâdem Sabaudij facilitate; nec crediti nondum certo fine expletis iuribus ſuis, tam promptè in quietem conſenſuris. Alphonſo Guerrerio ſtatim conceſſum; quem ante alios Vincentius elegerat vt loco præeſſet, militiamq́; vicinorum contineret. Præteritarum neceſſitatum memoriâ, vt frumentum prouentuſq́; bellicus induceretur admonuit, centumq́; ſclopetarij, continuæ cuſtodiæ additi; ne quam vim improuiſam in poſterum ciues excuſandam haberenr. Ioannes pariter Brauus; recipiendis vltra Tanarum oppidis ab Aſculano miſſus, & Marchio Caſſinæ Cæſareo nomine ſubſequi à Caſtilionco iuſſus, vt acciperet. Hic Manfrino Caſtilionæo permiſit, cuius curæ tractus is omnis ante bellum fuerat.

Et Moncaluum.

Et loca trãs Tanarum.

Vbi cuncta reſtituta ſunt, Manfrinus Albam conceſſit, trecentis peditibus, ſexaginta equitibus præſidio retentis: vt ciuium ope adiuri, in tutelam rerum ſuarum valeſcerent. Ad Nizam adſcititiæ militiæ pedites quingenti Antoniotto de Ruere impoſito, locati; qui parati ſignum obſeruarent; & accepto ſtatim in mœnia properarent. Pronior nempe cupidini hoſtis ſciebatur; & eâ parte cæterorum tutelæ deſeruire. Dionum eques Griſella, quartum ferè menſem habuit: & abeunti Cæſar Confalonerius ſucceſſor datus. Paucioribus præſidium commiſſum; vixq́; præter incolas ſexaginta exteri additi: licet ſiru tutum in longiorem obſidionem videretur. Sed tot ſimul arces nouâ militiâ firmari arduum, & ſupra vires Mantuani erat; ſatiſq́; prouiſum minoribus videbatur, ſi præcipua & nobiliora oppida retinerentur. Andræas Prandus Sandamianum cuſtodire; deſcriptis militibus qui ciuium infrequentiam ſupplerent, iuſſus eſt: prorogatumq́; imperium, quod mutato Confalonerio acceperat. Gabianum minori nomine; eoq́; paucioribus traditum; & quia Trini ac Moncaluij vicinio aliquid ſecuritatis credebatur. Cum adhuc pacis negotiatio ferueret; & à longè Inoyſa, quietem (quam nunquam voluerat opinione æmulorum) perſtreperet, Sabaudiúſque indignatione ac viribus excitatus, moroſam cunctationem inſereret, Confalonerius domeſticis curis preſſus ad ſuos lares coniugem miſerat. Id hoſtes didicerant; qui diſpoſitis medio itinere inſidijs incautam circumuenêre. Familiaris famulus proditionem vendidiſſe dicebatur. Grauiter haud dubiè caſum vxoris Confalonerius tulit; debitæ ſibi tamen virtutis non oblitus, frequentes in hoſtes eruptiones vſurpauit; paratos turbans, & inexpectantes vrgens, prout occaſio tempúſque tulerat. Nondum enim tormenta bellica Sandamiano oppugnatores admouerant, ideóque non ſemel tentare fortunam vacuum fuit: cum paribus ferè vtrinque armis congrederentur. Sed quia numero ſuperabatur, cautè ſe ſuoſq́; certamini credere cogebatur; exploratorum miniſterio vſus; qui pallantem inimicum parumq́; per interualla ſibi conſtantem, deferebant. Dierum aliquot velitatione quidam Sabaudiorum deſiderati; nec Sandamianenſibus gloria defenſi oppidi nullo ſanguine ſtetit: capta ad extremùm Ducis vxor multum ſpei Baroni Adres dedit: qui miſſo nuncio, ſe innocentem matronam oppidanorum ictibus expoſiturum profeſſus eſt, niſi maritus deditionem properauiſſet: iam enim vis, inſidiæ, oblata munera, promiſſa, agri excidium, ruinæ villarum fruſtra fuerant: & magnâ ex aduerſo virtute opus erat, vt cogeretur. In illo tamen, fortitudo & deuotus Mantuani obſequio animus, plus vxoriâ caritate valuerunt: remiſit quippe nuncium, & referre iuſſit; morte vnius muliereculæ, illius victoriam non futuram; ſed barbaram immanitatem totum æuum apud hominum memoriam menſuram. Quinimò tres illum apud ſe filios habere, quorum capitibus tormentorum impetu exoneratis, conſtantiam retinere ſit paratus potius, quàm fidem frangere. Benè cum Monferraro initio belli actum fuiſſet, ſi ea virtute multos Duces, & aliquot bellatorum millia numeraſſet. Vel enim ipſis Sabaudijs fatent-

Digitized by Google

tibus certum eſt, non ſolùm fortitudinem obſidentium, ſed & defectam apud pleroſque fidem; deditiones locorum accelerauiſſe: & multum negotij victoribus futurum fuiſſe; ſi tantùm hominem in ſingulas oppugnationes impendiſſent.

Ardentibus vtrinque animis peruicaciâ propoſiti, pugnaſq; agitantibus redditorum oppidorum fama, ad vtroſque delata eſt: & Baro Adres quam capiendi Sandamiani gloriam in propinquo videbat, diſceſſu omittere coactus eſt. Quod tamen in obſidionibus vſu venit, circumpoſiti agri opes detritæ; & villarum ornamenta, odio aut laſciuiâ militari diſiecta ſunt. Quartum intra diem reſtitutis potioribus, quidquid oppidorum Sabaudius cœperat, per vniuerſum Monferratum, Mantuano Duci redditum eſt. Nec aliud mali veſtigium ſupererat, quam præcedens pecuniarum à ſubditis exactio, præda, ac vis: quæ vt ineuitabilia belli mala ſunt; ſic nouerant omnes cum pace nec dilui, nec ſarciri: maximè vbi cum validiori res eſt, quietem dante potius quàm recipiente. Impoſſibilis quoque ſingulorum æſtimatio erat; ſi quâ victoris facilitate proprijs dominis repræſentanda fuiſſent. Quæſtus partem ingentem Comiti Verruenſi ceſſiſſe, ductoribúſque cohortium ditatum quoque villarum vicorumq; ſpolijs gregarium militem, popularium fama detulit. Præter alimenta, & exilem pecuniæ ſummam (quæ ne viceſimam quidem expenſarum expleuerit) nihil in Sabaudium abijt, pretium laborum gloriam, non vtilitatem ſpectantem. In ſuos quæſtum ire libens ferebat, dummodò ſtrenuè nauarent; & militiæ vitia fortitudine ſuperarent. Exercituum moribus inſolens apud Sangeorgium modeſtia ac temperantia viſa. Ne vno quidem obulo res ſuas auxit; ſed reditus opimos, parando ſibi honori, & commodo ſuorum militum impendit. Et quamquam pars magna conſilij Verruenſis obſtrictum prius Sabaudio virum, nouis inſuper artibus illigauerit; vt conſcium expeditionum Ducemq; faceret, morum tamen non vſquequaque ſimilis deprehenſus eſt; profectumq; omnem in magnâ ac bonâ famâ tantum habuiſſe. Victores quoque inter lætitiam & honores, ſua damna numerabant. Nec enim ruſticorum idem ante bellum, & pace ſecutâ numerus cenſebatur. Nam plerique turbarum miſerias, & intoleranda Ducum imperia formidantes, ſolum verterant; in Genuenſes aut Mediolanenſes profecti, quò nondum rumor armorum penetrauerat. Eo in genere maior iactura Monferrati fuit; elapſis ad vicinos ijs, qui non in ædibus, non agris patrimonium habuerant; ſed diurnâ operâ, & venditâ ſeruitute tolerabant. Et quidem inops toto eo tractu ruſticitas eſt; quòd fœcunditas camporum, numero incolarum ſuperetur. Pedemontani paſſim quietis iam rebus ad ſua reuertêre; ſed Monferratenſes ſemel deſiderati, fruſtrà poſtmodum expectati ſunt.

Adres ab oppugnatione Sandamiani recedit.

Vbi forma pacis inducta; & futuræ ſecuritatis ſpes reſtitutione oppidorum affulſit, Pontificius Nuncius Ferrariam redijt; vbi ante hanc curam Legati vices impleuerat. Cæterùm variâ toto negotiationis curſu fortunâ vſus eſt: prout incerta Principum, & per occaſiones mutari facilis voluntas fuit. Inter aduerſa tamen ac ſuſpiciones ſolidâ prudentiâ vſus creditur; iræ Sabaudij, calliditati Inoyoſæ, Mantuani inſtabilitati eluctatus; ne illorum alicui obſtrictus diceretur, ſpeciemve obnoxij præberet. Multum illi diligentiæ in retinenda dignitate opus fuit; ne Pontificius miniſter, prævalidis qui Cæſaris & Hiſpani Regis authoritate nitebantur, ipſe vt inualidior negligeretur. Primo ſtatim aduentu Mediolani ab Inoyoſa Regio cultu exceptus fuerat; profuitq; viri æſtimatio, vt Hiſpano Homini Pontificis pietas, pronúſque in concordiam ac Hiſpanorum decus animus perſuaderetur. Id præcipuè ſectatus fertur, vt feſtinatione ac vi, nondum externis auxilijs ſolidatum Sabaudium vrgeret. Moram quippe omnem non Mantuano magis quàm Regi pernicioſam fore docuerat. Et haud dubiè Inoyoſa deprehen-

Pontificij Nuncij ſucceſſus omnis compendio dictus.

prehenderat, eadem ſe Romæ, quâ per cæteram Europam famâ diſtrahi: cunctationem nempe & ſuſpectam tarditatem exitio exiſtimationis Regiæ circumferri. Quod vt elucerct, Nunciumq; opinione aliquâ deuinciret; impares primùm vires excuſauit; deinde coactis exercitibus tabida vi abſtinuiſſe dixit, non vt Sabaudium mulceret; ſed vt compoſiti belli laus Hiſpano ac Pontifici communis eſſet. Credidiſſe enim non ceſſurum officio generis humani parentem; & preces auctoritatémque decertantibus interpoſiturum. Nuncius cum ſuſpectam Inoyoſæ ſimulationem, & ſpecioſos congreſſus dolo eruere quorundam monitu audiuiſſet, addiderat; magno Hiſpani nominis dedecore vulgatum Sabaudium non ignato, aut nolente Rege hoſtilia tractauiſſe. Id Principem illum ſponte confeſſum; & tota Italia conceptam opinionem, diſſimulatione miniſtri confirmatam. Proin depellendæ ignominiæ conſuluerat, vt inchoatum Italiæ incendium remedij feſtinatione reſtingueret. Quod ſi enim beneficio temporis vel fortuna permittatur, non omne bellum Sabaudij futurum; ſed coactis auxilijs ac fœderibus, gentes liberas inter Alpes, ac potentiores Principes claſſicum ſecuturos. Ad hæc exarſiſſe Inoyoſa Mediolani dicebatur; & ſacramento aſſeueraſſe (quod illi moris quoties fidem requireret) non impunè audaciam armorum Sabaudio futuram; quinimo acri conatu, & experimento cui contradici non poſſit, Hiſpani Regis ac ſuam integritatem teſtatum. Illico fertur ſpecimen aliquod conſtantiæ dediſſe, conclamato in Sabaudium bello, niſi ille in Mantuanum iniuriis temperaſſet. Nec amplius quàm ſex dierum inducias ſolummodo Pedemontano Principi conceſſiſſe. Id tam fruſtra fuerat, quàm iactauerat: cum nemini cordato ignotum eſſet, ne in alterum quidem menſem Hiſpanas copias expeditioni paratas eſſe potuiſſe. Quæcunque ea ſpecies fuit, Sabaudij cum Hiſpano Rege communicati conſilij ſuſpicionem dempſit: & diſceſſus Mediolano Principis Pedemontani, falſas vmbras animis ſuſpectantium diſcuſſit: quaſi interrupta tractatio, & fraus procul eſſet.

His ægrè compoſitis Nuncius Taurinum profectus fuerat, grauíque oratione Sabaudium pietatis ac publicæ pacis admonuerat: reſtitutionem locorum nullis contra conditionibus (vt rerum per vim occupatarum) conſuluerat; ſuaſerat exauctorari militem; reuerentiam Pontificiam ac Regiam præferri: contentum ſpecioſis victorijs eſſe poſſe; iniuriam, ſi quam accepiſſet, magnâ vindictâ expleuiſſe; denique Chriſtiani orbis Principum amorem eâ moderatione comparare, quaſi pacem nemini inuiſam arbitrio concederet, poſſéntque illi vniuerſi pulchrum beneficium imputare: decorum cauſæ illius eſſe; ſi tot orantium auctoritate nullis impendentibus armis, vinci ſe pateretur. Et quamquam ille Hiſpanorum afforc ſibi conſcientiam teſtatus diceretur, quos crederet bonis iuribus ſuis æquos; & cauſæ iuſtitiam præferre; nec defutura externorum Principum auxilia fateretur, quæ contra nixis opponeret; ignominioſum ſibi tamen ante alia & familiæ graue videri poſſe dixit, ſi antiqua & vel Cæſaribus erubeſcenda iura ſua ſuper Monferrato reieciſſet: id ſe ſcripto complexurum; vt quibus rationibus niteretur, vniuerſis & Pontifici in primis notum eſſet. Summa congreſſus illius fuerat; inhibere Sabaudium ad tempus arma; dum Mantuani ac qui pro eo eſſent; idem vellent; & ceſſurum illum in Pontificis manu Caſtella; quæ ille donec ius vtrinque decerneretur apud ſe depoſiti nomine haberet. Abnuerat eam ſpeciem Nuncius; nec concordiam niſi liberè redditis quæ vis ademerat, admiſerat: tantùm chirographo teſtatus agitata ea non ſemel, neque tamen tranſacta. Hinc Mediolanum ad Inoyoſam delatus, cum pleraque in ſummam pacis tractauiſſet, quibus ſubſidijs Sabaudius, quo calore vteretur Regi Hiſpano perſcribi noluit; ne ſi vera forent quæ fama vulgauerat, contemptu valeſcerent; aut falſa inani ſpecie imponerent. Tandem Mantuam profectus

Digitized by Google

multa lamentantem Ducem, & Deum hominúmque fidem conteſtantem, Pontificis, Imperatoris, ac Hiſpani iudicio cædere coëgit, in eius commoda, labores, impenſas, ac ſtudium omne impendi docens. Sic Inoyoſa annuente & Mantuanum auctoritate retinuit; & indignatum Sabaudium (quod ipſius ea ratio non haberetur, quam ius fáſque requirerent) reſtitutioni annuere perſuaſit. Rebúſque ex voto at multo cum honore patratis, vix vllâ noui motus ſuſpicione reliqua, ad ſuos remeauit. Creditus tamen à quibuſdam fuerat, initio miſſionis Sabaudio pronior; & Mantuano iniquior negotiationem illam aggreſſus fuiſſe. Nec aſſerere auſim, certiora illum alienationis quàm caritatis inditia prompſiſſe. Sed vulgi licentia, & rumor Aulæ premenda non fuerant; vt coniecturarum robore, quiſque falſa ſeu vera, æſtimatione ſingulorum iudicaret. Quippe Regia Sabaudij munificentia, & aduerſus exteros humanitas, legatóſque facilitas; non rarò quod in illo vera virtus erat, apud alios perfidiæ ſuſpicionem facit. Conſediſſe bellum verſa in ſecuritatem formidine; & quietem nullis extrinſecus aduerſis manere, qui Mantuani fortunâ exerciti fuerant, credebant: officium in Cæſarem ac Hiſpanum Regem ſupererat; quorum arbitrio veterem dominationem Mantuanus receperat. Claudius Gonzaga ſupra cum honore dictus addito nobilium virorum comitatu ad Cæſarem Orator miſſus eſt; vt plus dignitatis legationi eſſet. Conſanguinitas vetuſtior, recentiorq; & obnoxij beneficijs Gonzagi; tot gratijs cumulati, tot honoribus ab Auſtriacis Cæſaribus aucti; Maximiliano & Carolo Imperatoribus (vt viciniora manerent animum aduerterentq;) reddita gratitudo; miſſa à Gulielmo Duce, non ſemel ad bellum Pannonicum pecunia, patris Vincentij militia ter eo in regno expleta; denique proprium ſupremi dominij patrocinium memorata: ne Imperator antiqua merita ſua, nouo neglectu corrumperet; aut apud conſanguineum ingratitudinem argueret. Nec minùs quo honore apud Amitam, Neptis infans relicta haberetur expoſitum; fideſq; duraturæ caritatis data. Hinc in rapinas, inuaſiones, cædes, incendia Sabaudio bello accepta Claudius inuectus eſt; quæ Dominus ac ſubditi damna acce-piſſent, executus: farciri iacturam, & quod aduerſum ius admiſſum ſit, lui debere, conteſtatus. Eadem apud Mantuani conſobrinam Imperatricem, ac proceres acri oratione diſſeruit. Iam enim officijs præuentam Cæſaris gratiam à Sabaudij amicis audierat; & Iſabellam Belgij Dominam conſtanti aduerſus Nepotes caritate, fraternas preces præmiſiſſe. Partem ſe quoque interceſſionis Inoyoſam feciſſe acceperat; ne quo argumento Mantuanus eâ in Curiâ præferretur; vtque calamo ac voce, non Cæſaris, non Regis, non miniſtrorum honori peperciſſe ſciretur. Caſtilionæi vmbræ penetrauerant; cuius fidem in dubium vocari, Imperatoria maieſtas, & vinculum ſanguinis prohibere poſſe videbantur.

Poſtremò oblata munera; vt nulli in futura vſui, ſic veteris inſtituti; quo pauperiores inferioréſque, ditioribus maioribúſque conferant. Honeſtam Mantuani cauſam viſam in Aulâ fuiſſe Pragâ miſſæ literæ dicebant: & quandoquidem Regis Hiſpani armis cœpti motus reſediſſent, continuandam eandem fidem; & apud illum commune Cæſari arbitrium futurum. Iuri quidem Mantuani Ducis non diffidere; ſed quibus hactenus diſſentierit, depoſitis ab vtroque armis eam Maieſtatem æſtimaturam; quam pænes non conſanguinitati, non amicitiæ, ſed æquo tantùm locus ſit: ſecreta etiam à Cæſare mandata accepiſſe Claudium, quæ Mantuano exponeret, didicimus: nempe ne ſuſpicionum inanibus Hiſpanos alienaret; ne Gallos in ſuam tutelam Italiæ induceret; ne in ſummam concordiæ aſperitate vteretur; ne plus Venetis quàm Cæſari crederet; ne licentia ſcribendi ac loquendi compoſita turbaret. Id enim præcipuè agitatum; nec alia conſilij cauſa fuiſſe dicta. Hæc præcepta Pragâ Claudius detulit, eò acrior ſingulo-

rum

rum executor, quò cùm priuatus ageret, eadem magis probauerat. Sed & Venetis grates à Mantuano actæ ſunt, præteriti officij recordatione, & ſpe futuri: quòd certa illorum amicitia, & nullâ vtilitate lactata crederetur. Miſſus quoque Mediolanum, qui Inoyoſam eodem officio coleret. Diſſimulare ſe iniurias Mantuanus dicebat; ne ille falſus in amore deprehenſus, cupidine vindictæ nouas iniurias cumularet. Nec Aſculanus omiſſus eſt, quem crediderat non temnendam partem Sabaudij. Eum certè recens adminiſtratio, & ſolitus homini faſtus in multam maieſtatem extulerant, vt plurimum de Mantuano demeruiſſe videretur.

Niuernienſem in vrbem euntem, omni officij & comitatis oſtentatione proſecutus eſt. Maior Hiſpani cura ſupererat, quo adiutore ac vindice, dubio procul Sabaudius reſtitutioni oppidorum conſenſerat. Nec conſanguinitate, nec nobilitate in Aulâ Ioanne Octauio Gonzagâ Octauij equitatus Belgici pro Hiſpanis ductoris filio, maiorem Mantuanus habebat, qui tantæ legationis munere fungeretur: cum inſuper intra Ducis penates enutritus certam fidem, & generis commendatione Regis affectum promittere videretur. Hunc mitti placuit. Non doli, non ſuſpicionum, non odij capax natura Regis erat; eoq; falſas relationes eluere facilè Ioanni Octauio fuit; cum etiam Mantuani Ducis conditio neceſſitatem obſequij oſtenderet. Antequam itineri accingeretur, ſecretus quidam explorator (modeſtia vetat ne nomine deſignem) Ferrarienſem Mantuani Amitam conuenit; & quid legatio illa ſecum ferat admonuit. Mitti quidem Oratorem accepti beneficij & obſtricti ânimi teſtimonio debuiſſe; ſed à Duce iuſſum nuptias apud Regem cum Infante Viduâ omni nixu promouêre. Grauiori curâ fœmina confici non poterat: adeo intus Viduam; & ſanctiſſimos mores ſecus interpretata auerſabatur. Vocatum ergo Ioannem Octauium ſciſcitata eſt, an nuptias cum Viduâ tractaturus in eam legationem mitteretur: & cum incerta, nec ſtudio ſecreti ſatis expedita reſponderet; quaſi deprehenſa; & artibus circumuenta foret, orauit, vt eâ negotiatione abſtineret. Mantuanum Nepotem rerum inſcitiâ, & inconſultâ deliberatione procurrere; ſalutaria Comitis Chieppij & commilitonum conſilia auerſatum. Dediſſe Sabaudios veri affectus indicium, non hoſtilia ſolùm exercendo; ſed vt cæteri eadem actitarent procurando. Addidit promiſſa vltra vires, ſi ſtudio reſcidiſſet tractationem; & quamcunque licet minimam abnuendi occaſionem captauiſſet. Neque tamen à Ioanne Octauio aliud elicere potuit, quàm ſe in eâ domo eductum, à quâ cum honore ad Hiſpanum mitteretur. Debitam Duci ſuo fidem, toto æuo ſeruaturum; nec vel latum vnguem præcepta quæ accepiſſet exceſſurum. Vt rerum exitus poſtmodum docuit, ſic tum non defuêre, qui nobilis domus Gonzagæ Ferrarienſem Medæam appellarent. Prauis enim conſultis, & infenſo in Sabaudios animo, dum ſuæ cupidini famulatur, propriæ domus incolumitatem imminuit; & ſecum præcipitem traxit. Iam verò quamquàm conſona voluntati Ducis Ioannes Octauius ferre iuberetur, viri nihilominus à ſecreto conſilio ſeorſim formare epiſtolam coacti, quæ Mantuani nomine deferretur. Grauiter Comes Chieppius nullâ matrimonij cum Viduâ mentione complexus argumentum eſt: proximè Ibertus, & Magnus. Ille humiliter & demiſſe, obſequio Regio ſuetus; hic ex dignitate, & liberè perſcripſit. Nullius epiſtola adeò ſatisfecit, quin parte aliquâ non diſpliceret.

Io. Octauius Gonzaga pro Mantuano Orator ad Hiſpanum.

Ad extremum Mantuanus petito calamo (vt erat in hoc genus procliuior) ferruminatis diuerſis miniſtrorum ſententijs, literas vnam intra horam formauit; & nouo iudicio ſuorum correxit. Tales erant. Receptum Monferratum (quod imparato ſibi vetus hoſtis abſtulerat) donum ſe Regium fateri. Eius porrò Maieſtatis apud ſe æternam reuerentiam futuram, quæ Sabaudium alieno creſcere prohibuerit. Cæterùm nec oppidorum arma, quæ ante bellum in municipijs fuerant, reperta; & vim pecuniæ ingentem ab incolis expreſſam, vaſtatum

agrum, diruta & exciſa ſpecioſiſſima. Villarum; & (quod maximè communem omnium fortunam vellit) protectos rebelles; ac in præſentem accuratiori ſtudio foueri. Hos in tanto calore, & aſyli ſecuritate, prodito ſemel honore, nil quietis habituros; tracturos integros; & intus itæ ſui Domini impares alienis viribus inſultaturos: Proinde dexteram illam venerari quam tutricem ſtatus ſui, non ſemel expertus ſit; ſed & arbitrum rerum Europa omnis agnoſcat; ne rapinas, incendia, prædationes, ſacrilegia inulta velit; ſed nobili conſtantiâ amicis & inimicis, quantum apud ſe virtuti ſperandum ſit, qui ne aliena quidem flagitia tolerare velit, pariter approbet. Eam demum veram ac duraturam dominationem fore, quæ ſubditorum inferiorúmque Principum reuerentiam amorémque conciliet. Iam Auſtriacam domum per orbem terrarum, potentiâ & multitudine regnorum, non noua, ſed & antiqua imperia ſupergreſſam: ſciri prudentiam, pietatem, in omnes fidem: raros eſſe tantæ gloriæ obtrectatores, & eos inuidiâ, non odio tranſuerſos agi. Hos quoque docendos quam honeſtis conſilijs duceretur; & pacem Italiæ, non tyrannidem ſpectaret. Si cuiuis validiori in minores & impares licentia opprimendi concedatur, profecturos ſuſpectos potentiâ, quæ turbatione præſentis æquitatis Mediolanenſem, & Neapolitanum regnum quoque ſit turbatura. Gallos, quorum opibus ſuſtentatus, ac tutelæ ſpeciem præterito motu prætulerit, impetu, & Niuernienſis Ducis Patrui ſui ſtudio procurriſſe. Et quamquam à Reginâ ſubſidium orauerit, non tamen onerari exteris Monſerratum; ſed tantùm extrema Sabaudiæ campi, diſtrahique hoſtiles vires cupiuiſſe. Intaminatam fidem, & certum obſequij animum, vel eo documento apparuiſſe, quòd cum protectionem in bello quæſierit; ne liberum quidem connubij ius ſibi in pace reſeruauerit. Excipi nunc ſolummodo Infantem Margaritam viduam cupere, quam non natalibus & magnis virtutibus ſuis inuiſam haberet; ſed fraternum matrimonium horreſcere. Neque hoſti Sabaudio neceſſitudine eâ necti cupere; quæ nec præteritas ſimultates obliteret; nec futuræ pacis ſecuritatem importet. Cupiuiſſe cum res integræ, & amicitiæ ſpecies intercederet; nunc detectam inimicitiam obeſſe; nec inter tot offenſas veram caritatem poſſe coaleſcere. In eo ſtare conſilia ſua, vt obſequij certitudinem teſtetur, cuicunque nupturum; cui ea maieſtas voto annuiſſet. Supereſſe Infantem Neptim, quam Cæſareo imperio in tutelam receptam, nec contemnere poſſit, nec dimittere; intra penates proprios auiæ caritate nutriendam. Nec quæ prouinciarum hæres & Domina circumferatur, procul à ſuis ac ſuo agere debere. Proinde obnixè orare, ne Mediolani Gubernatorem importuna id flagitione à ſe requirere permitteret; nec alienis precibus eâ causâ locum vellet, vbi ſtabilem auerſionem Imperatoris placito præferre cogeretur. Populorum ſanè curam Principi habendam; quorum quæſtibus obturbatum ſe (ne minis dixerit) cupidini Regiæ parere prohibeatur. Denique obnixè poſcere, ne quam tutelam rerum ſuarum ſponte receperit, miniſtrorum per Italiam præuaricatione imminui patiatur. Habere de quo quæratur, quæ accuſet; futuram fidem præterita poſſe corrigere. Nec Inoyoſam nec Aſculanum nominauit, prohibitus à ſecretarijs; & quia diuerſa profeſſus ante, miſſâ gratiarum actione fuerat. Imo ne obliquè quidem inſectari miniſtros iidem perſuaſerant, ſed Mantuanus audiendi & obtemperandi impatiens vt ſeſe tueretur, habere quæ accuſaret oſtendit. Ad hæc Rex ſatis amicè: neque turbatum ſe ſuſpicionibus, nec defuturum neceſſitati; & non niſi decorum generi, profecturumq; matrimonium laudaturum. Quod rapinas, peculatum, arma, rebelles ſpectat, Gubernatori Inoyoſæ daturum quæ exequi velit mandata.

Princeps Pedemontanus in Aulâ Hiſpanâ.

Receptus in Aulam tum Princeps Pedemontanus fuerat, dies aliquot neglectu ſui tolerato, præter opinionem procerum, quibus iuuenis magnitudo, ac deſpectus

Digitized by Google

ctus ſupercilium contraxerat: detulerátque parentis preces, & iura ina magno nixu expoſuerat. Neque tamen aut veterem, diúque ſeruatam aui ſententiam, vlla in parte reſcindere voluit; aut quamquam officio præuentus, minus ſe co- mem Oratori Mantuano præbuit: raro haud dubiè regiæ integritatis exemplo: cum ferè domeſticæ neceſſitudines ac vtilitates iuſto æquoq; depugnent. Etiam innatę virtuti ſtimulos detractio addiderat, quaſi mutuam Sabaudij & Mantuani contentionem ſuis commodis adaptare meditatus foret. Id enim ante alia Regio animo auerſatus fuerat,ſui profuſus, quanto magis alieni auarus. Sciri per Italiam & Germaniam voluerat, quod praua diuidendi Monferrati conſilia reieciſſet;grauíque epiſtola,miniſtrum ac conſultorem dedecotis ſui (ſic appellauerat) obiurgauerit.Equidem Pedemontanus paterno iuri ſuffragium, non alienas iniurias popoſcerat:nec alia à parente mandata, quæ Regi exponeret acceperat, quàm quæ ſcripto vulgauerat, & plures annos irritè apud Cæſarem expertus fuerat. Non aliud validius argumentum Mantuano ſuffragabatur, quàm bono cum titulo in octogeſimum & amplius annum tracta poſſeſſio, & Cæſareæ ſententiæ voto permiſſa; cum cæteroquin fortes Sabaudij rationes, & etubeſcendum Caroli Quinti decretum dicerentur. Cœptam olim tum denuo teſumptam matrimonij negotiationem cum Infante Margarita vidua, Mantuani defuncti coniuge,accepimus: licet Ioannes Octauius Gonzaga, mutatum Mantuani animum in Aulam detuliſſet:neque tamen abſoluta eſt, innumerabilibus prætexibus ac difficultatibus implicata, in quamcunque formam verteretur. Sibi quippe Sabaudius creditíſque iuribus ſatisfieri; Mantuanus nil illum iurium habere, & detractam ſuis ſubditis pecuniam, damnáque oppidorum ac vaſtati agri ſarciri poſcebat: eo acrius nixi vtrique; quod hic poſſeſſione & indubitatæ tutelæ prætextu efferretur; ille paratæ eorum quæ reddiderat recuperationi; & pietati conſanguinei Regis;ſimul Inoyoſæ procerúmque Aulæ (quos apertè non futuros hoſtes credebat)officiis fideret.

Ante alia bonâ ſpe exultantem nutriuerat Iſabella Bellica Regis ſoror prætetu iuſtitiæ indefeſsâ apud Regem prece vſa;ne proiectos nepotes,aut conſanguinei Ducis caritatem neglectam vellet; potentiámque ſecuriorem apud affinem quàm externum crederet. Sed illi amore ſuorum, Rex opinione æquitatis vtebatur. Neque deerat Pontifex conſilio & auctoritate monere, ſaluis vtrinque Ducis iuribus vi abſtinendum, cauſâque agendum eſſe. Actum de generis humani communione,oppreſſas leges, laceram iuſtitiam, ſi vnicuique vim vſupare, & potentiâ minorem opprimere liceret.Neque Iſabella in dilectionem nepotum effuſa,quæ pro Mantuano dicebantur damnare poterat; quamquam frequentiori Sabaudiorum mentione offenderet, quod omnino deſiderabat, etiam bono iure requirere.

Non hactenus vlla Principum controuerſia,plurib. hinc inde ſuffragiis agitata eſt,nec peruicacius diſputata. Hæc in Aula. Mediolani Inoyoſa poſtquàm agi ſibi gratias à Mantuano; & tum vel neſcîri vel ſimulati cunctationem ſuam; abolitáſque quibus petitus fuerat querelas vidit, publicæ fidei & obſequij victor quomodo negligentiam apud ſuum Regem accuſatam dilueret, ſecum ipſe meditari aggreſſus eſt:nec aliud reperit, quàm ſi militiæ numerum pompoſa oſtentatione cenſendo, ſpeciem accurati daret;abductúmq; Mediolani ditione in Monferratum,parati ſubſidij modo induceret. Neque enim ignotum viro erat, prouincias per Italiam,quæ Hiſpani iuris eſſent, hoſpitalitatem legionum auerſatas,& intolerabilibus oneribus delaſſatas, in Aulam querelas miſiſſe, eam moleſtiam & expenſam deprecantes; & non ſemel eorum beneficio vti iuſſum, cuius cauſâ deſcriptę fuerant.Mantuano etiam Duci conducere plurib. argumentis perſuadere conatus eſt: nec enim deſtiterat ſuſpiciones coram Principe Vincentio ac Ru-

beo referre ; inculcatoq; nouæ irruptionis metu, ad requirendum importunè auxilium incitare. Quo plures centuriæ numerarentur, eo fortius violentiam hoſtis reprimi dicebat. Prouinciales cohortes ab illo rideri, Regias verò formidari. Itaque Iulij menſis die altera vocatos duſtores copiarum, milites omnes citari, & in cenſum prodire imperauit. Haud procul Villa noua, qua lateri Vercelleſis via porrigitur, coacti. Tres Tertij (ſic vocant) Hiſpanorum, quartus Italorum erat: ſecuta quatuor Heluetiorum millia; & duorum millium equitatus: addendæ maieſtatis quingentos equites iunxit Rubeus, è Mantuanis & Monferratenſibus mixtus numerus; & patenti campo omnes conſtitêre. Vix duodecim hominum millia erant, (ſi tamen Centuriæ & Tertij infrequentia non laborabant) licet in terrorem hoſtilem multitudo augeretur. Aderat Inoyoſa vires regias faſtu efferens; & vt Vincentio Principi blandiretur, intempeſtiua libertate in Sabaudium inuectus, turbatorem pacis, ſeditioſum, & minus debito magnitudini regiæ deferentem, increpando. Dicebat niſi obſequio & obedientia (nomina hæc Sabaudio inuiſa ſciebat) potentioris iram molliuiſſet, Pedemontanam omnem illis cum copiis deſolaturum, & trans Alpes turbidum hominem fugaturum. Quaſi cum paupere, inermi, & degenere res eſſet, non cum Principe, cuius arbitrio ferè retinere Hiſpanos in Mediolanenſibus quæ habuerant, liceret.

Cenſus militia Hiſp.

Itaque cum ingenium Ducis inquietum; nec dicto aut facto illius fidem deberi diceret, eam ſe militiam ſub ſignis habere velle profeſſus eſt, qua repentinæ inuaſioni occurreret, & ſui metum à contemnente exprimeret. Audaciâ procurriſſe, & temerè magnum Principem arbitrio ſuo ac pœnę deſtinaſſe, vel apud Vincentium prudentiâ ſupra annos prouectum viſus eſt: qui apud Nizam experimento didicerat, auſum Sabaudium aciem Hiſpanis oſtendere ; & ſuccedentes diſpoſitis ad bellum ordinibus prouocare. Prorſus tamen ſentire viſus eſt, quæ iactauerat, tanta vi ſingula proſecutus, & ea concitatione vocis animíque, vt ſerio iratum & executurum crederes. Colorem opinioni incertus rumor fecerat, quòd de Inoyoſa queſtus Sabaudius diceretur: tamquam nonnulla promiſiſſet, quæ exequi vix poſſet. Et nos in ſequentibus detectam in illum Sabaudij indignationem certis argumentis referemus. Quocunque ea militia fuit, à Sabaudio tamquam inualida negligi non poterat : & Vincentius ipſe laudare conſilium Inoyoſæ, circumſtantium conſenſu coactus eſt ; quamuis ſimulationum neſcius non eſſet : aut quorſum inſolitæ blanditiæ ſpectarent incallidus. Vim enim omnem peditatus equitatuſq; Monferrati hoſpitalitate nutriri voluerat.

Et omnibus Monferrati pro hoſpitio datum,

Proinde cum ſuis Gambaloita inter Caſalenſes & Moncaluium ; cætera multitudo trans Padum locata eſt: numerus prouincia maior, eoq; deductus creditus, non vt protegerèt potius, quàm vt perderet abſumeretq;. Quod Pedemontano agro, hoſtili credito abſtinuerit, non tam in eum Ducem reuerentia, quàm in Mantuanum indignatio credita; quem non ſemel læſum habere odio dicebatur, tamquam iniurię memorem, & vindictam meditantem. Paulo poſt equites cataphracti Mediolanenſes, finibus Monferrati excesſêre, querela & popularium clamoribus depulſi ; viſiq; eam ſpeciem intuentibus, imminuto hoſpitum numero, populares alleuati ; niſi Hieronimus de Roo, abeuntium vice, eoſdem ciues magno peditatu oneraſſet, Balzolámque oppidum delegiſſet. Ab his cæteríſque inter amicos quod vnquam ſæuitiæ, libidinis, rapinarum contra hoſtes vſurpatur, exercitum. Militi alimenta, pecunia, veſtis; equis pabulum imperata. Nec accipere ſe credebant, niſi raperent damno communi ciuium, nulla propria vtilitate. Tum audiri queſtus cœpti miſerrimorum incolarum; & paganorum gemitibus execrationibúſque ſuam inopiam lamentantium modò apud Rubeum, modò per literas cum Mantuano; onerantes conuiciis præfectos, quorum conniuentia tantum cladis, poſt exactum (vt dicebant) Sabaudium accepiſſent. Non defuêre qui apud

Hiſpa-

Hiſpanos ductores facti inuidiam eorum exaggerarent : quam eam ſpeciem formámque protectionis eſſe ſi miſerius ab amicis quàm hoſtibus lacerentur? Neque enim id Regis imperium credi poſſe ; ſed intemperantiam militarem eſſe, bello deteriorem. Egregiam atcentium Sabaudium (ne diripiat ſpoliátve ſubditos) gloriam; eam ſectantium populationem, quam vindicaturi aduenißent. Bellum certè aut pacem eſſe: Illo vrgendos in Pedemontis viſcera exercitus, & reddendas miſeriarum vices fuiſſe. Hac bellatoribus opus non eſſe; & multo minus liguritoribus opum prouinciæ, ſed ſolitam Mediolanenſi Ducatui militiam, in loca ſtationibus ſolita reducendam.

Monferratenſium querela de Hiſpanis.

Hæc & ſimilia ab iis accumulabantur, quorum intererat, nec in abdito dolores habebantur. Sed Inoyoſa conſilij ſecurus, & populorum ærumnis nutrire ſuum militem cupiens, eas querelas intrepidus excipiebat. Plerique enim nobilium bona ſua militari ganea ac laſciuia mergi retulerant; nec eius hoſpitalitatis apud lacerantes vllam gratiam fore. Sed quia iam manifeſtior, & concitatior gemitus erat, quàm vt non reſponderetur, eoſdem quos ante iactauerat prætextus, & cogitationum abdita ſectatus; nec ſecuritatem ſine milite ; nec militem ſine alimentis, & hoſpitio haberi poſſe fatebatur. Cogitate Monferratenſes debuiſſe, alienigenas in ſubſidium accitos, niſi eo ſubſidio ſuſtentari potuiſſe ; & electum bello Monferratum, vt è propinquo hoſtis magis paueſceret; eorum verò caritate amici iuuarentur, qui proprio ſanguine illorum omnia tutaturi aduenißent. Quo tamen minori cum lamentatione apud Regem prouinciæ laceratio vulgaretur, (parari enim Oratorem didicerat, qui Regem oraret, vt ſeruire potius Sabaudio liceret, quàm in ea ſeruili libertate calcari) & vt modeſtius imperium ſuum crederetur, breuis moræ ſpem obtulit; dum ex Hiſpania quorſum exercitus omnis flectendus eſſet ; & agendorum certior ratio perſcriberetur, acciperet. Id dolo factum quidam crediderunt; vt Mantuanum ſpe elatum circumueniret. Adeo cum Sabaudium exuiſſe videretur, Mantuanum non induerat. Plura Mantuani adminiſtris aggregantibus hactenus reſpondit ; ne ſe eius memoriâ interpellarent; quam ſemel conſenſu ſtatuiſſent. Gratificari oppreßione Mantuani Sabaudio voluiſſe creditus eſt ; eámque in futurum reconciliationis occaſionem quæſiuiſſe: ſed grauius Ducem læſerat, quàm vt commodis non ſuis placaretur, quod poſtmodum didicimus. Naturæ certè Sabaudij neſcius, ſecuta qualicumque ſatisfactione præteritas iniurias aboleri poſſe crediderat ; cum tamen apud Principes earum memoria, miſſa licet vindictę cupidine, cum vitâ duret. Cum adhuc reſtitutionis oppidorum forma verſaretur, Inoyoſa compoſiti motus gloriam magno nixu quærens, ne Caſtilionæus aut Nuncius Pontificius eo officio prævalerent, conſtanti Sabaudio, nihil in ſummam pacis, niſi data ſibi ſufficienti ſatisfactione agere, quamquam Caſtilionæus nec relictam infantem matri ceſſurus foret, nec damnorum quæ Mantuanus per Monferratum acceperat remißionem probaret, & in rebelles acribus ſententiis inueheretur, Comite Criuello ac Præſidenti Viualdo deſideria ſui Domini vrgentibus, in id ſecuritatis ac fiduciæ alieni arbitrij proceßit; vt quæ niſi precibus & officij nomine à Mantuano Hiſpanus Rex eſſet petiturus, ſponte ac eo neſcio promitteret. Tria Sabaudius popoſcerat, niſi annueretur duraturum bellum comminatus : Infantem neptim relictæ viduæ matri in ſolatium concedi: idq; & pietate & iure proſequebatur: ſæuitiam appellabat, quod Matri miſerrimę amiſſi coniugis ac filij luctu confuſę, vnicum id ſubſidium adimeretur. Falſo metu exterritum Mantuanum : nam ſiue apud ſuos puella, ſiue apud auum egiſſet, Hiſpano Rege patruo tutelam habituro, lege actum coram Cæſare ; qui præſumptam parentis hæreditatem legitimo ſucceſſori, nulla tergiuerſatione eſſet redditurus. Poſſe interim ſumptam aut extortam Imperatori tutelam patruum exercere, & vbi coniugio matura foret, conſilium ſtatu-

Inoyoſa negligit.

Inoyoſa promittit Sabaudio quæ Mantuanus nolebat concedere.

Sabaudij poſtulata.

rum. Sed quia non vno turbatæ pacis exemplo docti mortales ſunt, eam demum ſolidam ac duraturam concordiam poſt arma ſequi, vbi præteritarum iniuriarum, & damnorum obliuio ſequeretur. Secundo loco Sabaudius requirebat, de rapinis, exactionibus, incendiis, & quæ bellum ſequuntur, nullam in poſterum rationem haberi. Poſtremò indubitatè perſcripſerat iis à Mantuano deſciſcionem condonandam, qui à Monferratenſib. Sabaudio ſeruiuiſſent; nec in diſcuſſionem retrahendum iuréne an iniuria egiſſent: neque enim amicos tum maximè deſeri debere, vbi de illorum fortunis, & Sabaudij honore diſputatur. Nec id perfunctoriè, & quaſi moderationem reciperet tractatum; ſed vt certum, & quod omnino admittendum à Mantuano foret. Certa Sabaudij mens, & paratus animus expoſitus, vniuerſa potius nouo diſcrimine in caſum dare, quàm bene meritos amicos extrema in neceſſitate deſtituere.

Hæc Criuelli & Viualdi ſui Ducis nomine ſententia fuit; non tamquam accepturi, ſed veluti reſtitutione locorum, beneficium Mantuano collaturi. Nemini dubium erat pleraque eorum Mantuanum rejicere non potuiſſe, niſi totius ditionis excidio prçualere in animo habuiſſet. Et an præualiturus foret Hiſpanis armis, ex iis erat de quo ſapientes dubitabant. Quanquam frangi Sabaudium, non niſi auerſo Monferrato poſſe, apud omnes pro comperto haberetur. Inoyoſa quæ requirebantur in vili habens, quod Mantuani placita voluntati ſuæ ceſſura crederet; data fide ſpopondit; futuram matris auíque infantem; non direptionum, non incendiorum, non exactionum futuram mentionem; non rebelles eâ cauſâ iudicium capitis ſubituros. Et quo plus ſecuritatis promiſſioni eſſet, ſacramento dato regiam fidem oppignorauit: pridem enim Regis animo eam ſententiam inſediſſe, & iis beneficiis obſtrictum Mantuanum, vt abnuere non poſſet. Nouerat Dux antequam Criuellum mitteret lubricam in bello fidem, quoties ardua requirerentur; peti proinde chirographum promiſſi ab Inoyoſa noluit; & tamquam à non leuiter indignato expreſſit. Prudenter dubitaſſe Sabaudium exitus docuit, ſtatim enim inducta promiſſorum ab Inoyoſa pœnitentia, & verborum interpretatio quæſita, ne promiſſis ſtare cogeretur. Duriorem in vota ſua Mantuanum expertus eſt; & pleraque eorum quæ requirebantur vix Regem magnitudine ſua requirere. Porrò vbi Sabaudio à Legatis perſcriptum eſt, annuiſſe deſideriis Hiſpanum, nec ſupereſſe quod cupitam pacem moreretur, oppidorum reſtitutioni conſenſerat. Multo cum honore ſuo tractaſſe arma videbatur, & debitæ ſibi vindictæ abundè ſatisfeciſſe. Exiſtimationis quoque grande momentum erat, quod Mantuanum ſtrauiſſet, Regis copias ſpreuiſſet, cædibus, incendiis, direptione, hoſtem correxiſſet, monuiſsétque magno ſuo malo ſapere, & potiori ſatisfacere. Cæterùm negata à Mantuano Neptis, & retenta aduerſus rebelles Monferratenſes indignatio; ſimul damna prouinciæ illata eadem conſtantiâ repetita; vt nouas turbas exciuerint in ſequentibus trademus.

Ardente bello ac ſuſpicionibus Monferrato Dux Mantuæ agebat, amœnitatibus vrbis & adiacentium locorum vſus; vbi illum reſtitutorum oppidorum nuncius deprehendit. Æſtiuis calorib. arcendis veteri domus ſuæ ſuburbano vtebtur, cui vocabulum Portus eſt. Iſabella Eſtenſis Federici I. Ducis mater extruxerat. Vincentius Dux coëmpto vicino agro, ruſticam ſed venuſtam villam impoſuerat. In hanc Mantuanus intendit, accitóque Machinatore Romano, demoliri ruſticum opus iuſſit, mox ingentis fabricæ fundamenta iecit. Multa amici accuſabant, vt iuuenem eâ expenſa abſtraherent; inopiam pecuniæ, querelas ſuorum, æs alienum, tempus ipſum: ſed apud procurrentem deſideriis valuit deſtinatio, vt inchoata moles produceretur; in quam vis auri ingens nulla neceſſitate erogaretur. Nos poſt profligata aureorum centum millia, rudi adhuc fermè opere, & multo plura ad expletam ſtructuram requirente omiſſam tædio, aut aliâ cauſâ, fabricam vi-

eam vidimus; quamuis in annos plures tracta expenſa, & non ſemel mutata forma loco fuerit. Montatam pater appellauerat, Fauoritam poſtmodum dici placuit. Iam verò à Mantuano auerſi animi plura documenta Inoyoſa dederat, quàm vt addendæ certitudini nouis opus eſſet. Quod tamen ſubjiciemus indignationis certam fidem adſtruebat, & vim in Principem teſtabatur. Auſus enim in dubio agentem Regem, an quædam à Mantuano requireret, monere, vt reluctantem Ducem certo curſore iuberet, vniuerſa Sabaudio concedere, quæ poſcebantur. Nec id perfunctoriè; ſed vt Pontifex eadem ſcriberet, Nuncius exponeret, Veneti ipſi perſuaderent, non alienam, ſed ſuam cauſam agere viſus eſt: licet certum eſſet, ſuffecturum Sabaudium fuiſſe, ijs quæ noluerat obtinendis, ſi concordia non licuiſſet, ſaltem bello. Nemo procerum Aulæ omiſſus eſt, cui eadem res non probaretur, oraretúrque ſedulo apud Regem & Conſiliarios id promouere. Rex tamen adhuc cum aliqua commendaret, alia auerſabatur, in aliquibus cunctabatur.

Villa fauorita.

Inoyoſa pro Sabaudio apud Regem nititur quæ promiſerat.

Quâ in Comitem Sangeorgium ſeueritate Ducalis Monferrati fiſcus, iactatæ deſciſcionis flagitium vltus fuerat; eâdem in eiuſdem flagitij inquiſitos vtebatur, ſiue profectum ex legum neglectu ſectaretur; ſiue in minores facilior animaduerſio videretur. Et quidem plurimi accuſabantur externam fidem prætuliſſe, & violatâ ſacramenti reuerentiâ, hoſtilia Patriæ arma intuliſſe. Præter infimum vulgus, cui nulla iuris & honeſti æſtimatione, quæſtuoſa ſeditio grata eſt, Filibertus Gerardus Scaglia Verruæ Comes, cum Auguſto Manfredo Caluſij Marchione filio; Franciſcus Amadæus Fallettus Melazij dominus; Alphonſus Buſca Comes Nouilìæ, Franciſcus Spinola Marchio Garreſij, Franciſcus Boëttus Comes Cunici, cum Antonio Maria filio, magnis inquiſitionibus exercebantur. Cæterorum minori nomine nullo ferè Sabaudium cura diſtrahebat; ſed nobiles viros & miniſterio ſuo indiuiduos vexari impatienter ferebat. Dedit itaque ad Inoyoſam literas, quibus fruſtra concordiam & tractationem plenæ pacis fore teſtabatur; niſi publicis ac priuatis de rebellione querelis Mantuanus abſtinuiſſet. Non illos ſed ſe infeſtis quæſtionibus exerceri; nec ſine dedecore ſuo, ſpectare poſſe ſuorum ſociorum impunitatem. Addidit per iracundiam; dicebatq; in ſuâ manu ſitam ſecuritatem amicorum; & non niſi ſuâ modeſtiâ euenìſſe, quò minus prouinciâ exutus Mantuanus, Monferrati finibus exactus foret. Eandem ſecum fortiſſimis viris fortunam obire velle; daturumq; lætis vires, quibus tranquillitas Mantuani perpetuâ ſolicitudine confundatur. Eſſe legiones ſibi, quibus docere peruicaces poſſit, inter arma inanem legum imaginem negligi. Vbi Inoyoſam accedentem ſententiæ vidit, concitatiſſimo curſore in Hiſpaniam miſſo, cum querelis, eadem expoſuit; ſuam iniuriam pluribus argumentis proſecutus, oránſque tacitè, cogi ad ea Mantuanum, quæ promiſſione Inoyoſæ accepiſſet: ſubtrahi nempe pœnis quos tutos vi omni cupiat. Quantum apud illam Aulam creditus olim contemptus obfuerat, tantùm modeſtior, & ſine expoſtulatione lamentatio amoris expreſſit. Inoyoſæ quoque amici nitebantur, vt in vota Mantuanus Regio imperio traheretur; ne proceres prouinciæ nauatæ Sabaudio operæ pœnas darent; & multò minus illi Pedemontanæ originis, vanè prorſus ad Monferratenſe tribunal quæſtionibus vocabantur. Nec tamen Inoyoſæ in Sabaudium certa ea caritas fuit; ſed eorum quæ Criuello ac Vinaldo promiſerat recordatio; & plus nimio facilis alienæ voluntatis fides data. Rex tamen auctoritate Sabaudij, & in pleriſque honeſtiſſimâ indignatione motus, vt imperio temperauit; ſic pietatis imagine paſſus eſt Inoyoſam precibus Mantuanum ſuperare. Parum opportunum aut profuturum bellum, aduerſus Sabaudium Principem non inualidum, & plures ſecum in idem certamen tracturum ſumi nouerat, maluitq; conſilium quàm imperium nominare. Regium animum Inoyoſa bono iure præce-

Fiſcus Monferratenſis procedit contra rebelles.

Id Sabaudius queritur cum Inoyoſa.

Google

ptum interpretatus eſt; acriuſq; quàm interceſſorem deceat Mantuano obſtitit. Vrgebat Sabaudius quem dimiſſo iam bello, & incolumi exercitu, recenti contemptu lædere non expediebat. Acceſſerant in numerum rebellium Iſidorus Viſcontus, Ioannes Roſignolus, Dominicus Ormannus, Antonius Maria Margara, Iulius Cæſar Montilius, Franciſcus Teſta, Alexander Bolara, Ioannes Angelus Coſertannus, Vincentius Taldera, Iacobus Picus, Thomas Sicardus, Cæſar Berra, Georgius Liceronus, Ioannes Antonius Teraguus, Olietus Capironus, Ioannes Robiola, Stephanottus Milaneſius, Antonius Carauinus, Antonius Polettus, Ioannes Petrinus, Guido Capironus, Ioannes Antonius Attis, Antonius Pella, Bernardinus Manara, Marcus Aurelius Piazza, Sebaſtianus Poggius, Rufinus & Melchior de Carolo, Andræas Caurrudinus, Ioannes Iacobus Berra, Ioannes Baptiſta Acutus, Ioannes Iacobus Marchettus, Ioannes Dominicus Marchiſius, Guidobaldus Balzianus, cum Ioanne Franciſco filio, Gulielmus Antonius Scottus, Franciſcus Mandillus, Ioannes Maria Vicinus, Bernardinus Luſerna, Martinus Paſqua, cum Ioanne Antonio filio, Ioannes Berra, Ioannes Petrus Ceraſus, Ioannes Potenus, Bartholomæus Baſſus, Ioannes Baptiſta Martinus, Petrus Gregorius Cernettus, Antonius Maria Centorius, Hector Cocconatus, Aurelius Carrettus. Ex his nonnulli innocentes deprehenſi; paucis vulgatus error condonatus eſt, multi elapſi, quidam capitali ſupplicio affecti; tractâ in plures menſes quæſtione; & aliquibus multo poſt in inſidias delatis. Hi omnes Patronorum aut Dominorum ſe fortunam ſecutos; nec abſolutis, aut diſſimulatis potentioribus in calamitate omittendos fatebantur. Et ante alios Trinenſes nomine Sangeorgij erecti, Caluſiani Marchione Scaglia excitati, Moncaluenſes Comite Verrucnſi tracti. Horum lamentationibus aggeratis; & apud Inoyoſam vario honeſti prætextu expoſitis, domeſticum ſibi à ſecretis ad Rubeum mittere auſus eſt, qui ſingulorum damnationi intercederet; vrgeretq; (ne dixerim) imperaret, abſtineri inquiſitionibus, cœptaſve olim obliterari. Nec enim ea pacis inſtrumenta, aut irritamenta concordiæ: cum etiam (vt ferebat) plerique iniquiſſimo nomine diſtraherentur; quibus titulus ipſe nec patronos, nec defenſiones permitteret. Quod ſi Sabaudium nomen ſecuti omnes ad vnum puniendi forent, carnifices, laqueos, enſes; & quæ apud gentes inſtrumenta pœnarum ſunt, non ſuffectura. Oppida ac prouincias reuerentiâ Hiſpani nominis ſacramentum tetinuiſſe; cum Gonzaga domus oneribus exactionibuſq; immoderatis, & aſperitatibus negotiandi, ſubditis eo tractu inuiſa eſſet. Plura Regem ſuum gratuitò in Mantuanum Ducem beneficia contuliſſe; quàm aut ius, aut ſueta Regibus pietas perſuadere poſſet. Quidni alienæ opis indigum, ſæuitiam remittere, & honeſtiſſimo petitæ à Regijs veniæ titulo, omiſſas iam iniurias obliuiſci debere?

Prouinciæ ſecuritas arbitrij Hiſpani erat; & tota illorum vis intra viſcera conſtiterat: ſparſi per agrum, diſpoſiti per oppida; tantum non intra Caſalenſem Arcem recepti. Parendum erat, & omninò parendum, niſi dare iocos Sabaudio in animo fuiſſet. Itaque Rubeus, quique publicis curis præerant animaduerſioni in rebelles, temperari debêre cognouerunt. Mantuanus quoque ab his admonitus quid exequeretur, quid reſumeret, quid ius, quid tempora requirerent. Res tamen ipſa, moduſq; illum, cuius auctoritas minui videbatur affecerant. Et ne prorſus exiſtimatione decideret Comitem Ioannem Iacobum ab Arcu ad Inoyoſam,

Io. Iacobus ab Arcu Orator Mantuani.

cum certis eâ ſuper re mandatis legauit: qui vbi admiſſus eſt, vetuſta ac recentia aduerſus rebelles iura, edicta Cæſarum, Regum, Ducúmque, & acrius in ſimilibus ſumptæ vltionis exempla proſecutus eſt: denique petijt ne tam fœda impunitas, cæteris flagitium commendaret; aut turbidi ſeceſſionem à Dominis honeſtam & impunitam ſibi crederent. Communem eam regnantium peſtem, eoq; imperiorum ſecuritati perdendam: nec opportuniores vindices eſſe poſſe, quàm qui

latius

latius dominantes, conſcelcratorum inſidijs magis exponuntur. Subditorum in Principes obſequium leges humanas ac diuinas poſcere, vt ſacroſanctum fidei vinculum minores maioribus colligare. Sed obſtructis contrariâ opinione auribus, fruſtra ea ſententiâ affricabatur: determinato iam Inoyoſa: qui non Sabaudij amore potius, quàm promiſſione procurrerat. Nec datam à ſe fidem amplius, ſed conſilium Regium proponebat. Cumq; Maieſtati Regiæ ſuam auctoritatem coniungeret; id inſuper Mantuani rebus conducere aſſeuerabat; cuius commodis iniquum ac intempeſtiuum rigorem, ſub Principis viri fide aſſerebat. Itaque plus illi Regiæ gratiæ paraturum, ſi ſtatim annuiſſet, quàm ſi Pontifex, Imperator ac Galliæ Regina iunctas interceſſioues attuliſſent. Imminui debiti pretium, ſi longiori obſecratione ſe ſuperari patiatur, & debitum non vni, ſed pluribus imputetur. Inſtabat Comes, Mantuaniq; conditionem miſerandam teſtabatur; quod ſua pretio emere cogeretur; & euidenti dignitatis iactura, & damna quæ accepiſſet ferre, & auctorem incolumem, paulò minus quàm militantem. Sed Inoyoſa hac ſe moleſtia ſtatim expediuit; an haberet Mantuanus arma, quibus vindictam obnitente Sabaudio, de tot hominibus ſumeret, interrogans. Et vbi abnuentem Comitem, hærentemq; in reſponſo vidit, vt cogitaret iuſſum abs ſe dimiſit. Re infecta proinde, ſtatim regredi Comes ad Mantuanum parabat, niſi properantem, dierum aliquot morâ oneraſſet; donec promiſſionem exprimeret, nil aduerſus rebelles Monferratenſe tribunal acturum; prius quàm Pontificis, Cæſaris, ac Regis, eâ ſuper re ſententiam, miſſo proprio curſore didiciſſet. Neque aliud Inoyoſa voluerat; vt qui conſcium animi Regem ſciret, eoq; ſuis & Sabaudij cupitis acceſſurum: ſimul quantamcunque dilationem deſiderio addere; dum frigeſcat primus in vindictam impetus, & Mantuanus tempore ac precibus frangatur. Moturum ſe interim ambiguos, firmaturum obnoxios; & apud vnumquemque Principum geminatis interceſſoribus veniæ, negotiationem promoturum.

Mantuanus causâ (vt ferebat) & turpitudine flagitij fretus, nullam adeò præruptam potentiam fore crediderat, quæ perduelles & parricidas ſeruari conſuleret. Ergo ab eo ad omnes datæ literæ, & Oratoribus Mantuæ agẽtibus deſcripta mandata, quibus agendorum & præteritorum ius ſuſtentaretur. Nulli efficacius ſtudio dies noctesq; ſecretarij laborabant, quàm vt collectis rationibus vindictæ, honeſtatem deſiderij perſuaderent. Accedebat vtilitas, quam Mantuanus ex neglectu legum præuiderat: eamq; Fiſci ingentem acceſſionem in cenſum inſeruerat; vt non vno ſtimulo ageretur. Et quando de rebellibus ſermo eſt, ne plures in locos idem argumentum ſpargere cogamur, quanquam ſecuti temporis hiſtoriam, huic loco inſerere, connexione rei voluimus; vt in diuerſis eâdem, eadem narratione ſcirentur. Hac quippe cauſa Philibertus Gerardus Scaglia Verruæ Comes, & Auguſtus Manfredus Marchio Caluſij, cum inter rebelles in numerum & maſſam vocati ad quæſtionem forent; objiceretq; Fiſci Monferratenſis Procurator, illum viginti millium aureorum pretio Caluſij impenſo, à Mantuanis Ducibus ius dominij accepiſſe: hunc toto Marchionatu vxorio nomine vſum, eiuſq; poſſeſſione Monferratenſis ſacramenti fide obligatum; imo & deuolutum in illum obſequium iuramento ſpopondiſſe; ijs tamen non obſtantibus, & ſpretâ iuris reuerentiâ, armatos pro Sabaudio prouinciam inuaſiſſe, cædes incendijs, direptiones peculatibus miſcuiſſe, maieſtatis itaque reos, pœnis à lege ſancitis & Marchionatu inſuper mulctandos. Durum id patri ac filio viſum, vt quibus ea detractio, nobilitatis nota crederetur. Etiam exiſtimationis cura ſtimulabat; quâ vetuſtiſſimis familijs æquari ſuam; & præſumptum apud exteros decus retinere meditabantur. Itaque licet Sabaudij Ducis protectione ſe tutos, nec abituros poſſeſſione cognoſcerent; vt tamen Mantuani adminiſtros ignorationis & aſſentationis arguerent, bonóque iure tractaſſe arma viderentur, vulgatâ excuſatione cauſam

ſuam,cum modeſtiâ tamen aduerſus Mantuanum Ducem teſtati ſunt.Decretum mihi fuerat, obuia ſimilium multitudine & ſatietate abſtinere præſenti memoriâ; niſi patris ac filij temperantia perſuaſiſſet multorum impudentiæ arguendæ, inſeri debuiſſe. Tali argumento erat:

Manifeſtum Com. Verrue. Monſeratenſis Fiſci Iudices detectâ ac ſordidâ aſſentatione,ſereniſſimi Mantuani Ducis gratiam ſectatos,nullâ iuris auctoritate, aut colere cauſæ, enormia ac nefanda flagitia ſibi appingere voluiſſe; quæ ob reiectum Procuratorem ſe patronum,eo in foro eluere non potuerit. Publico ſcripto generis humani conſenſum(qui ferè ſupremi Numinis menti congruit) quæſiuiſſe,vt hinc iuſtiſſimus Dux vanitate iudicij aduerſum ſe formati perſpectâ, prauè ſtructas inquiſitiones aboleri imperet. Scaglias natutâ ac vetuſtâ origine,continuatione domicilij, inueſtiturarum,fidei ligiæ,feudalium & allodialium bonorum poſſeſſione,Sabaudijs Ducibus obſtrictos. Horum munificentiâ honores ac titulos eorum progenitores aſſecutos; ſe verò inſuper Comitatus beneficio auctum; ad Senatum Venetum,Regem Catholicum,ac tres ſummos Pontifices miſſum Oratorem; Principum filiorum Aulæ præfectum reſignatum; & mox eodem honore, apud eorum parentem Ducem vſum; & Annunciatæ Virginis ordini adſcriptum Marchionem verò filium inter eoſdem equites adſcitum, Pedemontano Principi filio inter nobiles à cubiculo allectum; primoq; natalis ſui die,quingentorum aureorum reditu annuo auctum. His ſe indiſſolubilibus gratitudinis vinculis Sabaudio illigatum. Marchionem filium ſuum milleſimo ſexcenteſimo ſexto, annuente Mantuano Duce nuptias cum Marchioniſſâ coniuge ſuâ celebraſſe; Caluſiumq; titulo dotis accepiſſe; cui cum in ſupplementum pretij viginti aureorum millia Vincentio Duci Mantuano deberentur, eam ſummam à ſe ſolutam, & ſecuritatis cauſa pro pecuniæ ratione, ea feudi portione inueſtitutam recepiſſe. Quod reliquum filio ac coniugi eius permiſſum, præſtito fidei ſacramento; cum ignarus Vincentius non eſſet, vtroſque obligatione Sabaudij præuentos. Milleſimo ſexcenteſimo decimo tertio Sabaudium armis Monſerratum aggreſſum, ipſos quâ pietate in naturalem, ſupremum, & antiquum Dominum ſuum fuerant,corpore ac fortunis veri ſubditi vices impleuiſſe. Poſt præſtitam Sabaudio Duci in bello operam, à Monſerratenſis Fiſci miniſtris citatos ſe & inquiſitos,perfidorum,hoſtium,proditorum inuaſorum nominibus; quibus fœdiora in Maieſtatis ac rebellionis conuictos aptari non poterant: quod prouinciam Sabaudio Duci addicere, pro virili conati fuerimus; quòd pro Mantuano arma ſumere iuſſi neglexerimus,nô conſilio,non opibus iuuerimus, eoq; felloniæ ac decretorum Principis reos iudicatos. Quantum per ius licuiſſet,parendi cupidine, rerumq; ſuarum ſolicitudine; cum parùm ſecuritatis in fide publica opinarentur, miſiſſe Aduocatum virum nobilem, & ſcientia iuris celebrem: cum tamen non admiſſum;quamuis inſuper Mediolanenſi carcere detentus filius requireretur. Horum pluriumq; recordationem eluendis obiectionibus ſatis fuiſſe; aliqua tamen addere voluiſſe,teſtandæ innocentiæ,vt Iudices Fiſci Monſerratenſis,falſo hæſiſſe doceantur. Nec enim vel ſe imperium abnuiſſe, vel aduerſus Monſerratum arma vertiſſe, vel Sabaudium hoſtem iuuiſſe,læſam maieſtatem aut fellonıam cenſenda: quippe haudquaquam Mantuano Duci origine aut domicilio ſubditos fuiſſe; quamuis veluti fortuna habiti Caluſij,feudatarij dicerentur. Bono certè iure,ſupremi,antiqui, naturaliſq; Domini imperia ſequi: nec poſteriori acceſſione,nouo obſequio,quod prius extinguat vim ſubeſſe.Eandem dicti Mantuano Duci ſacramenti vanitatem quòd multò ante Sabaudio ſupremo Domino ligia fide obſtrinxerant. Neque poſterius feudum, prioris ac naturalis Domini ſeruitium infringere. Accedere domicilium,originem,antiquitatem,quibus ſubditos ſe Sabaudio, Mantuano verò ſe vaſſallos cognoſcant. Nec eandem poſterioris

rioris obligationem;maiori auctoritate Domini in ſubditum, quàm in vaſſallum. Quod ſi beneficia & aduerſum ſe ac ſuos multa ſui Principis gratia tegolarur, non ſe niſi cum infamiæ nota, veteri ac optimè merito Domino eluctari potuiſſe. Mediolanenſem Senatum, doctrina ac nobilitate præſtantem; eóque normam iudiciorum, Amadæum de Puteo Vogetæ Marchionem, & à Regio Fiſco Maieſtatis & fellonîæ vrgente Mediolanenſi Gubernatore interrogatum ob præſtitam hoc bello Sabaudio operam (quamquam eo in Ducatu diuerſos reditus numeraret,) quod tamen domicilio, feudalibus, & allodialibus fortunis, equeſtri ordine; nec non militaribus imperiis Pedemontani iuris eſſet, quæſtioni exemptum voluiſſe; belli tempore iis tantum reditibus Fiſco reſeruatis, ne Mediolanenſibus opibus aduerſus Regem vteretur. Atqui non alio nomine Puteum quàm Saglias excuſati. Fruſtra iniuſtitiam cauſæ criminari apud eos, quorum iudicio fas nefaſve non nititur; & Sabaudium plurium ætatum decurſu bella pacemve arbitio tractauiſſe: obſequij gloriam apud ſubditum manere, quem non niſi iuſtiſſimis cauſis à Principe ad arma conclamare, fas eſt credere. Proinde conceſſo iure, pro ſui Domini miniſterio, prædas, incendia, cedes, bellorum opportunitate exercuiſſe, oppida cœpiſſe: denique ea patraſſe, quibus Monferrati poſſeſſio Sabaudio properaretur. Hinc prouincialium aduerſum ſe inuidiam emerſiſſe; nec aut ad Caſalenſes accedere,aut permiſſę ſecuritati fidere tutò potuiſſe.Praui apud Monferrati Fiſcum animi documentum accepiſſe, quod Aduocatum ſuum reiectum viderint, cum admitti quoties quis fellonîæ inquiritur,leges iubeant. Denique Marchionatum Caluſij nurus ſuæ dotem eſſe:nec ei fraudi aut noxæ eſſe debere, ſi quid ſocer aut maritus deliquiſſe diceretur. Cæterùm ea ſe purgandis iis quæ ſibi objiciebantur attuliſſe, vt ſereniſſimus Mantuæ Dux inquiſitionis perſpecta iniquitate prauas miniſtrorum relationes depelleret,& inani fundamento nixas querelas rejiceret.

His modeſtiſſimè compoſitis, nemo publicè, aut priuatè reſpondit:nec quod aduerſus Sangeorgium ac Balzianum prurigo ſcripturientium expreſſit, in Vertuenſem aut Marchioné filium vſurpatum; Senatus iudicio licet vterq; fellonîæ crimine teneretur, aut diceretur. Cum Mantuanus à Pontifice,Cæſare,ac Rege ab. conſilium ſumendæ de omnibus vindictæ opperiretur; illi in concordiam proni, paci viam rebellium veniâ ſterni credebant: Simul abſiſti inquiſitionibus cupiebant; idque literis ac precibus ſatagebant. Iuſtitiam certè venia quorundam è nominatis imminui nouerant; ſed diſſimulatione criminis maiorem quietis vtilitatem. Pleraque per concordiam aduerſus legum rigorem publico bono ſanciri; & eam facilitatem, quâ Sabaudius occupata caſtella reddiderat, tantum promptitudinis mereri arbitrabantur. Ne Mantuanus confunderetur neceſſitas ſilebatur, quæ ante alia æſtimatione Sabaudij potentiæ,& gratitudinis in ſuos(quorum commoda pro virili curaturos ſe receperant,ius omne continebat) contra Mantuanus ſua damna,læſam famam, & præter veterem Sangeorgij contumaciam continuatas in eam diem infenſas,obliuiſci non poſſe dicebatur. Reſtitutionem rem iure debitam,inuaſionem,peculatum,detractionem,flagitia ſuorum appellabat.Magna hæc difficultas, indubitatum concordiæ obicem poſitura erat,nouóſque tumultus,niſi in Sabaudij gratiam toleretur,ſuſcitatura.Sed & alia duraturæ paci incommoda Mediolanenſi Gubernatori obuerſabantur. Cum enim decem hominum millibus, & inter hos, pluribus ſtrenuiſſimis ductoribus ſeptum Sabaudium, & leui quacunque ſatisfactione, non ceſſurum metueret; quo futuræ ſecuritati, & Monferratenſi non minus quàm Mediolanenſi ditioni conſuleret: deponere ipſum arma, augendíſque tanto milite ſuſpicionibus abſtinere volebat. Eodem cum Mantuano colore vtebatur, ne tantum Sabaudio infenſus videretur: forſan etiam vt vniuerſas Regias copias hoſpitalitate *Inoyoſa vult Sabaudium ſuum militem dimittere.*

Monferrati vti excuſaret. Noui enim tumultus formidinem, & irruptionis eſſe fatebatur, ſi exercitum capto ante loco dimouiſſet. Sed Sabaudius & Mantuanus diuerſis in ſua ſtudia nitebantur: ille ſuum ius, nec voluntatem vllius mortalium imperio obſtrictam referebat; hic cum validum hoſtem metueret, & armatos videre Hiſpanos geſtiebat, & eorum legiones Monferrato detrahi. Et quia parum obſequentem Hiſpanis Sabaudium audiebat, intra Pedemontanam eas copias ſtatui, ſeueriori re ſuâ orabat. Quaſi ſine bello iſta, aut ſtatim fierent.

Sabaudius cunctatur. Ceſſatio præliorum, non ſuſpicionum intermiſſio erat, quod augeſcentibus malorum cauſis, nec Inoyoſa ſufficeret, nec opportunè periculis occurreret. Indignatum ſe Sabaudio ferebat; audebatq; cum imperio loqui, vt delatas ad Regem ſui criminationes tolleret; ne conſcientia nutrire diſcordias, ac diſſimulatione videretur. Sabaudius contra acrius ſe iuſſis Inoyoſæ, quàm iniurijs Mantuani læſum fatebatur, quod ille volens ſciénſque præceptis coërcere liberum Principem auſus foret: hic vtilitate ſuâ, aliquo honeſti prætextu offendiſſet. Quantum prohibendæ inuaſioni ſufficeret Inoyoſa prouiderat; cum interim excedere Monferrato, niſi Sabaudius militem exauctoraſſet, abnueret. Longa Inoyoſæ cunctatio negotium explicatu difficile reddidit: & id ſæpius Mantuanus queſtus fuerat, tamquam quem primo ſtatim motu retinere procurrentem potuerat, diſſimulatione præualere permiſiſſet. Hæc intus grauia, nouus è Gallia metus incurrebat: plura nempe hominum millia deſcripta, in bellum Italicum duci. Nec adhuc ſatis compertum erat, cuius damno aut fauori armarentur. Quidam vulgauerant, Sabaudium externo imperio coerceri Gallos nolle: alij pellendis Monferrato Hiſpanis eas vires accingi detulerant: & Inoyoſa ſiue Sabaudius, ſiue Mantuanus voto potirentur; ſuam famam eleuari opinabatur; quod ille intrepidus frontem oſtenderet; hic nouos protectores minitaretur. Hinc ad Reginam Galliæ ac Regem Hiſpanum literas magna feſtinatione dedit; nec Pontifice abſtinuit, quem paci promptiorem nouerat; conſulebátque vt cœptantes vltra Alpes motus Italiæ inſtantes ſupprimerentur: facile præferoces animos deſiderio belli turgeſcere; & conceptum ſemel hac parte incendium ægrè reſtingui. Mantuanus in dubio erat, Gallive an Hiſpani maiori ſuâ vtilitate valuiſſent. Ab vtriſque tutelæ ſpem aliquam videbat; ſed ab Hiſpanis Monferratum obtinentibus imagine protectionis manifeſtum excidium. Sabaudius quacunque flexiſſent quæ parabantur præuidens, aliquot militum centurias Nizenſi agro conſcribi; & Lanzij Marchionem admouere Sabaudiæ extremis, tormentiſq; bellicis conuectandis neceſſaria expediri iuſſerat. Quos in Italia numerabat, aſſiduo præuiſu in bellum erudierat, & per opportuna loca diſpoſuerat, vnde aggerere offenſas, & propulſare irrumpentes poſſet.

Demum rem aperit. Vbi ſatis ſecurum ſe aduerſus Hiſpanos vidit, apertè teſtatus eſt, voce ac ſcripto, non ſe militem dimiſſurum; nec propoſitas pacis conditiones recepturum, niſi Mantuanus ſuis deſertoribus ignouiſſet, damnorum repetitione abſtitiſſet; neptim Infantem matri permiſiſſet. Et ne ludere, aut projicere ampullas videretur, tempus quoque definiuit, intra quod obtemperaretur. Tum primum infirmitatem ſuam, Sabaudij vires, Mantuani periculum Inoyoſa introſpexiſſe dicitur, viſo apparatu hoſtilis militiæ; & detecto animo neſcio imperiorum. Mediolanenſes ipſi non Sabaudio non Mantuano obnoxij, liberè teſtabantur durum id Mantuano videri non debere; vt qui etiam domu ſuæ infenſum ac rebellem Sabaudio foueret, receptum tamquam in tutum Pandolphum Solarum, virum nobilem, & Goui oppidi dominum. Conceſſione puellæ nil illi iuris addi, retentione nil adimi; matris illam ſolummodo ſolatio requiri: damna eorum quæ imminent æſtimatione, nullo in pretio eſſe, ſed debuiſſe Mantuanum,

cum

cum res integræ eſſent,cauſis malorum, & iniuriis in præualidum abſtinere. Addebat, ſe Principem liberum, non Hiſpano Regi, & multo minus Inoyoſæ ſubditum eſſe: tota ſua vita imperaſſe, nunquam paruiſſe; bella ac pacem (quoties iuſta credidiſſet) arbitrio decreuiſſe: ſolitum ſe denique non Mantuano inermi & inualido, ſed magnis Regibus decertare; nec niſi honeſtiſſimis conditionibus in quietem conſentire. Quâ re donec minas, & oppoſitos ſuis prouinciis exercitus; nec debitæ ſibi ſatisfactionis argumenta vidiſſet, parata arma non dimiſſurum. Valuit eo in Principe conſtantia, vt Inoyoſa quantum periculi comminationibus adiiceretur deprehendens, volens nolenſve, iuxta Sabaudij deſideria & crederet & foueret, & apud Regem ſuum miſſo curſore promoueret.

Inter hæc Gallicæ expeditionis, & armorum quæ parata in Sabaudium fuerant vanitas patuit. Iraque Marchio Lanzij, cui ea prouincia obuenerat, vbi ſecura omnia vidit, ne nulla neceſſitate incolas delaſſaret, coactum militem in ſua dimiſit; prius monitum parata ſemper arma ad manus habere; & accepto profectionis nuncio illico obtemperare. Porro præcipua Sabaudiorum ſecuritas ambiebat; quòd Gallorum ac Hiſpanorum medio ſitus vtrinque præſidium haberet; ſcitétque inſultantes ſibi Gallos, Hiſpanos non toleraturos; nec Hiſpanos Pedemontanam ſpectantes Gallos neglecturos. Videbatur amicos hoſteſve arbitrio ſibi poſſe deligere; & quoties libuiſſet gentes fortiſſimas bello committere. *Gallici exercitus vanus rumor.*

Sub Iulij menſis finem Padiglia, ab Inoyoſa miſſus, Aſtij Sabaudium conuenit, militiam quam trans Alpes deſcripſerat ſolui poſcens; non amore Gallorum, ſed ne in Pedemontanam immitterentur. Modeſtè iam Hiſpani cum Sabaudio agendum eſſe didicerant; & quæ eorum olim iuſſa, mandata, imperia fuerant; conſilia, exhortationes, preces appellabant. Sed & exercitum Pedemontanum fruſtra eſſe aſſeuerabat, compoſito Rege ſuo in communem concordiam; nec defuturo Gubernatore Mediolanenſi ſuſtentandis prætextibus illius, quæ bono iuri innițerentur. Tardè venerat Padiglia eóque gloriam dimiſſæ Nizenſis militiæ non retulit; quam ante Marchio Lanzij ſoluerat, viſa locorum ſecuritate. Iam enim nec Dux Guiſius, nec magnus Galliæ Scutifer, in armis apud Sabaudios erant, vanuerátque fama exercitus quo Hiſpani contremuerant. Quod ſi adhuc Sabaudius centurias Nizæ deſcriptas ſub ſignis habuiſſet, haud quaquam Inoyoſæ aut Padigliæ auſcultaſſet; niſi quę prius ſibi Mediolani ſcripto promiſerat, ſeruauiſſet. Parum abfuit quin oſtentando neglectui euocatas denuo in loca ſtationibus deſtinata tranſmitteret, & in offenſas promoueret. Sed generoſum animum fides deſideriorum oblata, & reuerentia qua compellabatur inhibuit. Tot pacta, tot conditiones, tot difficultates componenda erant. Inter Mantuanum, Sabaudium, Gallos, Hiſpanos, vt cuiuis perſpicaci iactata pax, parum ſolido niti videretur: iam enim præter ea quæ Sabaudius ſibi concedi armatus ac minitans volebat, negotium matrimonij cum relicta vidua reſumi cœperat; & apertius Mantuanus monebatur, non alio ſubſidio conſtare res ſuas. Hic tamen apud Inoyoſam conſtantiſſimè abnuebat; ſiue perdendæ domui vniuerſa conſentirent; ſiue Ferrarienſis vidua ſemper infenſa, tum etiam hoſtis aperta eſſet. Siluium certè Teatinum, praui conſilij pernicioſum miniſtrum, pietatis ac religionis imagine ſubdiderat; vt tanquam inceſtui intonaret; quódque Pontifex ac Reges laudabant, diſuaderet. Id ille operæ ſtrenuè executus, tantum iuueni pauoris indidit, vt ſolo nomine coniugij inhorreſceret. Perduellium quoque veniam abnuebat; cum & damna illata repoſceret, & neptim infantem tradere recuſaret. Quod quia magno ſuo malo fieri vniuerſi nouerant damnabantq́; etſi Aulicorum nonnulli ab amita ſubditi impu-

Inoyoſa modeſtè id petit à Sabaudio.

Mantuanus matrimonij cum vidua auerſatur.

denti mendacio teſtari, Cæſaris illum eâ in re, & Galliæ Reginæ conſilijs inſiſtere;cum nihilominus Nuncius Pontificius apud Mediolanenſes,& Regum Oratores ſcriptis in Vrbem & per Italiam literis faterentur,id vnum conſenſu præcipuè commendari, vt damnorum repetitionem reprobari. Inſuper condonari ijs qui deſciuerant debere,ſi propriam Mantuanus ſalutem, & cæterorum quietem ſpectauiſſet. Sed qui illi à conſilijs aderant, è tempore quæri beneficium voluerant; ſperauerantq́; negotiationis tædio, & honeſti ſpecie, gratiæ Sabaudij nullam rationem potentiores habituros.In eundem ſenſum preces,& quorundam externorum Principum vota erant: qui Sabaudij magnitudini iniqui, prævalere Mantuanum causâ & facto cupiebāt.Hos inter fuiſſe Etruſcum adeo falſum eſt,vt certum ſit,contuliſſe illum Viduæ relictæ matrimonium;nec niſi eo excluſo de ſorore deliberaſſe.Intempeſtiuam iuuenis conſtantiam,& quę omnium quietem mergeret in eo conſpicatus Inoyoſa,vexatione exprimere conſenſum conatus eſt: non diuiſo ſolùm per diuerſa Monferrati oppida exercitu omni, ſed laxatis diſciplinæ frænis;& permiſſa militibus,tamquam in bello,licentia. Quem pietas, & certus in tutelam animus non mouerant,aſperioribus admoneri oportere viſum. Victorum capitibus minori ſæuitiâ hoſtes inſultant,& fortunis abutuntur;nec vnquàm tantum immodeſtiæ barbaræ gentes in deuictos exercuêre; quantum receptus intra Monferrati viſcera Hiſpanus miles admiſit. Nil apud infeſſos carum erat, quod hoſpites petulantiâ non contrectaret. Pudicitiæ tantum reſpectus fuit. Parſimonia & auaritia popularium aliquam malo cauſam ab eorum amicis dediſſe dicebatur; ſed erudiri Mantuanum oportebat, vt occaſioni ac tempori cederet,neque duritie offenſas prouocaret.Mali initio ſuas incolæ miſerias,coram miniſtris publicæ libertatis proſecuti ſunt: ſed vbi temni lamentationes,& noua onera (tamquam in vindictam) iniungi deprehenderent, promiſcuis calamitatibus abſtracti,in vanum queri deſierunt; prorſus in libidinem protegentium formati; & ſua bona alieno arbitrio raptari permittentes. Id ſilentium Inoyoſa ſecus ac erat interpretatus, cum Mantuani Orator exonerari prouinciam hoſpitibus inſtaret,prorupit: prorſus apud Mantuanum Hiſpani nominis odium ſpectari; & ei Principi inuiſos eſſe, quorum ſudoribus, & (ſi ſors tuliſſet) ſanguine dominationem recepiſſet. Diffamari modeſtiam; cum populi & ſileant,& æquiſſimè tolerent; cum eorum qui oppreſſi iactentur nemo queratur, cum vltro liberalitas vel in inuitos exerceatur: cur ergo ſuos in diſciplinam compoſitos, & ſecuritati eius inuigilantes amicos exigi è prouinciâ requireret? cur alienam cauſam,poſcente nemine,& falſo titulo ageret? cur lamentationes ſuppoſitis accuſatoribus exponeret?

Monſerratēſes de Hiſpanis hoſpitib. queruntur.

Idem facit Orator Mātuanus.

Ad eam diem gemitibus fatigatos populos Orator reſpondit; & pleraque oppreſſionum ſibi cognita,non ſtatim detuliſſe;ne ſui faſtidium is conciret,qui egeret auxilij. Cæterum perſpectum ſibi ciuium relatu eſſe, non fruges,non vinum, non domeſticam annonam, non pecuniam ſupereſſe; quibus immanem illam, & continenter vſurpatam erogationem tolerarent.Liberatæ prouinciæ gloriam, apud ipſum intaminatam fore;ſi deductis legionibus,collationum immunes ſubditos reliquiſſet.Satiari expleriq́; Monferrati opibus militem Inoyoſa in animum ſuum induxerat; eoq́; inanis expoſtulatio,perditæ preces erāt:quod notū Sabaudio qui iam Gallicæ militiæ ſolicitudine exſolutus,nō tacitis magis quam apertis iniurijs carpere ac lacerare extrema Mōferrati pro pretio habebat.Amore ſuorū, negandi peruicacia ceſſurū Mantuanū putās;& quod amplius vindictæ olim præſumpſiſſet,expleturū.Cum Moncaluio tormēta bellica,quæ loci tutelæ conduxerat,ob pacis ſancitas leges auehere cogeretur,quamquā iumentis prouincię abſtinere iuſſus foret;pluribus tamen cōtractis velut operā pecuniâ redempturus,machinis ſupponi imperauit. Paruêre oppidani,malorū finē eo ſibi labore ſupremo figu-

Sabaudius carpit Monferratum.

figurantes. Et miſeri quidem reditum ad ſuos parántes, ſine bubus regredi iuſſi ſunt; ijs verò datam fidem obteſtantibus, & Inoyoſam exercitumq; Hiſpanum appellantibus, reſponſum eſt; nec ſe reditum promiſiſſe; & ad dicendam peculatus auſam affuturos, quandocunque Inoyoſa Moncaluij pro tribunali ius dicturus conſediſſet. Apud Lucedium Regiam Monferrati Abbatiam matureſcente iam ſegete; cum ruſtici à ſuis Dominis ad colligendam meſſem aduocati forent, repulſi mortis metu ſunt; & frumentum omne à Sabaudijs in militarem vſum congregatum; tanta ſecuritate & otij ſpecie, vt conſenſiſſe Hiſpani viderentur. Nec tamen aut Moncaluenſes inopes, aut hæc propria Mantuani Ducis fuiſſe, impedimentum colligentibus tulit, quò minus potentior præualeret; licet ſpoliantium lateri Hiſpanæ centuriæ aſſiderent; & militiam illam crapulâ & licentiâ, non protectione infirmioris præſumerent. Multis quoque Monferratenſibus nobilibus agrorum fructus quos per Pedemontanam poſſidebant, adempti ſunt; vtriſque Riuaræ fratribus Surdis, Violardis, Calloris, aliiſque: nec maius direptionū ſolatium occurrebat; quàm compoſitâ pace; & ſublatis inter vtrumque Ducem ſimultatibus, ſolitos reditus prioribus Dominis redituros. Apud fidos illa deponi iactabantur. Adhuc enim nec Sangeorgium, nec Balzianum, pluresq; eiuſdem fortunæ viros reſtitutos; & à Mantuano pleraque occupari; quotum vſibus quantacunque hæc poſſint condonari. In deſperatione rerum & priora metuentibus, non leue id blandimentum erat; quod crederetur. Conſuetudo belli erat, vt quoties iniurijs certabatur, actorem quiſque ageret, reumq; exueret: præmiſſæq; querelæ pro veris acciperentur. Sangeorgius & armatus & validior, in auitos Monferrati agros inuectus, fructus omnes minitabundus, proſpectantibus annotantibuſq; Monferratēſibus ſibi legerat, ſegetemq; omnem in tutum comportari curauerat; ſuo tantùm vſus, alieno non inſultans. Non alia conſtantia Balziani fuit, plus iactantiæ, quamuis minori fortunâ ae nomine ageret; operarijs enim manipulos moſchettariorum addiderat, tamquam prædam in bello acturus. Sed quocunque oſtentaretur vis, terrendis prouincialibus ſatis erat. Neque immunes à Sabaudij vexatione, aut inrer ſuos tuti Pedemontani ipſi fuerant: qui nonnullis Monferrati oppidis exactionum ac pecuniarum ſoluēdarum in belli vſus vades acceſſerant. Hi enim à Patriæ fiſco citati ſortem omnem peūdere iuſſi ſunt; non magis (vt creditur) habendi cupidine, quàm vt ſtimulati, eos quoq; vrgerent, quorum fidei proprio periculo cauerant. Quod illi fortiter executi ſunt, in pecora & agreſtes opes inuecti, vt accepta damna ſarcirent. Intuta pax, nec adhuc certis conditionibus abſolutum bellum excuſabantur; vt ſimilia in præliorum morem exercerentur; ſubditiq; vicinio infenſi ſeſe frequentibus iniurijs lacerarent.

Eo vſque licentia vindictæ proceſſit, vt cum plura vini dolia in Trinenſe ſubſidium, vicinorum oppidorum pagani conueherent; & viarum alto cœno merſarum iniquitate vitata, Pedemontani agri confinia tetigiſſent, accurſu Sabaudiorum intercepta ſunt. Eodem impetu Sabaudius equitatus Canaueſum omne peruagatus eſt; infeſta, inuia, intuta omnia Monferratenſibus negotiationibus reddens; & ea præcipuè parte graſſatus, quæ vicinio libidini victoris expoſita videbatur. Sanè paucos ante dies, ſecuritate negotiationis, à quibuſdam nullo certo auctore vulgatâ, & auidè creditâ, quidam Monferratenſes vltro citróque commeantes, à Pedemontanis capti & retenti ſunt: nec niſi accepto libertatis pretio dimiſſi. Violatam fidem querebantur, licet adhuc enſes micarent; & cohortes inuicem minitantes pro finibus hoſtilia apertè exercerent. Ea rerum deſperatio, quoſdam Monferratenſium impulit, aliquid in Sadaudios audere; & quia aperto concurrere, nec vires nec animus ſuadebant, nocturnis graſſationibus facta agitabant. Breui eo ſpatio abſtinere Pedemontâni iniuriis in Monferratenſes ſui Ducis imperio iuſſi fuerant; matura iam conditionibus pace, & ſpe quietis ſecuturæ: ſed

vbi lædi ſe, & audaciam Monferratenſes alienâ modeſtiâ concipere viderunt; cum apud Ducem, tum apud Inoyoſam acriter queſti ſunt, abacta pecora, annonam, vſurpatas captiuitates; & cû par pari reddere ſui Domini præcepto inhiberentur, atrociora opperiri exponebant. Quandiu rectum bellum, aut licentia vindictæ fuiſſet, ſuo contentos Monferratenſes, prædam ſuorum fuiſſe, nunc figuram pacis hoſtilitate veſtitam. Miſit quoque Sabaudius, qui Mediolani eadem ſuo nomine expoſtularent; tamquam per Monferratenſes ſtaret, quo minus fida pax ſanciretur. Inuitum ſe ad bellum prouocari fatebatur; poſcebátque vt acceptam pridem à Mantuano iniuriam, ſufficere offenſionibus vellet; aut ius naturæ vſurpare ſe fineret; vim vi propulſando. Eadem & fortè plura Inoyoſa, ab Hiſpanis ductoribus didicerat; quibus ſtimulatus, compoſuit ad Mantuanum literas indignationis plenas; quaſi poſitam in vicinio concordiam ſui rumperent: ſe quidem tergiuerſatione ac nouitatibus delaſſatum, pridem eam curam omiſſurum fuiſſe, niſi Regis imperio & exiſtimatione vrgeretur. Quapropter modeſtiæ ſuos admoneret, niſi vindictę præferocem Sabaudium experiri iterum, maiori ſuorum damno cuperet. Eorum quæ Monferratenſes clam admiſerant neſcium Mantuanum fuiſſe credi poterat; quod illi pax aut bellum indita & iuſſa forent: proprio itaq; Oratore opus fuit vt obiecta dilueret; non vt certiorem tutelam ab Inoyoſa requireret (quem toties irritauerat;) ſed vt exteris cauſam ſuam innocentiámque probaret. Quibus enim viribus fretum ſe ſcribebat, auſurum fuiſſe armatum hoſtem laceſcere? aut quando vnquam accolæ audiuiſſent turbatę poſſeſſionis Mantuanum accuſatum? Vix alia ſibi quàm Hiſpani Regis arma eſſe; quibus vt parum tutus ſit; ſic arbitrio vti in alterius perniciem non poſſit. Certè nullas ſatis probabiles cauſas afferri, cur inter pacta concordiæ, & pendentem à certa negotiatione Italiæ pacem, turbas diſpendioſas ſibi maluiſſet. Nemini magis quàm ſibi quietem conducere; quod ea quæ receperit, nondum ſufficienti præſidio ſolidauerit. Inſtare damnorum reſtitutioni; & quæ vi ractata ſunt, ſarciri poſſe: An ſuam ipſe cauſam ſeditione prouectam, ſeditione corrumperet? quin potius miſſis qui diſcernerent, ac referrent, alienam fraudem agnoſceret; fruſtráque Sabaudium ſuarum artium ſe æmulum inſimulare.

Eadem Aſculano Principi, nec minus irritè expreſſa; ſuffecêre tamen vt illata a Mantuano iniuria non crederetur, & an conſcientia offendiſſet probaretur. Denique ne exrernis teſtibus, ſi quid noui eueniſſet, fides habenda foret; ſed Inoyoſę militia intueretur, obnixè qui pro Mantuano curabant, partem cohortium eas in ſedes miſti orarunt; vbi hoſtis vacuo per licentiá inſulrare audiebatur; teſtes modeſtię & vindices futuros. Siquidem ſiue Hiſpani protectionem innocétię reſpexiſſent, ſiue iudices & obſeruatores adſtitiſſent; aut veritati teſtimonium dare, aut fateri propriam negligentiam coacti fuiſſent. Forſan leuibus inſultibus exprimi à Mantuano quę cupiuerat poſſe ſperabatur; & tum improuiſa petitione perculſus, id maximè ſibi vitandû introſpexit, ſi ſolitis ſibi artib. inſiſtere integra dignitate voluiſſet. Ergo compoſitum iam per loca militem æſtiuis ardoribus, & mutatione ſedium non fatigandum: curandúmque vt imperio ſuo apud Sabaudium idem quod viribus auctoritatis eſſet, reſpondit. Mox irato & concitato ſimilis, velut nocturnas vmbras inceſſere ac comminari cœpit, nec defuturum ſe paratis cohortibus, niſi toto Monferrato Sabaudius obſtitiſſet, conteſtatus. Morum hominis ęſtimatores vanum impetum riſêre; nec vnquam pede vno armato Pedemontanos fines præſſurum credidêre; cum qui ne alieno quidem vt ſuo vteretur accincto exercitu repuliſſet. Et quantû negotij adiretur nouerat; cum in ordinem redi-

Inoyoſa ſuis per Monſer. ratum ſedes aſſignat.

gere Sabaudium parabatur. Nihilominus tamquam conferret beneficium Hiſpani peditatus Tertio Marchionatum Inciſæ deſtinauit, iiſque qui Roo Duce militabant, Aichij ſedes data. Stipendij pecunia, & vel ipſis ruſticis deſpectus militię

ordo

ordo numerum imminuerant, dilapſis pluribus, quàm vt centuriis manipuli congruerent. Id leuamentum veteris hoſpitij clades excidiúmque recentis fuit, tamquam ſi quis iumenta detrito abſumptoq; pabulo deducta, recentioti ac virenti famelica quis induxiſſet. Neque tamen paucitas onera minuebat: nempe à miſeris colonis, non pro numero ſuorum; ſed quaſi vniuerſi intra caſtra mererent, & frequentes ad ſigna eſſent, victus & pecunia præſtanda erant. Attamen id illi obnixè popoſcerant, vt ſumminiſtratione alimentorum auaricia militaris infringeretur. Attamen creſcebat furandi amor, quo pronior lucri occaſio, ac facilior per iniurias ditandi via patebat. Hinc nouæ ſubditorum argutiæ, queſtúſque ad Aſculanum & exercituum duces delati, & quia manifeſtior iniuria erat, quàm vt negatione, tempore, aut neceſſitate excuſaretur, ſimul de alieno queſtio habebatur, forma quædam officij præſcripta, qua licentiæ & rapinæ militari, moderatio aliqua ſtatuebatur. Deprehendêre ſtatim oppreſſi ciues imaginem id non remedium, & modeſtiam in tempus confictam eſſe; & in eas qui preces detulerant acrius ſæuiri deber, vt cæteris ſilentium ſuaderetur.

Itaque cum non iuri, non iniuriæ modus eſſet; nec apud Monferratenſem Gubernatorem ſubleuandi auctoritas, plures cum integris familiis ſecretâ fugâ prouincia dilapſi ſunt; domibus vacuis Hiſpanorum arbitrio relictis, in quas hoſtiles artes exercerent. Non intermiſſa calamitas in plures ante partiri ſolita, à paucioribus toleranda erat; nec enim pro ciuium ac militum numero imponebantur, ſed pro modo armorum, & arbitrio præſidij, quod placuiſſet, legis vicem habebat. Aucta quoque cœli tempeſtate infœlicis prouinciæ calamitas: turbine ſiquidem conglobatis nubibus & denſatis prægnantis aëris vaporibus, vis grandinis quanta non alias effuſa eſt. Strata eâ flagellatione ſeges quæ adhuc ſupererat, attritæ vites palmitibus laſciuientibus, laceratǽ graues fructu adoleſcente arbores, excuſſa ſiluis vernantibus glans; hortorum prouentus ſucciſus, domorum recta miſerè attrita ſunt. Tanto malo agri fructus omnis, & vinearum ſpes intercidit: eo maior pernicies fuit, quo in plures partes egreſſa eſt. Vallium montiúmque eadem calamitas fuit. Neque enim per agros vaga, inopina, conferta, & molis inſolitæ peſtis deprehendit, aut interemit, aut inutilia labori in plures menſes reddidit. *Grando ingens.*

Euenêre etiam è vulgara contagione prodigia, adeo in malum prouinciæ interna & externa conſenſerant. Quippe multa puerorum millia incaleſcentibus morbillis toto Monferrato vis luis abſtulit: nec patrum aut auorum memoria auditum fuerat atrocem adeò eo tractu cladem fœda contagione eueniſſe. Infantes primùm ſublati, mox tamquam deficiente mortib. materia, adoleſcentes viríque in ſupplementum petiti. Prouectæ etiam ætatis vtriuſque ſexus multi deſiderati, eo deformiori morbo, quo iis annis rariori; & (quod dolorem intendebat) fœminæ graues vtero ſimul cum fœtu eadem turpitudine confecto ereptæ ſunt. Multitudo pereuntium memoriam confudit; factíſque fidei obliuione conſultum, quæ haud dubiè laboraſſet. Scilicet numero & fœditate cladis populi fatigati, poſtquam vulgari altiorem cauſam aſſignaſſent, ratione libitinæ abſtinuerunt. Dubitatum apud pleraque oppida didicimus, num veteres ſedes, ſpe quærendæ alibi incolumitatis desererent; nec enim pars vlla prouinciæ immunis erat. Sed vel repentino malo intercepta deliberatio, vel eadem vbique peſtis retinuit ambigentes. Qui ſuperfuêre parum tuti ſibi & aliis credebantur, exiſtimantes ſtrata, parietes, tecta, denique aërem ipſum ægreſcere, promori ſemper in malum fide ob metum. Militum nonnulli eadem contagione perierant, quòd tantis familiis decumbentibus, non domeſticis cura, non externis cautio ſuppeteret; & communi cœlo eadem infectio duceretur. *Morbilli.*

Quo tempore Sabaudius Monferratum vexationibus exercebat; & Hiſpanus miles amica hoſpitalitate hauriebatur; cum lues vaſtaret, demiſſa cœlo grando

Non longior eodem in loco mora quæſtuoſa militi, ijs quæ perdituti venerant abſumptis;vt iam ſtatio vtriſque intolerabilis videretur.Ergo trans Moncaluium per oppida vicina locatum eſt, vt hic quoque quod integrum erat diriperetur; non Duce ſolùm militię,ſed & Monferratenſibus miniſtris inuicem querentibus, aliò miſſis opulentiores receſſus quæſitos;vt viliori annonâ milites vterentur,ciues minus largitionibus tenuerentur. Sed hi obliti quæ priori bello ſæua ac immania tolerauiſſent,nec prædarum ac collationum,quæ victor hoſtis expreſſerat, memores;nouis inſuper vexationibus,miſerrimos onerabant.Audentiores Monferratenſes in propriam cauſam reuocatus Mantuam, & amotus curâ Rubens, nouiq; Gubernatoris fama reddiderat. Itaque ad Caſalenſes profecti,miſſam cœlo tempeſtatem,morbos,in belli vſus Sabaudias erogationes, direptiones,incendia armentorum iacturam, quæ vix millione auri æquarentur, cum gemitu ſunt executi,haud dubiè ſubleuari orantes. Spem ſolatij Mantuani literæ dederant, quibus Guerrerium euntem comitatus fuerat; quippe ſubleuari oppreſſos imperaſſe ſe; & curam immunitatis ſingulorum haberi ſcripſerat, permiſſo præmiorum ac pœnarum arbitrio: ſed morum belli parum callidi, bona verba, & opima promiſſa vſurpari; ſubditorumq; viras ac fortunas, ſeruandæ dominationi deſtinari neſciebant. Guerrerius nihilominus magno pietatis & integritatis documento collachrymatus eſt: cumq; nullum ad manus remedium, & præuentos apud Ducem ſuum Oratores; Inoyoſam Aſculanumq; ſciret,benignè tamen allocutus ſolatuſq; eſt; ea belli mala,nec diu duratura ſpondens. Simul ſpem dedit certioris ſecundioriſq; fortunæ; & paucos poſt dies,diſſoluendæ aut abituræ militiæ.Et illi quidem licet onere non leuarentur,comitate nihilominus Gubernatoris leniti ſunt: vt & breuem moleſtiam futuram crederent; & quæ ſocij fortiter tolerauerant ipſi conſtanter paterentur. Satis illis pro præſenti malo viſum, nullum pietatis genus in poteſtate Guerrerij fore,quod ille beneficio gentis,non eſſet vſurpaturus.

Monferratenſes porrò ipſos exercere rapinas, auſoſq; diurnos incurſus non fruſtrà dictum olim fuiſſe, Pontificij Nuncij ad Guerrerium literæ docuerunt, quibus continebatur; longius diſſitos Monferratenſes nocturnas prædas agere, inſidere itinera; turbare reducta iam commercia,captiuos abducere; & huic rei modum, ne qua noui belli occaſio oriretur, poſcebat: quantum eâ populatium inſolentiâ præſumptionum Sabaudio accederet; & quibus argumentis Mantuanus tergiuerſationis agueretur,proſecutus. Inquiri ac probari obiecta placuit,per eorum oppidorum quæ accuſabantur adminiſtros, ingenuos & veritatem delaturos. Reuertêre illi (incertum quo doctore eruditi fuerint) retuleruntq; nil prædarum,ne à Pedemontanis quidem auditum; ſed odium Sabaudij ac Mantuani, propria rerum nomina confudiſſe: vini cyathum,exitium: auulſam horto lactucam,ſacrilegium: carpta aut ſponte decidua poma aſportata, prædam appellare. Neque ea Monferratenſes potius, quàm milites præſidio impoſitos, libidine ac petulantia,forſan & æquitare auſos; poſtquàm non alimentis,non pecunia incolarum explerentur, venarui ſtudêre; regreſſos à volupratibus quas laborum vice vſurpent, poma, herbáſque vicinis hortis lecta aſportaſſe, concedentibus ſponte dominis & conniuentibus: ne leuiorum prohibitio, maiora in vindictam inhumanitatis ſuaderet. Eam rantùm calumniæ formam ſuperfuiſſe,vt damnorum & rapinarum, innocens Sabaudius crederetur, quæque ipſius miles ſecretò admiſiſſet, apertè Monferratenſibus objiceretur. Ex ſimilibus metum eſſe non poſſe, inualidis Mantuani ſubditis reddendæ noxæ; & Hiſpanis intra cellas vinarias clauſis per æſtiuos calores, tamquam ad otium ac ſaginam. Quinimo illos,Mantuani imperio, infirmitate propriâ, Hiſpanorum obſeruatione,Sabaudij formidine territos, adeo alienis abſtinêre; vt propria, diſſipantium arbitrio permittant.

Pontificis Nuncius cū Guerrerio queritur de Monferratenſibus.

Seuerè in audaces ac ſeditioſos Gubernatores locorum animaduertere;vt eo ſaltem Principis ſui cauſam ſpecioſè inſtruant,oneréntque Sabaudium,quotieſcunque hoſtilia tractare denuo præſumpſiſſet.Sic illi Mantuani innocentiam ſtrenuè executi (incertum an ex vero) non quod perſuadere ſe poſſe crederent; ſed ne Nuncius degenere taciturnitate conſcientiam facti argueret. Reſpexiſſe humani ingenij conſuetudinem videbatur; vt ſicut ius apud potentiores, quamquam vi agentes creditur;ſic miſeri propriâ ſemper culpâ iacere exiſtimantur.Quo rarior virtus eſt, eò difficilius admittitur:nec apud alium creditur, quàm dicto & facto potiorem.Adhuc Mantuæ Rubeus turbæ ſeruientium mixtus agebat,ademptam prouinciam, & Romanam legationem dilatam (quin enim Claudius Gonzaga, aut quiuis mitteretur, parum abfuerat, Chieppio & Iberto vices reddentibus, & facili in mutationem Mantuano) altius in animum admiſerat, quàm vt conceptam indignationem ſilentio premeret; aut ſibi olim obiecta fuerant, pro vanis habita credere vellet: quamuis Mantuanus forenſem inquiſitionem inſtrui,aut illum publicè obiectorum criminum interrogari noluiſſet. Satis habuerat eorum quæ coram ingerebantur memoriam priuato ſermone reducere, præſentibus conſilij adminiſtris,ne quæ vera fuiſſe probata non fuerant,probabilia tamen,impunè tranſmitterentur. Sed ille concitatiori in detractores ira; & pleriſque prouincialium tamquàm auerſis infenſus, in eorum caput tegerere culpam, & communi ſe infirmitate excuſate nitebatur: iiſq; (quod minimum) negligentiam, & plerumque corruptum in Sabaudios animum obiectabat. Nec omnino auerſabatur Dux quæ dicebantur;cui ferè prouincia omnis eadem pice oblita, nec plenæ omnino fidei credebatur, & prona apud Mantuanos opinione flagitij, quibus vetus cum Monferratenſibus æmulatio intercedebat; vt rebellium vocabulo indiſtinctè omnes notarentur,vſus obtinuerat.Sanè apud quoſdam Prouincialium inficiari perfidia non poterat; quòd multi huc illuc profugi eo nomine accuſationes ferrent;quamquam pro locorum numero,& pauci deſertores fuerint;nec aduerſus fortitudinem & conſtantiam conterraneorum perfidiâ valuiſſent,ſi potentiorem dominum, & infirmiorem hoſtem nacti fuiſſent. Sed & manifeſta Guerrerij æmulatione Rubeus agitabatur vt famâ ac ſucceſſione potioris; cuiſque ex mutatione ſtatim ciuium commendatio, domini certa ſpes, & Hiſpanorum fauor affuerat.

Sabaudius qui hactenus Monferratenſia arma ioco duxerat; cum Rubei culpâ profeciſſe diceretur,cautius cum Guerrerio agere ſtatuit;non ſolùm certa ſua aduerſus Hiſpanos reuerentia(quorum ille voto ac commendatione cæteris contra nitentibus prælatus credebatur:) ſed etiam ne gloria intercideret, aut prioris ignauia omnem illi victoriam dediſſe putaretur. Monferratenſes plus nimio ſecuritatis præſumentes, eo impoſito adeo intumuerant, vt in vili Sabaudium haberent, & affuturam conatibus ſuis fortunam exiſtimarent: opinione tamen deluſi ſunt: nec enim ſolitas ſibi artes Dux ille omiſit, ſed in præteritarum iniuriarum, & præſentis fiduciæ vindictam lacetare Monferratum voluit; certus propoſiti, niſi ſupplici Mantuano,& quæ ſatisfactionis nomine requirebat acceptis, pacem facere.Inde concordiæ exordia proficiſci,vnde contemptus cœperat, volebat;& admonere documentis exteros, neminem illi Mantuani exemplo impunè inſultaturum.

Soluta obſidione Sandamiani,& hoſtilibus copiis haud procul loco ſtationem agitantibus, cum oppidum puluere bellico, plumbo, cæteriſque belli neceſſariis abundaret, funiculis tamen ſuſphureis indigebat. Nam continuis excubiis cum Adres pro mœnibus oppidi concediſſet (quamquam ciuibus obſeſſio ex ſententia ſucceſſiſſet,) quicquid illatum fuerat abſumpſerant.Intuta pax,irrita negotiatorum ſedulitas, vana Oratorum cura credebatur; eóque tamquam integro adhuc

huc bello, ſibi cauere in animum induxerant. Quantum vſui ſatis erat ab exteris pecuniâ miſsâ comparatum; & vt decem equitum cuſtodia oppido importaretur Cæſari Domitiano cura iniuncta. Secreto proficiſci iuſſus, ne ambiguo adhuc tractatæ pacis exitu, bono iure aut colorato ſaltem prætextu Sabaudius prorumperet; quaſi bellum à Sandamianenſibus magnâ ſolicitudine denuò appararetur. Illi Albam, mox obuio nemine Sandamianum vexêre. Sed redeuntes, vbi ditionis Aſtenſis oppida inceſsêre, quinquaginta Pedemontanos cataphractos media via offendêre; haud procul Caſtellinaldo. In hos plures & fortiores impetum facere auſi ſunt; irâ magis quàm ex vſu. Non omnes detexerant. Itaque circumuenti, ſiue commeatum bellicum, ſiue Genuâ aduectam pecuniam Sabaudij, inditio vano exploratoris credidiſſent. Nemini certè incolarum ignotum fuiſſe; non eo itinere Genuenſem negotiationem procedere, credere illos impulit, pulueris bellici famâ tractos. Monferratenſium alij fugâ Sandamianum regreſſi ſunt; tres omiſſis equis, per accliuia enixi graues armis equites equoſq; fruſtrati; pedites qui ſe diſcedentibus addiderant, quinque capti; nec ij aliâ causâ vincti, quàm quod in fugam verſi, doli ſuſpicionem feciſſent. Vnde tamen & quâ causâ venerant liberè faſſi ſunt. Oppidorum Sabaudij rectores, iniquum id, nec profuturum in pacem exempli rati ſunt; eoq; captos tertio poſt die dimiſerunt. Nequaquam tamen diſplicuiſſe Sabaudio vexationem, & incuſſum audacibus metum didicimus; ne cum ille in concordiam diſponeretur, Mantuanus tempore creſceret, bellum pararet, & difficiliorem hoſti victoriam redderet. Fortè his quoque turbis admoneri Mantuanum voluerat, vt promptius in pacta deſcenderet; nec dolo ſuorum, aut externo ſubſidio fideret. Et iuri nitebatur, & potentiæ: niſi forſitan Inoyoſæ & Aſculani in Mantuanum malignus animus perſuaſerat, illos conniuentia & cunctatione vti; quod non vno auctore ille Mediolano per literas didicerat.

Miſſo celeri nuncio Guerrerius Inoyoſam, Aſculanum, cæteroſq; ſpecioſi nominis protectores turbatæ à Sabaudio pacis admonuit: ſed iam in poteſtate Monferratenſium queri tantum erat; audiri ac foueri apud nolentes & promittentes. Id perſpectum (vt cætera) Sabaudio, audentiorem illum in nouas turbas reddidit; vt nullo factorum vindice, aut reddendæ rationis arbitro promptè vexaret & carperet. Sic frequentes Monferratenſium captiuitates, nocturnæ prædationes, inſultus repentini audiebantur: cum veluti ſecurâ pace, & Hiſpano præſidio confidentes inter vicinos agerent, negotiarenturque. Priuatæ quoque inter accolas ſimultates valebant; cum Sabaudij imperij ſpecie, & cauſæ publicæ imagine, inimicos quiſque ſuos perſequeretur; vt tamquam prædam bello partam quæſtuoſis conditionibus dimitterent. Toties laceſſita patientia, ad extremum quoſdam in rabiem egit: nec enim diutius querelæ populorum, iuſta odia, militiæ Hiſpanæ negligentia; & (quod præcipuè affligebat) Inoyoſæ & Aſculani cunctatio tolerari poſſe videbantur. Et quamquam Monferratenſium vires, Sabaudio inferiores eſſent; non tamen ab hoc adeo ſpernendi credebantur, vt locorum peritia, aſtúque, & deſperatione procurrentes, vindictam omnem forent neglecturi. Et certè, quidam olim à Rubeo retenti, nullo amplius frænante, in diſcrimen prorumpere geſtiebant, alacritate Guerrerij ſtimulati, & ſpe reddendi hoſtibus odij. Clam ergo populares cum inter ſe hactenus non intellexiſſent, inuicem monuerunt, canendas ſibi velatas inſidias imagine amicitiæ adornatas, abſtinendum ad tempus Pedemontanâ, cuſtodiendos agros, claudenda oppida, & vigili ſtudio ſepta omnia hoſti obiicienda. Vbi inferendæ vi occaſio ſeſe oſtendiſſet, eludendos validiores, ſeruiendum tempori, & coniuratione certandum: aperti belli oſtentatione Sabaudium temperaturum: quoſdam eius milites cauendos, furandi quàm certandi meliores. Parum intus æſtimata ſententia acce-

Guerrerius queritur cũ Inoyoſa.

quietem cuperet & expediret, minime ſectabatur. Itaque Inoyoſa Alonſum Pimentellum ad illum miſit, vt facilia & quæ negari piaculum crediderat deferret: ignoſci rebellibus, damna prouinciæ illata condonari, Infantem neptim concedi Sabaudio conſulebat. Et quanquàm horum nonnullis, nec Regum, nec Principum imperio ceſſurus eſſet; damna tamen prouinciæ illata, ſilentio Inoyoſa tramitti præcipuè noluit; teſtatus conceſſurum ſe vitâ ac dominatione potius, quàm aut ignouiſſet rebellibus ſuis, aut pacem niſi reproductis damnorum pretijs recepiſſet. Dederant animos modicè prudentiâ prouecti, qui legum placita obſtrepentes, idem in bello quod pace ius perſuaſerant. Eò præcipuè nitebatur, quod totum orbem eam inuaſionem damnaſſe, ac perduelles ad pœnã vocaſſe diceret. Pimentellus quidem licet erga iuris & facti notitiam ambiguè loqueretur, fateri tamen auſus eſt, ſuſcitatas turbas Regi ſuo non placuiſſe; idq; argumento docuiſſe; quòd ſuorum armorum explicatione, tutelam innocentis recepiſſe videretur. Hactenus quidem mãdata executus fuerat, ſed potiorem ſecreti partem ſiluerat; nempe vt res nouas, ſic ante alia cauſas Regem ſanctiſſimum reprobaſſe. Tacuiſſe Pimentellum quæ læſura fuerant, hoſpitij causâ crediderim; quæ Mediolani non ſemel & in caſtris ad Vercellas liberè teſtatus eſt. Scilicet auctoritati ſuæ potius fidebat; ſed cum non ſuâ non Inoyoſæ gratiâ veniam exprimeret, tacitam Regis voluntatem ſermone ambibat; & huic obuiam officio iri conſulebat. Plus fore meriti dicebat, ſi ſponte quàm rogatus conditionibus pacis acceſſiſſet: ſi deſiderium Regis ſponte præueniſſet, illumq; onere rogandi leuaſſet.

Pimentellus ab Inoyoſâ Mantuam miſſus, vt rebellium veniam, Infantis reſtitutionè, & damnorum obliuionem perſuadeat.

Mantuanus libris & Doctorum auctoritatibus contendebat: neque niſi pernicioſo Principibus exemplo, perduelles, & in dominantium exitium fatebatur eos impunè agere. Communem eam regnantium ſecuritatem ſi ne apud hoſtes quidem, ſuorum Principum proditores impunitatem inueniant. Rurſum ille, tot interceſſoribus, & communi bono condonãdam eam vindictam aſſerebat; quam ad extremum diuturna negotiatio, & precum conſtantia forent expugnatura. Non illam Hiſpani Regis voluntatem credere, Mantuanus referebat; eamq; (ſi certioribus admonitoribus ignorauerat) pietatis, iuſti, & æqui deſiderio teſtatam. Nec enim maiori iuſtitiâ Regem, ſuorum exterorumq; facta metiri ſolitum; & vel eo titulo famam prudentiæ compoſuiſſe. De Infante puella adeò fruſtrà quæſitum; vt ne Regis quidem arbitrio reſeruato, omninò negauerit. Vtrumque tamquam ab Inoyosâ petitum, bono iure ſe Mantuanus abnuere dicebat: Neque enim tantùm in homine auctoritatis agnoſcere, vt ſi ille intoleranda præciperet, ipſe ſtatim exequeretur. Poſtremum id ſummiſsè proſecutus eſt; ne ſi Inoyoſa metum deprehendiſſet, & quo maximè vinci Mantuanus poſſet didiciſſet, Aulam omnem ille in ſua vota traheret; cogeretq; concedere: ſiue id ſuo, ſiue Regis honori permiſiſſet. In hanc cogitationem Inoyoſa dedit ad Regem literas; & additum conſilium, quaſi id Mantuanum abnuiſſe maieſtas eſſet. Contra Ioannes Octauius Gonzaga, apud Regem necnon conſilij adminiſtros, voce ac ſupplicibus libellis vſus, rei iniquitatem appellabat; & iis quæ Inoyoſa machinatus fuerat, acriter intercedebat. Surdis argumenta inſtillabantur, adeo Lermæ Dux tenax conſilij, & qui pro Inoyosâ erant ſtabiles ſententiam retinebant. Fruſtra erga Deum hominumq; fidem inuocans, deſerere inceptum coactus eſt; & Rex quod Inoyoſa propoſuerat, honeſtum temporiq; congruens ratus, miſſis in Italiam literis imperauit.

Mantuanus renuit.

Rex probat Inoyoſa conſilium.

Vidiſſe ſcribebat quæ pro Mantuano Ioannes Octauius Gonzaga protuliſſet, & ſingula ſuis ponderibus pleno conſilio æſtimaſſe. Ante alia gratam ſibi Mantuani voluntatem, & profeſſum obſequio animum; nec minus in eo gratitudinis credidiſſe, quem totis viribus tutatus ſit; & exutum dominatione antiquæ poſſeſſioni reddidiſſet; medium ſe decertantium ſalubri temperamento

proceſſiſſe; ambobus ſatisfieri cupere; vt contentionum occaſionib. amotis, ſolidam pacem admitterent; Infantem puellam à Mantuano retentam, ſaltem in libertatem reſtitui cupere, ſibíque promitti; ſpondereque non defuturum iuribus illius exitum, ſiue cauſa ſiue vi agendum foret. Damnorum quę per Monferratum Sabaudius intulerit æſtimationem pridem Pontifici, Cæſari, ſibíque conceſſam. Non minus quid de rebellib. decernendum ſit permitti velle; tollendis nouis belli cauſis. Nec enim inconſultè credi iis qui potentia pręualidi, non ſibi ſed aliis quietem curant. Siue proprio ſiue alieno ductu, paratum à Mantuano militem ſtatim dimitti, idem Sabaudium agere feriò cupere. Fruſtra vtrique arma tractari, ſuffecturo Rege aduerſus peruicaciam, & parato ſuſtentandis iuribus partium: ſibi iudicium omne litémque recipere. Hoc toleraturum nouos motus, aut contraria ſententiæ ſuæ conſilia. Hanc immutabilem inſediſſe ſibi voluntatem, quam Inoyoſæ ſignificari iuſſerit; iuberéque tantum Gubernatori ſuo à Mantuano fidei haberi, quantum ſi coram mandata accepiſſet.

Ea Regij decreti ſumma fuit; etiam Aroſiliqui à ſecretis ſubſcriptione firmata. Dictu mirum quo faſtu res hæc per Italiam accepta, quantis ſuſpicionibus Principum animi fluctuauerint; grauiori multorum expoſtulatione, quo magis Mantuanus per literas querebatur. Pietatem quidem regiam, & hactenus aduerſum ſe caritatem fatebatur, ſed Inoyoſam & aduerſæ artes quibus exercebatur, inſectabatur. Imo & Cæſarem proprio curſore moneri voluit; ne quod ille ſemel iuſti intuitu decreuiſſet, irritari ab Hiſpano Rege officiis miniſtrorum pateretur. Adeo Mantuano, non Galli, non Hiſpani; non pace, non bello placebant. Non minus ingrata Reginæ Galliæ res fuit; cœpitque (quando apud Mantuanum Infens Maria habenda non foret) vt ſibi concederetur requirere; apertè Hiſpanum abditarum artium arguere. Id tandem Inoyoſæ conſilia Regi (cui Reginæ Galliæ cogitationes & honeſti conatus perſpecti erant) aperuit; impulitque vt mitiorib. conſultis egere tempus illud doceretur. Quia tamen lata ſententia, niſi imminuta exiſtimatione retractari poterat; cum idem à Mantuano Rex poſceret, quod olim decretum; nunc conſilium, hortatum, bonum factum appellabat. Nouerat Mantuanus quantum regia conſilia ponderarent: & quia non ille, non amita, non qui conſiliis intererant votis Hiſpani annuebat, nouum Oratorem mitti placuit, qui iura illius ſuſtentaret, omni ſuſpicione ſuperior; quam Ioannes Octauius Gonzaga ob vetera parentis ſui in eam gentem merita iam incurrerat.

Scipio Paſchalius pro Mantuano Orator ad Hiſpanum.

Et quamquam natalibus ſtudiíſque parum amicus Gallis crederetur, delectus tamen eſt Scipio Paſqualius, eruditionis, modeſtiæ, prudentiæ probatus; quem regni Neapolitani ortus videbatur apud Regem commendaturus. Legationis ſumma erat: Ne Mantuano relictæ viduæ matrimonium obtruderetur; ne Infans defuncti Ducis filia poſceretur; ne rebellium venia requireretur. Cæterùm continua ſerie exponere iuſſus eſt; neminem fallere potuiſſe, quid acturus Pimentellus, regio nomine Mantuam veniſſet. Paucos nempe ante dies, infantem Mariam, vt Mediolani maiori ſplendore haberetur, petiiſſe, non alienæ potius quàm Mantuanæ vtilitatis prætextu. Id licet arte Sabaudij, aut altiori inuidorum cogitatione factú non credat; eo tamen deſiderio æſtuaſſe Ducem (quod epiſtola Sangeorgij ad Vulpiani Marchionem teſtatum ſit) metui poſſe: quaſi iniquæ Monferrati inuaſioni ſpeciem honeſti inducere voluiſſet; & Europæ Principibus teſtari ſe iure agere. Eandé nunc rerum conditionem eſſe; & quod aliàs regio fauori accepti referri potuerit, tú proximè iniuriam fuiſſe. Apud ſe tamen tantam regię maieſtatis reuerentiá viguiſſe, vt quod ſtatim receptiſſimis cauſis negare debuerit, modeſtiſſimè & titulo precum abnuerit. Vt eadem modeſtia Io. Octauius Gonzaga Orator ſuus, abnuendi excuſationes produceret, literis ſignificaſſe. Validiſſimis

enim

enim rationibus obſtantibus ſperaſſe, potentiſſimum Regem cauſæ iuſtitiam alieno deſiderio præpoſiturum.

Hæc inſtructionis abditæ ſumma erat; ſed apertè antequam de re diſſereret: iuſſus eſt primùm ſuo nomine ob caritatem in neptim, ac domum omnem humillimas gratias agere: mox teſtari haud incertum ſibi eſſe, pacem illi Italiæ & familiæ ſecuritatem cordi fuiſſe; vaſtas tamen Sabaudij cogitationes; & conceſſa nepti patrui vilipendium deprecari. Nec Regi ſolummodo iſta, ſed (ſiue Italo, ſiue Hiſpano conſilio, ea cura committatur) Proceribus & quibus aliqua auctoritas ſit, cauſas negandi, & formidinem doli exequi debere. Certo tamen in adminiſtros temperamento (quod lamentatio & accuſatio parum tempori opportuna videretur:) ſed aperta in Sabaudium querela; vt in turbatorem pacis, inquietum, inuaſorem alieni (hæc enim nomina potentiori impoſuerat:) reuocandam quoque Cæſaris memoriam, commiſſamque ſibi neptis tutelam (quam paternæ domui abſtrahi prohibeatur) conſenſui generis humani, & legum placitis congruentem. Fruſtra eius fidem ſuſpicionibus incuſari; cuius vtilitati non mors puellæ, non prouecta ætas, ſint latura incrementum. Quippe & hæredem matrem (ſi quid fortunâ ſiniſtri eueniſſet) eſſe; & adultam, domus opibus decenti generi coniugio ſociandam. Porro ſe Sabaudij amicitiam non abnuere; nec noui belli cauſas accedere: neque difficilem partium concordiam futuram; ſi inanibus deſideriis omiſſis, honeſtæ concordiæ locum feciſſet. Nimis ſuperſtitioſè ac delicatè reſpici maternum viduæ ſolatium; nimis licentioſè ius familiæ negligi. Cum enim filiam in poteſtate per leges mater non habeat: ſanxiſſe iura, quomodo defuncto marito caritate parentet: familiam filióſque nouo matrimonio viliores habeat. Et quia longum Paſqualio Regis congreſſum fore non credebat (ferè enim præcipua negotiorum, apud Aulicum conſilium expediebantur:) Lermę Ducem, Ioannem Idiaques, & Monachum à ſacris confeſſionibus, non ſolùm ob præſentem neceſſitatem; ſed ne negligi ſe putarent præoccupari iuſſit. Fortem ſe & intrepidum ſuſtentandis ſui domini iuribus probaret; nec inanibus contremiſceret. Summiſsè tamen cauſam ageret, vt quamquam bono iure præualeret; paratum ſe tamen oſtenderet, id quoque beneficij regiæ gratiæ imputare. Ante alia fiduciam ſe offerre reſtaretur; nec ambitioſis colloquiis inimicorum honorem elueret, Matrimonium verò intempeſtiuum malorum remedium fateretur; nec ſine vi conſilium credi poſſe; ſi neptis puella conſanguineos & ſubditos diſceſſu turbatura; aut repetita conſanguinitas, tanto ſuo pretio requiratur. Vbi neptis cauſam iure ac reuerentia peruiciſſet, tranſiret ad rebelles; oraretque ne fœdiſſimo exemplo flagitioſiſſimos impunè dominis ſuis inſultare vellet: ſed publicæ vtilitati, documento iuſtitię, ſecuritati dominationis puniri. Mediolano Geneum proficiſceretur, Inoyoſam obſequij argumento inuiſereret; vt tandem iuſtitię faueret, Regémque auctoritate & conſilio in res ſuas flecteret precaretur.

Ardua haud dubiè prouincia ſeſcepta à Paſqualio videbatur; compoſitis iam Aulę Proceribus in Ducis Lermę ſententiam; & Inoyoſa quo datam Sabaudio fidem retineret, omnia Mantuani aut reſpuente, aut imperioſè tractante. Ingens Mantuani aduerſus Hiſpanos fiducia credebatur; vt quamquam à nonnullis miniſtrorum deſpectus, & lęſus eſſet; ad nouas tamen preces non deſcenderet, vt ab iis iniuriâ leuaretur, qui intuliſſe putabantur. Iam verò Paſqualis deſtinatio pleroſque perſpicaciores offenderat Mantuani causâ: cum enim eſſe in Hiſpania Ganzagum nobilioris, & certioris apud Proceres auctoritatis; cúmque iam opinione Regis, & conſilij ſecreti placito ceſſiſſe fama eſſet; irritè proficiſci minor, & inter ęmulos oritura diſcordia metuebatur

Diffidere ptiori Oratori Mantuanus alio miſſo dicebatur ; & Gonzagam inferio-
ris intolerantem, poſſe negotium omnē in præceps voluere. Accincto iam iti-
neri Paſqualio , non Mediolani ſolùm (vbi iam Mantuanus causâ ceciderat ;)
ſed & Mantuæ per cunicula vulgatum eſt , inanem & diſpendioſam eam miſ-
ſionem , ſi neganda Regi puella , venia rebellium , & damnorum obliuio eſſent.
Et licet non omnibus communicanda conſilia , nec cauſæ deliberationum pu-
blico examinendæ proponi deberent , repertus tamen vir acris ingenij , qui au-
cupandæ ſui Ducis gratiæ, cauſas omnes abnuendi ſcripto complexus eſt, dedit-
que in publicum ; tamquam ingrata de obnitentibus ſententiæ victoria abſque
conſenſu generis humani haberetur. Vniuerſa quæ probare Mantuani deſtinatio-
nem poterant , in ſcænam deduxerat, compoſuerátque : quæ memoriâ digna cu-
ram quoque noſtram mereri viſa ſunt. Omitti geminatus labor poterat; niſi apud
Aulam Hiſpanam trita multorum manibus ſententia , vniuerſos æſtimatione iu-
rium aduertere coëgiſſet. Sic ad verbum habebat.

Scriptura vulgata in fauorem Mantuani.

Mediolani Gubernatorem à Cardinali Mantuæ Duce duo requirere;& quam-
quam modeſtè agere videatur , tertium præterea velle ; nec comminatione ab-
ſtinere , vt doceat inter cætera inhoneſtiſſima ſic quoque præſumere : Nam &
condonanda illata Monferrato damna, quæ iniquiſſimâ inuaſione Sabaudius in-
tulerit,& ignoſci rebellibus (quod nemo mortalium vitij ridendum cenſuit) cu-
pere ; poſtremum tacitè innuere. Infantem nempe, è Franciſco fratre Duce reli-
ctam, filiam concedi; quæ Mediolani aut Mutinæ compare generis ſui ſplendore
apud matrem educaretur. Priora Mantuanum ſolidiſſimis contra cauſis abnuere;
& obliterari tot prædationum ac deſolationum mala , nec honeſto reſpondere,
nec in ſummam pacis conferre. Neque enim veteres prætextus,& mutua de-
certantium iura eâ conceſſione ſopiri , manentibus odiorum cauſis , quas Cæſa-
ris decretum nondum expediuiſſet ; & non defuturis nouis ſeditionum colori-
bus,ob deſiderium vindictæ,& finium tortuoſam complicationem. Quod itaque
iure gentium reclamante, & reconciliandis animis improficuum agnouerit,pru-
denter reieciſſe: quamquàm intentatas apud Cæſarem à Sabaudio minas require-
re,vt compeſcendæ cupidini, cauſam ſuam Mantuanus ſuſtentet; integrumq́; re-
tineat; quod petitione æmuli (ſi valuiſſet) componatur. Bellorum inter Principes
conſuetudinem, quâ ſecutâ pace nulla damnorum mentio habeatur, malè præſen-
ti occaſioni adaptari: neque enim bellum hoc, ſed iniquam inuaſionem, direptio-
nem, ſeditionem fuiſſe; quę re ac nomine deteſtanda, à bonis omnibus ſatisfactio-
nem mereri credantur. Decorum nomen ignominioſo facto impoſitum, & quod
proditio, inſidiæ, ſacrilegium fuit, honeſtiſſimè appellatum. Id diſtingui debere; ſi
intacta iura gentium , & finium ſecuritas apud vicinos deſideretur. Porro quòd
facilis in promiſſa, & alieni adeo promptùs largitor Inoyoſa fuerit; & temeritati
hominis (ſuum dedecus ac perfidiam iniuriâ velare volentis ;)& deſpectui Man-
tuanæ domus (quæ non ſemel tenui fortuna & mendicantem potentiorum ſub-
ſidia per Italiam ſatiauerat ſubleuarátque) imputandum. Accedere quòd per
Mantuani miniſtrum Mediolani agentem non ſteterit , quin vanitatis cupidi-
num ſuarum argueretur ; & inſuperabiles apud Ducem eas conditiones con-
cordiæ fore moneretur. Literas quoque, in eundem ſenſum Mantuâ accepiſſe,
quibus abſtinere promiſſione ; & auerſantem ea pacta Ducem monebatur te-
merè non lædere. Quod vt ſæpius à Mantuano negatum ſit ; ſic ſatis Regi ac-
ctum ; quod ille non ſuis , non externorum armis , ſuâ iura tutatus ſit (licet
id ſæpius Inoyoſa conſuluiſſet) nec paci ſtudentem Regem obiectis difficul-
tatibus impedierit. Certioribus remediis , quibus latrocinia , & raptus ſtatim
reprimerentur, potuiſſe ei malo obuiam procedi, ſi inconcuſſa in Regem ſuum fi-
de, & non hoſtilium beneficiorum memoria corruptus (quę ferè honeſtis obſtant)
ſed

Digitized by Google

ſed iuſti æquiq; amore, modica petulantiæ principia oppreſſiſſet. Datam ab illo furori licentiam; vt deſiderium alieni valeſceret, quodq; nunc Mantuani detrimento farciri cupiat.

Iam verò conſceleratorum ac rebellium impunitatem, non leuioribus cauſis à Mantuano negatam; ſiue id fœdiſſimi exempli crediderit; ſiue quod de eorum capite ageretur, qui nobilitate, opibus, amicitijs per Monferratum illuſtres, illiciendis nouis turbis, & integris in partes cogendis ſuffecturi eſſent, & coniecturà certiori oſtenderentur. Semina diſcordiarum eo principio auellenda eſſe, vt minores maiorum exemplo modeſtiam doceantur. Quid ſi Mantuanus propriæ etiam incolumitati, & retinendis auitis prouincijs ſtuduerit? An exceſſiſſe memorià Florentina, Mediolanenſia, Parmenſia parricidia? Gliſcere cum ſimilium venia perfidiam: & quoties alieno imperio aut officio ignoſcitur, audentiores in ſuos Principes rebelles euadere; æſtimatione vel per vim coactæ pietatis. Communi in primis bono necti Regiam vtilitatem: profeſſam quippe Monferrati ab Hiſpanis tutelam, nunquam intermiſſa arma tractaturam; quæ peccandi ſecuritas, & pernicioſa largitio ſint ſtimulatura. Equidem certum Mantuano eſſe, quam voto protectionem cum adhuc in Vrbe ageret ſponte orauerit, ſtabili obſequio demereri; nec alio ſubſidio res ſuas in tuto ſiſtere. Amorem flagitioſorum regiæ magnitudini ac pietati malè congruere. Subtrahendum quoque inquietudini Sabaudij fomitem Rex meminiſſet; quòd ille præceps in res nouas, non alia certiori via creuerit; credatq; quandocunque ſeditio placuerit, eiuſdem impunitatis ſpe deſciſcentes operam accommodaturos. Non tum primùm damna & rebelles, in quæſtionem medio pacis negotio vocata; & appellato Cæſare permiſſum omne arbitrium; non inconſulto aut nolenti illo id attentandum, quod alieni iuris læſione permitteretur. Iuſtitiæ reuerentiam valuiſſe, vt cum decernere pro Inoyoſæ placito Imperator liberè poſſet, veniæ tamen mentione prorſus abſtinuerit. Se quidem eundem apud Regem honeſto locum, quem apud Cæſarem ſperare. Superioribus vis neptis infantis accedere, quàm ne cupidini color deficiat, tribus maximè cauſis expeti Mantuanus agnoſcat. Iure gentium (quo filiæ educatio Matri debeatur) Regis conſanguinitate, & Patrui hæredis ſuſpicione: ſed ea tamen non minus quàm ſuperiora vanitatis continere; his quippe reſpondere Mantuanum; Matres ætate minores tutelà filiorum excludi, & tum liberorum curam illi Cæſaris arbitrio dati, qui proximus ſanguini, & extra ſuſpicionem credatur. Regium quidem in puellà ſanguinem admitti, quíque non nunc primo Gonzagum genus complexus ſit; ſed in eà domo natam, cui par natalibus educatio non deſit. Neque veri ſpeciem habere, Cardinalem Mantuæ Ducem ſuperſtite matre neptis hæredem eſſe poſſe aut præſumere; niſi illa ætate prouecta, in eos annos quos condendo teſtamento legitimos Principes decreuerint, domum paternam poſtpoſita matre nominaſſet. Et quidem intra proprios penates retineri puellam deberi Cæſarei decreti placito, vicinitate, & propinquitate ſanguinis, quibus longius Hiſpanum quàm Mantuanum reſpicit. Non ſuppetere exempla quibus Principes moneantur, pupillam dominiorum hæredem, extra ſuos fines educandam. Ad extremùm iniquo nomine à Rege aduerſus Sabaudium pro Mantuano ſumpta arma gentes omnes credituras; ſi cum eo prætextu mouiſſe bellum iactet, quòd matri filia permiſſa non foret, ſponte id illi in pace concederet, quod graui bello negauiſſet. His alijſq; motum Mantuanum, & quæ Inoyoſa petuiſſet auerſatum, & magnanimum piiſſimumq; Regem iuſtiſſimæ cauſæ protectorem ſperare.

Vix Paſqualius Mantuà diſceſſerat, & iam Mediolani (vnde ad Regem exemplar ſcripturæ miſſum eſt) cauſæ quibus imperata negarentur legebantur, examinabantúrque. Profuit Mantuano ſtudium, & plus opinione Oratoris operam pro-

mouit. Nempe non Inoyoſa ſolùm, ſed plerique negotiorum adminiſtri præuenti videbantur; vt res ante aduentum Paſqualij abſoluta putaretur. Illius auctor omnino non liquet, licet mihi non vnâ coniecturâ ſuſpectus ſit. Petulantiâ & intempeſtiuâ libertate, procaciamq́; ſolitus propriam fateri, ambitioſo periculo plauſus vulgi ſectator; & fortè ad mentiendum obloquendúmque emptus. Deſtinatum mihi fuerat eius ſcripturæ memoriâ abſtinere, quæ ob conuicia ac mendacia digna non erat hoc cœlo; famoſum libellum appellabam; quia tamen ſilentium præuaricationi adſcriptum,& obnoxius hiſtorici animus accuſatus foret, eam huic loco inſeruimus; præmonito Lectore,ſpeciem omnem qua primo obtutu placuerat paulò poſt amiſiſſe; & non defuiſſe prudentia & eloquentia celebres, qui per literas Mantuanum praui conſilij & prioris deliberationis arguerent; orarentq́; & iniurijs in regios miniſtros, & peruicacia in propriam perniciem abſtineret. Vniuerſorum vna & eadem ratio fuit,quoties cum validiori læſo res ſit, ſummo iuri locum nullum eſſe: & bene leui largitione cunctorum poſſeſſioni conſuli. Potentiorem eſſe Sabaudium,quàm vt Regio imperio ſtatim paueſcat; & motis iam rebus, plus fragoris tormentum bellicum rectâ collineatum,quam forenſium rabulorum argumenta ciere. Quò diutius vexetur,pluribus exuatur, maiori Principum tutelâ infirmior egeat; eò minus iurium apud genus humanum repertum. Et quidem Ferrarienſis Mantuani amita implacabilis in Viduam odij tenax monuerat, ne prono Regi in nuptias aſſentiretur, & negotium ſibi inuiſum,pro virili diſſolueret.

Vbi Paſqualius Mediolani fuit, Inoyoſam primùm officij causâ conuenit, vt animum eius aſſecutus,futura opportunè diſponeret. Inoyoſa occaſione lætatus eſt,vt properantem retineret; iuſtitiæq́; præſumentem confunderet. Non ignarus erat,gemino Oratore & peruicacia precum,apud mitiſſimum Regem,eorum aliquid exponi poſſe,quæ diutius diſputata & negata,abſenti imperabantur. Primùm enim fruſtra tantum laboris ſumi teſtatus eſt;neque adeo apertum regium acceſſum fore;apud eum qui non ante Pedemontanum Principem Nepotem,niſi reſtituto prius à Parente Monferrato admiſiſſet.Idipſum Paſqualio euenturum comminatus,niſi peritam à Rege neptim,teſtando in eam Maieſtatem obſequio conceſſiſſet; & obedientiâ aditum ſibi feciſſet.Addidit,parum honeſtè Mantuanum deſiderio Regio eluctati,& generis & ortus ſui memorem; nec placere poſſe,ſi Calaber homo, contra regiam voluntatem decertet) Paſqualius enim Calaber erat) quinimo poſſe tanti Principis indignationem, magno rerum ſuarum malo, & familiæ incurrere. Diſparem Sabaudij ac Mantuani cauſam Paſqualius reſpondit: illinc vim, & ijs etiam qui auſi ſint parum gratam inuaſionem; hinc ius faſq́; eſſe, eoq́; ſperare gratam Regi futuram legationem; in quam ſubditus Orator,& pro iuſtitia preces laturas,mittatur. Tum Inoyoſa breuem moram precatus eſt; quâ miſſo Mantuam Curſore ſumpti itineris vanitatem oſtenderet. Sed ne id quidem Paſqualius admiſit; ſui Domini voluntatem, & feſtinatam miſſionem excuſans. Id verò acriter Inoyoſam irritauit; quaſi iam vota ſua negligerentur; & non vno inditio tergiuerſator aut perfidus, ſibiq́; ac Regi ſuo a Mantuano videretur: eo exemplo parum fiduciæ cæteros Principes habituros. Secretos itaque affectus cohibere non potuit, quin in minas prorumperet, & ſacramento aſſereret,inutilem curam illam à miſſo ac mittente ſumi. Vbi fruſtra perſtrepere ſe, & Paſqualem certum conſilij vidit, Vargas nobilem Hiſpanum a ſecretis,citis equis Taurinenſi itinere,eoq́; breuiori,in Hiſpanias miſit;vt aduentantem Paſqualem fauore Procerum nudaret, eiq́; Regium acceſſum obſtrueret. Et Vargas quidem viæ commoditate,quæ Oratori Mantuano inacceſſa erat,delatis ad ſecreti cōſilij Aulici participes Inoyoſæ præceptis,& datis Regi literis;quibus perſuadebat Mantuani preces vt iniquas rejici, vt paci iam maturæ obfuturas.

ras. Functus ille ſtrenuè operâ eſt; ſed quamquam imagine victæ cauſæ lactatus, non tamen Principes conſiliarios omnino captauit: apud quos nullus gratiæ locus, & immota aduerſum Regia conſilia voluntas eſt. Rex ſueto ſibi more tam ardua,inconſultis proceribus ſancire noluit; ſententiam eorum præferens; quos regimini pridem admotos,prudentiæ ac ſapientiæ ſpectatæ cognouerat.

Audiri itaque Paſqualem manifeſtâ humanitate placuit: qui à Mantuani in Regem reuerentiâ orſus; vtq; conſultore nullo res ſuas,& ſummam arbitrij,cum adhuc Romæ ageret permiſiſſet; ad ea flexit,quorum recenti odio flagrare æmulos nouerat; ſingula nexâ cauſarum ſerie proſecutus;vt pernicioſa bono publico rebellium venia,iniqua damnorum ceſſio; vtq; neptis permiſſio,non Regi decora,non ſibi tuta eſſet. Fortè congruerat, vt paucos intra dies à Galliæ Regina ad Hiſpanum literæ darentur; quibus perſcribebat dimoueri Mantuâ neptim ſuam nolle; & ſi alteri concedenda foret,ſibi eam requirere. Certum id fuiſſe, & ſecuto tempore conſtanter aſſeueratum, valuiſſeq; Reginæ officium, in ſequentibus trademus. Id obfirmatos quorumdam animos flexerat,vt mitioribus inſiſteretur; neque in iuris contemptum ferociſſimæ gentis æmulatio prouocaretur. Vbi finem dicendi Paſqualis fecit (attentè enim & diu auditum ſcimus) paucis Rex excepit: gratum ſibi Mantuani obſequium, nec vanum in eius commoda futurum. Magnitudinem Hiſpanam eo gloriæ proceſſiſſe,vt vim nemini amicorum illatam velit. Quid de rebellibus, damnis, & Infante puellâ ſentiat, per adminiſtros conſilij explicaturum.

Tertio poſt die à Lermæ Duce arcanorum medio, & Regiæ voluntatis interprete auditus eſt: pluſq; operæ miniſtri,quam Regis admiſſio habuit; hinc pluribus opus fuit; vt ſi prauis auditionibus corruptus foret,cognitione rei mollíretur; & ipſe apud Regem latius exequeretur, quæ ab Oratore breuiter narrata ob modeſtiam fuerant. De coniugio Viduæ multa; & quàm difficilia à Mantuano Sabaudius requireret expoſuit: lædentem & iura gentium violantem,à quieſcente & nullius iniuriam tractante ſatisfactionem velle.Infirmitatem æmuli in cauſam abiuiſſe; neque ea quæ poſcat iuſtitiâ aut pacto,ſed armis requirere; tum maximè, cum permiſſum litis arbitrium Hiſpani Regis dignitatem mediam proſpectet. Quamquam nec ſatis clarè eloqui; non commendare,non abnuere matrimonium; ſed ſtabilem in ea ſententia durare,vt æquitas illius placita componat. Conſanguinitate Regiâ vim illam niti; nec ſatis generi humano approbari Regis ſanctitatem poſſe; niſi ille plus honeſto quàm cauſæ, atque adeo plus Mantuano quàm Sabaudio tribuat. Contracto ſupercilio,& renidenti ore omnia accepta ſunt; tandemq; Lerma ſubdidit: fruſtra Paſqualem oratione & precibus laborare: concluſione opus non diſputatione eſſe, quæ tamen Regiæ voluntati concordet. Eam verò eſſe vt Mantuanus propoſito coniugio volens libénſque, depulſis prauis conſultoribus accedat: non alio certiori remedio, & breuiori ad quietem viâ. Id ſi minus placeret (quamquam faſtu aduerſus Regiam neptim vti flagitium & exitium illius credat) puellam certè infantem Mediolanum mitti debere, vt Aui Materni prouiſu educaretur. Nec enim inter diuerſa prætendentes,vni alterum poſſeſſione præeminere velle. Subdidit Paſqualis: de coniugio meritò queri Mantuanum; ſiue fraternâ reuerentiâ; ſiue quòd recentium motuum inſtrumenta,ſecuturæ paci conducere debere videantur. Sed obfirmato in ſententiâ Sabaudio; & vetuſtate obſoleta iam iura ſua,peruicaci violentiâ proſequente,nuptias in concordiam mutuam valituras:ſed vt immania ſunt odia conſanguineorum; ſic veteres prætextus nouâ ſpe prurientes, in grauiores inimicitias abituros. Porro per Hiſpani Regis incolumitatem ac fortunam orare, quo ipſe iure credat,neptim à patruo, à paternâ domo,à ſuis fortunis,obſtante decreto Cæſaris,lamentantibus, minitantibuſq; ſubditis ac conſanguineis auelli? An

Dd 4

ignorare non dubiam diſcordiam imminere; ſiue Sabaudio ab Hiſpanis permittatur, ſiue Mediolanum miſſa, Gallos (quò minus hactenus eruperint Mantuani precibus retentos) ad arma prouocet. Reginam quidem prurientes in bellum auctoritate poſſe retinere, quoties occaſio minus Proceribus probetur; ſed ſi cunctorum regni ordinum, vna mens, idem ſenſus ſit, cogi; rapiq; vi populorum, arbitrio nobilium: niſi bellum atrox, & leuis initij immania diſcordiarum incrementa turgeſcere Rex velit, relinquendam domi puellam; & alia concordiæ pacta proferenda. Equidem à ſanctiſſimo Rege, vel ſtudio pietatis, vel deſtinatione & arbitrio per obſequium permiſſo, non aliud quàm iuſtitiam expectare; & erubeſcere ſe eius obnixas preces deferre; quod nemine orante ſciat Regem ſectaturum.

Senſit Lerma negotiorum magiſter, rationes Paſqualis pondus aliquod præferre; neque illi aliud quàm deſideria ſine imperio & comminatione exponi poſſe. Iræ tamen ſimulatione tegere animum voluit; & quod iam in mentem fortè induxerat externo colore inumbrare: An, inquit, credit Mantuanus quantum pecuniæ opúmque Indiæ fiſco ſuppeditant, Regem noſtrum in aliena commoda, nullo ſui cultu, nulla oſtentatâ facilitate impendere ſtatuiſſe? Non ignarum illi quæ regno ſuo exitioſa, pater ac filius Mantuani Duces cum Gallis agitauerint: & conante Paſquali obiecta diluere; vt ſileret imperauit; addito, ne eorum excuſationem ſuſciperet, quæ vniuerſi vt mala ſic vera deprehendiſſent. Oblato poſtmodum nouo ſermoni tempore, vbi impetus & exaggeratio depoſuit, ne quæ Lerma ingeſſerat Paſquelius pro confeſſis acciperet, id vnum addidit: defuncti & abſentis faciles accuſationes eſſe: & tam promptè admitti ſuſpiciones, ne ſuſtentari cauſa permittatur. Sed vtcunque res habeat, non vno documento (cui malignitas contradicere nequeat) Regem optimum certiſſimam Mantuani mentem ſpectaturum; & ſi præterita in examen reuocentur, ſi criminum copia fieret, falſitatem calumniáſque detecturum. Præſertim Mantuanum nec voluiſſe, nec potuiſſe externam fidem admittere; non rebus eius nouas amicitias (quæ niſi longa probatione admittantur) conducere; illigatum Auſtriacæ domui, non vno beneficio; neque eò impudentiæ proceſſiſſe, vt gratitudinem (vetus ſuæ familiæ ornamentum) dedidicerit. Scire illum non alio ictu irreparabilius cadere poſſe, nec maiori telo ab hoſte confici; pro virili tamen curaturum, vt fruſtratis detractoribus, veris argumentis amicitiæ, eum Regis fauorem retineat, quem vltrò vel nolentibus offerat. Tum Lerma: non id querelarum tempus ait; ſed docere tantùm voluiſſe, quàm prudenter & honeſtè Mantuanus aliquid de rigore iuris remiſſurus, tantæq; Regis caritati condonaturus ſit aliquid, quod ſecuriorem tutelam, & vberiora beneficia inuitet. Nec minus ſcire cupere, quid de rebellibus ac damnis ſentiat, quid in Regis gratiam facturum ſe reciperet; & an nullâ conceſſionis auctoritate, tantum itineris ſit emenſus. Paſqualis vbi matrimonij negotiatio expleta, & rebus forma data foret, de his ſe quoque acturum retulit. Neque enim ſuper re aliâ præciſa ſui Domini mandata detuliſſe. Id quoque diſplicuit; ſolito Lermæ Duce, quamquàm grauiſſima propriâ auctoritate expedire; nec vllum aut Regiæ, aut ſuæ ſententiæ aduerſum experiri. Ergò vt Mantuanus Regij animi admoneretur, tergiuerſandi ſpeciem deponeret, ſuſpicionum cauſas eliminaret, & ſpem eorum quæ ſemel ſancita fuerint retractandi deponeret, imperauit. Licet enim mutationi Ducis, & tot in facies verſi condonaturus in præteritum Rex eſſet, iiſdem tamen nouitatibus turbari ſe & offendi nolle, nec toleraturum lubrici Principis, in rebus ſerijs, incertitudinem. Magno documento opus erat, vt Paſqualis & Ioannis Octauij Gonzagæ fides probaretur; neque enim vterque ſine ſuſpicione erant, promoturi aut excluſuri conditiones coniugij; prout

prout Rex & Proceres Aulæ inclinaſſent. Et fecerat metum Ioannes Octauius, quod Mantuæ liberè eloqui potuit, non ſemel dato conſilio, & obiurgatis qui Viduam excluſiſſent. Inter Hiſpanum affectum, & Ferrarienſis fauorem medius Paſqualis erat; quod vnius placito niſi altero læſo ancillari poſſet; cum ex aduerſo Gonzaga nullo in loco habiturus Ferrarienſem crederetur, dummodo Hiſpano deſiderio obſecutus, res Mantuani ſecurâ pace ſtatim compoſuiſſet.

Dominus Bucellas eo tempore pro Rege Gallo Orator apud Hiſpanum erat. Hunc Paſcalis (ſic à Mantuano per literas monitus) memoriâ neceſſitudinis, & honore ſue gentis ſtimulauit, vt intrepidè coram Rege ac Conſiliariis Mantuani cauſam, atque adeo Reginæ ſuæ mentem proſequeretur. Non defuit ille officio, cum inſuper Reginæ literis admoneretur; ne decori ſuo minus egiſſe diceretur. Itaque ille apud Proceres, Regemq; teſtatus eſt, Reginam ac Principes regni omnes decreuiſſe, aut puellam infantem Mantuæ, iuxta formam decreti Cæſarei haberi; aut in Gallias mittendam, vbi apud conſobrinum Regem ſuſtentaretur. Id adeo fixum genti eſſe, vt ſine bello concedi Inoyoſæ non poſſit; neque auſurum Mantuanum, vt vno ſe periculo eximat, grauius incurrere. Lerma modeſtius Gallo Oratori collocutus ſpeciem haud dubiè cedentis opinione præbuit; ſecutaq; mox Regis aſſeueratio nullam in poſterum mentionem fieri: cupere nihilominus nouâ neceſſitudine vtrumque Ducem illigari, & viduæ nuptias accelerari. Idem Proceres, Principes, & Regum miniſtri ex vſu fatebantur. Et inter alios Orator Gallus, cum ſe cauſæ Mantuani aſſuturum profeſſus eſſet, coniugium tamen perſuadebat; tamquam in eo ſumma pacis verteretur. Quinimo familiari ſermone Paſqualium hortabatur, vt id miſſo in Italiam curſore Mantuano perſuaderet; oraretque etiam ſuo nomine, ne bona ipſe ſua prauo conſilio perderet; aut imminens bellum ſuæ prouinciæ adſcribi cuperet. Vtilitati illius Principes omnes amicè gratulaturos; & tot illum protectores reperturum, quot votis annuiſſet. Prouiderat conſilij veritatem Paſqualius; ſed naturæ Mantuani gnarus eo officio ſuperſedit, ne nullo quæſtu ſuo Patronum offenderet. Ea perplexitate agitatum Mantuani literæ deprehendêre; quibus iubebatur conſtantia negandi remiſſa, negotio connubij aures accommodare, ſi Sabaudius veteribus iuribus ſuis ſuper Monferrato renunciaſſet. Mihi quidem cum Mantuæ agerem & argumentum epiſtolæ oblatum eſſet eos excitauit cachinnos, vt in plures dies materia ſtupori ſufficeret. Mirari non Mantuani vanitatem potius, quàm eorum qui conſuluerant ſtuporem contigit; quod eo in numero, qui diſſuaderet, aut corrigeret, nemo fuerit. Hiſpani Aulici, auditâ ſententiâ, effuſiſſimè riſerunt; eoque non defuerunt qui abſtinere relatione Paſqualium ſuaderent; ſed ille Toletani conſilio vti voluit, qui ſtatim incanduit; inuectus in Mantuanum; quaſi ille dicto pacem oraſſet, factis aſpernaretur. Non enim tam ingenti pretio Sabaudium, regium ſanguinem, Mantuani nuptias empturum; & ſatis ſuperq; eſſe ſi Regis imperio annuat, & vetera iura ſua ciuiliter experiatur. Non aliis conditionibus Franciſco Duci fratri conceſſam; nec plus in Ferdinando eſſe, vnde efferatur; niſi exutum ſe dominatione, & alieni auxilij miſerè egentem, inter opulentiam numeret. Diſcere Mantuanum potuiſſe, quoties Sabaudius viribus vti velit, in eius poteſtate Monferratum futurum: etiam recuperationem illi deplorandam, niſi precario à potentiori ſubleuetur.

Ad hæc Paſcalius; non id nuptiarum pactum ſine ratione Mantuanum proponere; ſed quando ille iniquâ inuaſione iure ſuo deciderit, requirere vt in poſterum nouâ petitione abſtineat. Mantuanus tamen mutari facilis, poſt datas priores literas, quam inepta à Sabaudio petiiſſet aduertit: & ne illudere negotiationi, aut impoſſibilia cupere videretur, ſcripſit Paſqualio mitiora. Annuere ſe nempe coniugio, quod Rex imperaſſet; aduerſa iura à Sabaudio concedi non requirere, (nec

enim ſi in nouum examen vocentur cauſæ diffidere;) ſed ſecuritatem quietis velle, vt controuerſia illa lite dirimatur. Niſi communicatâ Mantuani epiſtolâ Proceres crediderunt, tam citò Mantuanum depulſa vanitate prudentiam induiſſe: adeo præterita flagitatio turbauerat animos, & famam ſapientiæ eleuauerat. Cum nihilominus ea ſe habere mandata Paſqualius fatetetur, paríque conſtantia Gonzaga niteretur, pars magna negotiationis ſtupore inſumpta: neſcij administri regij conſilij erant, cui opinioni fidem admouerent detraherentve. Vbi tamen ſuperata difficultatum initia viſa ſunt, de modo inter Proceres diſputari cœptum. Neque arduum fuit in eo leges dari, vbi præfuiſſet exemplum. Pacta eadem quibus Mantuani frater Franciſcus nupſiſſet, dici viſum, cætera ſtatim ac facilè acceſſuta. Interim ſileri de finibus, terminorum mutatione, ſine recens ea meditatio, ſiue Vincentij Patris negotiatio fuerit. Regium conſilium viam iuris ſolitam litigantibus inceſſit, vt apud Cæſarem competentem iudicem cauſa examinaretur; denique non ante, non poſt nuptias de Prouinciæ poſſeſſione conditionibus ageretur. Secundum Mantuanum ſententia lata videbatur: quando nulla illius iactura prouinciam & pacem recepiſſet. Id verò præcipuè procuratum, vt Sabaudius Regiæ voluntatis certior fieret. Sed & ſolui veteres admiſſo filio ſuſpiciones, & eundem concordiæ latorem eſſe opportunè viſum: ſcriptæq́; in eam formam literæ, ne pax ambagibus inuolueretur. Pedemontanus Princeps parentis imperiis eruditus de accepta iniuria queſtus eſt; ſéque iniquiſſimæ conditionis nuncium eſſe abnuit; apertè teſtatus, non iuri, non ſanguini, non expectationi domus ſatis actum; ſed præſenti manifeſtò contemptu factam iniuriam. Simul non velata indignatione diſceſſum ab Aula à Patrono orauit. Quod perniciosum paci, & grauiora mala inuecturum nonnulli Hiſpani Proceres deſideraſſe fama detulit; ne modeſtiſſimus iuuenis magno ortu, maioribus virtutibus ſuis, certiorem Patrui caritatem illiceret, & minoribus potentiam detraheret.

Sabaudius iterum cogitat de bello. Repentino diſceſſu quæ mens Sabaudij ac filij eſſet patuit: ne enim luſiſſe operam, & neglectus impunè eſſet, negotiatio ſtatim in bellum vertit. Paſqualius nec nuptiis niſi cum decore (vt ferebat) admiſſis, nec conceſſa puella, quæ tot imperiis, tot amicorum cōſiliis, tam diu petita fuerat, Mantuam redit; *Paſqualius redit Mantuam.* honori & quæſtui ducens, quod iuſſis Mantuani obſecutus Monferrati ſalutem reliquam metſiſſet. Expectauerat Sabaudius legationis exitum. Paratus in quietem, ſi iis ſaltem conditionibus Hiſpani conſenſiſſent, quas priores laudauerant promoueránt que. Cum honore arma depoſuiſſe & reddidiſſe prouinciam videbatur, ſi cauſa obtinuiſſet, quod negatum armis repoſcebat. Sed vbi inani ſpe ſéque ac amicitias delaſſari accepit, in nouas vexationes intendit, firmato in eam ſententiam animo, ius illud ferro aſſequi, quod alienæ preces, honeſti intuitus, & tot amicorum officia non expreſſiſſent. Regem quidem bello laceſſere in animo non habebat; exercitu tamen Mantuano affuturos Hiſpanos ſcimus, iam ſe vniuerſis compoſuerat. *Sabaudius clauſtra Tanari rūpit.* Amni Tanaro impoſita moles erat cohibendo flumini, & flectendo in obliquum curſu aquæ; quæ Albam deuoluta moplatrinas vrgebat, alluebátque ciuitatem. Vetuſtior origo machinamenti erat, & plurium annorum pacifico vſu recepta; vt noui iuris aut vſurpati Monferratenſes accuſari non poſſent. Neque fluminis pars ea via corriuata Pedemontanis damno erat; aut amnis tenuitate ager areſcebat: Ita nullius iactura Albenſibus proficiebat. Eam Sabaudius disjici, & in ſuum alueum verti fluuium imperauit. Statim populares queſtibus perſonuêre; & ad Caſalenſes profecti ius ſuum, alienam iniuriam detulerunt. *Guerrerius reſtituit.* Guerrerius vana lamentatione abſtinuit; ſed coacta operariorum manu impedimenta demoliri iuſſit, quæ eundem fluuium ſuſtentatum Sanuictoriam flectunt; eodem vſu. Id oppidum Pedemontanæ eſt, antiquo iure Aſtenſi ciuitati ſubditum. Aperta vi abſtinere ſtatuerat (quamquam in ſuo agere præſumeret, & vis ad manus eſſet:) ſed

reddi-

reddita vexatione æmulum lacerare. Iraque vt deſtinaris cum manifeſto terrore ſpecies eſſer, cum quingentis equitibus trans flumen Doram ſtetit: neque procul Moncriuello quingentos inſtructos milites attinuit, cum ferramentis, quibus obiectum humum molirentur. In eorum ſecuritatem quæ concoxerat mille & quingentos pedites Santiam contra diſpoſuerat; qua violentiæ obuiam itum à Sabaudiis accepiſſet, proceſſurus. Rem auſus eſt nemini crediram; quòd ſciretur Sabaudius prœlium maximè cupere; ſed fortuna partes bello non commiſit. Porro armarum Ducem, per agrum ſuum incedere nouum non erat; ſed portento ſimile viſum Saluggiam iuxta (quod Monferrati oppidum eſt, & ab Hiſpano milite ſeruabatur) impauidum illaceſſitúmque proceſſiſſe, ſpectantibus Hiſpanis, qui prouinciæ annonam ſumma animi compoſitione liguriebat: nec eos dicto aut facto manifeſtam prouocationem ſaltem honori ſui conſulturi præpediuiſſe. Nimirum id vnum documentum deſiderabatur, vt epulaturi, non protecturi aduenisse conuincerentur. Damni minor, dedecoris & exiſtimationis ratio maior fuit. Vix reperturam apud poſteros fidem hiſtoriam tradimus, tantum animo Sabaudium, Hiſpanos formidine & negligentia proceſſiſſe; vt regiæ copiæ, ſuperueniente equitatu Sabaudio, otioſè tranſeuntem admiratæ, viam conceſſerint: non opponere ſe, non minitari auſæ; tantùm non data & reddita ſalutatione. Pugnam non recuſaſſe Sabaudium in obſtantes certum eſt; monuiſſe ſuos quo ordine congrederentur, qua pedes qua equites erumperent, quo vniuerſi conuenirent. In ea natione perfidiam ſuſpicari flagitium puto; quæ fortitudinis non ſemel per Italiam & Germaniam certa argumenta dederit: ſed non eadem ſemper apud eoſdem militaris diſciplina, & virturis incitamenta ſunt.

In duces plerique culpam reiecerunt, quos viſus hoſtis & ſolito ſpecioſior equitatus terruerant. Alij Inoyoſam accuſabant, quòd datis exercitui legibus, ne Sabaudio congrederentur prohibuiſſet. Id tamen incompertum eſt; & (vt ferè de iis quos vulgi inſectatio exagitat) gratis dictum. Vtcunque fit, illaceſſitus tranſiit Sabaudius; & quaſi aliena cauſa agereretur Euripum profluentis è Dora aquæ obſtrui iuſſit. Irrigandis campis omnibus vis illa deducitur; nec tractus Saluggiæ, Liuorni, Bianzani, Fontaneri, Palazoli, Lucodij, Trini, Tricerri, Turrionis, Salettæ, Balzolæ, Morani, Pobietti, Villanouæ, Corni, & ſuburbanorum rurium alia potiori cauſa fœcundantur. Intentis operi Sabaudiis Saluggij incolæ illatam ſibi quieſcentibus iniuriam monuêre, neque acie occurrendum; quando proſpectus armorum, & ſimulatio ſatis ſint depellendo hoſti. Alij acciri vicinos, & augeri propugnantium numerum ſuadebant: nonnunquam maiori errore, cupientibus certamen ruſticis, & milite ſubterfugiente. Non ea ſe Ducum habere mandata Hiſpani Saluggianis reſponderunt, & fruſtra aquæductus poſſeſſionem, diſcrimine ac ſanguine repeti, quæ reuerſo hoſte ad ſua, decem ruſticorum diurnâ operâ reſtitui poſſit. Adeo honoris ac gloriæ memoriâ exceſſerit, vt damnorum tantum non item inimicorum ratio haberetur. Die ſequenti facinus ad Guerrerium delatum: hunc turpitudinis magnitudo aduertere impulit: vt cui, cum nouæ turbæ diſplicerent, illud maximè inuiſum eſſet; quòd aduerſa cum fortunis exiſtimationem perderent. Nec ſolum Mantuani causâ, cui militiam illam generoſo animo ſacrauerat; ſed & Hiſpani dedecoris, cuius ille gentis ſtudio flagrabat, & quorum negligentiâ inſiſtere auſum didicerat. Neque tamen eorum duces admoneri ex vſu credidit; decantatâ & receptâ iam apud exteros quoque vulgi opinione, nequaquam Sabaudium tam ardua, & periculoſa tractaturum fuiſſe, niſi cunctationem & trepidationem cognouiſſet. Eam fuiſſe Principis fiduciam, nec alio ſtimulo certius animari potuiſſe; præter inſitam vim animi; quæ vt nullis aduerſis, ſic difficultatibus ac diſcrimine acueretur. Caſalenſium Proceres licet tenues Mantuani vires deformem patientiam ſuadere ſcirent; vniuerſi tamen quodam velut

Sabaudius aufert aquã quâ irrigat loca trans Padum.

fato conſtantiam maluerunt; ne conſentientes periiſſe dicerentur. Sexcenti pedites, quadringenti equites educti, (& vix plures ſtipendia faciebant;) nec populares in expeditionem vocati: ne vacua propugnatoribus mœnia, hoſti à tergo relinquerent. Primis caſtris Trinum venêre, Luiſio Donato nobili Veneto, & tormentorum bellicorum Præfecto, rebus in ciuitate tractandis relicto, vt in Guerrerij reditum ſupremâ auctoritate fungeretur. Die acto feſtinatione ac modeſtiæ compoſiti Lucedium profecti ſunt; ne negligentiam aut temeritatem præferrent. Inſidias quippe nonnulli docuerant, & mediâ viâ hoſtem obuiam proceſſurum. Meditationes Monferratenſium Sabaudius didicerat, ſtatim à fidis monitus, accinxeratq; ſe futuro certamini; maioribus copijs ambitus, quàm vt aduentantes cum Guerretio tolerarent.

Luiſius Donatus. Guerrerius accurrit.

Equidem multo ſanguine Monferratenſibus audacia ſtetiſſet; niſi Hiſpanorum imperio, diſcrimini conſulrum foret. Poſteto enim vlteriora meditante Guerrerio, nobilis Hiſpanus ab Aſculano miſſus affuit; cauſam conſternationis, & noui apparatus ſciſcitaturus. Haud dubiam indignationem ſui Domini teſtatus eſt; quòd eo neſcio qui protecturus aduenisset, Monferratenſes proprijs auſpicijs, & eo inconſulto tractaſſe bellum viderentur. Aut infamiæ id, aut neglectui imputabat: certâ nihilominus fide aſſeuerauit, ſibi incolumitatem populorum cordi futuram: & aduerſus Sabaudium antiqua Monferrati iura defenſurum. Addidit ignotum Gubernatori, quæ Sabaudius, quibuſque in locis innouaſſet: & poſſe vniuerſa componi, ſi motus occaſioneſq; exponerentur.

Aſculanus Guerretio obſtat.

Adhæc Guerrerius, conſtipâ ceruice, & prominenti obtutu, certam ſibi rerum ſui Domini poſſeſſionem fore teſtatus eſt; ſecuritatem illam tamen Hiſpanis potius quàm Gallis deberi malle. Sed quam eam miſeriam ſuæ gentis eſſe; vt tot menſes exercita, vt detrita & lacera, ſemper inanes tantum queſtus effuderit; non opibus ſuis, non extremo ſubſidio emerſerit? Non ſe quidem Principem mendacij arguere; ſed eſſe quo cohortium Hiſpanarum ad Saluggiam perfidia arguatur; aut quod minimum conniuentia malorum; negligentia contemptuſq; accuſentur. Tacere id quod populus perſtrepat, prodita hoſti itineta, cóſcientiam iniuriatum, odium Mantuani, magno Aſculani dedecore; nec alio honoris refugio, quàm ſi acri conatu ſuſpiciones eluantur. Quod ſi frequentes Sabaudij offenſiones ſpectentur, ſciri poſſe tardè ſe ad arma conuerſum; neque inutili lamentatione verberare Principis aures voluiſſe. Satis notum ſibi, cauère Hiſpanos prælia; & negotiatione ſubſidere turbas cupere; ſed interim impunè hoſtem, toto campo obequitare, carpere extrema prouinciæ, captiuos ac prædas agere; nil veteris & diu ſeruati iuris colere, magno olim labore in duraturam quietem compoſiti: Denique non fas, non æquum, ſed excidium & ruinam meditari. Potuiſſe paucos antè dies, riuum Albæ ciuitatis vſui reſeruatum, & mox Euripum rigandis agris circum ſitis innocentibus populis intacta ſeruari; ſi miles hoſpitio & alimonia vſus minas tantum graſſatoribus oſtendiſſet: ſi cubiculis egreſſus adeſſe ſe oſtendiſſet; aut obſeruatorem agere prædixiſſet. Impoſitum ſe laceræ at præcipiti prouinciæ à Duce ſuo; vt poſtquam ſecuritatem gentis Hiſpanæ protectioni commiſiſſet, inſuper prouideret; vt ſi modeſtia & vmbra tutelæ non ſufficeret, non ſine aliquo inimici damno perderetur. Neque expectato Aſculani reſponſo Bianzanum rectâ profectus eſt, additis duabus peditum centurijs, triginta ſex equitibus, qui ſe comites periculi obtulerant. Eo congreſſu detractorum peruicacia confuſa eſt, qui obnoxium Hiſpanis Guerrerium, & poſtpoſiturum Mantuani commoda vulgauerant, longo gentis vſu in ſpes ingentes elatum; vt illum locô detruderent; quo maximè ſtudio æmulatio inter Mantuani miniſtros exercebatur. Motu primo Guerrerij accepto Sabaudius Sangeorgium copias omnes in maſſam cogere, adiungere Valeſanos, & partem equitatus aduocare iuſſit.

Ille tamen captum iter proſequitur.

Sabaudius obuios habet.

Quaq;

Digitized by Google

Quáque Creſcentinus ager excurrit, capto ante caſtris loco properare. Ferro decernere ſtatuerat;aueuátque Sangeorgius Mantuanæ virtutis experimento,ſuam componere ; & docere potuiſſe inaudito ſibi ac indefenſo infames titulos Mantuanum appingere,non fortitudinem & auitum decus imminuere:Sabaudij conſilium fuerat,magna ſemel clade cęſos Mantuanos præcipites in deſperationem agere , prorſus à rerum ſuarum tutela deterrere. Guerrerius vbi iuxta fuit, & Sabaudiorum numerum , vires , ducémque impoſitum illis Sangeorgium didicit, mutato animo , & norma agendorum tempori atque occaſioni aptata , ſeruare tantum fines,pugnæ copiam hoſti non facere ſtatuit.

Eo conflictu in quod impar vriib. iuerat,Monferrati poſſeſſio conſtabat;& fugare Sabaudium immenſi operis,locum retinere impoſſibile videbat. Anxium ante alia Trini cura habebat , ne Sangeorgius mutato itinere, incautos ciues,& detracta præſidiorum parte imminutos opprimeret (nam eorum plerique Sangeorgium in pugnam euntem comitati fuerant ; licet popularium ferè ducenti Simone Brignano duce præſidio Trini impoſiti forent ; viciníque ictu bellici tormenti,ac per noctem excitato igni ſi hoſtis aduentaſſet, prodere iuſſi forent :) ſciebat enim in Sangeorgio artes ac ſtratagemata virtuti optimè conuenire. Aſculanus non ſolùm Monferratenſium cladem præcauerat ; ſed ne tractata arma in iuſtitiæ defenſionem, Tranſalpinos ſeditioſos illicerent, eóque bellum Mediolanum verteret , præſens remedio intenderat. Simul ad Luiſium Donatum miſerat rogatum , vt veteres ſcripturas , & leges Prouinciæ tranſmiteret ; quibus ius aquæ deducendę à fluminibus docerentur. Io.Petrus Muſſus delegatus eſt ; cuius operâ aliquot ante annos res publicis titulis ſancita fuerat; gnarus & locorum & modi,quibus Monferrati iuribus hactenus cautum fuiſſet : Non enim tum ea cœpta controuerſia ; ſed multo ante examinata fuerat. Id plerique regij miniſtri nondum cauſam edocti, ac proniori in Sabaudium animo (cuius arbitrij fluuij crederentur ;)quanquam pēr vim,bono tamen iure factum vulgauerant.Et inerant affecti rationes,quibus Monferratenſes vſu arcebantur.Quia tamen communis error præſumptionem honeſti habebat ; & ne indiſcuſſa re ferre iudicium videamur, iurium conditionem exactè traditam, proferendæ claritati hìc inſeruimus:quam certè ignotam fuiſſe Sabaudio , ac miniſtris iuſtitiæ , illius imprimis conſenſus, & honeſto prona voluntas teſtata eſt.

Simon Brignanus.

Ioan. Petrus Muſſus.

Milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono , Dora amnis immenſum effuſo imbri , & liquatis per montes niuibus , ſuetis ſibi ſedibus egreſſus, in Padum vim omnem præceps effudit : ſed procliui & impetuoſo lapſu , qua humus maximè decliuis fuit, ſulcum ingentem duxit , quo poſtmodum imminuta licet aquæ vi, relicto vetuſto alueo inceſſit. Iuetat flumini veteri moles , quæ flexam aluei partem in Monferratenſem agrum deriuabat ; & mutata ſedes nouo in ductu,nouum machinamentum requirebat , vt pari officio fungeretur ; qua tamen parte ſtatuererur dubitabatur : donec à Taurinenſibus ac Caſalenſibus miſſi delegati, pro finibus vtriuſque prouinciæ ſtatui molem cenſuerunt:quos celebris ſententia iudicum mileſimo quingenteſimo quinquageſimo primo definierat , Saluggiam inter & Ciglianum; cis Doram & vltra:illud Monferrati oppidum eſt, hoc Pedemontanæ.Architectus Sorina fuit,qui ſententiæ rigorem ſecurus,etiam intra Cigliani terminos ſtatuere volebat;nullo Pedemontani agri contactu. Cæterùm vt ferè vicini etiam vmbras in ſuſpicionem trahunt. Cigliinienſes commoditati Monferratenſium allatrauêre : obnoxium agrum ſuum,& hoſtium (ſic vocabant) vtilitati mancipatum lamentantes. Ergo ſub anni finem ſuſpectante nemine aut prohibente clauſtra effregerunt; & molem iam vſu firmatam milleſimo quingenteſimo nono diſſiparunt.

Ius Monferratenſiu deducendi à Dora aquã in ſuos vſus.

De hac violentia ciuiliter eſt inter partes actû, & Cæſari arbitrio noui iudices

delegati, qui educendæ fabricæ modum deputarent. Pro Sabaudio Senator Crauetta, & Gulielmus Spatus exactionum fiſcalium publicanus, pro Mantuano Senator Delfinus, & Secretarius Petro-Iamus. Vtrique veteres dirutasq; machinæ ſedes bono olim iure delectas cenſuêre. Tollendis tamen ambagibus, & vicinorũ æmulatui, noua clauſtra certius & prudentius, intra Monferrati terminos, agroq; Saluggiæ imponenda iudicarunt. Non magis concordiam Mantuanus quam Sabaudius ambiebant: ideoq; præſcripto loco effoſſa humus, & tot oppidorum vſui ſuffectura moles educta eſt, cis Pedemontanæ terminos, intra Monferratenſem agrum, centum ſexaginta trabuccis (menſuræ id terrarum nomen vſurpant populares) occupatis in eam adhuc ſtructuram redemptoribus Spatus & Fiſcalis Pedemontanæ Cuccus ſuperuenêre: metiri campum omnem placuit, eoq; fabricæ opportunus locus delectus fuiſſe viſus eſt. Sub finem Aprilis ſequentis anni moles inchoata ad ſummum deducta eſt. Annos aliquot ea ſtructura ſtetit; non Sabaudiorum querelis, non Monferratenſium inuidiâ reprobata. Poſtmodum quæ Doram cauſa, veteri olim alueo deduxerat; in nouos ſinus, priori curſus ſulco reddidit. Et tum non prior, non poſterior fabrica vſui fuit. Coacti nempe Monferratenſes ſunt, trecentis trabuccis intra Saluggiæ confinia, profluentem corriuare. In hanc formam legemq; compoſita populorum diſcordia, ſtabili vtrinque conſuetudine; donec fortuna incognitas hactenus belli cauſas, reſtitutis licet oppidis inuenit. Hæc publicis decretis ac ſcripturis, membraneis tabulis inſerta Muſſus coram Aſculano protulit: nec eluctantibus licet, qui Sabaudiam cauſam præferebant, probari aliquid potuit, quod nouis turbis honeſtatem appingeret. Sed Sabaudius aquæ decurſum; non alienam (quæ ſibi non detraheret) vtilitatem criminatus eſt; promptus in beneficia cuiuſque, inſolentiam Monferratenſium, liberius alieno inſultantium, & certa iura ſua proferebat. Ab armis interim vtrique diſcedere iuſſi; & Muſſus ad Inoyoſam cum iiſdem monumentis cum quibus venerat, miſſus eſt.

Hic maior quam credebatur moles incubuit, pluribus & validioribus obtrectantibus, Sabaudiumq; apertè protegentibus. Rem minimam illi & iniuſſam, quamq; Sabaudius ridebat, ſuſtentare nitebantur, amici tamen eius indigniſſimè ferebant, vel in leuiſſimis magnum Principem cauſâ cadere. Nec enim ſine æſtimatione videbatur, publicè eum iniquitatis accuſari, qui moribus ſuis vniformem iuſtitiam præferre conſueuerat. Sanè vtilitati Monferratenſium tot oppidorum, flumen Doram influere patebat; nec Sabaudium vllo iure imminui, ſi propius Monferrati ageret, in eam vtilitatem foderetur. Inter hæc ab eo literæ venerunt, quibus contemni ſimiles nugas, & negotio ſolidiori, in ſuam ſatisfactionem intendi imperabat. Ita quæ lacerata fuerant reſtitui voluit, & ſueto curſui amnem demitti. Mox velut nullis amplius belli cauſis Guerrerius ad Caſalenſes cum ſuis, Aſculanus Villanouam rediêre, & reſtitutus ſuis locis miles, ne ciuitas multitudine exterorum oneraretur. Viciſſe ſuos cauſâ Mantuanus ingenti lætitia accepit: miſſus enim fuerat nobilis à cubiculo, qui iudicij ſeriem referret; deprehenditque illum ploſtello equuleum iungentem, quo per Vrbem ridiculè prorſus vectaretur. Forma eadem quæ cæteris curribus, ſed arctum, depreſſum & rotis actum quæ vix palmum à ſolo eminent. Duos ſeſſores recipiebat; ad eius vehiculi modum compoſitum, quo Germani magnis niuibus effuſis, itinera dimetiuntur. Exilitate illa puerilia ſectatus videbatur, & erubeſcebant ſeueriores adminiſtri, quoties exterum ſpectatorem deprehendebant. Id ille vt elueret, iuſtos equos iungi voluit; ſed iunctos bigis more; ſcilicet vt poſterior lotis currui hæreret, prior præcurreret. Caſum vehiculi altioris metuiſſe dicebat; eoq; ſecuritatem depreſſiori quæſiuiſſe: & perſuadere ſententia potuiſſet, ſi eadem laxitate conſtructum foret, aut rotarum altitudo

Ploſtellum ridiculum Mantuani.

tantùm

tantùm fuiſſet imminuta. Durauit nouitas hæc fermè annum, donec rei leuitas, & deſpecti exempli,puluis,cœnum, maieſtatis ratio,ſolitos currus in vſum retrahi perſuaſiſſet.

Cum apud Sabaudium eo tempore ſuper curſu Doræ Inoyoſæ ſententiam accuſarent, quaſi dignitas illius acciſa eſſet, reſpondiſſe fertur; nec ſe cauſam eam Hiſpanorum iudicio ſubieciſſe, nec magnam eius decreti vim eſſe,quod duo ruſtici ligones vanum eſſent probaturi. Diſceptabat interim Mediolani Comes Chieppius ſuper rebellium venia; quam cum acrius oppugnaret,venêre è Pedemontana literæ, aſſerentes in quodam Monferrati oppido, formatam Sabaudij Ducis imaginem à popularibus ſuſpendio expoſitam, mox igni in contumeliam crematam, additis fœdiſſimis titulis, quales nemo in Chriſtiani nominis oſores ingerit.Fœdum id Inoyoſæ ſed & Chieppio viſum,forſan nec ipſi Mantuano placiturum: numquam adeo mutuò infenſis generoſis Principibus, vt publicè conuiciari audiantur. Tum Inoyoſa non hæc pacis media,& tam anxiè quæſitæ concordiæ media eſſe aſſerere; hoſtem quidem Sabaudium à Monferratenſibus eredi & diei potuiſſe; ſed infamia appingere, & palam falſa, exitium auctoris ac conſciorum promereri. Proinde vt exacta indagine auctor conſultórque dedecoris quæreretur, deprehenſus capite pœnas lueret imperauit; id ſe in præmium ſolicitudinis poſcere: nec intactum eo crimine Mantuanum præſumpturum,niſi deprehenſum punitumq; illum didiciſſet. Chieppius nec gnarum id ſibi, nec ſtatim relationi credere reſpondit. Cæterùm id per literas Duci ſuo, & adminiſtratoribus Monferrati ſignificaturum; deprehenſumq; doli reum, tantæ temeritati debitas pœnas publicè daturum:orauit tamen vt pro comperto haberet, Sabaudium Monferratenſibus inuiſum, malorum recordatione, quæ ab illo præſenti motu ingentia accepiſſent. Proprio curſore opus fuit, adeo fœditate rei exarſerat Inoyoſa; & ex vſu erat,altiſſimè Chieppium facto indoleſcere. Et quidem homini, tempori, cauſæq; compoſitus executus eſt; ne prohibere iuſtitiam, aut impellere reos videretur. Hoc ipſum ad Mantuanum Ducem præſcripſit, ne culpam ſui Domini admittere diceretur. Vicus quidam exilis accuſabatur. Eò quæſitor miſſus, cum vniuerſos, imo & fœminas & pueros ad quæſtionem traxiſſet,nil tamen reperit, quo auctor aut conſcij proderentur. Siue elapſus qui machinatus fuerat, ſiue amore ſuorum tectus, ſiue clam punitus eſt; ſiue Sabaudius forenſe iudicium vbi de honore ſuo ageretur contemneret; nihil in poſterum audiuimus.

Monferratenſes imagini Sabaudij inſultare dicuntur.

Marchio Rubeus adhuc Mantuæ agebat, pleriſque procerum nobilitate, & obitis Magiſtratibus inuiſus, quaſi ſe poſtpoſitos crederent. Id ille nouerat; & quò minus offenderet, Reipublicæ ſe abſtrahere, & ſecretus priuata negotia agitare parabat. Sed amici eius vt æmulantibus eo ſubſidio præualerent, conſiliarios precibus fatigabant; conſanguineos,& quibus Principis cubiculum patebat, in ſubſidium vocabant: cum ille ſeruitio Ducis induſus, huc illuc, noctu diúque comitaretur; & aſſiduitate miniſterij ingentia mereri videretur. Mantuanus raro vni affectui totum diem obſtrictus,criminum quæ Rubeo obiecta fuerant pridem iram exuerat: quinimo memoria certæ aduerſus Ferrantem parentem illius charitatis, ſolari hominem in animum induxerat. Sed Monferratenſibus infenſum, in quorum nonnullos recordatione querelarum foret vindictam proſecuturus,denuò obiicere odijs nolebat. Et tamen ſpecies aliqua honoris cui paulò ante aduocatus fuerat, retinere hominem parabat; vt nobili temperamento æquum ſe Principem adminiſtris præberet;& qualicunque crimine lapſis (dummodo fidem integram ſeruauiſſent) exorabilem. Mos eſt Europæ Principibus recenter accepto imperio Legatos ad Pontificem reddendæ (vt aiunt) obedientiæ nomine deſtinare. Quò nobilior deligitur qui eo officio fungatur,

Rubei amici procurant illum denuò in Monferratum mitti.

Mantuanus illum in Vrbem Oratorem miſit.

plus honoris miſſo ac mittenti creditur. Nec ſplendore natalium, nec prudentiâ, aut decorâ proceritate, plus apud alium maieſtatis quàm Rubeo erat: Illuſtres Italiæ familias,& memoriâ Ducis Vincentij complexus fuerat.Itaque ſpecioſo comitatu,& ſplendido apparatu inſtructum Romam miſit; vt delegatò muneri,quâ cæteri Principes pompâ ſolent, ſatisfaceret. Secretò apud Pontificem ſui Ducis cauſam proſecutus eſt. Auidus ille ſciendi erat,& habendæ eorum quæ falsâ opinione percrebuerant veritatis. Prouinciarum Monferrati numerum, ciuitatum & oppidorum ſeriem, populi cenſum,reditus,vicinia,antiquos ac nouos fines,titulis illuſtres gentes, arces, præſidia; erogationes proſecutus eſt; mox quo iure Mantuanus ab Atauo vſque Federico in præſentem poſſederit, quibus artibus, quo milite ac ductoribus, quâ occaſione ac ſpe, quibus fautoribus, quâ Inoyoſæ fide, optimo ac iuſtiſſimo Regi Hiſpano deſeruiat. Hinc in rebelles omnis diſputationis argumentum, verſus Sangeorgij fortunam, & eorum qui ſe eodem ſtudio magnis nominibus inſeruêre numerum protulit: quo prior Mantuani inuidiâ laboret; & (vt dicebat) ingratitudinem quam ingentia Gulielmi Ducis in parentes beneficia; vtq; ſuam ipſe nobilitatem,famamq; virtutis corruperit; denique fruſtra tentatum prouinciam Sabaudium fuiſſe; niſi eo duce vſus, innumeros eo oſtentato dubitantibus illexiſſet: illicitarum exactionum vim ingentem, damnorum æſtimationes, vel ſupputantibus hoſtibus præualida, & ſuorum modeſtiam retulit: Sabaudium nullâ licet vtilitate ſuâ in res nouas proniorem, Inoyoſæ cunctationem, faſtum Hiſpanum, quibus ille valuerit. Nec minus ſeditioſorum ambitionem,qui magna deſciſcionis præmia ſperauiſſent executus eſt. Poſtremò vulgatam iniuriam eluere in omni nixus eſt: nec enim potuiſſe, nec debuiſſe Mantuanum fraudes ac dolum machinanti ingenuâ libertate neptim concedere; quando vel apud longius ſitos certum ſit, quo tempore Mantuanus ad id Pedemontani Principis precibus vrgebatur,Sabaudij libito Sangeorgium,rebellionem & plurium conſcientiam quæſiuiſſe.

His (dicebat) manifeſtioribus quàm vt probationis egeant,intempeſtiuam eſſe matrimonij tractationem; nec cum tot offenſarum reo ſolidam caritatem conſanguinitate poſſe coaleſcere. Vniuerſa Sabaudium fauore, promiſſis, muneribus vincere cupere: apud ſe certum iuſtitiæ locum; nec niſi quæ ius faſque dictauiſſent, requirere. Hæc in mandatis Rubeus acceperat, hæc ambitioſè,& magnâ conſtantiâ expoſuit; ſilente ferè Pontifice,& eâ in re aliquid moderationis deſiderante: ſibi enim vtcunque dicta ſub ſigillo fore; ſed ne eadem apud omnes indiſtinctè iactarentur, metuebat: & hinc noua odia, & grauia offenſionum incommoda proſpectabat. Quam vulgo Inſtructionem dicunt,& ille Mantuâ detulerat,vidimus. Pontifex paterno affectu, acceptum ſibi Mantuani officium teſtatus eſt. Hinc vertit in negotium; addito iuſtæ iræ plurima poſſe ac debere condonari; multa quoque rejici ne ſit impunitas peccandi.Credere Sabaudium rationibus ſuis multum roboris eſſe, eâdem opinione Mantuanum duci; vtrumque prætextibus ac iuribus vallari. Auditores veritatem facti,& quæ partes proferant ſtatim quidem admittere,Pontificem verò iudicium ſuſpendere,ne qui arbiter æmulantium futurus ſit, corruptionis apud partes accuſetur. Quietis nihilominus ſtudio Rubeum orauit vt quâ apud Ducem auctoritate eſſet, conſilia preceſq; mitioris animi interponeret. Tempori interdum ac neceſſitati ſeruiendum, duraturamq; in multos annos fœlicitatem magno pretio benè comparari. Non ſtatim quod rigor iuris ſuaſerit optimum factu eſſe; ſed in eo ſtare prudentiam, vt quod maximè conducat, inter ſpecies boni & recti, cuius tum occaſio venerit,eligatur. Coniugium à Mantuano auerſari, illius & communi cauſâ indoluit: quod non alio certiori pignore ſciret, poſſe veteres ſimultates optatâ gentibus concordiâ obliterari. Niſi Sabaudius elocatæ Mantuano filiæ iniurijs pepercíſſet,

ciſſet, nullam ſecuritatem aliunde proſpicere: neceſſitudinem mollire iras, & in teneritudinem vertere. Æſtimandum illi eſſe an caritate ſui perpetúa arma aduerſus Sabaudium tractaturus Hiſpanus foret; & an præſumpturus ſit apud Mantuanum veram fidem; qui ſalubri conſilio, à tot adminiſtris inſtillato, & tot literis probato acquieſcere noluerit: obſequij enim & diligentiæ eiuſdem eſſe. Tum Rubeum percuntatus eſt, an Cæſar, Rex Gallus, ac Veneti in eandem matrimonij ſententiam conuenirent (non vt diſceret, multo enim ante ſingulorum voluntatem nouerat; ſed vt conſenſu Chriſtiani Orbis admoneret, illum niſi cum vniuerſorum executione, ac ſpe ſubſidij errare poſſe:) Rubeus Cæſarem, Gallum, Venetos quidem annuere repondit; ſed fidiora ac viciniora conſilia, intutam eam coniunctionem cenſêre, quæ inter iras, dolum, iniurias, recent adhuc nocendi deſiderio ſequeretur. Speciem aliquam vindictæ à Mantuano de Sabaudio ſumi, quod oblatas ſibi nuptias reſpuat: cætera verò illius in tuto fore, ſiue Hiſpanus ſiue Gallus protectioni affuiſſent. Er quidem grauiter Rubeus in eo errauit, quòd reſponderit, à Sabaudio oblatam Mantuano viduam filiam fuiſſe. Congruentius vero dixiſſet, Principes Europæ coniugium illud commendaſſe, tamquam ſalutem laturam, Sabaudium magnâ ſatisfactione ac precibus mollitum, conſenſum forſan duraturum. Sed ille Eleonoræ Duciſſæ Mantuæ Vincentij coniugis famulitio, & amicitia Ferrarienſis viduæ, alienationem in Sabaudij filiam imbiberat; præferebátque Florentinas nuptias, aut quaſcunque alias dummodo priores exeluderentur. Pontifex ſtabili eorum quæ deliberauerat conſilio, etiam atque etiam ponderare debere Mantuanum dixit, quam ſaluris ſuorum viam ingrederetur, cuius ſe matrimonio copularet: non aliter quàm ea determinatione conſtare res ſuas; & totam fortunam periculo exponi. Porro non imperium, aut tantæ rei arbitrium ſibi eſſe velle., Pantùm officio defungi, & ſalutaribus monitis accurrere decreuiſſe. Eo certè argumento diſcere Mantuanum poſſe, quo animo generis humani parens res eius aſpiciat: quod prior id conſulat, cuius ſibi preces offerri deberé ſciat. Siluit Florentinum coniugium, non quod damnaret, ſed quia minus illud neceſſitati Mantuani, & quieti Italiæ conducere ſciebat. Rubeus dictatam à Ferrarienſi ſententiam ſecurus vrgebar, vt illarum auctor promotórque accederet. Eorum quæ Romæ acta pro Mantuano fuerant, nil Sabaudium fefellit. Longâ amicitiâ maioribus Aulæ Principibus deuinctus; & illius magnitudine occupato ſtudio potiorum. Itaque vbi ſtabilem Mantuanum indignationis in ſeditioſos; & filiæ nuptias, quas honeſtis conditionibus & rerum ſuarum bono orare debuerat, faſtu tractare accepit; acrius quæ voluerat poſcere aggreſſus eſt; bellum apertum comminatus, niſi paruiſſet.

Creſcebat negotiatione odium partium, & malorum cauſas vanitas ſermonum intendebat. Itaque partem copiarum in agrum Albenſem Sabaudius immiſit, vt repreſſionem amnis in molatrinarum vſum extructam demoliretur. Mantuano ſe tum itineri Manfrinus Caſtilionus, omnia circum tuta ratus accinxerat, Veſimique ſubſtiterat, militum cauſis cognoſcendis retentus; cum ipſe quoque cauſam dicturus properaret. Hic apparatum hoſtilem, telatu populàrium, & quid cogitarent, didicit. Iamq; haud procul loco eſſe, vt improuiſà operâ, & noctis ſecreto tuti, opus aggrederetur. Moſchettarij centum raptim coacti, & in nihil tale expectantes immiſſi. Arboribus & obiectâ foſsâ ſeſe Sabaudij texerunt, & antequam Monferratenſes è vicinio offenderent, in edita & impedita, quæque inſequentes fruſtrarentur; ſe receperunt. Duo treſve ruſtici vulnerati; & Caſtilioni loco victoriæ habitum, quod ligonibus ac ſarculis inſtructi armatorum congreſſum vitauiſſent. Confeſtim ad Aſculanum pro Mantuano querela delata eſt, miſſúſque qui præſentem ſe fuiſſe teſtaretur, ne ſimulare lamentantes videretur.

Sabaudij aquam Albã defluentem auertunt.

Iam non vno argumento Monferratenſes didicerant, niſi concordi Sabaudio pacem prouinciæ futuram; nec ille miſit qui excuſaret, transferrétque inuidiam criminis. Obſtrepentibus tantùm Hiſpanis ruſtici ac pagani accuſati, quod beneficio fluminis vti voluiſſent; veteríque inuidia & vicini æmulatione præſumpta licentia concurriſſent. Id quoque ſuos prohibiturum promiſit; ſed memoria retinendum, ne proprios quidem ſubditos modeſtè in bello agere. Monferratenſes tot malis freti ſpecioſum honoratumq; tutelæ nomen obteſtabantur; & vt laborum ac contentionum finem tandem vellet: ſiue iuſtitiam cauſæ anteferret, ſiue nominis ſui gloriam apud diſſitos etiam prouehi mallet. Etiam ſingula quæ præſente exercitu Hiſpano grauia prouinciæ eueniſſent manifeſtâ culpâ ducum, proprio Oratore ad Regem miſſo exponere velle didicerat; eo q; dicebatur fortunæ ſuæ metuiſſe, ne modicâ ob veteres ſuſpiciones gratiâ, etiam exiſtimationis proditor Regis ſui diceretur. Vocatos itaque Bernardinum de Meneſſio, & Roo capimagiſtrum, querelis popularium intendere, & vim inferentes Sabaudios reprimere imperauit. Non minori vanitate, quàm cum toti curæ primùm indormiretur: neque enim hoſti aut ea reuerentia præcepta data fuerant; nec incertum erat quo deſpectu Sabaudius Hiſpanos audiret, vbi aduerſos ſibi deprehendiſſet. Simulandæ quidem reuerentiæ ille, ſerui, amici, conſanguinei decora nomina vſurpabat; non quod prorſus ſentiret; ſed ne illi in ſummam aſperitatem verſi, patum publicæ paci operarentur. Non omiſſis armis vtilem modeſtiæ famam crediderat. Certè apud præcipuos Hiſpanorum adeo exiſtimatione valuerat; vt illorum conſcientiam in ſua commoda efformaſſe videretur.

Monferratēſes cum Aſculano queruntur.

Ille ducibus exercituum ſecuritatem prouinciæ cōmendat.

Nunquam ita Sabaudius armis intenderat, quin pacis negotiationem admitteret: nec quamquam in vicinio concordia eſſet, arma neglexerat; belli ac pacis artibus eruditus, tum maximè paratum eſſe debere Principem, cum imagine amicitiæ ſecordiæ locus aperitur. Quæ de Sabaudij magnitudine tradimus, incredibilia poſteritati futura non ambigimus; apud quam Hiſpanum nomen, multorum commendatione magnificum legetur. Quis enim eum Principem auſum prouocare bello Hiſpanos, acrè inuadere, deterre, fatigare, deſpectû reliquis reddere potuiſſe credet, niſi qui præſens rerum exitum, & fortitudinem oculatus deprehendit? Sed nos certa ac comperta, optimâ fide deſcribimus, quæ vel coram vidimus, vel eorum qui interfuere relatu didicimus. Fortè olim gens noſtri & alieni orbis victoris glorioſa, neglectum & potentiſſimi Regis ſui contumelias fortibus auſis, & certiori bello proſequetur, vbi opinione generis humani, infauſtis expeditionibus, ſcriptorúmque teſtimoniis agnouerit, non comptu, faſtu, aut iactantia, ſed vera virtute iacturam honoris reſtitui; & in eo ſtare potentiam, vt fama nominis non ſeneſcat.

Paucos poſt dies Sabaudij coacta villicorum manu, Doræ amnis riuum, quem ante Inoyoſæ imperio, liberè in Monferratenſem agrum fluere, permiſerant, aggeſtâ glebâ, & iactis in profluentem impedimentis, obſtruere aut auertere aggreſſi ſunt. Id auditum Sabaudio ipſi ob recentis concordiæ memoriam; & ne plus nimio infeſtus aut continuis inſultibus Hiſpanorum patientiam, & conniuentiam irritare videretur, indignum viſum eſt. Miſit itaque feſtinatum curſorem, qui erui obſtantia, & iniectas alueo moles diſſipari imperauit. Statim ſolito alueo redditus amnis, & pars aquæ ſolito canali defluxit. Eam operam non vi expreſſam, non precibus, boni omnes expertem laudis eſſe voluerunt. Scriptis enim ad Inoyoſam & Aſculanum literis pietatem ac facilitatem Ducis mitis in cœlum laudibus extulerunt: quod prorumpentes in bellum ſuos, & excidium hoſtium iniuſſos agitantes, maturè nec oratus retinuiſſet. Id illum officio ac reuerentiæ regiæ dediſſe, cuius placita curioſè ſectetur. Suam tamen addidit Mantuanus commentationem; eam nempe Sabaudij modeſtiam, non æquitate, ſed metu Hiſpanarum legio-

Sabaudius prohibet.

legionum, quæ iuxta erant, expreſſam: nec tam aperto inditio Procerum illius gentis conſcientiam detegere voluiſſe; vt maioribus quæ concoquebat fides aliqua, & apud amicos conſtantia eſſet. Iuueni nihilominus dicendi licentiam ferè condonabant; quem nouerant non alio vindictæ genere ſuas iniurias ac damna vlciſci poſſe. Et ridebat iſta Sabaudius facto quàm dicto melior; quamquam fortè in futurum punitionem reijceret, & eſſet executurus. Quod Inoyoſa proſpiciens, non ſemel per literas Mantuanum temperantiæ monuerat; orauerátque ne perniciosis illi ſermonibus, & conuitiis potentiorem aſperaret. Alienæ cauſæ, cum ſuam ageret, ſtudere Inoyoſa videbatur: nec enim tum primò aut poſtremò cum Comite Chieppio & Mantuani miniſtris, libertatem illam obloquendi inſectatus eſt; & queſtus, non ſibi, non Aſculano, imo nec Regi ignoſci. Domum certè omnem Mantuani Hiſpanus ambiuerat; intimi miniſtri, & ſcurræ cuiuſdam ea de gente opera vſus. Hi dicta factáque Ducis ſpeculati Mediolanum mittebant per diſpoſitos nuncios. Nec arduum vniuerſa expiſcari erat, quòd Mantuanus apertè ac publicè nimis eloqueretur: ſæpe non itâ, non malo animo, ſed naturali iniuriâ procurrens. Perſiſtebat nihilominus Inoyoſa promouere cœptæ concordię leges; & eò proceſſerat, vt in propinquo negotiatio ſpem pacis oſtenderet.

Morani pro Mantuano duæ Heluetiorum centuriæ tendebant, fugâ, morbis, miſſionibus cauſariis imminutæ. Sed cenſum opperiebantur, vt pro numero ſtipendia diſceſſuri acciperent. Pro Sabaudio alij Heluetij Creſcentini erant, opinionę Moranenſib. aduerſi; ſed ortu & certiori caritate deuincti. Itaque vt nobili facto plures viderentur Creſcentinenſes conterraneos ſuos orarunt, vt nomen ſibi, cum cenſus ageretur accommodarent: ſcilicet vt omiſſo præſidio, nocturnis ſe, nec exploratis itineribus conuenirent. Imminutos quippe infrequentiâ manipulos, quos eâ ſimulatione replere cuperent; fraudíſque pretium pro ratione obtulerant. Patuêre mercenarij, vilis gens, & miſere literas quibus ordinem diſceſſus, horámque ſignificabant. Guerrerio & equiti Rinaræ dolus innotuit, amicorum relatu. Non vno crimine peccare videbantur; quòd cum hoſtilia arma ſecuti forent; licentius quàm rebus ſuſpectis deceret, Monferratenſem agrum incederent: & quod hi numerum ementiti, publicæ rei peculatum meditati forent. Rari ac diuiſi properabant; nec eodem omnes itinere; ne conferti parum obſeruatores fallerent; & tamquam diuiſi ad ſuos digrederentur, Morano ſuccederent. Et quidem nonnulli antequam deprehenderentur peruaſere ad ſocios, reliqui à Trinenſi militia circumuenti: quorum octoginta cum inanes profectionis cauſas, nec ſatis probabiles afferrent, in vincula coniecti ſunt, donec Aſculanus perfidiæ gentis admoneretur. Curam Monferratenſium Hiſpano placuiſſe accepimus; & extrema meriti dicebantur; niſi pax & quies populorum, mitioribus exemplis eguiſſent. Simul omnium Heluetiorum indignatio metuebatur: ne eâ cauſâ Hiſpanis auerſa, cum maximè iis opus eſſet, diſceſſionem properarent. Forſan & qui eadem ratione pro Sabaudio militabant, comitate & officio demulcendi erant. Equidem paucos poſt dies ab Inoyoſa literæ venerunt, quibus deprehenſorum libertatem; & mercenariæ genti fraudem illam condonari poſcebat. Et quamquam id in Sabaudij gratiam interpretarentur; plures tamen flexum iam ad concordiam animum excuſabant; ne nouis occaſionibus acerbitatem diſtraheretur. Hiems appetebat; & in futuram æſtatem agendorum conſilia reijciebantur: quamquam obſecutus Hiſpano Regi Sabaudius crederetur; & iure tantùm, non vi cum Mantuano acturus.

Heluetiorū Moranenſiū fraus.

Leniter punitur.

Moncaluio adiacentia oppida, partem Hiſpani equitatus habebant, cui conuectione paleę & annonę commodus per ęſtatem ager, ſed fuſo imbri inacceſſus erat. Neq; eo tractu, vbi alto cœno itinera computruiſſent, vtile id militiæ genus videbatur, ne expedito quidem pediti meabilis. Itaque in ſubiectum Caſalenſibus

planiciem deductus;vt pabuli copiâ,& hoſpitij commoditate vterentur.Pars cum Alphongo Guerrerio Gubernatoris fratre in oppidum Sanſaluatoris miſſa.Georgius quoque Tanaglia Moncaluium legatus, vt loco præeſſet; bello ſtrenuus, & longâ apud Belgium militiâ nominatus.Prouincia interim miſerrimè raptabatur, intolerabili Hiſpani exercitus hoſpitio : nec vllâ ductoribus ſic iubentibus, adeo modeſta diſciplina vtebatur ; vt non olim Sabaudiorum direptione nudatos , & tum collationi alimentorum impares , hauriret , perderétque . In certo erat, aut immania onera detrahi debere , aut egentiores omnes , cóque plures ciuium fugam inituros. Videbatur quin etiam aliqua Hiſpani honoris ratio habenda;ne populaturi & alieno ditaturi acceſſiſſe,non ſubleuaturi,& tutaturi viderentur. Sanè nemini ignotum eſt belli vſurâ ſubditis pecunias, arma, equos,cibos, etſi cum labore,ſine querela tamen impendi;ſed eos militarem hoſpitalitatem impatienter ferre,quaſi à ſuis Principibus,vitam ac fortunas gregarij arbitrio permittere iubeantur.Neq; alio grauiori malo Neapolitanum regnum,ac Mediolanenſis Ducatus noſtro tempore euiluit;idq; vt olim populárium ſeditionum, & rebellionum motus ſuſcitauit, ſic turbarum in tempore occaſionem futuram.Ipſi Veneti dominationis præceptis ante alios eruditi , eo maximè ſuorum ſubditorum amorem demerentur ; quod exolutis ſtipendiis,miles ſuo vti velint; & conductis tuguriis ciuium domibus omnino abſtinere.Nullæ proinde querelæ Senatum quatiunt;nulla populorum ac militum diſſidia,nullus auditur peculatus.

Georgius Tanaglia.

Monſerratenſes querũtur de Hiſpanorum toſtinatio.

Porro apud Monferratum non recens lamentatio ; ſed ingreſſis ſemel Hiſpanis in hanc diem continua fuerat:cum aliqui rei familiaris anguſtias ; alij ſolicitatam honeſtarum matronarum pudicitiam , quidam rapinas ac furta quererentur: quique pro rectoribus aderant , ſimilia pretio auerti voluiſſe dicebant ; cum modeſtiam ac militaris diſciplinæ rigorem apud ſuos , forent polliciti. Id pluribus impoſuit,qui ductorum pietatem præſumentes, cum ſecuritatem multo auro redemiſſent, iiſdem nihilominus malis,tamquam ignoti vrgebantur. Inoyoſæ non minus quàm Aſculano compertum erat , inter eos qui falſa deferebant ; plures fuiſſe qui minora vero quererentur:ſed cum diutius pernicioſam Monferrato tutelam,& blandius amicitiæ nomen vſurpaſſent,tandem prouincialium deſideriis annuere coacti ſunt. Occaluerant quidem capitaneorum aures, ad voces miſerorum;ſed conſtantia orantium peruicit,vt tandem exaudirentur. Duo Tertij Hiſpanorum prouinciâ detracti ſunt ; vt & alij octingenti pedites, qui flagrante aute aliquot annos per Sabaudiam bello eam expeditionem obtinuerant. Hi omnes confinio Mediolanenſi inducti.Ius fáſque, & ceſſationem ab iniuriâ,diſcedentes appellarunt:nam Aſculanus,Barbo & Santio Salinas comitatus , tamquam plurimum de prouincia meruiſſet ; aut expilatam populorum gazam reſtituturi adueniſſent,Principem Vincentium apud Caſalenſes conuenerunt;formam retracti in Mediolanenſes auxilij,famámque delaturos.Gratiæ nihilominus etiam Mantuani Ducis nomine,magnis viris actæ:vſurpata multo antè conſuetudine,pati minorem,&gratias agere,ne parum officij memor creditus,maiores offenſiones prouocet. Species quoque humanitatis credita,quod qui Gambaloitæ parebant , veteri ſede abducti,Liuurnum, Bianzanum,& Saluggiam acceperint.Similiter opinioni ſecuritatis adſcriptum , quod Verolengum, & Rondizonum trans Doram Monferratenſis ditionis tranſlati fuerint.

Hiſpanorum pars detrahitur Monferrato.

Id Sabaudius ægrè fert.

Ad nuncium mutationis Sabaudius , literis & Oratore ad Aſculanum miſſis, immunes eos locos præſidij reddere conatus dicebatur ; non vtilitatem ciuium, ſed metus ſuos,& ex vicinitate periculum accuſans. Quia imo noui belli occaſionem offerri;quòd hoſtilis militia fines propius admoueretur, prælúmque aſpectu denunciaret. Neq; tamen Inoyoſa,aut Aſculanus detrahere Duci ſuſpiciones conati ſunt;ſatis gnari,nec offendere ſe illum velle, nec poſſe ſtatim obſiſtere irru-

pturo

pturo; idq; illi non vno documento probatum. Tertium Roo iiſdem oppidis tendere iuſſum eſt; id ſolùm priuatis ciuium commodis additum, vt arctè hoſpitari ſoliti, in plura municipia diſpartirentur; minori ſingulorum qui eos excepiſſent iacturâ. Sed omnis (quamuis exilis) numerus detritam exhauſtamq; bello prouinciam onerabat: quòd præteritorum annorum opes abreptæ forent, pars militari licentiâ abſumpta, præteritæ verò æſtatis prouentus minori curâ repoſitus. Accedebat à futuro metus, cum enim Sabaudius adhuc in armis eſſet, nec niſi veniâ rebellium, & damnorum obliuione ſolida pax ſanciri poſſe videretur; eaque Mantuanus obfirmato animo abnueret, noui mali ſemina, & in eaſdem miſerias reuolutio ſuſpectabatur. Neque Inoyoſa feſtinatione ac vi vſus (quibus ante voluerat) nouo motu, & tempore proficientem hoſtem coercuerat; ſed ſiue amore; ſiue ſimulatione odij nutriuerat, vt maiore ſuo robore adoleſceret. Id publicè vulgatum, Reginæ quoque Galliæ ſcriptum ab Mantuano fuerat; quæ caritate, & deſiderio quietis anxia (vix enim audiri bellum per Italiam quieſcente regno ſuo poſſe ſciebat) cum Venetos præſtiti nepoti auxilij, Cæſarem fauoris, Hiſpanos tutelæ ſuſceptæ cauſa commendaſſet; Romanam Aulam quoque literis ac legatis inſtigauit; certiſſima Mantuani iura (vt ferebat) & ſuſcitatis per Italiam turbis, operoſam compoſitionem proſecuta. Sed cum Hiſpano (cui mirè congruebat, & quem penes arbitrium pacis ac belli erat) pluribus vſa dicebatur. Neque tamen Inoyoſam Aſculanumve conuicijs aut querelis proſcindere ſuſtinuit; ſiue parum in tempore ſumi accuſationes ſciret; ſiue criminum non gnara, vtroſque ſtrenuè in communem cauſam nixos exiſtimaret.

Tot protectoribus vallatus Mantuanus; cui Cæſar imperio, Hiſpanus armis, Pontifex Romanus conſilio, Veneti pecuniâ, Galli in hoſtes eius minis preſto aderant; ſuperaturus Sabaudij prætextus, & rebelles ad pœnas habiturus ſperabatur. Sabaudius tamen firmiſſimè conſilium retinens, magno animo fouere ſeditioſos, non ſuam ab illis cauſam diuidere, non admittere damnorum memoriam & quo dignam magnitudine ſuâ conſtantiam præferret, prælij quàm quietis deſiderium oſtendere. Iam enim quamcunque in formam negotium abiret, amicos Heluetios parauerat, & apud Gallos Hiſpanorum æmulatu turgentes præmijs ac promiſſis multos illexerat in partes; vt procurrentem ſibi in ſinum fortunam complecteretur; & ſi occaſio admonuiſſet, maiora ſed bono ſuo capeſſeret. Apud regium animum & alieni arbitrij auerſantem nulla Mantuani aut Hiſpanorum officia valuere, vt quorum fidelem in bello operam expertus fuerat certo in periculo deſtitueret; cumq; pro Mantuano quidam magnæ auctoritatis cauſas rationeſq; aggereret, per riſum hactenus reſpondit: vt ius in armis haberet, & ferro cauſam ſuam proſequeretur oblatas illinc occaſiones noluiſſe. *Sabaudius conſtans propoſiti.* Marchio Guerrerius Mantuam à Duce euocatus (fatali mutationis frequentiâ) ſucceſſorem opperiebatur; & apud eam Aulam incerta deliberatio (pluribus dignitatem illam ambientibus) erat. Qui Rubeo fauebant, reditum in eum locum viri iteratis officijs moliebantur; ſed vbi nimis recentem reſtitutionem, & validas in Duce negandi cauſas proſpexêre (quamquam apud ſuos tantæ adminiſtrationi pares multi cenſerentur) Ferrantem Rubei patrem apud Venetos nobiliſſimo militiæ magiſtratu merentem prætulêre. Et breuem quidem à Senatu miſſionem habiturum rebantur, Monferrato tamen præfecto & præſenti Principe Vincentio aſſeſſorem tantum, non item Gubernatorem dici poſſe cognouerunt. *Ferrantes Rubei pater aſſeſſor Vincen.* Sic honori filij, ſic exiſtimationi generis conſultum dicebant; ſi amoto filio, dignatio transferretur in parentem. Neque ille auerſatus curam eſt, non vt imperaret; ſed vt filio Romà iam reuerſo (quod ſperabat) priorem locum ſeruaret, redderetque. Mantuanus certè obſequio ac miniſterio, prouinciales comitate demulcendi erant. Vtrumque Ferrantes obire decreuerat; totâ vitâ non aliud anxius ſectatus, quàm

vt ſeruitute ſua, precibus Venetorum, officijs amicorum, detractum filio munus redderetur.

Cæterum dictu mirum eſt quos hæc Ferrariis renunciatio motus amicorum, quas apud Italos & Hiſpanos ſuſpiciones exciuerit: eò iam Mantuani fœlicitatem proceſſiſſe dicebant; vt commiſſâ Hiſpanis ſui curâ; & Monſerrato armatis exercitibus ambito, Venetos etiam vniuerſis inuiſos adminiſtrationi admonerit. Suſpectum certè Carolum filium Gallorum pietate; ſed natalibus, & ſeruitute Mantuani, imo & poſſeſſione bonorum excuſari. Nunc parentem ſenem callidum, imperij artes apud æmulos doctum, verè hoſtem Gubernationi rerum imponi, vt reiectis Hiſpanis, Venetum Senatum arbitrum inducat. Facile illi eſſe iuuenem Principem, & ſeniles artes non vitantem illecebris & cultu circumuenire; & eò blanditijs ac honeſti ſpecie impellere, vnde promptus receptus non pateat. Hæc opinio vulgi Principis Vincentij animum parum aſſequebatur. Vbi enim ille, amoto filio patrem ſubſtitui audiuit, non inani futurorum coniecturâ dixiſſe fertur: male Ducem fratrem collineare: cum enim deſignandi Hiſpani ſint, in quibus certa ſalutis ſpes conſiſtat, vanè prorſus illum in Gallos & Venetos deerrare. Nec ſilebant Sabaudij Ducis amici, eadem apud Regem Hiſpanum & Inoyoſam conteſtantes; vt ſi non irritam, frigentem tamen Mantuani tutelam redderent. Romæ ſanè prudentis licet viri electio reprobata eſt; non Hiſpanorum (quos ferè illa Aula præfert) amore, ſed mutationis inuidiâ; ſtabile ſemel iudicium agendorum, & conſtantiam Mantuani requirentes. In Hiſpanis proceribus abditum profundo publicæ rei ſilentium erat: quamquam Aſculanus querelâ non abſtinuerit: detractum Guerrerium Hiſpanæ gentis ſtudio, multorum annorum opera imbutum, & fidei non ambiguæ: eius verò loco qui externam fidem profiteatur inductum.

Porrò facilè erat fortitudine, nobilitate, & fide probatum impónere; ſed ex competitoribus eligere potiorem; & vitia à virtutibus eadem ſpecie induta diſcernere, difficile: eoq; accuſare quæ minus placuiſſent, quàm formam electionis reprehenſioni ſuperiorem inuenire; ijs qui poſtpoſiti aut reiecti forent, ſilentibus. Recentis potentiæ, & apud ſuos non minus quàm exteros dolore ac ſuſpicionibus deprehenſis Principem intuta omnia credere, nec paratæ aſſentationi credere debuiſſe. Quidam Sabaudium prius cum nuptialia agitarentur hoſtem, mox Inoyoſam cæteroſq; eiuſdem magnitudinis ſimulatæ caritatis expertos dicebant.

Aderat Mantuæ pro Senatu Veneto Orator, manifeſto quidem pietatis ac prudentiæ, ſed Reipublicæ ſuæ ſtudio ſuſpectus; & Veneti ſoluta pecunia menſtrua in Mantuani neceſſitates accuſari non poſſe videbantur; inueteratâ conſuetudine aurum fidei præferendi; & tum de amicitia dubitari, vbi minus promptè pecunia impendatur. Gubernatorum culpa credita, & ſatis pœnarum miſſo ſucceſſore ſumptum. Minus fidis & ſua conſilia anteferentibus id ſatis erat teſtandæ integritati eorum quos obtuliſſent. Si leuia & infirmiter probata ſcelera, apud rerum ſupremos curatores impunitâ non viderentur. Equidem iudicij falſitas ex eo patuit, quod Reipublicæ adminiſtratio inculpata cenſeatur, vbi leuia crimina ſeuerè conquiruntur: licet à flagitio errorem, amotionem à pœnâ prudentiſſimi veterum diſſidere docuerint. Frequentem quoque mutationem auerſantes, Principes arbitrio & eligendi libertate obturbabant, vbi prætetita æſtimatio quæ minus reſponderit nouis & minus culpabilibus delectibus corrigitur. Et hæc quidem apud Mantuanum agebantur. Monſerratum Hiſpano milite deuoratum ſub vexatione adhuc ſed modeſtius erat; cum tamen caritatis & hoſpitij amico nomine gemeret. Peditatus quidem parte deducta leuatum videbatur, ſed perſiſtente equitatu, plus expenſæ debebatur. Apud ciues, fortunis vt ſuis & velut in ſuo vteba-

vtebatur; idq; & viſu & auditu fœdum erat adeo, vt ductores ipſi, vexatione miſerorum, & vſu poſcendi erubeſcerent. Sed quia imminuti numero fuerant; quaſi recenti beneficio aucti populares eſſent, lamentari intutum, & parum tempori opportunum Princeps Vincentius credidit. Solari omnes, & breui eam moleſtiam fore ſponderi placuit; nec in tempus fictæ blanditiæ, ſed Principi ſuo plena fides habita. Raram in eo iuuene prudentiam, eorum temporum æſtimatione fuiſſe certum eſt; cum inſtabilitati fratris, Hiſpanorum artibus, magnitudini Sabaudij, populorum calamitati eluctatus, famam præter ſpem multorum retinuerit.

Equitatus Hiſp. in parte Monferrato detrahitur.

Initio Decembris Gonzales Oliuera ab Aſculano miſſus eſt, vt datam pridem fidem abſolueret. Teſtato enim amore gentis, è turmis ſex equitum (quæ adhuc prouinciæ liberalitate alebantur) quatuor deduci, vt intra Mediolanenſes terminos locarentur imperabat. Facto (vt olim) gratiæ actæ; & bonæ rei nuncius ſtatim cum donis, vt Aſculano obtemperaretur, dimiſſus eſt. Ea militia Commiſſario generali, Sancti Secundi & Marliani Comitibus parebat. Oliueræ tantùm & Herculis Gonzagæ turmæ ſubſtitêre. Delectæ vt amicitia Mantuani, maiori pietate aduerſus ſubditos vterentur. Quò enim quiſq; obæratior, & minus Mantuano cognitus erat, eò immanius diurnam erogationem, & alimenta ſuo militi exigebat. Satis modeſtiæ apud ſuos putabant, ſi largitione ciuium expleti, apertâ rapinâ abſtinuiſſent. Neque tamen honeſtius domi agebant; militiæ conſuetudine præualidâ, quàm vt apud exteros vſurpata, inter ſuos mutaretur. Ferè ſolita & longo vſu recepta, licet in multorum iniuriam, vim legis habent. Documento Hiſpana militia fuit, quæ Liuornum & Bianzanum iuxta ſita, non in Sabaudios quàm in Monferratenſes modeſtius agebat. Ruſtici quoque eo tractu, diuturnâ Pedemontanorum infeſtatione irritati, eadem ſed cautius, & ſub externo nomine exercebant; graſſationibus mentita vocabula accommodare docti ab Hiſpanis: vt cum hauriri & rapi ſua impunè cernerent, idem admitterent; nempe æmulatione & exemplo quoque didicerant, nihil diſciplinâ & compoſitione morum infœlicius eſſe, inter latrones iuratos. Per complicatos fines Pedemontanorum Monferratenſium Hiſpano militi Sabaudij confuſi, & Monferratenſes proprijs cum globis, prædationes, iniuriæ, furta audiebantur: non ſuis, non alienis parcebatur; quod hoſpitalitatis prætextu ſæuiretur. Ea ſpecies amicis Sabaudij accepta; vt querelæ omnes in Monferratenſes regererentur; & ipſi non laceſſentes ſed prouocati viderentur. Duci quoque placuiſſe creditum amotos ijs ſedibus Hiſpanos, ne cuicunque motui teſtes aſſiderent; aut carpenti hoſtem è vicino obſiſterent. Sed Verruenſis, quo in Mantuanum ac ſuos affectu erat, & apud Sabaudium auctoritate; ſimul rerum ſuarum ſtudio (eo enim tractu & Verrua erat, cuius agrum frequentes rapinæ deſolauerant) ad Aſculanum contendit, repetiturus ablata; & quo certius querela acciperetur, commendatâ Hiſpani præſidij diſciplinâ, in Monferratenſes culpam flexurus. Armenta quidem abacta fuerant, quæ Comes & populares culturæ agrorum parauerant: ſed qui rapuerant, Monferratenſem prædam dicebant, vt honeſtius furati crederentur. Cæterùm alio deduci Hiſpanas centurias Comitem ſecretò oraſſe, Monferratenſes retulerunt; id verò Aſculanum niſi habito Inyoſæ imperio ſibi licere abnuiſſe; curaturum tamen, ne amicorum præſentia oneri vicino foret.

Rapinæ inter Sabaudios & Monferratenſes.

Raptus & prædarum hiſtoria ad Principem Vincentium delata eſt; vt miſſo æſtimarore puniret reos, coercerétque. Vix primos queſtus acceperat, cum nouis literis aucta Sabaudij lamentatio: haud procul Cocconato etiam cædes admiſſas; & Monferratenſibus graſſantib. obſeſſa itinera: addebatur inſuper grauiter illum comminatum, velle ſe præterita mala, præſentium malorum æſtimatione ſarcire. Dicebantur iumenta Dominis abacta, & villicos quidem vt reciperent inſecutos,

ſed pulſatos primùm,mox acrius cauſam ſuam proſequentes vulnerib. abſterritos. Sacellum quoque ruſticum,pauperum votiuis donis inſigne,expilatum : idq; tanta verborum contentione, & concurſu coniecturarum ; vt certum eſſet, ſimilia ne belli quidem tempore per Monfetratum,conſcio & volente Sabaudio eueniſſe. Princeps Vincentius ne quam maximè pacem propoſuerat, ſuorum æmulatus præpediret, ſpectatores huc illuc miſit, vt in reos compendio animaduerterent. Nec enim eius iuuenis regia indoles fraudes admittebat. Sanctiſſimæ nihilominus menti eius impoſitum : qui enim miſſi fuerant, retulerunt cupiuiſſe Sabaudium miſerrimos non propriis, & Hiſpanis armis magis, quàm ſui domini inquiſitionibus vexari:maiora Sabaudios extra fines admiſiſſe, nec ſemel cauſam ſeditioni dediſſe:ſiue priores, ſiue poſteriores mentiti ſunt, pronum creditu eſt, & quorum relatu firmatum, turbata iam pace ac ſuſpecta, mutuas inter vicinos iniurias, & damna ſucceſſiſſe ; queſtóſque non Monferratenſes ſolùm, ſed & Sabaudium ; ſuppetentibus vtrinque dolori cauſis; nec vllo innoxio eorum qui accuſauerant. Proinde inuiſæ ſubditis quæſtiones omiſſæ ; & eluctari non ceſſuro hoſti permiſſi ſunt.Re ad Aſculanum delata,pro Sabaudio affuerunt,qui vniuerſa in Monferratenſes regererent. Teſtib. agebatur & ſuſpectis,& apud arbitrum iudicio nutantem. Diſplicuiſſe rixas didicimus, & vtroſque modeſtiæ admonitos: quamquam non iam Hiſpanos accuſari; & eadem amoris iis damna Prouinciales exquiri lætaretur, vt veteres querelas elueret. Adeo ſuſpicio malorum apud inſenſos accreuerat;vt ſi quis vel inermis,alienum agrum tranſitu tegiſſet, furti,doli, violentiæ damnaretur;quaſi ſine armis, vt incautius imponeret inceſſiſſet. Vel inſenſato patuiſſet accipiendæ iniuriæ obnoxiis, tutè peculatum inferri.Eâ causâ Hiſpani præſidiarij, cum ſuos hoſpites pecuniâ & veſte imminuiſſent, tamquam exciſſuri colonias adueniſſent, aut Sabaudiorum iras vindicaturi, nocturnis graſſationibus per manipulos ſæuiebant.Rapinæ partem rectoribus oblatam, inanes querelantium lamentationes fatebantur. Nemo inſuper publicè queri audebat, quòd probabilis excuſatio ſuppeteret ; tanquam hoſtilis incurſus imputaretur. Quanto maiori patientiâ, calumniâ, verbera, rapina, cædes, ferebantur,tanto acrius apud Aſculanum & Inoyoſam exponebantur (quòd ferè tacuiſſe ſimilia mutæ accuſationis & conuicti criminis deprehenſio videbatur :) ſed vterque donec mitius iniuriæ delatæ, tardè & inuitus credere videbatur ; vbi intolerabilis vexatio, & vicina ſeditioni bellóque flagitia partium vidêre, generalem campi Auditorem mitti cum imperio placuit, vt crimina requireret, conuictóſque cœterorum exemplo plecteret.

Inoyoſa mittit auditorē vt querelas agnoſcat.

In alienos & Monferratenſes Mantuani ſubditos, ab Hiſpano homine facinorum interrogari,iúſque ſibi externum adſcire procul omni ratione Principi Vincentio viſum : Proprio igitur Queſtore, ſi quæ in Monferratenſes ingererentur agnoſci, & puniri voluit ; datis in eandem cauſam executoribus lictoribúſque: faſſus ante, apud ſe ius integrum, nec aliena auctoritate turbatum velle. Cinallerius probitatis & eruditionis certiſſimæ Inquiſitor, & exercituum Auditori Aſſeſſor datus, tam fruſtra, quàm hic aliena iura tractaturus aduenerat. Habitus nihilominus homini honor eſt ; ne quorum curis ſecuritas prouinciæ nitebatur, contemni videretur. Et ille quidem ſtatim occupare imperium ; & Mantuani ſubditos non ſecus, quàm milites poſtulare aggreſſus, à Cinallerio retentus eſt ; teſtante habere illum in milites ſuos poteſtatem; ſe verò ſi qui Monferratenſes deliquiſſent executurum. Sic manſere impunita ſcelera, ne iuriſdictio imminueretur ; populíque ipſi expilari ac vexari, quam ad Hiſpanos transferri maluerunt. Tot ſimilium querelas, tot accuſationes, tot mutua à competitoribus damna illata faſtidium Lectori apportatura certus ſum, curam meam tamen excuſari deſidero ; nec enim malorum exitus quæ Monferratum hauſerunt, ſileri

P. Vincētius id illi iuris non cōcedit.

iſta,

iſta aut compendio tradi permittunt: quando iis qui eorum calamitates proſpexerunt in manifeſto ſit, partem hanc tragœdiæ vtramque paginam implere, & damnorum ab amicis Hiſpanis, quàm ab hoſte Sabaudio, plus Monferrato illatum. Mitius apud Belgas, tot annorum prœliis exercitos, paganos haberi; ſegeti ignoſci, ruſticis opibus modeſtius vti, qui eam militiam experti ſunt, Monferratenſis hoſpitalitatis comparatione fatentur.

In has turbas, & tantum malorum calamitoſus annus deſiit; & milleſimus decimus quartus occepit, nondùm plenè ſancita pace; & turgentibus adhuc Principum animis, irâ & vindictæ cupidine. Nam & Sabaudius plura hominum millia in armis habebat, futuræ calamitatis præſagio; & Inoyoſa inutili cunctatione nec bellum faciebat, nec ſtrenuè pacem curabat; cum inſuper Monferratum, non ſuffecturo, aut protecturo milite occurreret. Diu iam & irritè Sabaudij aures vulgi rumor contuderat, matrimonij refricatione; & recordatione dimittendæ militiæ; cum tamen illi certum eſſet, ſeque ac prouincias cum filiis bello potius perdere, quàm nulla ſatisfactione accepta pacem accipere. Monuerant nobiles Hiſpani, non preces illum non impetia curaturum, & fruſtra apud armatum argumentis certari; onerandum potius Mantuanum, qui bello cauſam & dederit, & foueat: ſed quamquàm in eam ſententiam omnium vota flecteren r, bſtinere tamen imperio, & Mantuani duritiem negotio mollire decreuerat. Medio itaque illius Oratore, & iis quibus apertas Ducis aures crediderat, ignoſci rebellibus, damna condonari, & nuptias cum vidua reſumi procurabat. Ibertum ante alios Hiſpanis fidum ſubdiderat, vt indefeſsè, ſuffecturas paci conditiones Duci inſtillaret. Acriter id ille proſequebatur, ſed quamquam rationibus præualeret, ad eas tamen Mantuanus (exitialibus amiræ & eiuſdem corruptelæ auctoribus inſtructus) reſpondebat: plus Inoyoſam armis in communem hoſtem, quàm eo conſilio apud ſe profecturum. Recentes iniurias, neceſſitudinem; ſeditioſorum veniam, flagitij turpitudine diſſuaderi. Sed tamquam Hiſpani nominis maieſtas, præſumpta tutela, reſtitutio capti à Sabaudio Monferrati gratitudinem fortiter obſtringerent, vt pars nulla deſideriorum abnui poſſe videretur, eadem pertinaciter proſequendo, ſeſe ac reliquos fatigabat; quos apud certum erat, maiori indignatione Mantuanum ardeſcere, quàm vt ſtatim Gubernatoris conſilio acquieſceret. Idem Venetus apud Ducem Orator, non ſemel tamquam malorum finem propoſuerat ſuaſeratque, vt tôt Principum precibus, vinci ſe pateretur.

Poſtmodum vbi oetram ſententiam; & quæ ille impatienter audiuit, requiri vidit, imminuto conatu, & rarioribus officiis, iactiſque tamquam in caſum ſermonibus, memoriam eius quod ſæpe orauerat, repetebat: gnarus & tardè ceſſurum precibus Ducem; & offenſarum malorumque recordationem (niſi tempore matureſcant) non detergi. Contra Sabaudius iis quæ initio popoſcerat aſſiduè inſiſtere, Sangeorgij ac rebellium cauſam ſuam velle; non arma, non iniurias omittere, fouere deſciſcentes; non finibus, non iuribus ſuis abſtinere: & Sangeorgij coniux nobilis ac ſancta fœmina, non ſemel Duci obuia, ſuum dedecus, innocentium liberorum infantiam, præſtitam ſtrenuè operam, exprimendæ protectioni obiiciebat. Nec minus ille cum mandata impigrè proſequeretur, pericula pro oblectamentis capeſceret, nocte ac die, pedes equeſque laſſaretur, ſumma integritate alieno parceret, ſuo vteretur, cogebat munificentiſſimum Principem ſui rationem habere; nec Mantuanum generoſi miniſtri iniuriis lætari ſinere. Laboratum iam apud Reges Hiſpanum & Gallum plures menſes Oratoribus literiſq; fuerat: quibuſdam Procerum in Mantuani cauſam pronioribus, aliis aduerſis provt inconſulta caritas,

Ff

aur credita partium iura valuerant. Nec aliud frequentius in diſputationem vocabatur, quàm cum Mantuani neptis Infans externo concedenda foret, an ignoſci rebellibus, & tot damna quæ per Monferratum accepta fuerant, inſultantibus adhuc qui intulerant condonari, præſentis vtilitatis & futuræ ſecuritatis exemplo expediret. Nec leuis de coniugio diſceptatio: id tantùm ſecurum in Mantuano fidei documentum quibuſdam credentibus, ſi Regio voto nupſiſſet.

Equidem ſeptima Septembris præcedentis anni, cum adhuc arctior negotiatio, & procliuiores contrahentium animi forent, Ioannes Octauius Gonzaga ſui Ducis nomine, oblato ſupplici libello Lermæ Duci expoſtulerat; nolle alias Mantuanum nuptias quàm quas Rex decreuiſſet; non Viduâ relictâ, non quauis aliâ exceptâ dummodo pari & generi ſuo honore matrimonio iungeretur: reſponſumq; ab Lermâ ſolito ſibi faſtu acceperat, acciri debere viduam. Ea vero promiſſio Gonzagæ Mantuanum obſtrinxiſſe videbatur. Sed nec adhuc Regis animus plenè notuerat, nec conditionum iniquitas accuſabatur. Sciuerat tamen Lerma, quod Mantuanus dicto facturum ſe recepiſſet, facto neglecturum: & tamdiu concluſioni difficultates interiecturum, donec res tempore vaneſceret. Frangere itaque duritiam tracto negotio decreuerat; & eo procedi laſſitudine, donec ſponte Mantuanus voto annueret, & vel inuitus magno beneficio afficeretur. Galliæ nihilominus Regina detritas ſpes nepotis, & arbitrium nubendi ſuſtentare videbatur: eoq; ſimulanda Hiſpanis negligentia erat; quòd in promptum affectu videretur, quod illa ſolide abnuiſſet. Itaque præueniri conſilio, & oſtentatione amoris fateri, ex vſu eſſe quæ proponerentur, placuit: Inoyoſa auctore; & ijs qui licet neſcij Mantuani vtilitatem curabant: apertè tamen tamquam iniuriam illaturi vrgebant.

Hiſpani conantur trahere in ſuam ſententiam Regem Galliæ, circa Mantuani nuptias.

Inicus de Cardines. Ad eum Regis literæ.

Inicus de Cardines pro Hiſpano apud Gallum Legatus erat, vir magnâ prudentiâ, & retinendæ in caritate praeferoci genti inter multos electus. Ad hunc datæ à Rege literæ, quarum ſententia fuit, componendis Italiæ turbis conſentaneum videri, vt Infans Maria, defuncti Mantuani Ducis filia, apud Patruum relicta, illico in libertatem aſſereretur. Id Ioanni Octauio Gonzagæ ſignificatum, & imperatum Inoyoſæ, vt placidè primum Mantuanum aggrederetur; vbi non ſuffeciſſent officia, aſperioribus vteretur, vt traheret inuitum: ſimul rebellium cauſam, ac damnorum reſtitutionem, non minus in arbitros rejiceret (quando ſponte nollet ignoſcere) quorum ſpectata ſibi fides eſſet. Iam nullo vtiliori coniugio poſſe Mantuanum accedere, quàm ſi Viduam accepiſſet. Hinc ſpem haud dubiam concordiæ inter Duces; Infantis verò curam, extra diſputationem fore. Nec enim bono pacis certius præſidium credere; cui conatu omni & ſtudio inuigilaret. Neque Sabaudij animum irâ turgentem aſperandum, docendum tamen famæ ſuæ bono expedire, vt omiſſâ vi, quod ſibi iurium in Monferratum crederet, id ciuiliter coram Imperatore experiretur. Principi Pedemontano imperaſſe, vt parentem ſuum, quæ ipſe mandaſſet admoneret, data prius fide, non gratiæ, non amicitiæ, quam æquo ac iuſto certiorem apud ſe locum futurum. Fruſtrà inter expenſas, & populorum excidium armatos exercitus nutriri: Hos miſſionibus imminui debere; vt ſublatis vtrinque ſuſpicionibus, ſecurâ iam pace, & prævalidis legibus, ſingulorum merita, ab his quorum intereſſet examinarentur. Idem Mantuano ab Inoyosâ imperari voluiſſe, ſuffecturos enim Regios exercitus, ſuſtentandis partium iuribus, aduerſus eorum conatus, qui concordiam abnuiſſent. Irritè vtroſque aliam negotiationis formam, diuerſam viam, noua diuerticula quærere. Itaque moneret Reginam, nullam ſecuritati vim, aut in innoxios à ſe arma parari; ſed quieti gentium, & duraturæ paci profuturas diu leges meditari:

porrò

porrò non diffidere illam materno amore in Mantuanum conditionum honeſtatem admiſſuram.

Qui Mediolani agebant Hiſpanæ Aulæ rerum gnari, certioribus ſe nuncijs accepiſſe teſtati ſunt, magnis ea conatibus, ab Iſabella Belgia, & Imperatoris ſorore, quæ apud Hiſpanias intra ſacra Virginum ſepta tolerabat, promota. In eundem ſenſum Akoſtichi à ſecretis Regi, feſtinato curſore præcepta Inoyoſæ miſit, quibus Mantuanus obtemperaret. Pontifex, Imperator, Rex, litis arbitri continebantur, ſiue puniri rebelles, ſiue ſarciri damna ex iure credidiſſent. Et quidem Imperator legitimè nominatus, Pontifex obſequio, Hiſpanus gratitudine id ſibi honoris deberi exiſtimarunt; & vniuerſi meruerant, ſi cæteri adminiſtri, maiori diligentia ac fide, ſingulorum iura æſtimaſſent, æquitatiſq; & caritatis in ſingulos viam inceſſiſſent. Conditionibus præſcriptis, extra ordinem addebatur, Infantem Mariam omninò Regis placito permittendam; denique ſpes omnes in ipſum rejiciendas. Nec deerat Inoyoſa Regis voluntatem, imperium, vim perſtrepere; eò acrius, quòd obſtrictum ſe Sabaudio promiſſione ſciret; & quod Regis literæ multum auctoritatis illius ſententiæ attuliſſent. Sed Mantuanus tot agitantibus, per literas, per nuncios, res ſuas apud Cæſarem ac Hiſpanum commendare, vim deprecari, orare iuſtitiam, cui ſe maximè fidere dicebat. Neque apud ſanctiſſimum Regem fruſtra preces credere; ſi depulſis æmulorum officijs, cauſæ ſuæ merita introſpexiſſet. Intempeſtiuum rigorem iuris prudentiores adminiſtri obturbabant; vtq; eodem niteretur apud Imperatorem Zunica ſcribebant, bona fide aſſeuerantes, neſcium vtilitatis propriæ Mantuanum, tam diu ſalubre conſilium, toti Italiæ pacem laturum excludere. Interim illum domeſticas opes perdere, Monferratum hoſpitio in turbis lacerari, amicos delaſſari, & in peruicacia vtilem ſibi conſtantiam credere. Damno rerum exiſtimationis iacturam imminere; deſpectum enim ſui, & neglectum apud opinionem generis humani ſecurura; vbi cunctationem ſuã ac ſuorum ærumnâ luere videatur: nemine Principum Europæ, quorum conſilia rejeciſſet, commiſerante. Non defuit Zunica officio, negotij optimus æſtimator, & cum publicam quietem, vtilitatemq; Cæſari expoſuiſſet, addidit, nil ijs conditionibus Mantuano detrahi; aut cui beneficio reddita prouincia ſit, neptim Infantem inuideri; ſed inanem Sabaudio ſatisfactionem objici. Vbi recenti matrimonio vtrique coiuiſſent, ſtatim dirimi lites, & prætextus peruicaciter exercitos diſcuti. Negotiatione diu verſatâ ob Regum diſtantiam, & immobilem erga iura ſua Mantuani animum: nec minus poſt geminatas Hiſpanorum ac Mantuani ad Cæſarem & Reginam literas; Rex, vt ſueuerat, petito conſilio, vota ſingulorum, & quibus ante alia maieſtatis exiſtimatio, & rerum ſecuritas contineretur, prædictâ die, ne impræmeditata requireret, audire ſe velle dixit: ſolito Aulæ more; quo non voce magis, quàm ſcripto, ingentium rerum negotia tractantur. Seorſim vniuerſi quid optimum factu, & congruens tempori crederent cenſuere. Nos eorum ſententias paucis perſpectas profunditate ſecreti, vulgare noluimus, quòd ne pars hæc quidem hiſtoriæ nos feſellerit; accepto ab Hiſpanâ Aulâ exemplari & literarum totius conſilij, licet deprehenſus Index nudati arcani pœnas paucis poſt annis capite luerit.

Conſilium Hiſpanienſe ſuper toto negotio Regi datum à procerib.

Inicus de Cardines per literas, Infantem pupillam auelli à Patruo Duce intempeſtiuum monuerat, habito iam Cæſaris decreto; & paratis in Hiſpanum Regem Principum Europæ criminationibus, ſi cupidinem Hiſpanam excepiſſent: quaſi neſcio quid maius arbitrio, ea flagitatio contineret. Viduæ cum Mantuano nuptias multâ commendatione proſecutus fuerat; nec aliud feſtinatione vtilius duxerat. Secuturam publicam vtilitatem, & partium quietem arbitratus. Imminere interim hiemem; quæ quæſita à Mantuano exterorum auxilia

Inici de Cardenes ſententia per literas.

prohiberet;& regias copias Monferrati viſceribus inductas,aſſenſum neceſſitate expreſſuras. Galliæ Reginam conceſſioni neptis aduerſam, tamquam ſi auus habuiſſet,non ideo libertatem acciperet,ſed diſcrimini & cupidini alienæ exponeretur. Neq; tamen viduæ nuptiis ſtatim accedere:quòd ne priori quidem matrimonio, certa caritas conſanguineos Duces illigauerit. Id verò ante alia quæri, quòd Sabaudius apud frequentes Proceres iactauerit,in ſua manu poſitum,an Hiſpano & Gallis concordiam diuturnam vellet. Cæterùm laudare Regem, ſi diſſoluto Sabaudij exercitu, ipſe quoque dimiſſo milite prouinciam ſuſpitione liberaſſet : quamquam Villarous Regij Conſilij intimus, parum id ornamento gentis ceſſurum faſſus eſt:& poſſe Reginam armati licet Regis ſui recto animo fidere.

Marchionis Rodriquez & Cardinalis Toletani.

Marchio Caſtri Rodriquez & Cardinalis Toletanus commendatâ Cardines diligentiâ, exitum rerum & venturas ex Italia literas expectandas cenſuerunt. Interim nouis in æmulos Duces præceptis abſtineri,quæ forſan diſpoſitis in concordiam fruſtra eſſe poſſint;niſi etiam impedimento. Dux Infantadi poſtquam eadem quæ priores diſſeruit, fidendum Reginæ Galliæ, & exhibitioni pietatis reſpondit. Proinde ſilendum de Maria Infante; nec quæ illa grauiter auerſetur obſtinatè requirenda. Porrò haudquaquam nouum ſibi eueniſſe, quòd Sabaudius tot beneficiorum Hiſpano Regi obnoxius, tam ſeditioſè agat : modeſtiorem futurum fuiſſe, ſi præcipites conatus, & inchoatas eius turbas Inoyoſa ſubitis viribus oppreſſiſſet. Eâ cauſâ dimitti ex Hiſpania Principem Philibertum conſulere; in quem tot amoris inditia, & internâ apud Regem patruum potentiâ externos Principes ſuſpicionibus turbet. Petrus Toletanus, qui poſtmodum in Mediolanenſes Gubernator miſſus eſt, haud obſcurè in eundem Principem inuectus eſt; nec minus in crimina quæ in Regem ſuum Chriſtianus Orbis flexurus eſſet. Neque enim illius frequentes ad Parentem Curſores probare; tamquam ab Aulæ negotiorum gnaro; & ſingula per amicos, & liberum acceſſum expiſcante. Probatis quoque viduæ cum Mantuano nuptiis; repeti neptim (quam petram ſcandali appellabat) conſulebat. Auguſtinus Meſſia, eadem ſed fuſius executus, primùm Sabaudium militem diſſoluere volebat : ex pauculis & diuiſis Mantuani centuriis, nullum imminere metum ratus, præſertim regiis armis, in aperto ſitis,obtemperanti paratis,infeſtis abnuenti.

Ducis Infantadi.

Petri Toletani.

Auguſtini Meſſia.

Inici Cardines litera ad Regem ſuum.

Medio Octobris aliæ quoque literæ ab Inico de Cardines miſſæ Hiſpanum Regem metu noui belli perculêre; ſuſpitiones de Gallis continebant : quos inconſulta & præcipitia agitare monebat; nulla intus conſternationis cauſâ, furore tantum & cupidine. Scribebat, placere quidem Sabaudiam militiam diſſipari, Regémque ſuum in eam curam conſilium vireſq; impendere, vix tamen exitum vota ſecuturum;quòd Oratorib. vltro citróque ad vicinos Principes miſſis,iiſque quibus bellum quæſtu æſtimatur, in predæ partem aduocatis, augere copias ſuas maturarent. Gallis perſuaderi non poſſe, fide bona & amore pacis Hiſpanos Sabaudio quietem imperare; eo quod paratas vires oſtenſent,quibus ille ſit impar. Et Princeps Pedemontanus ſummo honore apud Regem habitus; manifeſta regiæ conſcientiæ inditia proferat. Infantem Mariam delatâ ad parentem matre patrui curæ permiſſam : id leges gentium velle. Imprudenter præferri pietatem : nec enim concordi Hiſpanis Sabaudio, ſine imagine falſitatis exiſtimari, vni inſidiantium bono iure negatum, quod alteri concedatur. Nempe mutuas ſpes, & prætextus foueri : dum illi aperta odia, hi ſimulatam caritatem circumferunt. Vbi Imperator ſingulorum iura decreuiſſet; tum non Hiſpano ſolùm, ſed & matri abſenti bene concedi. Extinctam fore tum iudicio litem; nec metui poſſe, ne in nouos tumultus rurſum increſcat. Et quamquam ſit, credíque apud Regem ſuum iuſtitia poſſit, proximè tamen ad in-

ad inſcitiam accedere, ſi impendentes morus, & iactata ad faſtidium iuta negligantur; aut vulgatus rumor (quo Hiſpani prætextu in ſuam cauſam vti circumferuntur) falſi arguatur magnis Principibus etiam in dubijs famam æſtimandam: & meritò incuriæ damnari vbi quid ſiniſtri euenerit; quod communi lamentatione cauiſſe debuerant. Seruire foro ac conſenſui generis humani certam eſſe Principum ſapientiam:& fore intentiorem curam ſecuritati proficere,excidium neglectu feſtinari. Quòd ſi paternæ domui abſtrahenda puella ſit,velle ſe Gallos depoſiti fide obligari: neque enim aut Reginæ amitæ caritatem,aut Regis patrui ſolicitudinem,nullo prætextu fraudis obumbratam,contemni poſſe. Itaque Regem & Proceres firmiter ſententiæ inſiſtere, non tradi à Mantuano puellam; & quamuis prouincia omnis in hoſtem ceſſura foret,retineri conſtantiam abnuendi. Affuturos enim validis exercitibus; & vel omiſſa recepturos; vel Hiſpanam quietem (ſi genero Regi aduerſum ſocerum depræhendiſſent) graui mole turbaturos. Non defuturum Cæſarem, Venetos, cæteroſq; Europæ Principes ſtudio honeſti; apud quos iam ſuſpicionum magnitudo percrebuit, & oppreſſi (vt putant) Mantuani commiſeratio. Delectum eſſe Oratorem,qui in Italiam mittendus matrimonium & quietem conſulat; ſed per ſecreta Principum animos exploret, ambiguos impellat, paratos firmet. Multum id tempori profuturum credere; ſuorum apud Italos odio & potentiæ arbitrij gentis inuidia perſpecta. Poſtremò orare ac conſulere, ne inanibus & non ſecuturis implicatus Rex, matrimonij tranſactionem moretur; ſed in eandem curam, Pontificem, Cæſarem, & Inoyoſam compellat; ſiue annuant, ſiue abnuant Galli, æquè ſalubri conſilio. Quorſum enim,aut quâ fiduciâ armorum,minas & belli apparatum fore,concordibus Sabaudio & Mantuano,& generis humani conſenſum ſecutis?

Et hæc quidem Cardines præſcripſerat; cui Hiſpanus prudentiæ opinione deferre plurimùm ſolitus fuerat. Sed non minus Gallorum animos noua Inoyoſæ cura irritauerat; quâ ille nihilo ſecius, Mantuanum Regis nomine vrgebat, vti Mariam Infantem concederet. Quod licet fruſtra erat,cum tamen Regina ſpeciem violentiæ ſubadorata foret; & vulgatum Procerum Hiſpaniæ conſilium ſuſpiciones approbauiſſent; ſicut de bello haudquaquam dubitatum, ſit non Sabaudius non Hiſpanus excepti ſunt;tantùm pro Mantuano,vt oppreſſo,in quemcunque iuribus eius obſtantem conclamatum. Maior hinc rabies, & ſermonum licentia: nemine in tot millibus reperto, qui Hiſpanam fidem, & pietatem erga Mantuanum, pro certis admitteret. Inuiſa ferè potentia, tum maximè in ſuſpicionem venit,ac ſi concordes Sabaudio, Mantuanum exuere dominatione properarent: cuius compotes bello & victoriâ facti, cauſam reddere non tenerentur. Rex Hiſpanus certiſſimæ integritatis Zunicam Oratorem ſuum monuerat datis pridem literis, vt magnâ apud Cæſarem vi niteretur, quò Mariæ Infantis Mediolanum tranſmiſſio peruincretur. Nec certè aut dolus ſuberat; aut præter ius faſq; Rex crediderat fraudem Mantuano ſtruere;ſed ſalutarem publico finem reſpexerat;intentatoq; rei metu,& transferendę Mediolanum puellæ ſuſpicione terrere Ducem ratus; vt vtroq; perculſus,ſtatim auertendę ei neceſſitati matrem coniugio requireret. Mollibus inſtitutis ſopire turbas voluerat, & vel inuito beneficium ingens cõferre. Et Zunica quidem Viennæ,apud conſilij Aulici adminiſtros egit acriter,vt Imperator ſui Regis deſideria rata vellet. Arcanum in plures vulgatum ſtatim Mantuano patuit. Ergo ne inerti ſilentio Sabaudij iura probaret,iuraq; propria negligentiâ deſtrueret; & commiſſæ ſemel curę vniuerſos, & aulsâ paternę domui Nepti, quàm ingentia rerum voluerentur admonuit. Hoc ipſum Imperatrici, & Conſiliarijs teſtatus, quorum in manu ſitam executionem nouerat.

Inoyoſa denuo petit Infantem Mariam à Mantuano

Quod Gallis non placet.

Zunica idē quod Inoyoſa apud Imperatorem procurat.

Vocatum Zunicam Cæſar,quàm iniqua poſcerentur docuit;& vel quod olim

Cæſar ob... gat,

ſibi placuiſſet retinendum; vel tradi Hiſpanorum poteſtati puellam, Proceres omnes dicto factoq; abnuere. Nempe communibus votis Auſtriacam in Germania domum, aduerſus vtrumque Ducem pari fide, & Bauarum quoque ſpectari. Satis viſum Cæſarei decreti famam circumferri. Proinde nequaquam additum Mantuano præceptum; nec Hiſpano Regi parere iuſſus eſt. Sed quia vis ac dolus procul aberant; & id quoque inter pacis inſtrumenta credebatur, qui Viennæ pro Mantuano aderat, perſuaſus eſt apud Ducem conſilium fouere; quibus difficultatibus negotium inuolueretur perſcribere; & Cæſaris quoque nomine hortari. Ambigua Imperatoris ſententia primò Mediolanum, paulò poſt Pariſios delata eſt; & Sabaudius ac Inoyoſa factorum dictorumq; haud neſcij, victam cauſam æquitate & votis Principum credebant. Infenſius Galli, præter ſuſpicacem & auerſum Hiſpanis animum ſingula exceperunt; cum illi manifeſtam ſubeſſe iniquitatem crederent, nec apud veteres æmulos fidem ſperarent. Creuerat Inoyoſæ audacia, vbi Regem cõſilio ſuo vti, & plures miniſtrorum promouere accepit: itaque à Mantuano licentius ea requirebat, quibus data à ſe Sabaudio fides, certius abſolui videbatur. Licet enim Hiſpanus Rex naturali manſuetudine ductus, prorſus Mantuano imperare, vt cupitis annueret, abſtinuiſſet; eum tamen id vnum vicinæ iam paci obſtare cognoſceret, datis Ianuarij initio ad Zunicam Oratorem ſuum literis, eâ ſuper re Imperatorem precum ſocium requiſiuerat. Metui ſe potius quàm amari; illum plus naturali reuerentiâ plus diligi nouerat; nec ideo indignabatur, naturæ ac originis æſtimatione; ſatiſq; habebat, ſi eadem requirenti ſibi ac Cæſari, huic potius auſcultaſſet. Iam enim in publicam vtilitatem, & mutuum honorem vtrique coniuraſſe dicebantur; magna Imperatoris aduerſus Hiſpanum caritate; vt eiuſdem gentis, & beneficiorum immenſitate.

Cæſar deſiderio Hiſpani mutatur.

Cæſar haud dubiè mutatus (vt noua officia, & nouæ cauſæ, ſæpe rerum formam vertunt,) cum iam Hiſpani deſiderio accederet; neque tamen (vt ferebat) aduerſus æquitatem agere in animum induxiſſet, tacitè Mantuanum hortari viſus eſt, vt cauſas odiorum reliquas, facilitate componeret. Inane huius argumenti officium apud Sabaudium ſciebatur, receptæ ſemel ſententiæ fortiſſimè retinerentur, & ea cõſtantiſſimè poſcentem, quæ primo negotij die voluerat. Valuiſſe Sabaudij cauſam multi credebant; plures cuiuſcunque ea ponderis eſſet negligentes, præualituram rebantur; vt apud potentem, nec facilè mutationis obnoxium: quare vt pronior in nouitates infirmior, & iniuriarum poſtulatus, Mantuanus deſtinabatur cui quocunque prætextu imperaretur. Sic habet epiſtola quam Cæſar Mantuano miſit.

Matthias Romanorum Imperator, &c. Domino Cardinali Duci Mantuæ, &c. Ex parte Sereniſſimi Regis Catholici, conſobrini ac nepotis noſtri cariſſimi, maiorem in modum interpellamur, vt quęcunque inter dilectionem tuam & Sabaudiæ Ducem componenda reſtant, auctoritate noſtrâ, & interpoſitâ operâ, ſine morâ longiore, quæ varias ſecum trahere incommoditates & pericula, cum publica, tum priuata poſſint, componantur. Quamobrem Commiſſario noſtro Principi Caſtilionæo de integro iniungimus, vt partes noſtro nomine ſuas apud dilectionem tuam, & Sabaudiæ Ducem, alioſq; vbi opus ſit diligenter interponat; quemadmodum dilectio tua ab ipſo pluribus intelliget. Hortamur itaque dilectionem tuam amicè ac beneuolè, quietis cum publicæ tum priuatę cauſa; ita ſeſe in omnibus facilem prębeat, vt ipſius inde æquanimitas, & nobis obſequendi voluntas conſtet. Quantum enim Sereniſſimo Regi debeamus dilectionis ſuę cauſa, quantum cupiamus, minimè ipſa ignorat; à quâ occaſionem prębeti noluimus, vt vel in vnam, vel in alteram partem offenſa detur, animorumq; alienatio excitetur. Quod dilectionis ſuę in primis intereſt, erga quam propenſum affectum gerimus. Datę Linzij Nonâ Ianuarij 1614. Proniorem tamen in veniam

animum,

animum, nec damna accepta repeti, literis ad Caſtilionęum datis teſtatus eſt, quarum tranſumptum inſeruimus.

Matthias Romanorum Imperator,&c. Domino Principi Caſtioni à Stinerijs, &c. Accepit iam dudum dilectio tua,quæ in negotio Mantuano ſuperiori menſe ſcripſimus,curanda iniunximus,minimè in dubium vocantes,quin ea ipſi,quemadmodum ſuperiora noſtra iuſſa curæ futura ſint,plenum vt effectum ſortiantur. Volumus autem apud Cardinalem Mantuæ Ducem, qui in rebellibus præter expectationem noſtram, ſe difficilem pręberę videtur, neceſſitudine fortè noſtrâ, beneuolentiaq́, confiſus, rem ſeriò vrgeri, rationibus ad perſuadendum idoneis atque opportunis. Primò quòd vbique terrarum,adeoq́; in regnis ditionibúſque noſtris,vbi poſt arma pax initur,vſu comprobatum; quodq́; nos ante iam cupero ſatis oſtendimus,vt rebellibus offenſa, quæ præceſſit condonetur,& amicitiæ locus detur. Expenſarum refuſionem pertinacius vrgeri propterea nolumus,ne Sereniſſimo Regi Catholico Conſobrino noſtro,&c.Eadem quæ in multò maiorem ſeſe ſummam extendat vehementius vrgendi anſa prębeatur.Qui quàm ſeriò ſeſe in his interponat,dilectioni tuæ non obſcurum eſt. Et quidem nos multas habemus,eaſq́; graues cauſas, cur ſingularem ſerenitatis illius rationem habendam ducamus; quod in neceſſitatibus omnibus, quibus Reipublicæ Chriſtianę eam inuoluimus pręcipuam in illâ fiduciam collocatam habemus, opemq́; & auxilium inde expectemus. Ad Principiſſam pupillam quod attinet,quę voluntas noſtra ſit,ex ſuperiori decreto noſtro iunctiſq́; ei literis ſat aſſequi poterit.Nolumus autem Cardinalem Mantuæ Ducem,maiores ex ijs animos ſumere, vt in his tractatibus,ſiue de rebellibus,ſiue de damnis,ſiue de pupillâ,ſiue de dote ſeſe duriorem præbeat:ne nobis occaſio detur,Pupillam pro ſummâ auctoritate noſtrâ Imperiali,ad nos ipſos reuocandi. Matrimonij negotium,vbicunque opus & opportunum viſum fuerit pertractandum, vt iam ante dilectioni tuæ commiſimus,ſic etiam nunc committimus;quod nihil ad omnia inter ſupradictos Mantuæ & Sabaudiæ Duces accommodanda commodius cenſetur. Et ſi minimè illud ex parte Sereniſſimi Regis Catholici vrgeatur. In Monferratenſi negotio modum iam ante pręſcripſimus,quem dilectio tua deinceps ſequetur ac ſeruabit.In his omnibus partes ſuas, dilectio tua inter vtrumque Ducem diligenter interponet; & ſi vel apud hunc, vel apud illum quid impedimenti, vel difficultatis maioris ſeſe obtulerit,ad nos ipſos remittet. De reliquo gratia noſtra dilectioni tuæ integra. Datę Linzij x. Ianuarij 1614.

Vtramque epiſtolam inſerere volui, vt quo animo Cæſar ac Rex Hiſpanus eſſent infallibili documento haberetur; ſimul famę vulgatæ vanitas noteſceret; quâ ad Regem ab Inoyosâ ſcriptum eo tempore dicebatur (cuius nos quoque mentionem habuimus) Cæſareo decreto ſancitum fuiſſe; vt Pupilla Infanti Regi permitteretur. Metus ab Imperatore Mantuano incuſſos, vt promptius vniuerſorum deſiderijs annueret multi crediderunt.Quamquàm certum eſt,nil tale vnquam expreſsè Cæſarem imperaſſe, ſed tantùm comminatum. Apud Hiſpanum publicam quietem, apud Inoyoſam deſiderium, cui literis ac curſoribus laborabat, cauſam petitioni dediſſe tum quoque credidimus, cum plures ſuſpicionibus quærerentur. Memor nempe Inoyoſa erat,eorum quę olim nimiâ facilitate Sabaudio promiſerat. Neque tamen facilitatem multi prudentiâ inſignes, ſed neceſſitatem appellauerant; tamquam id Sabaudio Inoyoſa promiſiſſet, quod illi concedendum,proceſſu negotiationis,ſi concordia placuiſſet,pręuiderat.Quamquàm certum eſt nil tale vnquam expreſsè Cæſarem imperaſſe, ſed tantum obdurato Mantuano comminatum.

His ſententiarum ac rerum mutationibus, gentium animi turbabantur; & apud Gallos conciliabula cœtuſq́; haberi cœperant,quibus cum Hiſpanę artes, &

Digitized by Google

dolus miniſtrorum accuſarentur dedere cum Regina Proceres Inico præcepta, vt Regem ſuum celeri curſore admoneret, ne pluribus Mantuanum fatigaret. Licet enim ignoſci rebellibus, & damnorum recordationem tolli non abnuerent, Pupillam tamen Hiſpanis tradi, niſi bello permiſſuros ſe apertè prædixerant. Et forſan huic quoque capiti Regina conſenſum datura fuerat Hiſpani conſilijs, Principum tamẽ regni obteſtatione prohibebatur; quaſi id exiſtimationem Regiam ſpectaret. Scripſit ergo Inicus in Hiſpaniam: fixum Gallis eſſe tutari Mantuanum, ſi literis aut Oratore, nouas preces ad eam gentem detuliſſet. Aduerſus tamen Sabaudium expeditionem moturos; quem videant armatum & minitantem ab Hiſpanis negligi. Requiri Infantem Mariam, medio in Monferrato Hiſpanos exercitus nullâ Mantuani vtilitate popularium fortunas ligurire. Hæc enim certiora credi magnarum cogitationum inditia, quàm vt mutatis nominibus perſonentur. Debuiſſe ab illis cogi Sabaudium ad arma deponenda; & prouincias hoſtis eluctantis non in amicas infenſas copias induci. Promiſſam Mantuano tutelam ferè iniurijs & offenſis conſtare. Rapinas, vim, oppidorum excidia, non iniqua ſolùm, ſed & Hiſpanam cunctationem, & tractam in tot menſes negotiationem malum animum apertè teſtari. Ne honeſta quidem & æqua ſine doli metu apud conſanguineos, & communi hoſpitio vſos, quantò minus inter externos & ſuſpectos. Foueri Sabaudij filios, coli, ditari; vt primùm opinione, mox eorum opibus collectis Pater in Mantuani innocentis perniciem vtatur, vt Monferrato impunè inſultet, ambitione eius quod Cæſar alteri decreuerit, odio familiæ, naturali violentiâ; ijs è vicino proſpectantibus, qui modeſtè agere & in officium cogere exultantem debuerant.

Galli pro Mantuano.

Inici litera in Hiſpaniã.

Porrò non ipſis irrequiſitam eam curam fore; poſcenti enim & oranti ſubſidio affuturos; ſilentem abnuentemve proprio arbitrio relicturos; teſtimonio & eos honeſta ſectari, & ſeſe non vocatos alienâ causâ abſtinere. Niuernienſem Ducem nobilitate, opibus, amicitijs, & regni muneribus clarum; nec minus animi magnitudine populi moribus congruentem, Reginæ dubitationem flagellaſſe; Regemq; licet impuberem, & conſilij participes oraſſe; vt ſi publicæ rei expedire non crederent, ſuam eam curam, & ſuorum amicorum eſſe ſinerent. Non defuturos belli ſocios Mantuani pietate ſtimulatos; & qui honeſtiſſimo nomini ſubſidij, ſua pericula accommodent; ſi per licentiam, aliena auſpicia ſequi permitterentur. Reginam quidem bono animo Mantuanum eſſe iuſſiſſe; dediſſeq; cæteris auxilij ſpem; etiam Hiſpanæ fidei ſecuritatem aſſeruiſſe; dubium tamen eſſe, an apud præferoces populos oſtentata arma, & continuis ſermonibus & literis irritata vis facilè ſubſideret. Quinimo metui conſenſum Principum regni; ne Niuernienſis queſtu implacabili iurias Mantuani nepotis ſui proſecutus; & pluribus eadem refricantibus, etiam integris, ſeditio contagione affricetur. Præcipuum certè illum inter belli Duces; & regium equitatum (qui ferè nobilitate componitur) moderari. Hinc conſilia, vota, pecunias, cohortes; & (quod inter ambigua caput eſt) apud præpedientes querelas, preceſq; (niſi minas dici expediat) ad Regem deferri; quibus rumpere moras, & vel inuitus alienam cauſam amplecti cogitur. Vix legiones à priuato deſcribi poſſe, quin in conſenſum Rex trahatur. Quotus enim quiſque tot millibus conſanguinitate & amicitia non obſtringatur, & cui genti paratior ad bellum animus? Diu concoctam in Sabaudium expeditionem; & irâ ac deſiderio vindictæ æſtuantes populos facili Hiſpanorum cura poſſe retineri; ſi petitione Infantis Mariæ pupillæ abſtineretur; Regius exercitus omnis Monferrato abduceretur, Sabaudius tollendis ſuſpicionum cauſis, miſſionem ſuis dare cogeretur. Etiam falſum rumorem inceſſiſſe, Ponteſtutam & Aichium Hiſpanorum ſtabili præſidio obtineri; hæc Mantuano reddi debere; ſi vaneſcere vmbras, & occaſiones dubitandi rejici vellent. Et quamquam Princeps Vincen-

Vincentius de Hiſpano honeſtiſſima ad Reginam ſcripſerit; non tamen aut priuatas literas, aut Mantuani dicta congruere: ſiue ille modeſtiâ querelis abſtinuerit; ſiue prudentiâ eò proceſſerit, vt niſi Hiſpanis viribus ſtare fratris res poſſe exiſtimet. Addebat Inicus non deſtitiſſe ſe apud Proceres fateri, certum Hiſpano Regi eſſe; nullis odij, aut ambitionis cauſis, ei ſe negotiationi inſeruiſſe; neque militiam illam proferendi Imperij, aut tacitos prætextus quæſiuiſſe; eóque curaturum pro virili, ne qua recti animi inditia apud Regem ſuum deſiderentur. Fateri inſuper, quæ pertinaci Sabaudio arma Hiſpani intulerint, ea (vbi ſe ille limitibus ditionum ſuarum recepiſſet) retrahi ſtatim velle; niſi parari in eos expeditionem cupiant, qui reuerentem hoſtiliter inuaſiſſet.

Reginam Principéſque ferè omnes (apud quos non minus quàm Regem pacis ac belli arbitrium ſpectatur) reſpondiſſe; non quidem alienatione in Hiſpanum, aut auerſis à quiete animis ſimilia agreſſuros; ſed oblatis ſuſpicionibus ſtimulatos; quibus parum credere temeritatem putent. Si enim Ducum concordiam Rex præſumat, cur in Mantuanum inimicus, ab eo neptim requirat, cuius tutela patruo, iure gentium, & Imperatoris decreto debeatur? cur officij & reuerentiæ manifeſtum Hiſpanis lacerent? Cur fameſcentes cohortes populorum illius calamitate nutriri ſuadet? Cur deniq; toleretur Sabaudius & opprimens & fortior Hiſpano nomini non minus quàm Gallo prout occaſio inceſſiſſet contumelioſus? Aduerſam hoſtis audaciam, Mantuani conſanguinei modeſtiam, quem pax Veruinenſis publica ſecuritate, & fœdere communi vallauerit, amicæ gentis præſidium exprimere. Iam verò ſingula ſecretè ſcrutanti, eum exercitum peditum viginti, trium equitum millium futurum accepiſſe: & primum in Sabaudiam impetum fore; quâ domitâ Pedemontanam proximè deſtinari. Ipſum Niuernienſem acriorem, vt in rem ſuam, quo minus theſauro regio minitari, & faciliorem expeditionis euentum oſtendat. Centum aureorum millibus expenſam omnem belli definiuiſſe; ſtatuiſſéque exemplo Sabaudij & Hiſpanorum, vt populares hoſtium omnibus fortunis iuuaret. Scire enim bellum bello nutriri; & vicinis populis facilè ſuppleri legiones voluntario milite, in predæ partem vocato. Si quid amplius hos motus, quod minus Hiſpano placiturum videbatur, ſequatur; non ſibi ſed ei qui occaſionem dediſſet imputandum: Neque enim eadem inchoantis & adultæ expeditionis conſilia eſſe: & eos qui primò interdum in prælium cogantur; viſâ vtilitate, in officio contineri non poſſe. Ad hoc prorupiſſe Inicus ſe ferebat, conteſtatum tanti motus nec cauſæ, nec pretij ſatis eſſe. Cur enim quod negotiatione expleturum ſe Hiſpanus Rex promiſiſſet, ferro habere mallent; aut quâ cauſâ in ſocerum gener Rex erumperet, infauſto ſucceſſu, ſeu vinceret, ſeu pelleretur. Non ſe quidem minis minas reddere, aut iactare vires animoſq; ſuorum; monere tamen, ſeriò prius æſtimarent, quid opus facto eſſet, quàm patriam & amicos in diſcrimen darent. Incertos belli exitus, & plerumque fortunam cauſæ fauere, didiciſſe non vno prœlio Principes Europæ etiam Hiſpanis neruos eſſe. Cæterùm certum haberent, pacis deſiderium nullis fraudibus ambitum, hactenus Hiſpanos impuliſſe.

Tùm Reginam indignatam excepiſſe, fruſtrà Hiſpanum à Rege filio ſuo reuerentiam ac fidem requirere, quem ipſe eadem qua Mediolani Gubernator vilitate tractet, conſilia agendorum poſt facta perſcribens: quaſi conſcium deliberationum, & partem arbitrij habere dedignaretur Genero filio ſuo Hiſpanum Regem aut credere, aut non diffidere; exitumq; concordiæ communi voto poſcere: Gubernatorem Inoyoſam, quæ cenſeat ex vſu, profundo ſilentio tegere, vt dubium non ſit ſubeſſe deſpectum. Porrò mirari ſe tam breui tempore, adeo ingentes tumultus in Gallica Aula ſuſcitatos Inicus reſpondit; cum paucos ante dies firmatam concordiam, & in eadem ſenſa iuratam deprehendiſſet. Sabaudij certè artes

meruere, quibus ille præſumeret, altero licet Rege obſtante, proficere.; & vel apertis iniurijs ſuſpicionibuſve illos graui bello committere. Id nempe Duci ſecuritatis eſſe, quòd quamquàm prouincijs nudatus, & ſuo depulſus, communi neceſſitudine recepturum ſe vniuerſa confidat: Cum inſuper noui coniugij ſpem præferat; ſiue Gallo ſiue Hiſpano quandocunque occaſio admonuerit hærere maluerit. Multum ſibi protectionis apud Hiſpanos, apud Gallos amicitiæ iactare. Et vtroque violenter vti decreuiſſe; non dubia comminatione quoties vnus aduerſetur, alterum ſuis armis additis impetendi.

Horum ſuſpiciones famam ipſam affirmare, quà vulgatum ſit, ſtatuiſſe Proceres, contracta inuicem Galli & Hiſpani Regis coniugia, reſcindere. Nec enim alienandis Regum animis certiorem Sabaudio viam patere; & eò niti, ne Reginæ auctoritas; Senatui & Principibus arma in Hiſpanos poſcentibus, antiſtet. Eam quidem vocatis Proceribus, integri animi documentum validâ expoſtulatione præbuiſſe, inimicum in Regiam maieſtatem eum futurum teſtata, quicunque eas nuptias (quibus regnorum concordia ſolidè nectèretur) nullâ causâ, nullo iuſſu ſuo, non probatis adhuc iniurijs in nouum examen retraxiſſet. Motum omnem formidare, ne leuiora & quæ proſequi minus expediat, etiam maiora (quæ ruinâ regnorum pendantur) ſecum in præceps trahant. Facilem nempe in deterrima vulgi lapſum; cui incerta vacuum præſenti fortunâ animum nonnunquàm explere ſolent. Porrò belli apparatum ante fores eſſe; & reſignatum iam à Reginâ Oratorem, qui in Hiſpanias profectus, cauſas conſilij aperiat; & pro Mantuano aduerſus Sabaudium, vim petitæ neptis, exercitus Hiſpani per Monferratum rapinas, petulantiam Sabaudij lamentetur. Nunc ne ſtatim proficiſceretur, precibus & promiſſis à ſe retentum: Nec enim diffidere, concordem Regi ſuo Reginam futuram; & omnia pro Mantuano integra, & ſecura. Reginam excuſationem quidem excepiſſe, & opperituram præſentium literarum reſponſum promiſiſſe; ſi tamen accelerato curſore ambages tollerentur; & ſtatim bonæ fidei documenta proferrentur.

Hæc Inici de Cardines literarum forma erat; quas non integras huic loco transferre voluimus, aperiendis Principum miniſtrorum arcanis; & quibus diſceptationibus inter vtrumque Regem agendorum ſeries fuerit diſpoſita. Sed quæ ab eodem ad Proceres Aulæ datæ fuerant, cum componendarum diſſentionum ordinem diu multumq; verſatent; id ante alia pro manifeſto continebant; Non Sadaudio, non Mantuano, non Gallo, non Hiſpano, non denique Europæ & Italiæ omni, niſi ſecutis cum viduâ relictâ nuptijs pacem eſſe poſſe. Id malorum remedium conſenſu tot Principum populorumq; oſtentatum. Proinde in eam curam Regum ac miniſtrorum ſtudia conuertenda, & conatu omni procurandum, vt Sabaudius validior & qui ſuis viribus fidens, Regum conſilia aduerſa ridere nouerit, negotiationi mollitus accedat. Plura & diutius duratura, pace & caritate, quàm odio aut bello expediri, fruſtraq; ſanguine quietem quæri, vbi modeſtiſſimis conditionibus haberi poſſit. Sabaudius eorum quæ Inicus Regi ſcripſerat certior redditus, cum matrimonio annueret, & paratum ſe concordiæ fateretur, id tamen niſi æquatis iuribus &(quod minimum) ſatisfactione quam præſumebat receptâ, admiſſurus videbatur. Deſiderium pacis apud Hiſpanos, faſtum quendam ergâ conditiones magno Principi indiderat. Metuebantur publicè vis ex Sabaudio, è Gallis minæ, Mantuani incertus animus, & lubricus in mutationes, denique fauor Principum; nec eorum plerique niſi præuisâ vtilitate aliquâ credebantur inconſultè pecunias profuſuri. Accepti Inici in Hiſpaniâ nouæ literæ, Regem & Conſilij ſecretioris Proceres, ſerius negotio intendere coëgit: ſiue Inoyoſæ in Mantuanum delatæ iniuriæ, ſiue Gallorum pro conſanguineo ſollicitudo, ſeu denique Sabaudij potentia recolerentur.

Inoyoſa

Inoyoſa quidem ipſe ſuſpectum ſe Mantuano eſſe per literas Regi & amicis ſaſſus fuerat: inſuper cunctatione in Sabaudium, & longâ Hiſpanæ militiæ apud Monferratenſes hoſpitalitate cauſam opinioni dederat; vt quamuis vniuerſa ferè obiectionum diſſoluiſſet, reus tamen ſecreti odij, & ſecretæ in æmulis caritatis haberetur. Neque alia dominationis arcana apud Gallos quàm Hiſpanos eſſe credebantur; vt proficere decertantes nollent: niſi forſan ſanguinis vinculum cauſam rumori dederat. Sabaudius pridem notus, non vano prætextu per Italiam terminos proferre meditatus; & fortè Mediolanum vxorio, eoq; honeſto nomine complexus dubitabatur; ægreq; neglecturus occaſiones, quibus extrema Monferrati carperet, bellumq; produceret, ad quod dicebatur non vnâ iniuriâ prouocatus. Regem Hiſpanum, poſtquàm ſe Ducum bello tamquam fabulam acturus inſeruiſſet, multa & grauia angebant; Germani Imperij acciſæ opes; & incertus ſeni iam ac infirmo Matthiæ ſucceſſor: cum tamen eo honore Domum ſuam vti, ſupra Regium faſtigium agnoſceret. Belgæ quoque obſeruabantur, gens fortis, auitæ libertatis, & Germanæ magnitudinis ſupra quàm creditum fuerat, retinens; claſſe, exercitibus, & pecunia diues; Principeq; Mauritio Naſſouio belli duce incomparabili formidata. Hiſpaniæ tot Noui Orbis colonijs, in Belgium & Italiam expeditionibus hauſtæ; Neapolitanum regnum (in quo olim robur Italiæ erat) excepta regiâ vrbe; inane & cultoribus vacuum, forſan & ambiguæ fidei. Feſſos enim incolas collatione tributorum) quibus publicani priuatarum ſubſtantiarum ſpongiæ, donatiui nomen impoſuerant, militari hoſpitio, in adminiſtros muneribus, nobiles imminutâ libertate, ſeditionem ac nouas res proſpectare didicerat. Indias quoque quidquid auri decurſu ſæculorum ſinu concoxiſſet, diuturnâ gentis indagine tranſmiſiſſe nouerat. Neque ſi magnâ mole per Pedemontanam Gallus incumberet, ſimul & imperio & regnis prouinciatum opes ſuffecturas. Genuenſes ipſos quoque recolebat, tamquam aut ægrè pecunias collaturos, aut reditus annuos regalium Triburorum in proprios cenſus retracturos. Oppignoratas creditoribus regnorum contributiones; & ad eam interdum pecuniæ egeſtatem deuoluj, vt vix fides ſufficiat conflando æri alieno. Tum maximè conſilij locum; vbi vis, boni euentus ambigua appareat.

Iraque ſolito more vocari ſecretum conſilium (verè vt didici ſacroſanctum Senatum) & ſententias agendorum proferre ſingulis Rex imperauit. Huius congreſſus hiſtoriam ab eodem habuimus, quem ſupra retulimus, nimiam ſuperſtitionem capite luiſſe. Hos inter Marchio Caſtri Rodrici, mihi in ſuperioribus nominatus ſic orſus eſt; acceptis paulò ante Inici literis, & quas amici eiuſdem argumenti tranſmiſiſſent; didiciſſe, nil apud Reginam Galliæ, & Villaroum Conſiliarium Regium, doli aut inimicitiarum aduerſus Hiſpanos eſſe. Eam pietatem, certum illum animum mereri plenam fiduciam; vt agendorum ratio, cauſæ, conſilia Reginæ communicentur; nec ea aliud Hiſpanos in votis habere quàm quietem doceatur. Gallorum quidem impetus vehementes eſſe; non tamen adeo vicinum bellum credere, vt apud eos candidi animi validis argumentis ſupprimi non poſſit. Scire Reginam maieſtatis Hiſpanæ honoriſq; nomine genti non expedire, aut in Sabaudium, aut in Mantuanum aliquid præter ius faſq; moliri. Pleraque primo aſpectu iniqua & grauia cenſeri, quæ mox honeſto conſtare deprehendantur. Sic Infantis pupillæ conceſſionem, ſic immiſſos Monferrato exercitus, quamquam violentiæ ſpeciem præferrent, exprimendæ concordiæ vſurpata. Imminui ac moderari poſſe, ſi nimia credantur; nec abnuere Hiſpanos debere (vbi Galli quoque pacem iuuiſſent) mutuæ gratiæ quædam condonare. Pontefturæ & Aichij retentionem Hiſpanæ Aulæ inauditam; nec, ſeu vero ſeu falſo fama nitatur, originem facti finemve ſciri. Reddi tamen occupata; & quæ Inoyoſa cum Mantuano olim imperio exercuiſſet, moderari, cunctorumq; ſeriem Reginæ

De præſenti motu Regij Conſiliũ in Hiſpania ſententiæ. Marchionis Caſtri Rodrici.

Digitized by Google

præſcribi conſulere. Et antè alia tollendas ſuſpiciones; quæ iam plus debito Hiſpanos inuiſos reddiderint; detrahendas Monferrato legiones, & vacuam externo milite prouinciam Mantuano permittendam. Seruando equidem regno & auitis ditionibus, non curæ non expenſæ temperandum; ſed præ cæteris bonam famam; & (qua plures quàm armis obſtringantur) opinionem integritatis procurandam. Auaritiam & fraudes, quo in minores facilius exercentur, eo magis reprobari; ſed inſuper odium flagrantiſſimum conciri, quoties fidei commiſſus, aut in tutelam ſuſceptus, circumueniatur. Malis artibus in eo conſilio bonum nullum vnquam fuiſſe; vtque candore ac fide amici comparentur, ſic ſuſpicione & dolo veteres dilabi.

Cardinalis Toletani.

Cardinalis Toletanus excepit, nullius quidem nouæ ſententiæ auctor, ſed eorum quę cæteris placere crederet, & Regis exiſtimationi conducerent, ſtudioſus. Itaque Marchioni aſſenſus, addidit: moneri Inoyoſam poſſe, minas, vim, & pacta concordiæ doli ſuſpecta cautè tractare. Cauere vmbras, nec in Sabaudium caritatis inditiis, Europæ Principes abalienare. Medium ſe decertantium Ducum, & litis arbitrum meminiſſet; neque integram fidem eum qui alteri obnoxius ſit, habere poſſe. Imminui quin etiam auctoritatem, quâ maximè ardua expediuntur, quoties medius pacis præoccupati affectus arguatur. Nec minus debere Inicum doceri, tempori illum ac foro maximè ſeruire debere, Reginam obſequentiſſimè, Proceres placidiſſimè tractare: neq; tamen formidinem vel infirmitatem ſuę gentis detegere, ſed iræ ac quieti medium ſuadere, pacem quidem ſtudio omni reſpicere Hiſpanum Regem; ſi tamen prouocaretur, diſcrimen non vitare. Perſuaderi Gallis omnib. efficaci Oratore opere, id quod Villaroius & Sillerius arcanorum adminiſtri faſſi ſunt; nulli Principum Europę quietem magis, quàm Regi Gallo puero, & inter aduerſos, ac ſeditioni ſemper paratos agenti vſui eſſe. Cæterùm tot extra regnum difficultates, & optimi ac ſanctiſſimi Regis vocatam in dubium fidem, animum ſuum lacerare. Neque ſe arctiſſimas ſui Regis neceſſitudines accuſaturum fuiſſe, niſi mortalium opinio, certitudinem exitu nacta; inutile ac indecorum ſilentium perrumperent:

Equidem tot menſes Pedemontanum Principem in Aula agere, Regium fauorem, & partem potentiæ præferre, publicam perniciem & ſeditionis Italicæ, ſuſpitionúmque apud Gallos præcipuam cauſam credere. Manifeſtum id fore recolentibus, qua vtilitate properantem ad patruum Barcellonæ ſubſiſtere imperaſſet. Id vel inimicis perſuaſiſſe, maiorem apud Regem honeſto quàm ſanguini reſpectum eſſe. Nec ſuſpicionibus exagitata familiaritate filium contumacis Domini retineri voluiſſe: ne vel apud integros nepotis & parentis cauſam ſpecie deuincti animi diuidere videretur; aut memoriam violenti conſanguinei complecti, documento cui contradici non poſſit. Sed vbi victa pietate conſtantia, deſpectum ſui, & velut carcerem lamentantem accerciri placuit, reualuiſſe conſcientiæ fidē, & creditas prius fraudes, pro confeſſis apud dubios acceptas. Nec enim credi potuiſſe inuictum precibus fore, qui coram à nepote Principe orari voluerit; aut immitem ei domui futurum, cuius partem maximam opibus ſuſtentaret, & conuictui adſciſceret. Suadere itaque tollendis Gallorum ſuſpicionibus; vnde pacis ac belli origo eſt; vt eadem fortitudine ac ſecuritate filius ad patrem remittatur, qua in patrui conſpectum procedere, multo ante fuerit prohibitus. Regia ac mutua coniugia Gallis quàm Hiſpanis vtiliora; & præpotentis ſoceri caritatem plurimum firmitudinis genero conferre. Apud Gallos plus temeritatis quàm conſilij, aut pecuniæ. Fluxas eſſe vires, & primo impetu frangi, animúmque ſimul ſtatim concidere. Habere Hiſpanos quo petulantiam reprimant, paratos in Belgio exercitus & cogitationibus ſuis deuotam Italiam, Etruſcos, Vrbinates, Mutinenſes, Lucenſes, etiam Pontificem deuinctos. Id debere publicè Inicum docere,

non qua-

non quaſi minitantem; ſed ne inanem formidinem ſe admiſiſſe oſtendat. Vim imperij, maieſtatem, famam potentiæ opinione retineri. Nec Principi minus periculoſum eſſe impunè minas, quàm iniurias tolerare. Facilitate ac contemptu vnumquemque vileſcere. Porrò Inoyoſam conſanguineum quidem ſibi, rebúſque ac negotijs parem creditum; ſi tamen pronior in Sabaudium, ſeruitium Regium, & Mantuani cauſam illa amicitia imminuit, mouendum: priuatam caritatem arbitrij eſſe; publicas iniurias, & Italiæ pacem, nullo affectu ſuo, ſed imperio Regio, quod iuſtitiam ſpectat proſequenda. Itaque & petitione Neptis apud Mantuanum abſtineret: ne Galli eo maximè ſtimulo dolum aut prauum animum arguant; & oppreſſam milite prouinciam, retractis cohortibus exoneret. Diu iam nimis miſeros populos arroſos, & immeritum Mantuanum irriſum. Turpiter prorſus imagine protectionis diſpendium afferri. Ponteſturæ & Aichij incertam occupationem eſſe, reddiq́; Mantuano deberi; ſi certiores nuncij (cuius Galli cauſa metuunt) famam affirmaſſent.

Dux Infantadi; tot menſium curam nihil in ſummam pacis profeciſſe, ſed aucta diſcordiarum ſemina; & cum maximè pax crederetur, de bello agi, indoleſcere ſe dixit. Reginæ Galliæ queſtus, aliqua ſpecie honeſti niti: ſiue pax Veruinenſis, quæ etiam Mantuanum complectatur; ſiue erga nepotem pietas, qua innocentem protectum velit; ſiue neglectus æſtimentur. Mereri fidem illam, ne requiſita conſilia, ſed vltrò oblata communicentur: nec miniſtris ante dari imperia, quàm ipſa vniuerſorum gnara fiat. Fiduciam fiducia retineri; & pleroſque præſtita fide fidos euadere. Ponteſturam & Aichium incertæ poſſeſſionis, eóque cuius dominationi ſubdita, cui reddenda, niſi acceptis nouis ab Inoyoſa literis ſciri poſſe. Bono iure Reginam queri apud Hiſpanos; quòd Rex defuncti parentis genero . . . . *Ducis Infantadi.*

. . . . . quodq; tam ingentia, quorum illa ſit pars longè maxima, aut neſcire aut inuita tranſigat. Suadere eius ſententiam requiri; & habita ſanciri; quando non alio fine, quàm quem Hiſpani præfetant, cœptas turbas proſequatur. Etiam cum primùm poſci Mantuani neptim audiuiſſet, id diſcordiarum ſeminarium credidiſſe: nec enim extra ſuſpicionem eſſe potuiſſe, Regijs copijs Monferratum obſidentibus; & Sabaudio veteri iure prouinciam requirente, neptímque à Mantuano, tamquam ſuarum cupiditatum prætextibus repetente, idem Hiſpanos tractauiſſe. Non alio validiori obſtaculo dilatas Mantuani cum Vidua nuptias, quàm cunctatione Sabaudij, credentis conceſſa ſibi nepti, quæ iactaret iura proceſſura; & tum niſi vtilitate ſua pacta coniugij firmaturum. Meminiſſe etiam Regem cupere, Pedemontanum Principem (cuius communi bono ſtuduerit) occaſionem odij obtuliſſe. Neque vnde de patre ac filio queratur deeſſe; quod ille olim Inoyoſæ procul ſe ab armis futurum promiſiſſet; hic quod ad Regem Patruum compoſitis fraudibus congruentia perſcripſiſſet; vt inanes ſponſiones rerum Mediolani, Regijs miniſtris obtruderet. Iam verò ſiue paterni doli conſcius, ſiue ignarus eſſet in Hiſpaniam miſſum, vt Gallorum & Europæ Principum animos ſuſpicionibus fatigaret; aut certè procul ſuis artibus haberet. Tardam nec ſine contumeliâ eius (cum procul Aulâ agere iuſſus eſt) oppidorum Monferrati reſtitutionem ſatis docuiſſe, temporariam fidem, & intentum occaſionibus proficiendi, ſeu iure, ſeu facto animum. Etiam conſenſum hominum metuiſſe; qui vt ſecluſo Principe iuſtitiam Hiſpanam; ſic admiſſo conſcientiam erga Sabaudium agnouit. Mantuani in Inoyoſam, vt æmuli nimis indulgentem querelas modeſtas licet, auxiſſe Gallorum impetum: tollendas verò ſuſpiciones diſcordiarum, ne gens inquies violentia prorumpat, ille indignatione tardius malis occurrat. Falſa enim & vera

Gg

obijci, iuxta offendere; & dura auditu calumnia, intolerabilis deprehenſio eſt. Cœptas quoque Procerum ſimultates ægrè obliterari, quamquàm promptiſſimè accipiantur. Porrò inconſultam ferociam gentis potius, quàm armorum apparatum qui circumſtrepat, eſſe, libenter cupere: etiam pro virili enixurum, ne prauis id conſilijs procuretur, quod omnes conſulant, vitari. Conatum omnem impendere Inicum debere, ne nouus à Gallo Orator adueniat. Nil ex eo diſpendio vtilitatis, aut inter mala remedij promitti. Et quandoquidem celere reſponſum Regina poſcat, ſtatim dimitti curſorem debere, qui literas ad Proceres Regémque ferat, quibus concordiæ compoſitus animus, auerſa à bello conſilia, cauſæ iuſtitia, inanes querelæ, ac falſæ ſuſpiciones conſcientiæ cum Sabaudio doceantur. In hoc dandam fidem, & ſui Regis nomine promittendum, falſa opinione motos Gallos, fraudem apud Hiſpanos præſumpſiſſe. Suſceptam ſemel pacis curam cum honore rejici non poſſe; cognoſcere tamen ſemper ſibi facilius fore cum virtute, quàm ſine detractione agere. Denique curare Inoyoſam debere; nouas Mantuani cum Viduâ nuptias, quibus & deponantur odia, non Infans pupilla requiratur, non inanes prætextus maneant. Id vnum promittere, reducem poſtliminio caritatem, & ex coniunxione ſanguinis veram pacem.

Petri de Toleto. Acrius Petrus de Toleto incubuit: non adeò ſe naturæ moríumque Galliæ ignarum eſſe, quin exiſtimaret iteratas minas in apertum bellum erupturas, niſi contra prudentia eatur. Cur enim ſi inanes ſtrepitus, & vana ea oſtentatio ſit, inter tot amicos Inici, conſcios ſecretorum, neminem ſimulationem detexiſſe? De pace apud Gallos metuere, de bello facilius credere: ſiue quæſita aut parata occaſio; ſiue temeritas impellant. Id Hiſpanis exitioſum; quòd ſeditioſi adhuc in armis, fidi ſubditi indignantes agant. Vacuas legiones aut miſſas, toleratæ diu militiæ ſtipendia repoſcere: Nil obſtare quin hoſtes & manipuli eundem intra diem, eandem ſeditionem reſumant. Villaroi conſilia quietem quidem ſpectare, vim tamen à Proceribus Reginæ fieri, pœnes quos ſit belli arbitrium, vt arma tractet: quaſi Mantuani ſecuritas Gallorum honorem & exiſtimationem contineat. Non fruſtra dictum à Sadaudio, in eius manu ſitum, an Gallos & Hiſpanos concordes vellet. Iam ſpecimen artis ſuæ dediſſe; & inter dubia ſpem voti eius micare. Sine oppida Monferrati (quæ ab Hiſpanis haberi Galli perſtrepant) domi, ſiue apud Sabaudium ſint, diſtantiâ locorum vix ſciri poſſe: nam plerumque conſilia poſt facta deferri; & per literas diſci, quæ antequam recipiantur, mutata facie in priſtinum redierint. Vix Gubernatori Mediolanenſi certa mandata præſcribi poſſe, nullo adeo ſecuro, quin tempore, loco, perſonis, occaſione, mutationem in contrarium non requirat. Vſui tamen conducere, ſi mitius in Mantuanum imperio agatur, Principem iuris ſui, & qui conceſſo Regi rerum omnium arbitrio, ſolidam protectionem ſit meritus. Pedemontanum in Aulâ eſſe, omnium ordinum ſuſpicionibus petitum. Intendi etiam inuidiam quòd Mantuani neptis inſtantius requiratur. Multò ſecurius nuptias tamquàm veræ concordiæ inſtrumentum præmitti negotiationi debuiſſe: fieri interim de Infante, quod Gallorum animos, & acriores in turbas redderet, & bonis artibus minus credentes. Confirmari omnes in bona ſpe ſi Pedemontanus ſtatim Italiam tepetat; ſimul regni opibus ignoſci; ne ſemel pecunia adiutus, longiori mora eandem liberalitatem iterum requirat. Sic belli neceſſitates increſcere; & parentem illius voto frui ac deſiderijs. Quingenta (quod minimum) aureorum millia Inoyoſæ mitti debere, ex ea ſumma quam Iudica claſſis

claſſis detuliſſet. Claſſiarios ac Triremes in Italiam verti, nouos delectus haberi, Genuenſes naues quibus milites tranſuehantur, aduocari. Gallos ac ſeditioſos omnes bellum proſpectantes nil efficacius retinere; quàm ſi ſe armis præuentos videant; & Hiſpanos pacis ſtudioſos; ſi iniuriâ irritentur bellum non vitare. Nec tamen infantem pupillam repetandam; cogendum verò Mantuanum magna vtilitate illius, coniugio viduæ, ſuam & alienam vexationem redimere. Sabaudium ſimiliter oſtentatione virium deterrendum: regiáſque copias diu Monferrari hoſpitalitate vſas, in Pedemontanam Prouinciam inducendas. Dimiſſis oppidis, vacua loca Mantuano permittenda. Fateri Inicum debere, quâ vi Hiſpana potentiâ proficiat; & apud Reginam matrimonij tamdiu examinati pacta promouenda. Etiam permittendum Sabaudium retinere militiam; ſed iubendum vt trans Alpes centurias omnes prò Galliæ limitibus ſiſtat. Vbi firmata Hiſpano præſidio Italia; & eius milite Saubadia fuerit, tum poſſe Inicum frontem rollere, & vrgere nuptias; reſtando pacem Italiæ quæri; & niſi ſecuturo matrimonio Infantem apud Hiſpanos poſci. Sic reprimi bellorum ſpes, Sabaudium ſui anxium reddi, Mantuanum voto acceſſurum; creditóſque Gallorum conatus difficiliores, obſeſſis milite prouinciis, & claſſe libero mari decurrente, fore. Admoueri quoque Belgicos exercitus Galliæ poſſe; non inferendi belli, ſed ſpecie mutandarum ſedium; quaſi in noua æſtiua mittantur. Meminiſſe Regem iubebat, peritam anre puellam, minis Gallorum omitti, decus regium & exiſtimationem non continere. Proinde ſi abſtinendum imperio, vt ab Inico Regina doceatur, incetis adhuc matris nuptiis quæſitam Infantem, ſed prono iam in pacem Mantuano (quod apud matrem actura ſit) negligi. In hæc diſpoſitis rebus, legationem quam Galli tractenr ſuperfluam eſſe. Vtriſque Ducibus, opportunis mediis pacem queri. Mollia interdum, inrerdum aſperiora expedire: nec iſta alium in finem, quàm vt prouincia Mantuano maneat; Sabaudius coalitam longo tempore pacem Italiæ nouis prætexibus non turbet. Villaroum regij ſecreti Principem conſilio retinendum, vt non Hiſpaniæ magis quàm Galliæ perniciosos belli apparatus, quos crediderit, fateatur; Regíque ac Reginæ perſuadeat, ſummam rerum pace niti. Vbi enim ſuſpicionibus imbuti animi, arma maluerint, tantum militum per Hiſpanias & Belgium Regem coacturum, tot Principum voluntates, tot miniſtrorum conſcientias aduocandas; vt ſi quando prœlium cœperit, in Regis arbitrio non ſit arma deponere. Plutibus difficultatibus Gallias, non eodem vbique duce vſas, infante Rege, Dominatrice fœminâ, egentes auri, implicari: videritque quorum exitium ſingulorum æſtimatio minitetur. Nuprias quas ſalutares vtrique Duci crediderint communi voto tranſigendas: nec tantum vlli æmulorum animi addendum; vt peruicaciam quàm concordiam malit, ſpe præualendi. Vtroſque præceptis reprimendos, & arctandos legibus; vt profuturam publico pacem, vel inuiti recipiant. Iras & corruptum prætexibus animum ſalubria conſilia non deſpicere. Itaque deliberatione gentis, & cum inrerim ſuſpicatur, minatur, terret, cogendam militiam; & docendos inquietos, nouam iactatiam offenſarum aduerſus robuſtiores eſſe. Porrò magni Etruriæ Ducis non temnendam potentiam; & ne Gallis, Reginæ ac Mantuani conſanguinitate conſilia miſceat prouidendum: Neque enim ſingulorum irrequiſitæ profeſſioni credendum. Non tum primum animaduerſum, nil quiete apud religioſos ſupeſtitioſius audiri. Infringi vires; & velut deprehenſam diffidentiam oſtentata fide poſſe corrigi. Poſcendum ab illo mutui nomine pecuniam, vt olim Comes Fuentes quadraginta aureorum millia detraxerit; militem & triremes orandas. Si preſto deſideriis ſit, diuerti conatus; & paratas hoſtibus opes Hiſpanis

accedere. Quod ſi abnuat, daturum aduerſi animi argumentum; & ſecuta pace, repeti ab eo pœnas poſſe. Nec enim ignorari ipſum apud Hiſpanos in compedibus ſeruire. Habendam nihilominus præ oculis æquitatem; oblatas quaſcunque ſuſpitiones æſtimandas; quaſdam etiam coniecturis admittendas: Nec arte aut dolo in integros, ſed in dubios aut deprehenſos vtendum; vt ius fáſque valeant, ars arte deludatur. Quòd ſi retineri Pedemontanum in Aula placeat, id etiam honeſti ſpecie excuſari poſſe. Quidni enim & amari prolem, & vrgere parentem liceat? Non eandem apud omnes patri ac liberis, quibus diuerſi mores ſint, caritatem oſtendi. Nemini dubium eſſe tractata initio arma Principi nepoti non placuiſſe; vt qui id hoſtilitatis Mantuano, & contumeliæ Regi patruo fieri auerſatus ſit. Reginam certè poſſe certioris erga filium dilectionis argumentum, è propinquiori neceſſitudine putare; neque ipſi iniquum videri debere, ſi gener ac nepos, diuerſa pietate animarentur. Ad extremum dari Inico conſilium debere; ne fortitudinem animi, ne regiam exiſtimationem ſummiſſione ac patientia imminuat. Patere fidem, & dictis excuſationem, quòd illico ſecutura, & qua per officium eſſet auctoritate prorulliſſet.

Auguſtini Meſſia. Auguſtinus Meſſia, quamquam vniuerſa priores aduertiſſent, vt tamen illum conſenſui cauſæ ſtudere ſciret, reſpondit: De Duce Mantuano ſolicitudinem ex modo rationis eſſe, etiam futuri formidinem, auelli tamen ſuſpitiones poſſe; ſi quæ capta oppida dicant, ſuo Domino reddantur, & exercitus regius Monferrato deducatur, Sabaudij militia diſſoluatur; & viduæ relictæ cum Mantuano coniugium vnanimiter tractetur. Expedire etiam illum moneri, non in alium finem tot labores ſuſceptos; licet primo aſpectu, inuiſa ſuſpicacibus mandata tranſmiſſa videantur. Quoſdam enim mollibus conſultis, alios minis in id cogi, cuius arbitrium pernicioſum habuiſſent. Gallorum non inanes minas, ſed bellè deſtinationem credere: apud quos nulla ferè impenſâ, ſoláque ſpe prædæ multæ legiones deſcribantur; & gnaros, quanto diſpendio Hiſpanus bella ſuſtineat. Permiſſam Inoyoſæ agendorum quæ vellet licentiam, metuere: ne forſan ea oppida Mantuano ademerit, quæ requiruntur; aut correctioni præſentium, aut futuri ſecuritate. Nihilominus & facti ſuo tempore rationem redditurum; & debere interim reſtituere: ne apud eum Regem auaritia accuſetur, qui theſauros Patriæ non luxui, ſed publicò bono ſit ſolitus impendere. Porrò nullam diſceſſui Pedemontani moram interponi debere; non quòd intus aduerſus patruum perfidiam credat, ſed quod vulgato Europæ ſenſu exiſtimetur. Danda interdum humano generi documenta integritatis; quibus prauas auditiones depellat, & fidem veritaris admittat. Delaſſatos iam Proceres regni, querelis externis; & inculcato metu ſatis ſuſpicionum oblatum. Vellendam funditus publicam malam famam, & dimiſſo iuuene confutandam.

Marchio Lagunæ. Marchio Lagunæ, quæ Petrus Toletanus longiori oratione proſecutus fuerat compendio complexus eſt: Promouendas viduæ cum Mantuano nuptias, reddenda oppida, ſi quæ poſſidentur, non repetendam Infantem pupillam, retrahendos Monferrato milites Regios; & perſiſtente in contumacia Sabaudio, tota Pedemontana ſpargendos. Mittendam Mediolanum pecuniam, copiáſque; quarum pænuria, nec minus cunctatione certum eſt exitium ſurrepſiſſe; & cum viribus dignitatis opinio vlluerit. Inicum moneri poſtremò conſuluit, ne Gallum in Hiſpanum Oratorem mitti, aut gentis ſuſpitiones inualeſcere fineret; cætera ſententiæ reliquorum acceſſit.

Hæc Regij Senatus ſententia fuit; tum concordibus votis prouiſum, vt pecunia conquereretur; delectui & apparatui (quibus aduerſæ vires ac minæ præue-

præuenirentur) ſedulò inſiſteretur. Lentam armorum meditationem docere hoſtem, vt quibus opus habeat deſpiciat, & ſecurè inſultet. Ea agendorum forma præſcripta, quam nos Inoyoſæ ſcrinijs erutam, & conceſſam ex Hiſpano vertimus; vt Lectori certum ſit, nec nos inania paginis implendis ſectari; & habuiſſe ſecretiſſimos monitores qui rerum fidem ſedulâ operâ iuuarunt. Nec minus credidimus ex his Regis ac Principum animos noteſcere potuiſſe; quibuſque affectibus ſinguli partes complecterentur, auerſarentúrque. Vt Scriptori operoſum, ſic Lectori gratum futurum credidimus tot Procerum ſententias retuliſſe. Equidem in primis facti veritas, mox conſilij magnitudo; demum quâ opinione Mantuanus apud exteros eſſet, diſtingui, & datis auctoribus recenſeri meruerant. Nec enim omnibus in aperto ſimilia, & ea certiora ſunt, quàm vt vulgi vanitatibus obturbentur. Hinc certè factorum ſcries, & quibus animis tractata negotiatio eſt, quâ fide Italiæ adminiſtri vſi, qua cæteri, cognoſcitur. Aduerſus Pedemontanum, tot Procerum æmulatum pro certo admittere, nobis ne viſo quidem libello placuerat, niſi Comes Ibertus, & ſtudio & commercio Aulæ Regiæ notus, rei fidem, non valde diſpari ſcripto illi tranſmiſſo feciſſet; docuiſſetq; paucos poſt menſes, quod nobis ſub ſigillo communicatum fuerat, publicè per totam etiam Italiam vulgatum: ſed eorum Procerum inuidiâ ſuppreſſum; ne in eo Senatu probitas ac religio admitterentur. Viſo negotio quietem proſpectare, ſuorum ſententijs, externorum literis diſtractum Hiſpanum, praui quoque miniſtri, pernicioſis regnandi præceptis aggredi non erubuerunt; vt conceptum apud Europæ Principes Hiſpanorum fraudium ſuſpicionem, certioribus inditijs probarent.

Sacris Rex ſolemnibus interfuerat: hunc reuertentem quidam, tamquam ſupplicem libellum porrigeret, interpellauit, orans ne legere abnueret; rem æſtimatione dignam teſtatus. Creditus eſt, ad prudentiam erudire voluiſſe: niſi ab aliquo Procerum immiſſus aliena deſideria, ſuo diſcrimine promouit. Eius exemplar Mantuani Ducis amici, quamquam irrequiſiti magno pretio habitum, à domeſtico exploratore, tranſmiſere. Id nos retento ſenſu, ex Hiſpano Latinum fecimus; non animo vniuerſa ſcripturientis ſæculi commenta tradere; ſed nec iis abſtinere, quæ vt ſcitu digniſſima ſunt, ſic cauſas deliberationum continent. *Scripta Hiſpano oblata contra Venetos, Sabaudium, & Mantuanũ.*

Sabaudium Ducem Hiſpano Regi, infinitâ beneficiorum congerie deuinctum quidem, non tamen aut gratitudinem retenturum, aut iniurijs temperaturum; quoties parata occaſio, & auxilia explendorum cupiditatum obueniſſent. Vigere adhuc eorum memoriam, quæ cum Galliæ Rege aperto Hiſpanorum hoſte concoxiſſet; & aduerſus Italiam pernicioſa conſilia miſcuiſſet. Retinere Gallicum ſanguinem; nec vllo officij genere exuiſſe naturam; fidemq; (more gentis) tempori, loco, & cauſis aptare conſueuiſſe. Mantuanum intimis ſenſibus hauſiſſe Gallicam conſanguinitatem; vſq; ac regni tutelâ ambitioſâ ac imprudenti libertate, non ſemel Romæ in Hiſpanos publicè inuectum. Viribus etiam gentis confidere cuius protectionem non fruſtrà ab Amitâ Reginâ popoſcerit, obtinueritque. Et audiri indies preces minaſq; fœminæ, alienam cauſam vt ſuam proſequentis. Attamen Sabaudium non minus quàm Mantuanum profeſſionem ementiri; nec vnquàm magis Hiſpanos circumferre, quàm vbi ſecreta cum Venetis externiſve conſilia componunt. Hac cauſâ ſimulare quoque optimo iure Hiſpanos caritatem poſſe; & hoſtium artibus infectos aſſimilatione deludere. Prudentiâ vinci, & imperio & exiſtimationi iuxta pernicioſum eſſe. Trahendam proinde negotiationem; & vtroſque (dum ſpecie fidei tegunt perfidiam) morâ expenſiſq; fatigandos.

Perſuadenda ſingulis armorum tractatio, vt expenſarum magnitudine, ſubditorumq; excidio, fraudium inſtrumenta, & fouentium opes hauriantur. Plus ponderis & metus apud Sabaudium eſſe; eoq; permittendum retinere militiam, cer-

to ſuo diſcrimine ; quam ille aliena opę nixus contraxerit ; facilitate ac liberalitate ſubditorum ſuſtineat : ſi frangi illum debere, rerum experimentum quo nititur, perſuadere. Difficile enim eſſe tanto Principi imponere ; nec adeò ſecretè conſilia tractari poſſe, quin ille militaris diſciplinæ diu eruditus, familiares ſibi artes, apud alium non deprehendat. Itaque depellendum dominatione, vt turbidum & impendio ſcientem, imponendumq; filium, educatione & maternis moribus Hiſpanum, nec ad Parentis calliditatem prouectum ; eam illum fortunam non auerſaturum ; cui ſe tutorem & vadem Rex Patruus obtuliſſet. Accuſari in parente diſcordias domus, iniurias filiorum, populorum, exterorúmque ; nec minus infenſum paci animum poſſe ; vt bono iure exutus credatur ; cum in filio prudentia, pietas, modeſtia, magnis illum imperijs dignum reddiderint. Mantuani Ducis incolumitatem breuem, in Vincentio eius fratre infœcunditatem credi ; & inutilem corporis molem proli ſuſcipiendæ damnari. Quod ſi vterque deficiat, Ferrantem Guaſtallæ Ducem, aut Caſtilionenſem Principem imponi debere ; apud quos nobilitati & generi, par in Hiſpanos dilectio ſciatur. Neque enim Niuernienſem admittendum (quamuis modeſtè interdum pro Hiſpano Rege egerit) ortus antiqui retinentem ; & natalibus, ac parentis animo aduerſam fidem ſecutum. Venetos quoque Hiſpanorum magnitudini infenſos, ſuſpicionibus & expenſis frangendos ; ſtimulandos maritimos prædones Vſcoccos, Proregem Neapolitanum : vt illi furtiuis congreſſibus inſultent. Hic Adriaticum ſinum claſſe turbet. Denique frequentes militum centurias, circa Mediolanenſis Ducatus extrema diſponendas ; apertum quidem bellum non laturas, metu tamen hoſtilitatis vexaturas.

Lermæ Dux Regium latus tegebat, & eius (vt ferebatur) alumnus Calderonus quibuſdam poſtmodum criminibus ſublatus. His audientibus recitari libellum placuerat. Quo vtrique affectu rem acceperint incertum : ſed in diſputationem ac colloquium tracta ; & (quod ferè vſu venit, quoties ſecretum in plures ſpargitur) vulgata eſt. Non adeo prauum ſemper eſt ſæculum ; nec corruptos in adulationem miniſtros Aula ſemper habet ; vt profeſſi æquitatem perpetuò deſiderentur. Itaque permiſſa conſilij licentiâ plures inuenti, qui pernicioſos codicillos, authoremq; diris inceſſerent, etiam apertè aduerſarentur. Omnium vna vox fuit, bonis artibus inſiſtendum ; & nemini niſi palam inimico imperia detrahi. Aduocatus quoque Cardinalis Toletanus, vir extremum in ſenium continuatâ virtute ; cum flagitium & pudenda conſilia coram reprehendiſſet, etiam ſcripto Regi dato, ſententiæ iniquitatem vltus eſt. Sic habebat:

Parum quidem beneficiorum memorem Sabaudum, obliuioni dediſſe quibus viribus contra Gallos hoſtes euaſerit ; & quibus opibus filij Principem dignationem retineant ; etiam inquietudine ac pacis odio infenſum eſſe, ſpes ingentes animo nutrire ; & ſi occaſio ſeſe detegat, etiam bellum meditari. Congenitum id ortui eius, Gallicis quoq; moribus quos à Matre hauſerit, congruere : ferre militiæ vacationem non poſſe ; indecorum quietem putare ; vnam in armis gloriam credere. Non itaque promiſſis fidendum, aut conſtantiam fidei apud eum præſumendam, qui ſæpius impoſuerit. Mantuanum Gallici amoris ſuſpectum potius, quàm conuictum eſſe ; & licet inter aduerſa eluctatus, tutelam Amitæ poſt oratos Hiſpanos aduocauerit, ſumendum tamen experimentum & tentandam conſcientiam, vt ſeſe prorſus aperiat. Pleraque ſecus quàm credantur deprehendi ; & id etiam potius credi debere ; quod ratio cogendis etiam ijs, qui obnituntur, peruicerit. Habere illum Mediolanenſem Ducatum intra viſcera ; & eius latera, frontem, tergum, Regias cohortes inſidere : poſſidere diuiſas prouincias, quarum robur, interiecta regia ditione ſoluatur. A Cæſare conſobrino ac Gallis plus conſilij, quàm auxilij ſumere. Ipſum egentem pecuniâ, Venetis beneficio mutui mancipatum,

cipatum, Sabaudio imparem, non Parmenſi, non Mutinenſi Ducibus ſatis amicis; vix alibi quàm apud Hiſpanos, ſuas ſpes poſſe tutè deponere. Erga ſimulatores artes competere, & offerri munimenta, quibus ſeriò amicitiæ moueantur. Si nondum Mantuani certa fides ſit, ſuſtentari tamen debere; vt ſiue beneficio ac gratitudine; ſiue metu periculi, eò flectat ſecuritatem ſuam, vbi in tempore depoſitum poſſit repetere. Regi ipſi non expedire diutius bellum trahi, aut vmbras paci obtrudi; quòd non minus ipſe quàm ſuſpecti atteratur, & eorum qui extra bellum fuerint impatientia, multa toleret aduerſa. Sabaudium præcipuè timendum, quem lateri hærentes Alpinæ gentes, dorſo Gallus, gentes bello ſuctæ & turbarum auidæ, promptum certamini reddunt. Bonas artes apud amicos hoſteſq; pariter valituras: obſeruationem ferè iurium credi. Detrudi illum dominatione iniquum, anceps, nec facilè effectu eſſe; ſubditorum in Dominum pietate, obedientiâ filiorum, Gallorum, cæterorumq; Principum tutelâ fretum. Mantuanum primæ iuuentutis ſpatia ingreſſum, & valetudine ætati conſonâ cum Vincentio fratre vti: non vnius, ſed duorum capitum æſtimatione decerni. Ferrantis Gonzagæ, & Principis Caſtilionæi exitum, non minus poſſe metui. Niuernienſem Ducem indubitatè ſi Mantuani deficiant ſucceſſurum. Huic iure gentium, & naturæ Pontificem, Cæſarem, Gallos vicinos populos ſuffragaturos; & ſi obſiſtere Rex velit, fumi bellum difficile quod Hiſpanias, Italiam, Belgium trahat, & omnem domeſticam potentiam in dubio ſtatuat. Venetos quidem æmulatione auerſari poſſe, poſſeq; credi hoſtes quieſcentes; diuidendam tamen à Sabaudio ac Mantuano cauſam; donec vtroſque deſciuiſſe certiora argumenta conuincant. Vſcoccos, Adriatici Prædones (etiam ſi Hiſpani reprobent) ſemper futuros; nec Venetorum meliores Regias opes ſpectaturos, aut imperia toleraturos: egeſtatem illos, & locorum opportunitates ad inſolentiam erudire. Excindendos potius communi bono, aut cogendos modeſtius in alieno agere. Nutrite latrones, & bella per furta tractare, procul dignitate Hiſpanæ magnitudinis eſſe. Suſpiciones & inanes metus multum exiſtimationi detrahere; quòd ferè qui ſine viribus minitantur, temeritate & infirmitate agant. Denique cupere Regem meminiſſe; nil æquè maieſtatem & robur imperij ſeruauiſſe, ac confirmatam apud exteros ſanctitatis opinionem, honeſti famam, religionem fidei. Iis artibus Venetos, &(ſi qui auerſis animis ſint) ceſſuros; affuturo melioribus Numine, & victoriâ cauſam ſecuturâ.

In hæc compoſitus Regis animus; nec vlla tanta vtilitas fingi objiciq; potuit, quæ honeſtioribus inclinatum flecteret in aduerſa. Sed nondum priorum iniuria finierat, cum ab amico Mantuani quodam (nomine deſignare ſuperſedeo) nouæ literæ ſuppreſſo auctore delatæ ſunt; eæq; à Rege ac Proceribus ideo inclinatione aliquâ receptæ ſunt, quod primâ fronte, in nullius odium, amore tantùm iuſtitiæ compoſitæ viderentur. Eorum copiam factam Sabaudio audiuimus; & iis illum apud Germanos & Gallos approbandæ cauſæ ſuæ vſum. Nos ſimilia non omittimus; quòd in paucos vulgata, multum ſalis & fellis haberent; eoq; videantur poſteritatis memoriam mereri. Continebant: *Rex non aſſentitur.*

Ideo Sabaudium præualidis Hiſpanorum armis non cedere, quòd quos ſub ſignis milites haberet, conſcientiâ miniſtrorum Regis tutos videat. Monferrati deſiderio mirum in modum elatum; & ab Hiſpanis quaſcunque conditiones recepturum, dummodo annuat. Valere animo Principem illum, & nouiſſe obſeruatores ludere, quamquàm non vno documento didicerit, non toleraturos Chriſtianos Principes maiorem in eo potentiam, aut ex Mantuani iniurijs profectum. Id occupatorum oppidorum reſtitutionem paucos ante dies, & conſenſum Cæſaris ac Gallorum perſuaſiſſe. Fouere Ducem illum immania deſideria; & ſi turbare præſentia minorum ſe ſinatur, erupturum in Mediolanenſem Ducatum; *Scriptura Hiſpano data contra Sabaudium.*

Digitized by Google

cuius cupidine opinione dotalis nominis,ac iuſtitiæ diu languerit. Nec id nouum, aliquot enim ante annos Gallis fœdere iunctum hoc ipſum quæſiuiſſe; & forſan aſſecuturum fuiſſe,niſi fatum aut mens ſuperior tam ingentes cogitationes diſieciſſet; Galluſq; Rex parto vti ſocium minorem noluiſſet. Maiora enim quàm vt concederet fœdere ſpoponderat. Turcicæ claſſis ſuſpiciones increſcere, turbidoq; Sabaudio, ac in armis agente, non Mediolanenſi, non Neapolitano milite, iri Barbaro obuiam poſſe; metu domeſticæ ſeditionis, lubricæ Chriſtianorum caritatis. Neque plus ſecuritatis apud Belgas eſſe. Pluribus millibus ambiri rebelles quàm ſocios; & Albertum Archiducem Auſtriacum inſuper inopiâ rei numariæ laborare. Gallos Principes quò minori ætate Rex ſit eò potentiâ validiores Regalium coniugiorum diſſolutionem agitare,& auertere Reginam iacto pridem fœderi cupere: turbarum deſiderio, quibus augeri res ſuas norunt, & Hiſpanorum odio à quibus auctoritate & prudentia vinci ſe impatientiſſimè ferant. Lotharingam Infantem (quando Dux prole maſcula deſtitutus in filiabus ſpem domus omnem collocauerit) deſtinari; & ſi fors quod ſemel placuiſſet reſcindatur gratum Patri Matriq; puellæ futurum, Parentes Regios audire. Iam etiam Gallos diuerſiones meditari; & cupere à Sabaudio illius periculo Mediolanenſia arma diſtineri. Sabaudium interim Germanos Principes,Anglos, & Potentiores Gallorum opperiri à quibus certò ſciat ſibi opportunè auxilia affutura. Ciere etiam Venetos Hiſpano nomini iniquos, & cauſam tumultibus præbere, adminiſtro Reipublicæ illius Oratore, pluribuſq; in cauſam deſcendentibus, vt vincat aut (quod minimùm) carpat. Iacienda certa deliberationum fundamenta, quibus omnis cauſa innitatur. Et non poſtremum locum perfidiæ deberi, quâ ille & filios deceperit,& Franciſco Mantuano Duci impoſuerit. Simplices eius curas,aut finem ſine arte credere vacuum eſſe; quando euentu deprehenſum ſit, vt limitem cui laborat, ſtatuat; non vna via properare: ſed amicos hoſteſq; inducijs, pactis, conditionibus, promiſſis irretire; donec quæ parauerit in facili & plano videat. Hinc apud Inoyoſam pretio, Regiam in Belgio ſororem precibus, Hiſpanos Proceres querelis, miſſis literis Oratoribus; etiam Principe filio inſerere miſſioni exercitus moras: dum Germania & Heluetia copias promiſſas ſummittant; vt ſuis adiungat,& numero auctus,fidentius conditiones pacis dicat potius quàm ab imparatis accipiat. Denique imploratum à Mantuano Hiſpanum auxilium,& volenti oſtentatum,plenam tutelam mereri,honeſtæ famæ æſtimatione, publica vtilitate;& nemine aduerſus ius faſque,& Ducem fidei tanti Regis commiſſum obluctari auſuro. Hunc quoque libellum à Rege italo idiomate vt ſcriptum fuerat in conſilio auditum didicimus; & tamquam nil nouitatis differret, prorſus neglectum. Multò enim ante Gallorum, Belgij,Sabaudij,Mantuani,Venetorum res iudicatæ fuerant;& quibus medijs lacerata pax ſarciretur,examinatum. Sed & ſcripti auctor ſciebatur vir Princeps; & ne contemptum initio videretur,in conſilium delatum. Hæc in Hiſpania Aulæ materia erat.

In Monferratum vis morborum. Sed Monferratum amicis & inimicis populatum cœleſtes quoque iræ exercebant. Tempeſtas in aquilonem, ac prævalidos imbres verſa, aërem infamem reddiderat. Hinc pituitæ mala, & laterum perniciosi dolores in vulgum auditi (pleuritides Medici appellant) multi iuuenum ſublati, quâ maximè Apenninus extenditur, aut in Genuenſem agrum, longiores valles incurrunt. Audita pernicies Genuenſes primos aduertit, qui ſtatim Monferratenſium commercium edicto prohibuêre. Morbos vulgares à contagione, & peſte non diſtinguentes. Mox Sabaudius fama,& exemplo vſus Monferratenſibus ne in ſuas ditiones ingrederentur, interdixit; deprehenſis mortem comminatus. Sed maior neceſſitate diligentia credita, eóque vicini liberè congredi, inferre & efferre merces, tractare communia negotia, nulla interdicti cura auſi ſunt.

Quod

Quod Monſerratenſes ſecutiores reddidit,vt incedere per Pedemontanam,nulla odij formidine auderent. Ij porrò ſtatim retenti , & per diuerſa loca centum quinquaginta ferè captiui diuiſi. Iam mali vis deſæuierat;& ſponte ſua, non contagionis noxâ inualuiſſe deprehenſa. Proinde Princeps Vincentius datis ad oppidorum Rectores literis imperauit,vt vniuerſi Pedemontani,quos ſors aut electio in Monſerratum detuliſſet comprehenſi,in vincula conjicerentur. Vbi redditam iniuriam , & auſos vindictam Monſerratenſes Aſculanus vidit , vt eà quoque hoſtilitatis imagine abſtineretur,reddi mutuò captiuos obtinuit. Plus miſerorum opes & merces deliquiſſe viſæ , quarum cupidine milites captiuitatibus graſſati fuerant. Nam cum negotiatores vinculis exſoluti, liberi ad ſua regredi permitterentur,prædæ nulla mentio erat ; nimirum diuiſa antè inter infimos manipulares vanuerat:nec in ductores nobiliores ea fœditas tranſierat. Diſplicuiſſe etiam Sabaucio ſcimus;vt qui reddi vniuerſa imperauerit;& quæ apud milites priores domini inuenerunt. Præteritorum ac præſentium æſtimatione, Senatus Venetus futuri ambiguus ſubſidium Mantuano duorum millium peditum exoluetat. His firmari confuſos prouinciæ terminos poſſe;& quæ facilius ab hoſte caperentur ſolidari crediderat. Et tum primùm Mantuanus didicit quemcunque militem, prouinciæ diſpendioſum eſſe, & eadem licentia debacchari. Nec enim aut annonâ, aut hoſpitalitate,aut contributione carere voluit;&certiori peculatu res ſuas augebant,quo ditiores nouerant, & opportunos cupiditati ſinus.

Monſerratū Mantuanus nouis præſidiis firmat.

Albæ ciuitatis prima ſolicitudo tenuerat ; quæ laxo ambitu, infirmitate mœnium,raritate ciuium, Sabaudij deſiderio expoſita videbatur. Celebre nomen & vicina potioris fortunam ſecutura obuerſabatur. In hanc ducenti quinquaginta inducti,vt ſecuram Mantuano poſſeſſionem facerent. Id Sangeorgio nunciatum; qui vicina oppida magnâ manu inſiderat ; intentus in omnes Monſerratenſium motus,& cuicunque diſcrimini paratus. Nouos milites transferri, & augeri locorum præſidia,ſpeciem meditati belli habere habebat : nec dubitari poterat,acciri à Mantuano nouas copias, vt confinia vexaret. Non tulit Sangeorgius, & ſubſignanos milites pluribus populariũm additis , aduentantibus ſuperfudit : non iam per inſidias(vt olim)aut occultos ſaltus;ſed ordine vſos, & prœlium aperto auſuros. Exploratores vtrinque accepta pecunia;cum Sangeorgium delectus monuiſſent , Principi quoque Vincentio ſignificarunt, parari Sangeorgium , vt pluribus millibus aduentantes exciperet. Itaque Princeps celeri curſore, tergo præmiſſorum inſiſtere iuſſo , imperauit, vt vim Sangeorgij vitarent , Nizæq; ſubſiſterent; dum Hiſpanorum comitatu foti, tutum iter ingredi liceret. Longius Mõferratenſes proceſſerant,& Antoniottus de Ruere qui præerat, magno animo per obſtantes euadere parabat : vix enim quingentas hoſtes eſſe crediderat. Noctis & tenebrarum beneficio properauerat,iuxta Sanſtephanum Bellei, mox Cannellum inceſſit. Hic hoſtis copiarum certior factus , & quantum diſcrimen intempeſtiua fortitudine adiretur,eadem via non turbatis ordinibus Nizam reuerſus eſt. Cheraſci quoque Gubernatorem magna ciuium manu oppido egreſſum , in eos fines cum reliquis aduentaſſe , vt Sangeorgio iungeretur , ruſticus quidam detulerat. Res vt moris erat ingenti queſtu Aſculano expoſita eſt. Hic ſe Inoyoſæ communicaturum promiſit , iam lamentationibus Mantuani laſſatus : maximè quòd per ipſum ſtare videretur, quo minus ipſe ſibi quietem faceret, peruicax conſilij , & conditionum quæ fortunam illius ditaret , hoſtem. Miſſus à Principe Vincentio familiaris cum literis ad Mantuani Oratorem apud Inoyoſam,vt acriter exequeretur;non hanc pacem, ſed apertum bellum eſſe; quando obſeſſa itinera ſint , nec liceat Monſerrati oppida proprio milite firmare. Sabaudios neglectu ac inuiſu Hiſpani nominis,non ſolùm in maſſam coire ; ſed iis maximè finibus inſultare, vbi prompta vexatio Monſerratenſium occurrat. Cur tandem honore gentis, titu-

Sangeorgius obſtat.

lo protectionis,audaciâ obſtantium non expergiſcerentur & occurrerent?quamque olim vim profeſſi ſint, non exerant ;quo iuſtius,eo opportunius? Se res quietas aut bellum cupere;ſimulatam & infenſam pacem rectè bello profligari:& niſi præueniſſent,propediem rerum arbitrium apud hoſtem fore.

Hæ Orator Mantuanus Inoyoſæ expoſuit; qui ſiue in dies auctum Gallorum ſpe Sabaudium, nimis ſibi deferre cognoſceret ; ſiue culpæ formidine, Hiſpanum nobilem cum mandatis ad Sangeorgium miſit ; quorum ea ſententia erat: multo antè concordiam reſtitutione ſancitam ; neque aut Mantuano quidquam iuris ademptum,aut Sabaudio additum.Veteres dominationes ſuis limitibus definiri; & vim vtrinque pacto concordiæ inhiberi. Abſtineret proinde iis finibus, per quos Mantuanus Albam , & Sandamianum militem ſuum traduceret ; niſi Hiſpanæ potentiæ arma opponi ; & in Pedemontanæ exitium vires omnes flecti vellet.Rationem inſuper factorum,apud Ducem ſuum dicturum;cur armatus publicas vias oppugnaſſet, quas multo antè pax aperuerit.Plura ad Oratorem Hiſpanum Taurini agentem præſcripta ſunt; vt quæ ante compoſita fuerant turbari quereretur; & inuidiam omnem in Sangeorgium,vt malorum auctorem ingereret. Laudes ſuas iſte criminum appellationibus ab inuidis corrumpi libens excepit:vt qui præceptis ſui Domini intentus ſtrenuè ſe executum nouiſſet. Nempe indurato ſententiæ Mantuano, non apertum bellum inferre, non totam pacem concedere, vniuerſa ſolicitudine ac formidine confundere iuſſus fuerat.

Hic Sangeorgio minatur.

Aberat Taurino Sabaudius,huc illuc per prouincias delatus,vt ſalutari bellantium conſilio vniuerſas copias luſtraret; corámque non relatu, numerum, vires, arma ſuorum diſceret. Itaque ab Oratore Principi Cardinali filio lamentationes expoſitæ, quem Sangeorgius Epiſtolâ præoccupatum futuræ expoſtulationi erudierat.Reſpondiſſe accepimus,non eam militiam Monſerrati damno, ſed ſecuritati finium inductam, & ſuos à Monferratenſibus exemplum accepiſſe. Viſas hoſtiles centurias nocte apud Cannellenſes,eum ratione ſuſpiciones inuaſionis dediſſe:neque fruſtra dolum creditum, exitum probauiſſe, quod deprehenſo periculo ; & apud Sangeorgium vigilantiâ ac prouiſu , taciti & ſecreti vnde venerant rediiſſent. Niſi fraus ſuberat , die medio & liberè proficiſci debuiſſe. Arma, noctem , ſilentium , vim teſtari. Et quidem ſic prorſus Cardinalis ſentiebat, intaminatus Princeps , æqui honeſtíque ſectator ; & cupidine pacis, quæ cum parentis honore eſſet, bellum ſemper execratus ; nec auerſus à ſororis cum Mantuano coniugio;ſi hic fortunam ſuam vilitatémque agnouiſſet.Quæ didicerat,pro veris habuit ; & eo etiam prudentiâ prouectus eſt, ne nullis manifeſtis ex aduerſo inditiis prævalidum ac fortem miniſtrum reum doli admitteret. Satis ſe Monferratenſes qui venerant feciſſe crediderunt , quod hoſtilem impetum , & certum exitium, celeri receptu vitauiſſent. Ex his octoginta Sandamianum pertaſiſſe dicebantur,cœteri Albam;oſtentatione potius roboris, quàm vt additi, ſecuritatem ciuibus promitterent.

Orator Hiſpanus idem cum Sabaudio queritur

Circa hæc ferè tempora Comes Ludouicus Guaſcus , non Mediolanenſis ſolùm, ſed & Monferrati agri diuitiis, & veteri nobilitate clarus, apud Inoyoſam à ſimilium ſcrutatoribus defertur ; tamquam nullo Regis imperio pro Mantuano arma tractauiſſet ; & apertè campo aſſultantem Sangeorgium, delecto equitatu foret inſecutus;vt capto aut cæſo(ſi fortuna affuiſſet) ingenti beneficio dominum demereretur : Credidit crimen Inoyoſa, cui Mantuani ac ſuorum odia perſpecta erant.Itaque in iudicium vocatus Comes,& factorum rationem reddere coactus eſt.Donec ſecreta Regis Hiſpani arma, & Mantuanus ſuis auſpitiis bellaſſet,partem ſe decertantium, quâ in Ducem fide decuit , fuiſſe : non ſtudio aut delectu in vindictam petitum à ſe Sangeorgium (quamquam id ſummæ gloriæ cuperet, vt interceptum oſtentaret:) ſed pro Monferrati Gubernatorum arbitrio huc illuc auxilia

Comes Ludouicus Guaſcus apud Inoyoſam accuſatur.

auxilia detuliſſe. Vbi Rex arma omnia & contentionum arbitrium in ſe traxiſſet, potiorem obſequio prætuliſſe; rúmque non dolo, non apertæ vi ſtuduiſſe, reſpondit. Vbiq; ſiue in Monferratum, ſiue in ditionem Mediolanenſem Sabaudius irrupiſſet, rem ſuam agi credidiſſe; & concordi Mantuano, nullum adeo miniſterij genus obſtrictum, quin Hiſpano conduceret, iudicaſſe. Inoyoſa cauſæ iuſtitia, & conſtantia profeſſionis querelam recipi prohibuit; laudata viri fortitudine, & addito conſilio, vt cœptantem bonam ſui famam nobilibus facinoribus augeret. Nec Sabaudius honeſta arma intus oderat, aut alienâ expoſtulatione queſtus fuerat; fortè nec ſciuerat. Viſus ante rem miles, & vulgatum ductorum mandatum, quorſum & quem in finem mitterentur; nec minus grauis nuncius inchoatę apud Nizenſes Gallos ſeditionis Sabaudium turbaſſe dicebantur. Non quòd recens conſternatio compoſitum fidei popularium animum perſtrinxiſſet, ſed concepta olim ſuſpicio coniecturâ tum primùm in apertum ſe dederat.

Operæ pretium me facturum credidi; ſi huius quoque motus cauſas, occaſioneſq; tradidero; vtq; inani metu Dux hæſerit, certa fide ſubditi claruerint proſequar, petito altius exordio, vt claritati conſulatur; ea prorſus ſerie quam à nobilibus Genuenſibus accepi. Nizam ciuitatem Gallicæ originis & Prouinciæ partem multos ante ante annos Sabaudij Duces, pacto aut inter domeſticas aliorum turbas habuiſſe dicebantur. Eo diſtrictu Grimalda familia Genuenſis, nobilitate, opibus, amicitijs eminebat, temporúmque decurſu multa oppida poſſidebat, vnde ſplendor & potentia (non quantum vſurpādæ dominationi ſufficeret, quam forſan ne voto quidem proſequebatur) quibus cæteros præibat: & eo ſuſpecta, quia præualida. Etiam præcipui inter inſtrumenta Regia Sabaudijs credebatur; ſiue ambiguos olim ſubditos, & dominum poſcentes, in id ſeruitium flexiſſent; ſiue quod ipſi habere aut noluerant, aut non potuerant, paratis ad dominationem obtuliſſent. Inducti itaque Sabaudij (qui vicinio, potentia & opinione clementiæ amorem omnium conciuerant) vt per Alpes in mare inferum imperio prouecti; non gratitudine minus (quæ Principibus illis connata eſt) quàm ſtudio retinendi per comitatem, quod alieno aduerſum ſe officio nacti fuerant, Grimaldos id maximè poſcentes, & certæ fidei creditos, longa ſerie præpoſuêre. Hi voto potiti, inconcuſſa ſemper (etiam cum Henricus IV. Rex Galliæ è propinquo minitaretur) fide in Ducem Sabaudiæ diu ciuitatem tenuêre, tantùm à priuato quantum à Principe differentes. Vetus tamen dominatio, & inferiorib. æmulis eoq; validius nixis inuiſa erat: crediderantq; ſi ſuſpiciones turbarum ſpecie aliqua obtenderentur, vetuſtæ licet potētiæ familiam depelli, ac loco deijci poſſe. Vicina Grimaldorum oppida, lubricę in res nouas amicitiæ, antiqua nobilitas, vicinium Galli Regis tum Mantuani cauſam ſuſtētantis; & ante alia velut poſſeſſa hæreditate potentia, fouere vmbras videbantur; neque aliud deſiderari, quàm ſi viri magno nomine, & non impares fide, expoſitum dolo & curis diſtractum Sabaudium prouexiſſent.

Niza ciuitatis Gallica ſeditio credita.

Ea tempeſtate Comes Bolij præſidebat; Badattæ, arcis Villæfranchæ præfecto inuiſus; nec minus Martino Triremium Sabaudiorum Locumtenenti, & Oneglię poteſtati. Non ſcelerum deformitate potius, quàm concentu virtutum, quæ facilè æmulos ad inimicitias impellunt. Forſan priuatis ſimultatibus, quas vtriſque familiares captandæ gratiæ ſuggerebant. Læſos ſe credebant, & indignabantur quòd ab illo vt impares ſperarentur: neq; Nizæ eo loco cenſerentur quem mereri ſe dignitate munitum præſumebant. Hi multò ante communicato conſilio, literas ad Sabaudium dediſſe ferebantur; quibus potentiam Comitis, & tractos in amicitiam Gallos, ſuſtentatoſq; ciues, ne ſubſidium bello penderent, criminabantur. Fortè congruerat, vt ſibi ſuiſq; metuens Dux, ſimul cupidine recreandi ſui militis, centurias aliquod Nizam mittere pararet. Id comes auerſatus fuerat, conſiliumq; Duci dederat; ne ciues optimè meritos neceſſitate aut culpa nouis one-

ribus contemneret. Poſitos eos inter hoſtium confinia ſtabiles ſemper in officio manſiſſe; tutatóſque oram illam aduerſus meditationes & cupidines externorum. Satis laboris & operæ eſſe, ſi tributis pro cenſu collaris, fines inſuper ſtrenuè tutati forent. Id Sabaudius non intactus hactenus ſuſpicionibus, rebellionis argumentum potius, quàm pietatis habuit; inter tot labores ſuos reuerentes Imperium Nizenſes ſuſpicatus. Et tempus,occaſio,formido,ſpeciem ſceleris appingebat. Aſſiduis interim literis iurati Comitis hoſtes,& in illius perniciem ſtudioſi,vt caueret cœptos motus,& Comitem ſeceſſionem agitantem opprimeret, Sabaudium monebant; ſatis gnari ſi querelis abſtinuiſſent,non defuturum illum pluribus documentis,vt oſtenderet approbaretq; fidem ſuam;maiora etiam ſolito tractaturum,vt calumnias in aduerſos regereret. Sed vbi de dominatione agitur apud Principes nil adeo in tuto creditur, vt metus negligantur. Proinde Sabaudius magno comitatu,inexpectatuſq; Nizam profectus eſt;preſſo altè conſilio ne offenderet,impelleretve in id nobilem virum ſibi metuenrem,quod formidauerat. Quippe nouerat,non alio fortius fidem concuti quàm ſuſpicione perfidiæ.

Grimaldus innatâ nobilitate ac innocentiâ (vt credebatur) tutus, obuium ſe Duci dedit; haudquaquam ſui,tantum Pedemontanæ quietis anxius. Addidit ſi qua opera ſua obſequi poſſet, non fortunis omnibus, non ſibi aut filio, quem coram ſtatuerat temperaturum. Sabaudius & fortitudine & prudentia notus ſecretaſ aduentus ſui cauſas,quas mox communicaturus eſſet,accuſauit: id tantùm apertè; ne procul ſitis & Mediolanenſi agro conterminis inter ſuſpicionem noui belli metuens; eorum etiam quæ ad mare conſiderent,anxius ageret. Grimaldus nouos metus excutere coactus, quò pluribus fidem ſuam & popularium tuebatur,eò ſe & maioribus inditijs illigabat. Tum Sabaudius expectare ſe filios dixit,qui Patris & ciuitatis inuiſendæ deſiderio haud procul eſſent. Cum ſequenti iam vicinum inſedere audiuiſſet,inuitato Comite ac filio ciuitate egreſſus eſt; vt obuios exciperet. Neque tamen illi Nizam inducti; Villafrancam diuertere magna cauſa; deduxeruntq; Comitem,quaſi rerum ſuarum præſidio. Sed eorum quę deſtinabat ſecluſo Nizenſium pro Grimaldo fauore faciliorem executionem crediderat; proculq; metum ſeditionis. Villæfranchæ alterum diem Sabaudius cunctatus eſt; viri merita,magnum familiæ decus, falſæ accuſationes obuerſabantur; ſed ad extremum vicit ſuſpicio,claudiq; carcere Comitem cum filio iuſſit; licet ille claram ſibi ſecuritatis fidem diceret. Poſtmodum Taurinum deduci,& eadem cuſtodia attineri imperauit. Fabertimè concinnatæ calumniæ dicebantur,& conuictæ falſitatis:ſed ſtatim,& nulla publica vtilitate dimitti,flagitium dominationis erat. Prætextus honeſtæ ſuſpicioni quæſitus,qui in profuturum negotium abiret. Sed Comes Sabaudium piiſſimum Dominum queſtibus fatigabat; vt iam nec ferre lamentationes,nec Comes patientiam poſſe crederetur. Oppignorari ſibi haud procul Niza arcem quæ inter iura Grimaldorum erat,voluit; vt eo pignore quandocunque Comes poſceretur,ad dicendam cauſam retraheretur. Filium interim detineri placuit,euacuatis quæ obijciebantur dimittendum.

Sic Comes ad ſuos redijt, Nizæ adminiſtratione exutus; & filius paucos poſt menſes cuſtodias fruſtratus,per auia ad parentem venit. Hi tamen non aduerſis, non ſuſpicionibus moti,ſolitam in extremum fidem retinuiſſe dicebantur. Licet quæ ſecuta ſunt tempora benè Sabaudium ſuſpicione vſum, probare videantur. Qui populo rector impoſitus fuit,ſingulorum cogitationes obſeruare iuſſus eſt;& ſi quando communi voto Grimaldorum amatum nomen frequentaretur,perſcribere. Sic Mantuæ ac Mediolani horum virorum caſus tulit; licet neſcius non ſim aliquâ ſecus reperta & prodita.

Feruebat interim Regum Principumq; in pacem negoriatio: quos inter Pontifex Sauello Nuncio Mediolanum miſſo (quem paulò poſt Cardinalium albo adſcri-

adſcripſit) Hiſpanis Gallos,Sabaudio Mantuanum componere laborabat. Imperator agente adhuc apud Inoyoſam Principe Caſtilionæo ſummam ſibi rerum, iure & officio vindicabat; opinione tamen magis,quàm quod Hiſpani concederent. Rex Hiſpanus quamquam Reginam Galliæ muneris ſociam, dicto ac literis non auerſaretur; quicquid tamen genero permitteretur, ſibi detrahi credebat. Et Inoyoſam cum apud quoſdam, exiſtimationem regiam prodegiſſe diceretur; ſpeciem tamen arbitrij, & armatus vim retinebat. Sed ante alia futuræ pacis bono, viduam Sabaudij filiam Mantuano deſponderi maturabat; adeo cum cætera in difficili eſſent, id vnicum maiorum leuamen; communi ſenſu cognouerat. Certè ne Mantuanus quidem tum procul à concluſione nuptiarum erat: licet Ferrarienſis amita, Siluius Teatinus, quique viduam ob virtutes oderant, pronum animum ne prorſus annueret retinerent. Sed Sabaudius cum tot expenſas laboréſque iurium ſuorum cauſa ſuſceptos, infructuoſam ſibi negotiationem, & nullâ ſatisfactionis notâ honeſtatem reputaret deponere arma nolebat. Connubium quidem filiæ admittebat; ſed ſimul prætetitorum finem; & quæ alieni largitor Inoyoſa ſpoponderat, ſtabili ſententia requirebat. Neque enim quotidie eandam repetendi iuris opportunitatem, eaſdem occaſiones futuras nouerat. Quorſum enim dicebat inter hoſtes nuptias, & à conuiuio ad arma regreſſum ſpectare? Tollendas ante diſſentionum cauſas;vt ſancita pax,in longum tempus valeſcat.

Inchoatam cum Vincentio Duce concordiam morte diremptam; qua non prouinciæ fines ſolùm, ſed & noua coniugia tractabantur; & Franciſcum filium eundem animum prætuliſſe; niſi fatum amicas ſponſiones diremiſſet. Quod præceſſores honeſtum putauerint, nouo Duci iniquum videri non debuiſſe: quando velut breui manu ſolidam Monferrati poſſeſſionem nanciſci, & continuare poſſit;euacuatis æmuli iuribus; quæ niſi amicè terminentur,ſint totam æternitatem Mantuanos exercitatura. Id Regibus ipſis litis arbitribus decorum: quibus nihil adimitur, accreſcit exiſtimatio, gratitudo minorum Principum, & permiſſi arbitrij apud omnes opinio. Gallum Regem conſobrini quiete lætari potius, quàm modicam prouinciæ conceſſionem ægrè ferre debere; ſi pacem incerto bello antehabeat. Denique non aliud magis tempori congruens euenire potuiſſe, quod immortalem litem decideret; quàm ſi vtrique Duces Regum armis admoniti, vnanimiter in concordiam conſpirent. Non habebat ingeniorum vafrities quod his rationibus opponeret; ſed apud Mantuanum ſuo malo operatum certum erat, ne minimæ quidem Monferrati parti decedere; niſi quàm Cæſar recenti ſententiâ,veteri poſſeſſioni detraxiſſet:imo nec non finium nouam formam, quam parens inchoauerat reuocare; tamquam impoſſibilem facto & iuribus iniquam. Et amita Ferrarienſis in ſuæ domus exitium ſtudioſa,diſſipandis matrimonij cum vidua cauſis, monitis pernicioſis, & religionis imagine velatis inſtabat, tamquam flagitium nepotis excluderet, cum perniciem maturaret.

Redibat Mantuano per interualla mens; & rationes ex vero petitæ tentabant & oſſa medullas; eoq; non ſemel auditus fuit,dicto pectoris integri,poſſe ac velle (ſi ſoror Pedemõtano adſciſceretur)aliquid concedere,quod dedecus permiſſionis honeſto dotis nomine molliret: quodque in ſummam nec dantem immineret, nec recipientem amici malo ditaret. Sed longior negotiatio, & frequentibus difficultatibus irrita obuerſabatur. Suberat metus ne diutius res examinata, moræ impatientiâ, reſumpto iterum bello finiretur. Id Hiſpanus præuiderat. Et quia conſanguinitatis occaſione multa condonari ſolere didicerat viduæ nuptias præmitti dilata finium tractatione, quæ poſtremò licet agitata promptius concluderetur, imperabat. Adoleuerat ætas, & Mantuano

Digitized by Google

indiuidui ſiue inuidia, ſiue aſſentatione, quoties de Sangeorgio mentio incidebat, iniurias eius, contemptum, etiam perfidiam inſectabantur. Tam diu viuere deſertorem querebantur, non ſupplicem ſed perduellem inſultare, comminari, Monferrarenſium miniſtrorum vim ridere, denique in alieno ſuo vti. Hæc Mantuanum (rarò ſerijs intentum) prouocabant, vt quando aperta vi comitem vlciſci non poſſet, ſecretè perderet. In eo ſtare exiſtimationem ſuam ratus, ſi eo cæſo, Balzianus, cæteriq; exemplo terrerentur. Nec magnum ſecretum occultè habebat; ſed cum mediaſtinis ac vilioribus cubiculi famulis iras ſuas efferebat; haud dubiè auxilium ab alicuius audacia requirens.

Aderat Mantuæ Picænus quidam Capitaneus, medio in flore ætatis; cui rutilans coma, nudatus pilo vertex; ſuberant albentes oculi, & candor oris lenticula diſtinctus. Hic audito Mantuani deſiderio iturum ſe Taurinum, & exceptum inſidijs Sangeorgium recepit. Præmium nauatæ operæ in pecuniâ requirens; quâ tutum ſibi ſecretum procul ijs finibus compararet. Annuit Mantuanus, & Mediolani ſubſiſtere debere dixit, donec occulta arma comparaſſet. His Monachi habitu perſonatum Taurinum proficiſci, & apud quoſdam eius familiæ agere imperauit; donec opportunitas inuitaret. Adeo Mantuanum præcipuam ſuæ ſperpartem extra ſe poſuerat. Iam Sangeorgius opinione conſciorum ceciderat; iam elapſus Picænus, qui ſupremam horam quam agebat cum morte diuidebat; iam magna fortitudinis præmia numerabat, in ore vulgi; neſcio ſilere Mantuano, & vulgaro apud omnes conſilio parricidij. Sangeorgij virtus etiam Mantuæ amicos reperit, qui monere illum inſidiarum ſtatuerant. Sed animus Mantuani, ne horum quidem eodem tenore durare ſolitus, citius admiſit pœnitentiam, quàm ſicarius deſtinato itineri accingeretur. Sic vitato diſcrimine, & forſan doctus cogitati flagitij, cautior Sangeorgius redditus eſt; futuræq; incolumitati ſuæ maiori ſtudio prouidit; vt Mantuani conatus irriti in poſterum certa cum temerariorum pernicie caderent.

Mantuanus cogitat de cæde Sangeorgij.

Inter hæc moroſis ac contumacibus diſputationibus examinata, Sauellus Pontificis Nuncius pacem irritè perſtrepebat, orabat concordiam, Sabaudium excuſabat, Mantuanum non accuſabat; Regis placita laudabat; apud Inoyoſam, Principem Aſculanum, & Caſtilionenſem metu in vanum inculcato, & ſpe irritâ. Pendentem omnibus ex aure monitorem crediſſes. Sed fixum Sabaudio erat, connubium filiæ compoſitioni iurium ſuorum nectere; & Mantuano non alijs conditionibus quàm quibus frater nupſerat, conuenire; eo tantùm diſcrimine; quod Sabaudius ſpei ſecurus in ſuo eſſet; Mantuanus iram tantùm ſine viribus proferret. Nec enim conatus illius ſecundum laborem ac deſtinata inerant. Rex Hiſpanus (ſi miniſtri cum fide egiſſent) valitura auctoritate diſiectis difficultatibus totus in nuptijs erat. Sic cum Lermæ Dux, & à conſilio miniſtri fidi firmauerant; pietate quidem certâ; ſed animorum Sabaudij & Mantuani non plenè gnari. Ergo vbi irrita tractatio, & bonâ ſpe quæ curâ dictauerant, velut exceſſiſſe Sabaudius; etiam Inoyoſam minus obſtinatè vrgere Mantuanum vidit, inſolens iniuriarum, & diſpendioſæ moræ impatiens, feſtinatis literis Zoellum Senatorem Taurinenſem (qui cum Iſidoro Bernabitâ, præcipuam negotiorum partem in Aulâ tractabat) monuit; vti ſuo nomine apud Gubernatorem, tot aduerſa quereretur; poſtremò fractam ab eo ſibi fidem, voce ac ſcripto coram improperaret. Sed Inoyoſa inualidas vires ſuas; & Regiam voluntatem quibus impar eſſet excuſabat. Scripturæ ſententia talis fuit.

Zoellus pro Sabaudio improperat Inoyoſæ fractam fidem.

Scire Inoyoſam poſtquam eluſum ſe Mantuani promiſſo (quo neptis Murinam cum matre mittenda erat) Sabaudius deprehendit, quàm honeſto nomine & iuris & vindictæ, in Monferratum arma conuerterit: nec minus quàm bono iure, occupatæ à ſe prouinciæ partem, domi ſi libuiſſet potuerit retinere; ſed

ſed prouinciam omnem reddidiſſe; vt regia placita ſuis commodis anteferret: ſpe apud ſe non dubia, quod Inoyoſa regio nomine promiſiſſet, ratum fore. Nam & matri viduæ de recipienda Infante filia, & ſibi de rebellium venia, damnorúmque ablatione cauiſſe. Oppignorata Regis fide, quam Sabaudius intaminatam ſemper credidiſſet. Cæterùm non inculcatis precibus, non longa Principis filij ſui apud Regem Hiſpanum morâ; & contumelioſo Monferrati ſecreto, pietati ſuæ, iuribus, modeſtiæ congruentia præmia retuliſſe. Sed tanquam ſatis meritis ſuis, caritati filij conceptæ ſpei habuiſſet, auſos eius miniſtros imperare, vt literas ad Patrem parum placituras deferret. Eas imperiorum plenas fuiſſe: quibus parum conſanguinitatis, parum honeſti ratio competebat. Nuptias filiæ viduæ ſtatim cum Mantuano abſolui, mox ſingulorum iura tractari, Mantuanum iis quos rebelles diceret, ignoſcere, damna Monferratenſi bello illata non repetere, ſe verò quem deſcripſerat militem dimittere iubebant. Quæ iuſto & honeſto niterētur, ſtatim Sabaudium admiſiſſe; & dirimendæ contentionis ſpe Mediolanum Legatos adminiſtros cum mandatis, quibus vniuerſa componerentur miſiſſe. Præſente Caſtilionæo Principe Commiſſario Cæſaris auditam vtrinq; cauſam, & Inoyoſam ipſum faſſum validiora Sabaudij iura, quàm quæ ante crediderat. Ducem tamen amore pacis, & regia reuerentia iuris rigori ceſſiſſe, oblatis pluribus conditionibus, quarum aliæ placuerint; aliæ difficultatibus (vt in magno negotio) implicatæ apud Regem promoueri oporteret: quas Mantuani delegati propoſuiſſent, ſtatim iniquitate reiectas, eoq; reſcindi tractationem omnem potuiſſe: niſi Caſtilionæus bono animo aduerſæ partis eſſe hortatus, non eas poſtremas fore promiſiſſet; & faciliora opprimi perſuaſiſſet. Spe interim & promiſſis lactatum Sabaudium, non fallacibus auctoribus didiciſſe Inoyoſæ imperio, in ſuam prouinciam plures equitum alas armari; Neapolitano, Germaniâ, Heluetiâ, copias adſciri. Imo vt certiora hoſtilitatis inditia ſcirentur Iſidorum ſibi à ſacris confeſſionibus Mediolano exegiſſe, ſine literis, ſine ſpe; grauibus tantùm, iuſſis, vt in inferiorem oneratum. Nempe vt Sabaudius litem arbitrio Cęſaris permitteret, exercitum omnem diſſolueret; nec armorum Mediolanenſium apparatum metueret, quem foret in tranſalpinas regiones miſſurus. Niſi ſtatim voluntati paruiſſet triginta hominum millibus propediem in Pedemontanâ caſtra poſiturum. Idem Perronem Sabaudio ſignificaſſe per literas, auctoremq; Inoyoſam comminationum aſſeruiſſe.

Certè Sabaudium improuiſo nuncio perculſum fuiſſe; ſui tamen exercitus miſſionem quietis deſiderio poſci reputantem; & ne ſuſpicionibus vicini exercerentur, ſecuturas regias copias exemplum credentem, eundem Iſidorum Mediolanum cum opportuno reſponſo remiſiſſe; paratum ſe diſſoluendis auxiliis quibus ambiretur faſſum; imo Regiam quoque expeditionem iuuare claſſe & iuuentute, quæ Regi neceſſaria videretur. Cunctatum quidem in præſentem, & tenuem militiam ſub ſignis retinuiſſe: ne ſolutus metu Mantuanus; aut quæ aduerſus armatum auſus non foret, præſumeret, aut ægrius in pacem inclinaret. Porrò militiam ſuam, nationum numero ac varietate conflatam, parum formidinis vicinis incutere poſſe; & vix retinendis præſidiis ſufficere; cum ſponte Monferrati poſſeſſionem, alieno arbitrio dimiſerit, vix credi poſſe, ideo illum in armis agere, vt nouas turbas ſuſcitet. Quorſum enim reliquiſſet, quod denuo maiori negotio eſſet repetendum. An Ducem ſuum promptum aduerſus Regem obſequium, inani contumacia, aut ſpem componendæ litis, cui tantùm laborauerit, contemptu perdere voluiſſe? Illi Regis imperio, & ſemel placitis eandem voluntatem conſtare. Sed iam olim promiſſæ diſſolutionis exercitus, Inoyoſæ memoriâ excidiſſe. Vrgere nihilominus cum hoſte conſanguinitatem, & paucorum quas haberet centuriarum miſſionem. Non ignarum eſſe, vt compoſitam difficul-

Hh 2

tatem artibus & conſilio interruperit; fidem ſuo ac Regis nomine datam fregerit. Italiæ turbas, & Sabaudium ſui iuris Principem Hiſpanæq; maieſtatis ſtudioſum; & cuius amore non ſemel prouinciarum illi ſubditarum diſcrimen adierit, vexare in animum induxerit. His aliiſq; cogi Ducem propriæ incolumitati conſulere;& vndequaque militem cogere,aduerſus intentatos metus; quos negligere turpe ſit,& tanto Principi ignominioſum. Turbatæ pacis & malorum quæ bello ingruant culpam apud Inoyoſam futuram,Regiq; ſuo probaturum cauſas,quas miniſter in Regem certiſſimæ pietatis torqueat. Inoyoſa ſolita ſibi fiducia oblatos codicillos accepit;quamquam mendacij ſe accuſari ægrè ferret,& conniuentiæ pœnas aucto iam Sabaudio pendere formidaret.Sauellus eodem ſtudio proſequebatur quæ cœperat; nataſq; olim,aut tum primùm apertas iras lenire non deſiſtebat; gloriæ quàm rei maiorem apud Sabaudium rationem putans; eumq; in concordiam paratam niſi nouis iniurijs aſperaretur.

Hæc Mediolani inter parùm fidos, & inuicem ſuſpectos controuertebantur: non tamen adeo occupatum domi Sabaudium habebant, quin foras longiuſq; proſpiceret; & Cæſarem ac Principes,omni nixu in ſua vota illiceret. Oratorem quippe ſuum apud Proceres rerum adminiſtros,& Gleſſelium intimum conſiliorum maximè niti; vt decretum quo Mantuano Neptis cura commiſſa ante fuerat, reuocaretur. Extortum quippe inſciâ parte;& aduerſus gentium iura quæſitum,quibus perpetuò Matri filiæ cura permitteretur. Et quò facilius impelleret, reſtitutionem prouinciæ Cæſareo arbitrio factam fatebatur: ea præcipuè in quorum odium recens erat. Ille tantum cauſâ,& aſſiduis queſtibus profecerat, vt niſi qui pro Mantuano aderat, facti dignitatem quæſitis vndecunque rationibus ſuſtentaſſet,potuerit retractari,quod ſemel placuerat. Nil tamen inter cauſas retinendi plus ponderis habuit, quàm dignitas Imperij: ne irritatum decretum, parum æſtimatis iuribus emiſſum fuiſſe videretur. Sanè ſub Martij finem ſupplex libellus Imperatori oblatus eſt; & hic nonâ Aprilis, Aulæ more examinatus ac poſtmodum reiectus eſt: ſancitumq; Cæſarem olim ſecundum leges decreuiſſe; nec debere ſemel expedita in nouum cenſum retrahi. Tum Sabaudius inuidia facti efferatus, eam iuſtitiæ imaginem carpere; & Cæſaris Conſiliarios tamquam Mantuani amicitiæ aliquid dediſſent inſectari,literis ad obnoxios datis, & quoties res publicè tractaretur; querelis. Honeſto hæc temperamento proſecutus: nec enim vnquam tantum affectui ſuo indulſerat, vt connatæ ſibi prudentiæ obliuiſceretur: licet cum modeſtiſſimè ac quietiſſimè loqueretur,acerrimè bellum appararet. Sauellus Nuncius hinc Inoyoſæ minitanti,illinc Sabaudio indignanti;& vmbras contemnenti medius,vtroſque pacem præferentes,& media aſpernantes; ne ſtatim in iniurias prorumperent, blandimentis & auctoritate retinebat; difficili negotiationi moram interponens; vt aduerſa tempore quoque ſubſiderent, componerentúrque. Neque tamen prorſus ſine armis Sabaudius agere deliberauerat; ſed pacta præferebat, at plus bono publico ac gloriæ ſuæ accedere nouerat, ſi incruentam pacem conceſſiſſet. Prudens negotiatio erat partem aliquam perdere vt maiora adipiſceretur. Id deſiderari quàm ſperari poſſe nouerat: & nihilominus tractanda ac verſanda omnia prius quàm prælio congrederetur. Difficile certe erat iras eluere; quas exiſtimata vtilitas, & præteritorum recordatio refricabant. Pars quoque difficultatum in Mantuano erat, qui cum Regijs literis viceſima nonâ Martij datis oratus foret; vt non damnorum ſolùm ceſſionem; ſed & rebellium veniam in arbitros rejiceret, vtrumque neglexerat.

Sabaudius apud Cæſarem procurat reuocari decretū tutela Infantis pupillæ.

Habuimus in manibus epiſtolam, qua ægreferre Rex dicebatur, quod requiſitus Dux non ſtatim obtemperaſſet; auſúſque foret tantum contumaciæ inducere,vt fruſtra oraſſe Rex ſciretur. Et Inoyoſa calore Regis acrior,addidit iniurias,

ſcripto

ſcripto in Vrbem miſſo, quò gratitudinem, & tot acceptis à Rege beneficijs vices à Mantuano requirere videbatur. Inerant ſententiæ meditatæ grauitatis aſperitatiſque. Sed deprehenſa à Sabaudio vanitas promiſſorum, & ſuſpicio conſcientiæ, nutritione belli, vt acrius pro Rege niteretur ſtimulabant. Ijs literis (quod impar Sabaudio, nec ſua vi niti poſſet) procliuiori reuerentia à Mantuano reſponſum eſt; & Rex oratus, ne tam enorme flagitium, pudendo poſteritati exemplo impunitum vellet. Neque abſolutè veniam negauerat, ſed cauſas negandi expoſuerat; quibus indecora tanti Regis pro facinoroſis interceſſio videbatur. Dubium non eſt quod actum de rebellibus ac eorum fortunis fuiſſet; ſi Mantuano cum quocunque alio, quàm cum Sabaudio res fuiſſet. Huius quippe magnitudo ſupra ius, adeo ſuperior iniuriæ erat. Eas literas Mantuanus ſuo ductu, adiuuante nemine compoſuerat, dicendi quæ vellet, non item agendi quæ oporteret ſcientiſſimus. Ioannes Octauius Gonzaga curæ indefeſſus, & ob nobilitatem magnæ apud Hiſpanam Aulam auctoritatis, idipſum reuerenter expoſuerat; vt preces non auerſio abnuentis crederentur. Sed Lermæ Dux ſolito ſibi rerum arbitrio conſilium præſcripſerat: idque plus imperij, quàm quod in Rege eſſet continere videbatur, geminata Mantuani difficultate; ſiue dictatam à Domino ſententiam; ſiue quam obſtruſurus foret, tranſmiſiſſet. Inter hæc nullâ nouâ occaſione, ſed quia Curſor Cæſareus eò properabat, alias Mantuanus dedit literas ad Regem, hoc ſenſu: Se ſtabili in illum obſequio, cauſas vindictæ aduerſus rebelles, & damnorum magnitudinem tantùm oſtendiſſe: obteſtariq; ne in contemptum ſui, & ſeditioſorum impunitatem, id fiduciæ denuò rebellaturis offerret. Equidem non abnuere quod Regi placuiſſet, cui rerum ſuarum arbitrium immutabili ſententia permiſiſſet. Bene credi poſſe minimam domeſticarum opum portionem, libenter concedere, qui vniuerſas fortunas ſuas pridem eius voluntati ſacrauiſſet. Egiſſe tantùm cauſam ſuam cupiuiſſéque piiſſimum Regem ſcelera à parricidio diſtinguere; nec prauos mores, in pernicioſa exempla valituros illi imputari. Hiſpano idiomate ſcripta erat epiſtola, vt acceptior Regem detineret; vtq; factum à ſuis laudaretur, vix vllus famulorum domi erat, cui non & legiſſet, & conſilij cauſas non aperuiſſet. Id tamen apud quoſdam à conſilijs, excuſatio; apud Regem honeſta obteſtatio credita. In Sabaudio vt potentiæ ſic libertatis plus videbatur; qui vulgaris per omnem Europam literis, violentiam Hiſpanam & apertas iniurias querebatur: eodem impetu faſtum miniſtrorum, & contemptum cæterorum accuſabat.

Id acriter Regem offendiſſe dicebatur, quia famuli ſic interpretabantur; qui pietatem ſuam, & publicæ quietis deſiderium, non quâ intus fide eſſet, credi videbat; gnarus etiam apud bonos, continuas lamentationes ſuſpiciones intendere: quantò magis apud Gallos opinione odij, quæ vera eſſe nollent, nec perſpecta haberent pro deprehenſis circumferentes. Contineri non potuit (etſi Sabaudius de Rege reuerenter locutus foret, quò minus ea quæ objiciebantur per Oratores ſuos elueret, apud Pontificem primùm, mox Cæſarem, poſtremò Reginam Galliæ quæ iam conſenſu Principum regni victa, quin legiones in Sabaudij auxilium deſcriberentur prohibere non poterat. Eò cecidiſſe Hiſpanam negotiationem, vt Sabaudius in prædam deſtinaretur, vt opprimeretur Gallicus ſanguis; vt Mantuanus ſuorum opibus expeditionem iuuaret. Et Aldigherius quidem, militię per Gallicam Prouinciam pręfectus, frequentem ad ſigna iuuentutem coëgerat; oſtentaueratq; ingenti ſecuritate Mediolanenſes opes; & inuiſo nomine Hiſpano ſtimulauerat; vt velut arbitri contentionum obrui conſanguineum Sabaudium ab Hiſpano prohiberent. Et quò plus probabilitatis deſtinationi eſſet, addiderat, hoſtilia arma etiam Mantuano pernicioſa, cuius prouincijs plures iam menſes alerentur. Profuturos ſe Sabaudio propulſatâ iniuriâ,

&Mantuano profligato milite externo, immani more in alieno hoſpitante. Id decorum generi, Regi ac Principibus gratum fore; & pleniorem quæſtum eo labore expectari; quàm longâ militiâ ſi Belgium omne ſubegiſſent. Sabaudius vbi cauſæ ſuæ congrua, prono in vota exitu ſciri vidit; nec ſe ad inuitum filiæ matrimonium cogi vidit, damnorúmque obliuionem, & veniam rebellium exprimere poſſe externa ope cognouit, frequentia per Sabaudiam præſidia eduxit, & Marchionem Lanzij augendis Aldigerij copiis iungi imperauit. Tum primùm apertè effari, & data occaſione audere bellum viſus eſt; nec tantam aduerſus Hiſpanum modeſtiam præferre, vt paratum ſe ad iniurias offerret.

[illegible] animum Sabaudij contra Hiſpanum.

Sabaudius exercitum conſcribit.

Vbi in Hiſpaniam delatum eſt, Gallos impulſore Sabaudio iam in armis, & maritimarum Alpium tranſitum meditari; ſimul imperium quo deponere arma iuſſus fuerat, negligere; etiam minas inter querelas iacere: Codicillos Rex à Cœnobio D. Laurentij (cuius ſecreto paterno exemplo vtebatur) ad ſecretum conſilium miſit: vt in re graui ac plenâ diſcriminis, formam agendorum ſtatueret. Feſtinata ſolicitudo omnibus placuit; vtq; Inoyoſa augeret vires; & quod cunctatione deliquerat, magno nixu emendaret. Eum ſenſum Regij Conſilij literæ, ad Inoyoſam trigeſimâ primâ Iulij datæ, continebant (quorum exemplar apud me eſt, nobiliſſimi viri liberalitate conceſſum) & imperium non conſilium erat: Pacis cupidine, Ducum æmulantium concordiam, matrimonio & exercituum exauctoratione quæſiuiſſe Regem ſuum. Studium reb. caſſum, in verborum vanitates collatum; imo conuicia loco gratiæ occupaſſe. Monendum Sabaudium ne quod ſeditionis initio ambiuerat in facili crederet: nimis iam manifeſta conſilia ſua, & vanos prætextus eſſe. Approbaturum exitu armorum pacem illi quàm bellum vtilius fuiſſe. Proinde magnis viribus Regium honorem promouere ſatageret; nec pertinaci parceret. Ita tamen hoſtilia conſilio miſceret, vt reconciliationis ſpem non excluderet. Permiſſum arbitrium belli placuiſſe Inoyoſæ, vtilitate & honore quidam iactabant; alij diſplicuiſſe neceſſitatem, viſis difficultatibus, & æſtimatâ magnitudine Sabaudiâ; eadem Gaetanus de Ayalâ, apud Sabaudium pro Hiſpano Orator mandata acceperat; vt non vno teſte Sabaudius diſceret, nolle Regem, Monferratum aut illi, aut alij, quàm cui Cæſarea ſententia decreuerit, cædere. Is officio defunctus, ne per irriſum audiretur, Ducis modeſtia & ſuauitas morum obſtitit: Iam enim aliena imperia obturbare, & inuiſum mandatorum nomen ſpernere omnes didicerant. Maior cura Gallorum erat.

Diuerſæ Hiſpanæ literæ ad ſuos miniſtros per Italiam.

Pluribus itaque Rex cum Inico Cardines Pariſiis agente vſus eſt; vt pietatem ſuam, & pronam in publicam vtilitatem oſtenderet. Trigeſimâ Auguſti, literas Inicus in hæc verba habuit: Audiuiſſe quas per Europam querelas aduerſum ſe Sabaudius vulgauerit: quaſi eo inuito de filiæ coniugio cum Mantuano tranſigere meditatus foret. Et nouiſſe quidem viri impetum; ſed ne leui licet colore apparatum ſcenámque doli adornare poſſit, Inoyoſæ imperaſſe, vt interim de coniugio taceret, dummodo quem coëgerit militem diſſoluiſſet; Monferrati iniuriis & petitione Infantis Mariæ abſtineret: ſi quid ſibi iuris eſſe præſumeret, Cæſari primùm, mox ſibi permitteret; nec enim niſi bono iure decerturos. Monuiſſe etiam; non niſi communi bono partium, & Italiæ quieti matrimonium illud prætuliſſe, excindendis ſimultatibus, & diu fotis cauſis odiorum. Id velle Galliæ Aulæ Inicum inſinuare: vt auerſi licet, pietatem & publicam ſecuritatem voti ſui ſummam agnoſcant. Sciuiſſe ſe quâ vi Aldigherius turbas è Prouinciâ moliatur. Seniles artes, & tractos in ſententiam Proceres, fotúmque Sabaudium, publicæ calamitatis cauſas fuiſſe. Eoque perſuaderet Reginæ vt temerarios conatus auerteret, prorumpentéſque retineret. Procurrentibus in proprium & alienum exitium conſultò arma detrahi: Plus enim ſuſpiciones interdum, quàm aperta bella mouere: ſingula porrò perſcriberet, quæ in cauſam cognoſceret. Inicus Regis conſcientia

Ad Inicum de Cardines.

ſcientiâ firmatus;& quòd plerique togatorum conſilia belli auerſarentur,publicè apud Principes; nec minus ſecretò apud Reginam, cauſam Regiam ita proſecutus eſt;vt fœmina licet,magnis animorum motibus quatetetur.Prohibere tamen ne ſui procurrerent, apud precariò imperantem;& cuius arbitrium modeſti tantùm ſequerêtur,plus operæ requirebat. Pax togatis Conſiliariis, bellum Principibus placebat: & vtrique per vices cauſas occaſionéſque promouebant, quibus Reginam in ſententiam traherent: æquè periculoſo, ſiue cederet tumultuantibus,ſiue præualeret.Nobiles decus gentis,fidem,dignitatem,& pueri Regis exordia exiſtimationémque objiciebant:& ante alia ſuſpectos ſemper populis Hiſpanos,vt alieni auidos. Togati probatam iam Regis pietatem, labores, expenſas referebant.Sufficere illum ſtatuendo remedio tumultuum; neque honeſtius decerni cauſam,aut componi diſcordias poſſe,quàm ſi illi ſententiæ arbitrium permittatur; qui inter altercantes medius, & interjicere contumacibus arma, & obſequentibus auctoritatem poſſit. Non illum aut imminuere fidei ſuæ commiſſum Mantuanum, aut Sabaudios ſuum ſanguinem velle; ſed vſurpatum ſupremis dominatoribus ius retinere;vt minores (qui ferè conſenſu validiores trahunt)rumoribus abſtineant. *Galli Principes pro Sabaudio arma, Togati pacem praferunt.*

Apud Bellicoſos populos, togati in quietem compoſiti neglecti ſunt: ideoque provt quis promptior, eo magis laudatus: pluréſque ſocios ſtudij ſui inueniebat; tamquam neceſſitati Regni operaretur. Cum nos Pariſiis paucos poſt annos Mantuanæ legationis occaſione ageremus, relatu magnorum didicimus,ne togatos quidem pacem cum Hiſpanis prætuliſſe; ſed publicè quietem laudaſſe: quod in bello ſedentarij quæſtus vaneſcant; & negoriatio (vnde miniſtris opes cumulantur) negligatur: Solus Villarous, prudentiæ ac ſanctitatis opinione totum æuum duraturus, ita prorſus ſenſiſſe creditus eſt: quod magna integritate curas regni expediret; & inutile bellum puero ac fœmine reprobaret. Diſcordiarum occaſio, & præualens armorum cogitatio Sabaudio addebat; quòd ſeditio tum maximè conduceret apud eos quos omnes trahere in ſententiam non licebat. Nec ipſe ſibi deerat,ſed datis per totam Europam ad Principes literis,miſſis Oratoribus, ſuas iniurias, & vim Hiſpanam, modeſtiſſimis licet appellationibus querebatur. Addebat Regiam in eos munificentiam; quos donis intendere,& venalem habere fauorem audiuerat. Non vt malis artibus præualeret; ſed vt ſtudio omni iura ſua proſequeretur. Honeſtiſſimo quoque temperamento in Galliis apud Reginam vſus aduerſus Mantuanum eſt: quem proſcindere conuiciis & criminationibus inſectari diceretur; & nominare abſtinuit, & culpam in conſultores reiecit; qui iuribus ſuis, & æquiſſimis conditionibus illum non accedere ſuaſiſſent. Querelarum pars multo maxima Hiſpanos adminiſtros ſpectabat; tamquam & Mantuanum ne concordaret retinerent; & ipſi alienis opibus, ſotâ partium diſcordiâ inhiarent. Quidam Hiſpanorum ac Mantuani cauſam diuidere, aut neſciebant,aut nolebant; credentes non aliud illud,quàm quod huic conduceret proponere;nec arma niſi eius beneficio tractare. *Principes praualent.*

Sauellus Pontificius Nuncius,difficultatum multitudine agitabatur: nam nec poſſe Sabaudio fidere Inoyoſa, nec Inoyoſæ Sabaudius fatebatur. Galli quoque minitantes, pronos forſan iſtorum animos ad arma vocauerant.Huc illuc itaque inani fatigatione ferebatur;cum auctoritatem, pietatem, iuſtitiam interponeret; vt de aſperitate aliquid partes remitterèt. Quo diutius negotiatio trahebatur,eo plus Sabaudio exiſtimationis & decoris, vt magno & libero Principi accedebat. Non prece, non promiſſis ceſſurus videbatur; ſi quo maieſtatem imminui, & negligi dignitatem ſuam crediſſet.Paratus miles,Heluetiorum auxilium, Aldigerius,& vis Gallica fidentem reddiderant. Cum enim ante (dum conditiones pacis,cum armato Hiſpano,ipſe non adhuc pro neceſſitate inſtructus) diſſoluturum

Digitized by Google

ſe militiam certis legibus recepiſſet; vbi & ſuo & externo milite, tueri ſua poſſe vidit, accreſcente indies fauore, tamquam iuſto metu vrgeretur, cauſas retinendi militis, & ſuſpiciones formidinemq; hoſtilitatis Hiſpanæ excuſabat: imo niſi eodem tempore ſuos Hiſpani dimiſiſſent, nequaquàm pacto obſecuturus videbatur: ſiue ſpretis conditionibus pacis, Monferrati partem denuò animo concepiſſet (quod ille promptum effectu erat) ſiue exiſtimationis ratio ſtimularet, magno ac generoſo Principe digna acceſſio; equidem diſſoluendæ vtrinque militiæ forma, arte aut neceſſitate diu agitata fuerat; nec modus vllus adeo congruere repertus eſt, vt Hiſpanis & Sabaudio probaretur. Magnitudo illa gentis, & faſtus dare minoribus iura ſolitus, apud Sabaudium leuiori in pretio erat, quàm vt iuſtum pondus retineret.

Sabaudius dimittere militiam renuit, niſi idem Hiſpani faciant.

Inuoyoſa nihilominus Regiam maieſtatem præferebat; & ex arbitrio potentioris nolebat arma deponi. Etiam priorem in turbis, eundum in pace locum habere cenſebat. Sabaudius ſiue crederet; ſiue parum opportuna tempori fides eſſet, in pleraſque conditiones implicatus, quam non conceperat formidinem potentioris excuſabat. Credere ſe Hiſpano poſſe dicebat; ſed non congruere ſemper miniſtrorum animum; nec ſæpius in bello errari poſſe fatebatur, quin vniuerſa in præceps voluerentur. Ad faſtidium iſta literis & curſoribus tractata plures dies ſunt; ſtabili Sabaudio, aut armatum aut inermem, cum Hiſpano compari agere; nec nudare confinia; aut alieno arbitrio vacua exponere. Dictu mirum deliberatum apud Aulicos Hiſpanos, an id Ducis cauſæ, an gratiæ daretur; & repertos in eo conſilio quoſdam, qui tantum dedecoris admitterent: cum adhuc apud Sabaudium nemo fuerit, qui ſolui exercitum armato adhuc Hiſpano conſuluerit. Eoſdem iam ſpiritus Ductores copiarum Sabaudij imbiberant; quibus vti Dominum experimento didicerant. Et tum præcipuè conſtantiam retinebant, quod multis hominum millib. domi coactis; & nouis delectibus auxiliorum aduenrantibus, depellere vim poſſe cognoſcerent. Sangeorgius quoq; interrogatus à Sabaudio fertur, an inermẽ accipere conditiones pacis expediret; illum verò reſpondiſſe, tantam prudentiam, vſu rerum firmatã alieni conſilij non egere: ſi tamen cloqui cuperet, id tantummodo dicturum, didiciſſe ſe, & multã lectione probauiſſe, tantùm inermibus imperari. Quid præcipuè vſui eſſet non diſceuerim; illud certum eſt, & prudentiam & ſecuritatem in conſilio fuiſſe; laudarumq; apud Italos Principes cætera parum æquos; quod ſub ſcutica (vt aiunt) dictata Hiſpanorum reddere noluiſſet. Contra multum Hiſpanæ magnitudini detractum, qui vulgatum Sabaudij exemplo documentum foret; Hiſpanos nec poſſe vniuerſa, nec audere quæ vellent; & tantum auctoritatis apud liberos Italiæ Principes habere, quantum ſponte ſingulorum permitteretur.

Hęc intus forſan vera, ſatyris etiam, & compoſitis ad contumeliam fabulis vulgabantur, Traiano quodam Boccalino, magni & liberi ingenij viro auctore: qui non vno argumento Hiſpanam infirmitatem deregebat; & Italiam ad reſumendam veterem potentiam inuitabat; Æſopum æmulatus, qui ſimilibus nugis arcana dominationum, & agendorum innotuerat; ne aut ipſi deeſſet excuſatio, aut minus Patriæ faceret. Hic parum fauorabili fortunâ proiectus Venetias fuerat: vbi cum paratum virtuti receptum, & apertam libertati viam cerneret (nullo tamen Senatorum ingenium illud aut ſuſtentante aut fouente, quod dictum cum mendacio fuerat) ſub nominibus Nunciorum Parnaſſi, & Heraclij lapidis (*Auiſi di Parnaſo, Pietra di Paragone* Italè appellauerat) pleraque ſcripto complexus eſt, haud indecora, & quæ detracto velo Hiſpanam nuditatem oſtendebant. Perniciosam homini fuiſſe licentiam accepimus; creditusq; veneficio aut vi luiſſe quæ compoſuerat.

Traianus Boccalinus.

Iam per Italiam Sabaudij ſoliditas, & conſtantia propoſiti percrebuerat: vt vel

fauore

in obſequium Hiſpanũ refragari liceret. Inter parũ æquos Duci Neapolis Prorex Oſſuna (incertum an quæſita ſententia, nam generoſo animo quidam proripuiſſe putant) impatientia, & diuturnæ altercationis moleſtia, ad Regem literas miſit, quibus non cædere ſolùm, ſed & pactis Sabaudio, & Nuncio Apoſtolico dictis, accedere Regi indecorum fatebatur. Neque enim inter Regem Monarcham & infœlicem Sabaudiæ Ducem (ſic appellabat) pacta aliter quàm imperio ſuperioris nominanda. In eundem finem validas vires oſtendebat; plura peditum, aliquot equitum millia, quæ parata Inoyoſæ forent cogendo in ordinem Sabaudio, & retinendæ nominis exiſtimationi. Idem & alij monuerant; qui trahi conſilia regia, examinari imperia, negligi caritatem, iniquis animis ferebant querebantúrque. Itaque conſilij Regij voto decretum eſt, vt Rex Hiſpanus, Sabaudij vt Principis contumacis amicitiæ renunciaret: eoq; primùm Gaietanum de Ayala Oratorem Regium Taurini agentem reuocandum. Itaque illi inſtructio (ſic agendorum regulam vocant) Inoyoſæ perſcripto miſſa eſt; cuius ea ex Hiſpano idiomate ſententia fuit.

Oſſuna Dux ſcripſit Regi contra Sabaudium.

Poſtremis epiſtolis ab aulâ ad Sabaudium datis Regem imperaſſe, vt cohortes ac centurias armatorum, non ſecretis, & abditis Pedemontanæ receſſibus abderet, ſed prorſus ac verè dimitteret (ſciri enim per quos ſinus diſponi militia poſſit; vt ad manus ſit, quæ credatur diſſoluta;) promitteretq; ab offenſis in Mantuanum aq; Monferratenſes abſtinere: coram Cæſare præſumptorum iurium cauſam agitaret, cuius ea iuriſdictio eſſet: denique filiam viduam Mantuano Duci collocaret. Hic conſanguinitatis caritate, damnorum petitione, & in rebelles vindicta abſtineret: quippe Mantuani ſecuritatẽ ſibi curæ eſſe. Id omne publici boni cauſa, & nullo ſui ſtudio cupiuiſſe; cui tot literis, Oratoribus, expẽſis plures iam menſes laborauerit. Cæterùm Sabaudium reſpondiſſe, ſi eodem tempore Hiſpanus arma depoſuiſſet, non auerſaturum conditiones; nec credi poſſe, eum qui ſumma promptitudine reddita prouincia obtemperauerit, futuro obſequio minus facturum. Habere tamen cauſas, quibus coniugium Mantuani ſuſpectum & parum tempori opportunum credat; quáſque decreuerit apud Regem internuncio ſpeciali miſſo proſequi: ne vanitas, & tergiuerſatio accuſetur. Dixiſſe ad hæc Regem, ſe pacis vinculo matrimonium commendaſſe, & profutura vtriq; decertantium tranquillitati. Si tamen abnuat, vt non illi, ſic nec Sabaudio vim inferre velle; dummodo ſine armis diſceptatio apud competentem Iudicem ſit, & iura partium ciuiliter tractentur. Porrò Nuncium Pontificium nulla concluſione rerum, nouas tantùm conditiones pro Sabaudio ad Mantuanum detuliſſe. Hoc ſtatu omnem negotiationem haberi: proinde ſtatim Sabaudium conueniret, & repetitis Regijs præceptis, teſtataq; illius aduerſus vtrumque litigantem caritate; ſi pronum reperiſſet; id tantùm eniteretur, ne ſpes communes cunctatione ludificaretur. Quòd ſi aduerſum deprehendiſſet, ius gentium conteſtatus, ſecurum ad ſuos reditum poſceret: neque enim apud hoſtem, & ſui Regis arbitrio iniquum, diutius ſibi agere integrum eſſe. Si metum Regij exercitus, & inania timoris prætuliſſet, ſacramento promitteret, non in ſuam perniciem ea arma, ſed Italiæ pacem eſſe comparata. Eandem fidem Cæſaris, Regis, & Pontificis, cui Hiſpanorum animi aperti ſunt, nomine offerret. Si diſſolutionem exercitus apud Regem primùm quæſiuiſſet, omninò abnueret; & niſi paruiſſet, turbatæ pacis & malorum belli vindicem illum futurum teſtaretur. Fidem quoque dicto tradito ſuæ inſtructionis exemplari roboraret; ne quam ignorationem excuſaret. Iam verò cunctationem Ducis tractamve in longum negotiationem, aut difficilem, dilatamve admiſſionem, ſignum inimici animi acciperet, ſtatímque abſcederet; & relicta epiſtola quæ traderetur, cauſam diſceſſus perſcriberet, ſéque Mortaram conueniret.

Inoyoſæ inſtructio Oratori Hiſpano apud Sabaudium miſſa.

Sauellus moram negotiationis interjicit.

Has ad Ayalam miſſas literas trigeſima Auguſti didicimus; neque tamen tantum ſecreti religio valuit, quin Sauellus in propinquo diſcordiam, & paratum in limine bellum agnoſceret. Feſtinatione opus credidit, vt occaſionem diſcordiæ præueniret. Itaque Mediolani primùm, mox Taurini apud Inoyoſam, & Sabaudium cuius adhuc compoſitioni motuum intendit, conſilio inculcato metu opportunè vſus, prout opus crediderat. Tantúmque prudentiâ valuit, vt in ſequentem menſem Hiſpani Oratoris diſceſſum moraretur. Interim ſocio Caſtilionæo Principe, quem eadem cura coquebat, mali remedium dilatione quæſitum eſt. Et illi quidam pietate ac diligentia commendati apud Hiſpanos; Inoyoſa cunctatione accuſatus; qua pro certo habebant creuiſſe Sabaudium; non eadem facilitate pacta ſecuturum, qua tenui militia forſan acceſſiſſet. Qui infœlix matrimonium (vt quidam appellabant) & tot expenſas fruſtra videns; cum non rebellibus ignoſceretur; neque Infans Maria paternâ domo ſtabili in ſententia Mantuano auelli poſſit; vnde propriæ exiſtimationis certum incrementum ſperauerat: forſan & ſpe, ſi quid bello amiſſum foret, patrui Regis in nepotes filios ſuos caritate, extra domum diu non futurum, ſtudium omne in bellum vertit, certus non ſeditioſorum Gallorum, non Heluetiorum ſubſidia aſpernari; & ſi per fortunam licuiſſet, magno auſu miſcere vniuerſa; in perniciem fortè Hiſpanorum conuulſo Mantuano ceſſura. Quia tamen inops bellum parum ſoliditatis habet, pecuniæ curâ angebatur: non quod à ſubditis vim ingentem contributione corradere non poſſet; ſed quod delaſſare ſuos, ac tributis nouis imminuere paterno amore auerſaretur.

Sabaudius apud Cæſarem de Mãtuano per literas queritur.

Interim dum in nouam expeditionem expenſas; & quibus auxiliis promptè vteretur meditatur; oblata occaſione coactus eſt, miſſa ad Imperatorem epiſtola ſuas iniurias, & præcipuè de Mantuani duritie queri; cuius ea verba erant; Initium cauſámque turbarum apud Mantuanum fuiſſe; non ſolùm quod promiſſam matri neptim negauiſſet; ſed eiuſdem matris iniuria decretum tutelæ apud Imperialem Aulam expreſſiſſet. Et licet pleriſque offenderit, pertinacius tamen quàm ratio poſcat, prouocata à ſe damna repetere, non rebellibus ignoſcere, non matri filiam concedere velle. Et quidem diſpendiorum ſummam ne contrahi poſſe; quod Monferratenſes ipſi inter publica mala, ſuo profectui ſpecie Sabaudiorum, amicorum direptioni ſtuduerint: eóque aliena malefacta ſibi imputari. Cæſares & Gallos Reges ſecuta bellum pace, vniuerſos quos contra habuerint recipere in gratiam conſueuiſſe. Potuiſſe ſe excindere omnia, & totâ prouinciâ Mantuanum exigere; ſed victorem, eorum qui nunc veniam ſuadeant, reuerentiâ, vt ſumma vi abſtinuerit, ſic dominationem ceſſiſſe. Non pari facilitate tam promptè petitum ius & dimiſſum vlli mortalium. Principibus qui ſibi, qui Mantuano fautores ſunt teſtari, per ſe non ſtetiſſe, quin pax honeſtis conditionibus motas res exiperet.

Sabaudius ſe armat & ſubditos abſentes reuocat.

Vbi vulgatum id, & Inoyoſam inſuper vrgere eandem militiæ diſſolutionem, conſcriptiſque pluribus hominum millibus bellum minitari vidit, proximos Griſones prece ac precio illexit, mox Heluetios; ad extremum Gallos; quibus ob nimium in Hiſpanos obſequium (ſiue eſſet, ſiue fingeretur) Mantuanus deſpectus erat. Deniq. ſuos, quorum multitudinem in centurias compoſuit; audẽtes &(quod optimis ductorib. regerẽtur) valituros. Sed impar neceſſitati ſubitorum numerus deprehenſus; ſiue onera illis in pace impoſita ad exteros pepulerant, ſiue priuatæ cauſæ longius à domo diſtinebant. In omnes publico edicto animaduerſum, pœnæq; indictæ, niſi certam intra diem reuertiſſent. Qui Mediolani, Genuæ, & per Monferratum agebant, decimum reditus diem acceperunt. Duplicatum tempus iis, qui Venetiis, Lugduni, & vicinis locis fuiſſent. Apud vlteriora deprehenſi, vt Vrbe, Neapoli, Gallia, quadraginta definiti: Quòd que milleſimo ſexenteſimo decimo

decimo quarto primùm edixerat, ſequenti anno repetitum; raris quibus domeſtica Pedemontis res eſſet abſentibus; paucioribus procul in pace agentibus. Nec ideo infrequentiæ ſubuentum, niſi è vicino ſupplementum quæſiuiſſet. Aſtenſis ditio frequens incolis plures offerebat; & ſponte nonnulli militiam ſequebantur; niſi ſeditioſorum aliqui Mantuam ac Monferratum ſecuritati ſuæ præferentes iniquum Sabaudij delectum aſſeruiſſent. Hos Mantuanus fouere aggreſſus eſt, vt dato Pontifici libello ſupplice, ius Romanæ Eccleſiæ & Epiſcopatus Aſtenſis (vt ferebant) à ſeruitute vindicarent.

Iurium ignoratione laborauerant qui interpellare Pontificem, & queſtus deferre auſi ſunt. Nempe neſcij, vel ſub Cæſaribus cum Aſtenſis prouincia Epiſcoparui permiſſa eſt, ſupremum ius Imperatori reſeruatum fuiſſe; quod in Sabaudium proceſſu annorum Cæſares deriuaſſent. Iure ergo ſuo vſum Sabaudium conſtat, nec detraxiſſe Epiſcopis quæ prætendebantur iura; licet ſuffocandæ inuidiæ opulentiores & ſecuriores reditus conceſſiſſet. Proinde foueri perduelles, & criminum falſorum delatores, medio in pacis negotio turpe erat. Imo iniuriæ modum ſupergredi videbatur, quod Mantuanus ea publicè legi, & tranſcribi toleraret; ſummitteretq; in Vrbem accuſatores, qui Sabaudium rebellionis Eccleſiaſticæ deferrent; quodq; Nobiles viros è Roerijs, Solaris, aliiſq; eius ditionis, fauore ſuſtentaret; quamquàm iactâ in ventos operâ, & cauſa ſuperatus. Ponere iſta propinquæ paci obicem dicebantur; & abundè offenſas ſuppetere quæ Princeps ille exequeretur; niſi nouis doloribus animus vlceraretur, geminatis iam officijs mitigatus.

His propè diebus Græcus quidem Epiſcopus, habitum ſæcularis clerici indutus, cum duobus ſacerdotibus eiuſdem inſtituti Mantuam venit; à Ioanne Demitiano conterraneo Venetiis aduocatus; cui apud Mantuanum conditione, memoria, & prompto ingenio multum auctoritatis erat. Cauſa illi itineris, & electionis quæſtus fuit: & vbi hauſtam vexatione & expenſis Principis domum; nec ſuppetere in externas erogationes pecuniam acceperunt, velut minora requireret (ſcilicet quod ſtatim vniuerſa non penderentur) cœnobium, Eccleſiam Patrio ritu, reditus decem Sacerdotibus ſuffecturos poſcebat. Mantuanus id quoque Monachorum genus in ciuitate habere deſiderauerat: Taurinum eo ſe decore ſuperaturum præſumpſerat. Et quò res maiori applauſu populi, ſimiles nouitates irridere ſoliti, exciperetur; templum primò Diuæ Barbaræ mox Andreæ ſacrificiis inſoliti Vrbi moris deſtinauit. Mox ne hymnos preceſq; recitantibus Græcis ipſe neſcius ſermonis intereſſet, ſeriò in Græcas literas intendit. Breue (vt cæterorum) laboris ſtudium fuit. Obſtitit mutabilis animus, & rei difficultas, licet ea compendio quæreretur. Curarum multitudinem impedimento fuiſſe fruſtra vulgatum; quod nulla negotiorum tractatio adeo grauis vrgere poſſet, vt cupidinibus abſtineret. Ne tamen duorum menſium operam luſiſſe diceretur, nonnulla Græca vocabula memoriæ mandauit, quæ inter epulas à Demitiano refricabantur; ipſáque non ſenſu non pronunciatione congruenti reddebat. Vulgari tamen ab homine voluit, famulato huic vanitati, Principem bimeſtri ſtudio Græcum idioma didiciſſe. Fatebatur idem Epiſcopus, & qui cùm eo venerant; nec abſtinebat Demitianus, fatendo vix ſe loqui Græce elegantius puriúſque. Et quia plurimùm ex eâ commendatione voluptatis ſumere videbant, teſtabantur idem famuli; quorum cognitioni longius ſermo ille, quàm à Mantuana ciuitate Græcia diſtabat. Nihilo tamen minus teſtimonium valebat; quod nil præterea interrogarentur. Epiſcopalia indumenta, ſacras veſtes tradita forma raptim conflari iuſſit, addidit vaſa, ac libros Venetijs aduectos, ne quid Græciam media Italia exigeret. Intereſſe ſacris volebat Amitam Ferrarienſem, cum ſorore virgine, nec minus Aulam omnem, & nobiliſſimos ciuitatis; quaſi Latinam religionem patriâ

Mantuanus cogitat de inducendo Græco Mantuam.

eliminaturus eſſet, aut Græcam vt potiorem amplexurus. Quas precum formas memoriæ mandauerat, elata voce recitabat; vt ſcilicet audiretur (quid diceret neſcius) Græco idiomate ſcientiam ementiri. Poſtremò ſtatuendæ Eccleſiæ Græcæ cura ſubiit; vt arcano, ſacrario, cellis (quod illi ritui moris) à Latinis diſtinguerentur. Sed occupauerant vrbis ſitum fabricæ ac Monachorum Monialiúmque cœnobia; eorúmque multitudine ſupra vires laborabant. Diutius hic diſputatum tandémque ſuburbanum Diui Gregorij electum, in quo plurium ciuium horti futuræ fabricæ deſtinati. Sed cum illi niſi accepto prædiorum pretio cedere poſſeſſione vellent, & Principis fidem intutam crederent; & iam plus ſatis Mantuanus græciſſaſſet, Monachi diſcedere iuſſi ſunt, reiecta in tempus aliud deliberatione. Id mirum dictu qua indignatione Græcos defixerit; & Demitianus ante alios, opinione potentiæ deiectus, Mantuani ſeruitutem proieciſſet, niſi illum familiaris inopia retinuiſſet; & ſpes ingentes quas Româ renitens ſuo ingenio, Principis promiſſis conceperat. Aſtenſes ſeditioſi in Sabaudium, cum Romam veniſſent, & apud Pontificem, vt ille cenſuris eccleſiaſticis in ordinem reduceretur, querelis egiſſent; inanes ſpes ſuas, & Mantuani aduerſus eum Principem odium vanum deprehendere: ſiue magnitudo eius carpi non poſſet, ſiue creditus fuerit bono iure vti: nec enim iis licet inſtantibus, & aſſiduè Mantuani internuncio collocutis aliquid in ea cauſa profeciſſe didicimus.

Continuæ interim ab Vrbe literæ Sauellum vrgebant, vt reſumpto pacis negotio Inoyoſam maximè fatigaret; quod in eo pax & bellum præſumptâ Hiſpanâ magnitudine videretur. Difficiliorem tamen concordiam, quantacunque virium additio in Sabaudio reddebat; eo ſemper duriori, quo maiorem in armis ſpem poſuerat. Neque tamen aucto vndique labori Sauellus pepercit; ſed cum Inoyoſæ faſtum, Sabaudij iras, Mantuani intempeſtiuam conſtantiam quereretur, conſilio preces, ſpei comminationes miſcebat. Non enim Pontifex mandatis temperabat; vt communi conſenſu, prius quàm bello æmuli decernerent, pax ſanciretur. Inter impedimenta pacis illud quoque numerabatur; quòd Orator Gallus Regem ſuum arbitrum contentionis adſciſceret; Caſtilionæus verò curam ſibi omnem poſceret, titulo Commiſſarij Cęſarei. Excludi quin etiam ab vtroque Sauellum voluiſſe, non vano relatu didicimus; & inſcio Oratore Gallo Hiſpanum pacta firmare voluiſſe; licet id apertè non poſſet. Ita dum quiſque ſui Principis decus præfert, commune bonum morabatur. Credebant etiam aliqui Inoyoſam cupitis moram interieciſſe; quòd maieſtatis intempeſtiuus ſectator, tum maximè imperio agere cum Sabaudio cogitaret; cum prudentiores, opportuniores tum preces eſſe contenderet. Nec Mantuanus præter induratum contra rebelles animum lamentationum & literarum quibus Sabaudium offendebat nimius, concordiam promouebat. Cum enim in Vrbem miſiſſet literas expoſtulationum refertiſſimas, ea de vidua relicta addidit, quæ credi poterant Sabaudij indignationem concitatura. Continebant inter cætera, viduam marito ac filio deſtitutam, procul à filia, apud patrem ſecreto odio, aut modica gratia agere; neque enim defuiſſe delatores, perditiſſima Aulæ purgamenta, qui admonitum ab ea Marchionem Rubeum paternę inuaſionis; teſtatum apud patruum Regem ſummo ſe in honore habitam; denique Mantuani cauſam apud Imperatoriam ſororem ſuſtentaſſe diceret. Equidem infœliciſſimę iuueni vulgato iam patris arcano innotuiſſe, non eos motus caritate neptis cœpiſſe, neque in filiam pietate, ſed vt eo pretextu veterem cupidinem expleret, Monferrato per vim potiretur, vt aduerſus Mantuanum, iuuenem, inexpertum, inermem valeſceret. Id illam flagitium auerſatam fuiſſe; nec inter fratres ac ſorores fateri deſtitiſſe, inutilem laborem à parente ſumi, & cauſam iniquam proſequi.

Mantuani in Vrbem cōtra Mantuanum.

Hoc ipſum familiari ſermone diſſeminatum, domum omnem in partes diſtraxiſſe

xiſſe: vt iam non ſecretis colloquiis ſed apertè multi meliorem diſſentirent. Iſidorum nomine honeſto auctorem conſultorémque malorum, & eorum quæ ſibi inuidendam fortunam ſtruerent approbatorem, cum relicta vidua Iuone ſene Ieſuita quem plures annos Mantuæ à ſacris confeſſionibus miniſtrum habuerat, ſeponi conſuluiſſe: Infringi enim ſpes ſuas, ſi filia apud patrem præualuiſſet. Hunc deteſtando conſilio Sabaudium aggreſſum; obieciſſe ſuſpitiones, & primum auerſi à patre animi filiam accuſare auſum. Auellendos docuiſſe qui pernicioſis præceptis infirmum viduæ animum ſpe inani ſuſtuliſſent: quique noui matrimonij blanditiis, patrem ac filiam veluti in mutuum certamen commiſiſſent. Addidiſſe quoque vetus iam, & quod conſenſu receptum ſit, eſſe; neſcire Ieſuitas rerum adminiſtratione abſtinere; fœminarum quoque fauore Reipublicæ adrepere. Proinde pellendum hominem, & tamquam Mantuano affectu corruptum, procul à filia habendum: ſufficere ſe, aut quem alium pater delegiſſet in eam curam. Nec mirum his artibus vti Iſidorum, quòd ferè cæterorum criminatores, id in abſentium criminationem proferunt, quo ipſi maximè delinquunt. Iuonem certè innocentis ſimplicitatis eſſe; ſed Iſidorum pernicioſa calliditate: tantúmque illum tractandæ rerum curæ imparem eſſe; quantum hic efficacius Italiæ excidium, authoritate, quæ apud Ducem erat, acceleraret. Illud certè mali moris etiam infenſis viſum, quòd ſenex criminationum ignarus, inculpatæ vitæ; quique Taurinum nòn ſponte, ſed iuſſus venerit, imperio Bernabitæ abſtraheretur.

Pudendæ ea literæ in Vrbe viſæ ſunt; & qui Pontifici obtulit, monito auctior regreſſus eſt; ſcilicet vt Mantuano ſcriberet, Iuonis ac Iſidori cauſam cognitionis non egere; patris ac filiæ caritatem interpretamentis malè diſtrahi, quietis & ſilentij ſtudium vtilius Mantuano futurum. Sed ante alia literis eius argumenti abſtinere debere. Hæc illi obnoxium Sabaudio animum potius, quam ſtudioſum quietis probarunt. Cæterùm placuiſſe Sabaudio mutationem non odio Ieſuitæ ſcimus; ſed rebus ſuis haud quaquam conducere crediſſe, ſi miniſtro ab hoſte impoſito familiariter vteretur. Non aliud prolocutum Iuonem accepimus quàm libenter iis locis exceſſurum, vbi videat ſtrepitu armorum, ſtudia ſua ac inſtitutum interrumpi. Viduam tamen ſui diſceſſus admonuit. Illa paternum imperium cum ratione interpretata; nec deſpectum ſui in patente credidit, & præſagium exitij Monferratenſis accepit; quaſi noua vexationum moles immineret; poſtquam facilitate non mouiſſet, & vim eius hoſtes experiri maluiſſent. Cum adhuc Mantuæ futurorum incerta, & an manendum redeundumve illi ad patrem eſſet, anceps conſilij neſciret, monitam à miniſtro Mantuani didici; ne ſe patri permitteret; quem ira & cupido agitabant: Miſerrimam enim vitam, inter deſpectum ſuorum, & infenſos fratres ac ſorores, clauſam domi totum æuum toleraturam. Illam tamen riſiſſe vanos monitus pietate parentis reuerenter antehabitâ, & optimâ apud omnes famâ. Proceſſu temporis vniuerſa hæc Sabaudius didicit; & quamquam vlciſci liceret tolerans; prudenter ſe tamen aduerſus ſuſpiciones geſſit, ne ſecordiæ accuſaretur.

Iuo Ieſuita à ſeruitute viduæ amouetur.

Cum Vidua Mantuâ in patriam rediret, nobiles à cubiculo puellas quas habebat ſecum duxit. Ea occaſione ſecuti etiam nonnulli famuli, diúque manſere. Siue non curauerat obſeruatores Sabaudius, ſiue ea cogitatio animo non inſederat; frequentes Mantuanorum literæ vltro citróque meabant; quibus ſecretum odium nationum continebatur. Aduertit tandem Dux intutos domi hoſtes, & infidam diſſimilium ſocietatem, ſtatuitque ſuſpicione Aulam, ſeſe periculo liberare. Itaque abſens licet, miſſis ad Principem Pedemontanum filium literis, imperauit; vt nobiles illæ puellæ, miniſterio filiæ Mantua deductæ

ſtatim amouerentur, & ad ſuos dimitterentur; ſi quæ conterraneæ fuiſſent, ſolito in ſeruitio manerent.

Medius September erat, cùm luctui ſuo merſa Vidua, & alto ſecreto abdita agebat, non alio ferè mœroris ſui leuamento per vices vſa, quàm illarum virginum colloquio; vt doloris recordatio aut falleret, aut miteſceret. Et ſolatium quidem non leue erat; quod ſingularum fidèm longâ conſuetudine perſpectam haberet; nec familiaritas eliminaretur, quæ inter puellas honeſta, creditur ſecretum continuum oblectare. Has inter (ſolatium in luctu erat) defuncti coniugis amatum nomen, mutuam caritatem, Regiam iuuenis indolem, Mantuæ vrbis ſitum, ornatum, delitias; multo fletu; mox Infantis filij obitum, minori quamquàm affectu, dolore tamen altè fixo; ad extremum filiam vnicam & complexi ſuo abſtractam, vnicum maternæ calamitatis leuamen lamentabatur. Contra illæ (quando ſermonis licentia erat) poſtquàm aſſenſu miſerias proſecutæ fuerant; diſcordias, bellum, iras; (ſexui ſemper inuiſa) deteſtabantur. Proiectæ verò Dominæ ſpem componendarum diſcordiarum, & recipiendæ filiæ obtrudebant; ſi apud genus humanum ius pietáſque Hiſpani Regis patrui valuiſſent: ſiue coniugium nouum parens, ſiue cum ſatisfactione & ſine nuptijs pacem parens voluiſſet. Hoc argumentum ſermonum erat: cum interim totos dies indiuiduæ, fœmininilibus operibus, & quæſito ſtudio, excludere pro virili mœſtitiam Dominæ nitorentur, tempuſque quod memoriam refricabat, fallere. Matronas Taurinenſes niſi per longa interualla viſendi ſtudio ſeſe exhibuiſſe vulgatum fuerat. Tamquam illæ Sabaudij indignationem, loquendi licentiam metuerent. Quod enim ſponte inter paucos ſuppreſſeris, communione & occaſione nonnunquam exprimuntur. Sed Viduæ miniſterio deſtinatæ, aſſiduè penſum diurnæ operæ exigebant; flectebántq; eodem ſtudio ſolandi nonnumquam in fabulas, ne lachrymarum occaſio perennis eſſet.

Decimâ Decembris ſub meridiem Pedemontanus vt ſororem inuiſeret, miſſus eſt: ſolitus aliàs diſcutere genitus; & humentibus ipſe oculis ſæpè defungi munere ſolandi. Paulùm ſolito officio immoratus eſt, ne inopinatè aſperitate mali perſtringeret: tum ad ea verſus quorum causâ miſſus fuerat, Iuum Ieſuitam diſceſſiſſe retulit; orauitq; ſororem, ne parentis voluntati effuſo mœrore aduerſa, indignationem prouocaret. Illa paruiſſe ſe; neque quo Sacerdote ad ſacras Confeſſiones vteretur diſtinguere reſpondit. Religionem, ſenium, doctrinam; & ante alia bonam viri famam prætuliſſe. Tum Pedemontanus, idem illi in fœminarum familia agendum dixit; quod nobiles puellas, cæteráſque Mantuani ſtudio infectas, Pater illico dimitti iubeat: ijs tantùm retentis, quæ ortu & educatione ſubditæ cenſerentur. Neque moram imperio interponendam; ſed pari firmitudine animi, continuandam obedientiam. Ad Nuncium infœlicis miſſionis, adeo perſtrictam dolore Viduam accepimus, vt niſi vicinus paries ſubſidio labanti præbuiſſet, ſtatim ad fratris pedes laberetur. Mox collecto, manibus ad ſinum complicatis, ductoq; altè ſpiritu, id tantùm prolocuta dicitur, ô Domine Pater. Diſceſſit cubiculo Pedemontanus; ne præſentia virtutem retineret, quæ iugulabat. Sed vbi victâ conſtantiâ locum dolori fecit, & ſoluto naturæ debito lamentationem excluſit, ſingulas appellauit, paternæ voluntatis neceſſitatem docuit; & in proximum diſceſſum, vnamquamque ſarcinas colligere iuſſit. Illæ quod minus prudentiæ ſubeſſet, & liberius queri poſſent, fletibus domum omnem compleuerunt, fortunæ propriæ ingemiſcentes; quaſi in perfidiæ pœnam reijcerentur. Eâ causâ non ſecreto, non publico abſtinebant; vt agnitam ab imbelli ſexu vim iniuriæ fuiſſe (ſic illæ appellabant) Sabaudius exciperet. Sed illi cum altiſſimas decreti ſui cauſas examinaſſet, incidendo dolori induci feſtinationem imperauit. Vbi deſtinatus itineri dies affuit; longo ordine ſingulæ & lachrymantes ab aman-

Sabaudius dimitti nobiles publicè imperat quæ Vidua ſeruiebant.

amantiſſimâ Dominâ abductæ, & naui ad id paratæ impoſitæ ſunt; dato Comite Antonio Balbiano, qui in Pedemontis ac Monferrati fines illas paternâ cuſtodiâ deduceret. Sed illæ obuium Comitem Aloiſium Montecuculum Ferrarienſem à Principe Vincentio Mantuani fratre miſſum habuerunt; ne nobiliſſimus numerus impare generi comitatu reuerteretur. Earum nomina erant Elenora Villa, Octauia Pedoca, Eleonora Triſſina, Paula Scarampa, Iſabella Andreatia, Eleonora Caſtiliona, Camilla Faà.

P. Vincētius obuiam, ... mittit Comitem Montecuculum.

Antequam Taurino diſcederent, ne ob malos mores aut nomine perfidiæ dimiſſæ crederentur, reliquere ad Sabaudium literas; quibus fatebantur imperio eius quod filius Princeps deruliſſet, depulſas ſe miniſterio Viduæ Dominæ, cui fidem & honeſtatem morum aliquot annos approbauiſſent. Id tantùm ſciri ac credi cupere. Proinde quemadmodum duraturo in omnem vitam dolore ſeſe expoſitas ſciant; ſic ad præſens lætari, quod eius deſiderio feſtinarâ executione ſatiſfeciſſent. Precari interim proſpera omnia communi voto. Aſperum id Taurinenſibus primo viſum, vt qui apud Dominas, pietatis, munificentiæ, Regij animi tantùm monumenta viderant. Qui tamen ſingula exactius æſtimarunt, poſſe ac debuiſſe illum eo ſe incommodo expedire agnouerunt. Quippe compertum exploratorum diligentiâ fuerat, frequentibus earum Virginum literis, Mantuam & ad Monferratenſes datis, aperiri conſilia domus, & admoneri agendorum Mantuanum potuiſſe. Celeritate ſummâ ſcriptum illi fuerat, pellendas nobiles puellas domo Sabaudij; eaſque Caſalenſes futuri incertas rectâ profecturas; vt ibi Principis ſui imperium opperirentur, cuius domui primos ætatis annos honeſtiſſimo famulatu impenderant. Mantuanus non diu æſtimatâ re, tamquam raro comitatis exemplo famam proferret, reſponderat, velle vniuerſas Mantuam reuerti; vbi eodem honore haberi illas decreuerit; donec eius quam coniugio accepturus foret muneri reſtituerentur. Quas ſemel domus ſua in tutelam & domeſticam curam aduocauerat, in extremum ſuſtentatas cupere. Credebant aliqui id illum Viduæ gratiæ dediſſe, cui reddere virgines deſtinaret, quandocunque ſibi nouo matrimonio iungeretur. Sed inania hæc & vana, nos qui indiuidui cogitationes eius didicimus, vertiſſe in gloriam pietatem ſcimus; vt vincere liberalitate Sabaudium videretur. Illud quoque pro comperto habemus, donec concordiæ ſpes affulſit; & creditum fuit poſſe honeſtis conditionibus coniugium Viduæ repeti, famulatum Viduæ filiæ immutare Sabaudium noluiſſe: ſed vbi negotiationem omnem arma ſpectare vidit, nec paratæ ſatisfactionis inditia præferre Mantuanum; & nexu omni, & ſuſpicionibus liberare ſe voluiſſe.

Mantuanus ea. Mantuā deduci iubet.

Vbi per Italiam vulgatum eſt, tot nobiles puellas vocari Mantuam, vt in Aula, vxoris Regiæ vacuâ, haberentur; vniuerſi obſtrepuêre: famæ iacturam alius, alius incuſtoditam licētiam metuebat: Principem iuuenem obſeruatore nullo, eodem tecto vſum, parum ſecuritatis promittere. Et debuiſſe Parentes virginum occurrere, & ſuas quemque in domos reducere. Amitam quoque Ferrarienſem, non omnino conſilium probaſſe ciues fatebantur; quod affine vero credimus; non magis honeſtatis ſingularum ſolicitudine (quæ haud dubiè in tuto erat) quam metu; ne qualicumque eo pignore Vidua Mantuam reuocaretur. Querelas in ſolido hæſiſſe tempus docuit; & ſatis magnam exitij partem eâ in deliberatione fuiſſe. Quamquam impollutâ pudicitiâ, & dignâ natalibus ſanctimonia egerint. Cæterùm illæ Mantuam deuectæ ſolito loco reſtitutæ, & iis matronis in curam datæ, quibus ante bellum vtebantur. Equidem dictu mirum eſt, quàm frequentibus ſermonibus, id apud vrbem tractaretur; vbi non praua, non honeſta ſuperficie tenus, ſed profundâ indagine examinantur. Potuiſſe laudari Mantuani munificentiam, ſi vniuerſas in nuptum pecunia iuuiſſet, ſi conſanguineis reſtitutas, nobilibus ſponſis collocaſſet; ſi nondum maritatas Mantuanus vxore

Digitized by Google

ducta, ſolitum ad miniſterium reuocaſſet. Non quidquid liberalitatem ſapiat, à Principe ſtatim aut ſubditus amplectandum. Rem anxiam & detractionibus obnoxiam in virgine domeſtica eſſe pudicitiam; violari pudorem opinione, detrahi candorem honeſtatis quacumque ſpecie. Famam quidem falſam, eſſe vocem corporis nudam, nihilominus inuenire aures quæ audiant, & in otioſorum animos inducant. Et quamuis illæ honeſtiſſimè acturæ ſcirentur, maritos tamen ægrè reperturas, quibus honoris cura ſubſit; qui ſolâ interdum opinione nitatur. Cum res ſimilibus diſputationibus exercetur, iam virgines Mantuam venerant: fatali vt diximus malo domus; ne alicuius in tot mediis culpa non eſſet. Ferrarienſis vidua, non fugâ moleſtiæ potius, quàm auerſione illarum curam reſpuit creditque inutilem Infanti Mariæ maternum comitatum; & ſuſpicionibus obnoxium.

Sabaudius famulos Hiſpanos pellit. Initio Ianuarij Mediolanum delatũ eſt, omnes quotquot Hiſpani generis apud ſe ac filios miniſterio attinebantur, Sabaudium domo exegiſſe. Et quidem ſuberat cuexſatio; quod iam Orator Hiſpanus, petitâ veniâ Taurino diſceſſerat, & redierat Mediolanum. Præuenerat haud dubiè certam Ducis voluntatem; qui hoſtium internuncios domi habere nolebat; imo vel obſtinatius ſubſiſtentem abegiſſet. Mediolanenſes & Mantuanus præcipuè Sabaudij aduerſus præpotentes audaciam mirabantur: præcipuè quod apud Regẽ Filibertus Princeps filius hõneſtiſſimo loco haberetur; eoq; parentis reuerentiam & gratitudinẽ putaretur expreſſurus. Sed vtriuſq; diſpar animus. Et iam Sabaudius vires ſuas æſtimauerat: nec vllâ filiorum ſolicitudine angebantur, ſi vel minimo dignitatis maieſtatẽ foret violaturus. Imo & victoriæ ſpem conceperat, tot auxiliis ambitus, & nominis Hiſpani odio procurrẽntibus Gallis Heluetiiſq;. Comminationes certè Hiſpani Oratores deſpexerant: cum enim ille Regis ſui imperiũ, & miſſionem exercitus denunciaſſet; nec Ducem deſiderio paratum deprehẽdiſſet; vt ſibi iure gentium vti, & liberè Mortaram ad Inoyoſam pergere liceret, orauerat. Addidit quoq; in maieſtatẽ regiam; & aduerſus filios caritatẽ plura; vt acerũum beneficiorum improperaret, peruicaciamq; propoſiti confunderet. Ad ea Dux reſponderat, hoſtis Oratorem bene ſe dimittere; proinde moneret Inoyoſam ac ſuos, promptè recipi, tardè odia obliterari. Daturum ſe operam ne minus alienę opinioni reſponderet, quãdo nullo genere obſequij, non ſanguinis vinculo; aut fidem ſuorum promereri, aut caritatem potuerit. Nec pluribus: cœptum enim ſermonem trahere paratem, medio in conatu deſtituit, negligenti ſimilis, aut exacturo, niſi ſponte ac ſtatim dilaberetur. Ille quo celerior diſceſſus foret, omiſſâ Taurini coniuge abiit; quam paucos poſt dies ſubſequi ſe imperauerat. Sed dum illa ſupellectilem nauibus imponit, dũ ſarcinas colligit, vt feſtinatè elaberetur, creditores mariti affuêre & ne res familiaris aſportaretur, Prætoris decreto prohibuêre. Iis inſalutatis Hiſpanus abierat; qui niſi retenſione ſupellectilem morati forent, periculum erat, ne haud quaquam rediturus malè æs alienum diſſolueret. Côiux factum hoc iniuriæ titulo apud Ducem quæſta, obtinuit vt abire liceret; nec abſente eius marito bona domus ad haſtam vænirent. Quamquam inimici exiſtimationem eâ notâ ſuggillare Sabaudius voluiſſe dicerent; cum tamen de ſuo creditoribus raſa fœlicitate cauerit. Qui aggerere in eum Principem probra ſatagebant, teſtari ſolemni mendacio auſi ſunt, volente ac iubente Sabaudio eam ignominiam Oratori inuſtam: non vt retineret abeuntem; ſe vt fide ſua illius ſponſionem roboraret: quaſi in hoſtem quoque beneficio non temperaret.

Vbi res ſuas Oratoris vxor præmiſit, non ſine muneribus à Sabaudio dimiſſa eſt; vt ſciretur nec immitem in vindicta illum; nec auerſaturum Hiſpanam concordiam, ſi iurium ſuorum ac dignitatis rationem haberi cognouiſſet. Quamuis vbi ſcribendi licentia percrebuit, eo maximè apud Hiſpanos fuerit accuſatus quo præci-

præcipuè de bonâ opinione generis humani meruerat. Sed ſcribentium mendacia effrons petulantia corrigeretur, ſi ſibi ipſis in talionis pœnam, linguam dentibus morderent. Quò ille pluribus argumentis modeſtiam ac reuerentiam regiam teſtabatur, eò res ac conſilia Hiſpanorum certius in bellum flectebant. Videbantur dicto factoq; oppignorati in hoſtilitatem, & vindictam ſpretæ maieſtatis. Inſigne quoq; Aurei Velleris remiſſum Inoyoſæ accepimus, documento renunciatę amicitiæ, idq; Regis iuſſu, miſerâ comparatione Marchioni Eſtenſi datum. Et fortè eo ſe onere leuare Sabaudius geſtiebat; ſiue hoſtilia arma ferre abnueret; ſiue vulgata in minores dignitas minus iam Principis ſplendoris habere videretur.

Sabaudius remittit Hiſpano Velleꝰ aureum.

Creſcebat Sabaudius milite; & ſociorum literis monebatur, plures ſibi indies affuturos: quod Pedemontani ſubditi proſpicientes, voluntariam erogationem in capita receperunt. Neque Sabaudius quidquid, aut ſuorum pietas offerebat, aut neceſſitas perſuadebat illico admittebat; modeſtam collationem, ſuorum amorem retinere nouerat; maximè vbi egentes, viduæ, pupilli, religioſi viri excipiebantur. Multum auri eo ſtudio amoris collatum; quòd ingens prouincia, numero populorum, & opibus ſextuplo cenſeretur maior Monferrato. Vbi Pedemontana omnis cohortibus ac centurijs ſtrepere viſa; & qui venerant in iuſti exercitus formam componi poſſe, teſtandæ ſuis pietati, & quàm honeſta præciperet, vulgato edicto licentiam militarem primùm coercuit, adeo arctis legibus, vt vix intra Monachorum clauſtra modeſtius agi poſſet. In Deum ac Diuos iniuriæ, templorũ direptiones, rixæ, ſeditiones, peculatus, impudicitia, neglectus ducum, quæq; militarẽ diſciplinã corrũpunt, additis ingentib. pœnis prohibuit: vt nemini cordato dubium eſſe potuerit, iuſtiſſima ea arma eſſe, quæ tam honeſtis inſtitutis iungerentur. Animaduerti in violatores imperauit; nec quod proceſſu temporis, & ſummâ in confuſione rerum bellicove tumultu, interdum ſcelera audita ſint, rectum Ducis animum doli arguunt; gnaris rei militaris peritis, nullam adeo in bello arctam regulæ cuſtodiam eſſe, quæ incongrua & iniqua aliqua non admittat.

A ſuis pecuniâ iuuatur.

Sabaudius edicto coercet militarẽ licentiam.

Venetus Senatus, cui ante omnes, libertas Italiæ ac quies, conſiliorum omnium argumentum eſt; vbi defeciſſe Hiſpanos à Sabaudio; & negotiationem cõcordiæ, in iniurias & oppreſſionem vertiſſe cognouit, iuuandum Sabaudium pecuniâ decreuit; ſtrenuum Principem & reddendæ operæ paratum ratus. Manifeſtæ ſubſidij cauſę, & Reipublicæ quoq; commoda proſpicientes ſuberant; quas & nouerat Sabaudius, & Hiſpani timuerant. Non enim amplius cum Mantuano Duce pręlium eſſe, nec de Monferrati poſſeſſione certati. Illam cuiuſcunq; victoris prędam fore nouerant; ſed Hiſpanos vbi in Pedemõtanis præualuiſſent, vniuerſam Italiam ſub iugum acturos; & ante alia Venetorũ per Lõgobardiam vrbes antiquis prætextib. decantatas. Vix crediderat Sabaudius pulſum à ſe Taurino Oratorem Venetum, viam aliquam reconciliationi reliquiſſe; ſed nõ minori occaſione quàm Dux ipſe vrgebantur, ne opprimi magnum Principem paterentur. Leuem quoq; pecuniæ iacturam reputabant, quoties miles tranſmittendus non foret, ſcirentq; Sabaudio vim ingentem hominum ſuppetere, magnis prouincijs imperanti, & fortiſſimis vicinis fœdere illigato. Ex dignitate Reipublicæ creditum, ſi prior Sabaudius ſuas neceſſitates expoſuiſſet; nec ante tamen ille fateri voluit, quàm certior per literas factus eſt, deferendas illius preces Patres amicè excepturos. Veruenſis ea cura dicebatur, qui prudentiâ notus, adeo colligatas Sabaudij & Venetorum neceſſitates, & communia vtrique diſcrimina epiſtolis complexus eſt, vt certiſſima protuliſſe videretur. Galli animos addebant, quos eædem cauſæ, pares ſuſpiciones ſtimulabant. Nihil hic Mantuani iniuriâ properabatur; & ſpectatorem alieni conflictus agere potuiſſet, niſi magno ſe diſcrimini inſerere, impar obeundi voluiſſet. Itaque à Venetis certum auri pondus in menſes ſingulos definitum eſt, quo Sabaudius iuuaretur; ſi Hiſpani libero Principi vim

præcipuè de bonâ opinione generis humani meruerat. Sed ſcribentium mendacia effrons petulantia corrigeretur, ſi ſibi ipſis in talionis pœnam, linguam dentibus morderent. Quò ille pluribus argumentis modeſtiam ac reuerentiam regiam teſtabatur, eò res ac conſilia Hiſpanorum certius in bellum flectebant. Videbantur dicto factoq; oppignorati in hoſtilitatem, & vindictam ſpretæ maieſtatis. Inſigne quoq; Aurei Velleris remiſſum Inoyoſæ accepimus, documento renunciatę amicitiæ, idq; Regis iuſſu, miſerâ comparatione Marchioni Eſtenſi datum. Et fortè eo ſe onere leuare Sabaudius geſtiebat; ſiue hoſtilia arma ferre abnueret; ſiue vulgata in minores dignitas minus iam Principis ſplendoris habere videretur. *Sabaudius remittit Hiſpano Velleris aureum.*

Creſcebat Sabaudius milite; & ſociorum literis monebatur, plures ſibi indies affuturos: quod Pedemontani ſubditi proſpicientes, voluntariam erogationem in capita receperunt. Neque Sabaudius quidquid, aut ſuorum pietas offerebat, aut neceſſitas perſuadebat illico admittebat; modeſtam collationem, ſuorum amorem retinere nouerat; maximè vbi egentes, viduæ, pupilli, religioſi viri excipiebantur. Multum auri eo ſtudio amoris collatum; quòd ingens prouincia, numero populorum, & opibus ſextuplo cenſeretur maior Monferrato. Vbi Pedemontana omnis cohortibus ac centurijs ſtrepere viſa; & qui venerant in iuſti exercitus formam componi poſſe, teſtandæ ſuis pietati, & quàm honeſta præciperet, vulgato edicto licentiam militarem primùm coërcuit, adeo arctis legibus, vt vix intra Monachorum clauſtra modeſtius agi poſſet. In Deum ac Diuos iniuriæ, templorũ direptiones, rixæ, ſeditiones, peculatus, impudicitia, neglectus ducũm, quæq; militarẽ diſciplinã corrũpunt, additis ingentib. pœnis prohibuit: vt nemini cordato dubium eſſe potuerit, iuſtiſſima ea arma eſſe, quæ tam honeſtis inſtitutis iungerentur. Animaduerti in violatores imperauit; nec quod proceſſu temporis, & ſummâ in confuſione rerum bellicovè tumultu, interdum ſcelera audita ſiut, rectum Ducis animum doli arguunt; gnaris rei militaris peritis, nullam adeo in bello arctam regulæ cuſtodiam eſſe, quæ incongrua & iniqua aliqua non admittat. *A ſuis pecuniæ inuenitur.* *Sabaudius edicto coërcet militarẽ licentiam*

Venetus Senatus, cui ante omnes, libertas Italiæ ac quies, conſiliorum omnium argumentum eſt; vbi defeciſſe Hiſpanos à Sabaudio; & negotiationem cõcordiæ, in iniurias & oppreſſionem vertiſſe cognouit, iuuandum Sabaudium pecuniâ decreuit; ſtrenuum Principem & reddendæ operæ paratum ratus. Manifeſtæ ſubſidij cauſę, & Reipublicæ quoq; commoda proſpicientes ſuberant; quas & nouerat Sabaudius, & Hiſpani timuerant. Non enim amplius cum Mantuano Duce prælium eſſe, nec de Monferrati poſſeſſione certati. Illam cuiuſcunq; victoris prędam fore nouerant; ſed Hiſpanos vbi in Pedemõtanis præualuiſſent, vniuerſam Italiam ſub iugum acturos; & ante alia Venetorũ per Lõgobardiam vrbes antiquis prætextib. decantatas. Vix crediderat Sabaudius pulſum à ſe Taurino Oratorem Venetum, viam aliquam reconciliationi reliquiſſe; ſed nõ minori occaſione quàm Dux ipſe vrgebantur, ne opprimi magnum Principem paterentur. Leuem quoq; pecuniæ iacturam reputabant; quoties miles tranſmittendus non foret, ſcirentq; Sabaudio vim ingentem hominum ſuppetere, magnis prouincijs imperanti, & fortiſſimis vicinis fœdere illigato. Ex dignitate Reipublicæ creditum, ſi prior Sabaudius ſuas neceſſitates expoſuiſſet; nec ante tamen ille fateri voluit, quàm certior per literas factus eſt, deferendas illius preces Patres amicè excepturos. Verruenſis ea cura dicebatur, qui prudentiâ notus, adeo colligatas Sabaudij & Venetorum neceſſitates, & communia vtrique diſcrimina epiſtolis complexus eſt, vt certiſſima protuliſſe videretur. Galli animos addebant, quos eædem cauſæ, pares ſuſpiciones ſtimulabant. Nihil hîc Mantuani iniuriâ properabatur; & ſpectatorem alieni conflictus agere potuiſſet, niſi magno ſe diſcrimini inſerere, impar obeundi voluiſſet. Itaque à Venetis certum auri pondus in menſes ſingulos definitum eſt, quo Sabaudius iuuaretur; ſi Hiſpani libero Principi vim

Digitized by Google

intuliſſent. Dedere quoque documentum quo publicè fides teſtaretur; nam, vt diximus exceptum voluêre Mantuanum nec inter hoſtes recipi; ſi pro quiete ac poſſeſſione ſuâ nixus hoſtilium armorum communione abſtinuiſſet. Idem quoque ſubſidium illi pandi durante bello placuit; vt nullâ Hiſpanorum ope ſeruare ſua, & tueri fines poſſet. Id præcipuè Mantuanam rem afflixit: cum enim permiſſo ſemel arbitrio ac tutelâ ſui Hiſpanis, ſaluâ exiſtimatione proſpicere à longè alienas turbas poſſet; pars cladis eſſe maluit, profeſſus ſe pro Hiſpanis depugnare velle: & Galli hactenus in eius ſecuritatem ſemper intenti, quem eximere periculo ſileſtem poterant, eâdem quâ Hiſpanos vi inſecuti ſunt perdiderúntque.

Venetorum diſpar conditio fuit; plures enim illos abſtinère auxilio Sabaudij voluerant; credentes arma Hiſpana ad frangendam tantum Sabaudij pertinaciam comparata. Id Regem literis ac promiſſis Cæſari Pontificiq; denunciaſſe; & meruiſſe tanti Principis teſtimonium totam fidem dicebant; in quo nunquam alieni cupido viſa foret, nec ſpectatâ aduerſus minores ira. Inconſultè procurrere Senatum dicebant; vt & ſuo & alieno hauriretur, & in diſcrimen non continentis ſolùm, ſed & Adriatici poſſeſſionem miſiſſe: dum in Vſcoccos & Auſtriacos Dominos ſumptâ intempeſtiuâ expeditione, & domeſticos theſauros abſumebant, & expenſis ac laboribus ſubditos tenuabant. Si quid Oſſunæ Dux, Prorex Neapolitanus; quiq; mox rebus Gubernatores impoſiti, moliti aduerſus forent, non illationem belli, ſed odij & iniuriæ propulſationem futuram. Alij anxiam dominationem, & Auſtriacos prætextus excuſabant, cœptantibus motibus in procliuî remedium eſſe: vbi partes hoſtiles præualuiſſent, leges conſortibus ac victis dare, eius eſſe qui viciſſet. Cum hæc varijs vtrinque rationibus diſceptarentur, Veneti ſemel placitis intenti, tueri ſe libertatem Itali Principis faſſi ſunt; nec quid aduerſus Hiſpanos nouare; ſi vti iure ſuo Sabaudium, apud illos noxam non habuiſſet. Offenſionis nihilominus argumentum Rex accepit; quaſi nec eius pietas fidem inueniſſet; & contumacem, paciq; Italiæ aduerſum fouerent.

Regium in Hiſpaniâ conſilium, audita Sabaudij contumacia, & quo molimine *Hiſpanus Inoyoſæ bellum mãdat.* tot populorum acceſſione bellum pararet, Inoyoſæ per literas ſignificauit, vt aucto militiæ numero aduerſus imminentem vim ſe muniret; ſtabili tamen decreto; quodq; honori Regio ferè exitium tulit pacem præferre; & obſequenti Sabaudio reconciliationis poteſtatem relinquere. Ea negotiatio irritum laborem continebat: nec enim niſi incluſo Mantuano prompta aut duratura credebatur. Diſcordante quippe Sabaudio, & à Mantuano honeſtam ſatisfactionem requirente, turbari omnia opus erat, & nouas præliorum cauſas emergere. Hinc infœlix illud Viduæ matrimonium retractum aut reiectum, prout rationes voluerant, fuerat: & non Caſtilionæo ſolùm, ſed & Sauello Nuncio promouentibus, an legibus vllis ſanciri poſſet diſputatum. Ille componi ante quæ præſcripſerat volebat; hic iniquitatem aſperitatemq; conditionum; etiam faſtum erga Viduæ relictæ nomen oſtendebat: & quæcunque poſcerentur niſi modo amicorum ſententijs, modo Hiſpanorum reuerentiâ retineretur, negaturus videbatur. Conſilia Mantuano ex tempore, & nullo præuiſu ſumebantur; quò magis mirum, quòd quæ toties commendaſſet, abnuiſſetq; Amitæ Ferrarienſi, & ſecreto conſilio communicare voluerit. Vniuerſi ſub veſperam aduocati; de re magnâ diſputandum, & quod in rem ſuam maximè faceret examinandum dicebatur. Vbi in vtramque partem multa dicta auditáque, eorum qui auerſabantur ſententiam requiſiuit. Nec is primus ſuper tantâ re congreſſus fuit; quòd Amita Siluio Teatino adiuta, non rationes ſolum; ſed & comminationes obiecíſſent. Naturali impotentiâ & aſſiduis ſuggeſtionibus fatigatum, totum ſe conſilio permittere dixit, ſed præcipuè non audiendos eos decreuerat, quos Aula intus ſalutari, apud ipſos exoſo nomine In- *Infantiſtæ.* fantiſtas appellabat. Neque iam aduerſus Ferrarienſem (domum omnem perni-

cioſo

cioſo hortatu in exitium laturam) erat, qui eloqui publico, aut ſui Domini bono auderet. Præualuêre apud corruptum animum mala conſilia, fato (vt non ſemel experimento didicimus) ruinam familiæ accelerante. Et quò validius Ducis animum retineret; ſcripto rationes complecti voluit; cui Comes Chieppius Siluius, aliiq; præſtito ſuffragio laborarunt. Habebat:

Scriptura quâ Mantuano diſſuadetur matrimonium cũ viduâ pluribus rationibus.

Viuentibus adhuc Sabaudij prætextibus,importunum coniugium cenſeri:ſiue quod diſcordantes animi ægrè vniantur; ſiue quod duraturam partium quietem non promittant. Componenda ante, quæ credantur partium iura, & exuendam Sabaudio alieni cupidinem. Parum etiam honori Mantuani conducere; ſi armato hoſte ac minitante, quam honeſtiſſimis conditionibus plures ante menſes accipere viduam poterat, eam velut coactus admiſiſſet,& emiſſet. Imo libertatem imminui, dum alieno conſilio tanquam datæ legi obtemperat: quod quæ iniqua aduerſus Mantuanum vis ſit,etiam perniciem accerſat. Franciſcum Ducem generum,non fide,non obſequio Sabaudium retinuiſſe,quin ſecretas artes doloſque ſtrueret,& (ſi potuiſſet) circumueniret.Grauiora Ferdinando fratri imminere, apud eundem dulcedine dominandi iam excitatum, & iniuriarum quas intulerit memorem.Nec enim diligi læſum poſſe,continuatione odij,metu vindictæ. Et quando certa inimicitia ſit,facilius apertum ac profeſſum,quàm ſecretum hoſtem vitari; non in Ducem ſolùm, ſed & in fratrem Vincentium fraudibus vſurum,quoties detur occaſio.A Patre aut ab Hiſpanis coniugio vidua accipiatur,iuxta pernicioſum. Nec enim parentem ex fide acturum;& ſi Hiſpani nuptias comminationibus promoueant, maiori indignatione apud Patrem fore; quòd eo inuito filia collocetur. Vim quidem apertam,& conteſtati belli mala Hiſpanos repreſſuros;ſed ſecretas iras; & ſpecie pacis aſſiduas vexationes in arbitrio validioris fore: nec enim culpam abnuenti,rectè bellum inferri. Experimento cognouiſſe Mantuanum,quantum miſeriarum ac difficultatum recepta olim Regia neptis induxerit; proinde inconſultè eadem diſcrimina adire; quæ ſiue ſuperſtes marito,ſiue ante deceſſiſſet impendeant. Neque id niſi magna vtilitate penſandum,quæ imminentibus malis iuſtâ æſtimatione componatur. Certum quoque metum fictæ caritatis eſſe; vbi enim conceptam & admiſſam ſpe ſecuritatem hoſtis deprehenderit; quiq; dolo acturi ſunt,facilè pupillæ raptum tam diu quæſitæ meditaturos tentaturóſque; quâ habitâ, nouæ ſuper Monferrato iura agitent;& niſi maſcula proles adſit proſequantur. Non ſemper coniugum amorem manere; quantò minus ſoceri & generi, quorum pietas ſæpè priuatis vtilitatibus corrumpitur. Nec de fortunis tantùm formidari; ſed vitam in diſcrimen vocari,quoties parricidium proficere cupidini regnandi poſſit. Fratrem Ducis Vincentium iuuenem incautum,& pingueſcentem ſuperfuturum quidem,non tamen domi firmaturum potentiam; nec temeritatem inſidiantium frænaturum; eò acrius cœptum flagitium proſequentium, quò magis ſpes fraudibus matureſcere viſa fuerit. Principum matrimonia rarò candidam fidem polliceri; & præferri nuptias; quas æmulatus & prætextus rerum comitantur,ſatis docere non curam id ſed fomentum malorum eſſe. Etiam à Principum animis dominationis causâ verecundiam exulare; & ſi hominum conſenſus nouos tumultus execratus pudore flagitia deterreat; eam modeſtiam primis tantùm lætitiæ diebus circumferri; ſed viuente odio ac cupidine,facili in nouas cauſas aut commentari,aut proferre; quibus etiam veteres retrahantur.Exules,auerſiones fluminum,finium turbationem, rixas vicinorum,latrocinia,& his ſimilia,magno ac recenti malo ſuffectura.

Delato paucos ante annos ad Caſalenſes Sabaudio,reuerentiam quandam hoſpitalitatis retinuiſſe,vt ab inſidijs abſtineret. Emenſum fuiſſe inſatiabilibus oculis altitudinem mœnium, vaſtitatem murorum, profunditatem & latitudinem foſſæ,numerauiſſe præſidia ac tormenta quæ in minori arce erant: idem forſitan

Digitized by Google

internuncio aliquo in maiori egiſſe: quid acturum credendum, ſi nouis indignationum cauſis efferatus, occaſione ac commoditate ſæuire cupiat? Matrimonij promotores Hiſpanos, haudquam nouas nuptias, pro fine quietis imperare: habitum Vincentio Duce ſuperſtite documentum; quem certum ſit in plenam concordiam commutatione locorum accinctum, concordi ac poſcente Sabaudio præpeditum à Rege, tamquam de alienis transſigeretur. Fratris coniugem in communionem thori adſciri, intus turpe, palam lege ac gentium conſuetudine damnatum; ſed & Mantuanum auerſione proſequi. Quod tamen tolerandum foret, ſi breuem ruborem diuturna pax foret ſecutura. Nunc de inanibus & de pecuniâ, re leuiſſimâ, apud potentes, agi: quorum causâ tantum dedecoris publicè adire non expediat. Honoris quoque rationem habendam. Cur enim matrimonium quod rebus integris, tot Principibus laudantibus Mantuanus abnuerit; tot damnis ſuis ac ſuorum, tot iniurijs dicto & facto ſugillatus; nullâ rerum ſatisfactione, non futuri ſecuritate, inter minas & imperia contrahat? Quòd ſi inter Sabaudium & Mantuanum ſolida compoſitio contentionum præcederet, quàm mox concordes nuptiæ ſequerentur, certam ſpem quietis ſperari poſſe: fermè enim vbi manifeſta eſt cauſæ iuſtitia, vis & inuaſio abſiſtunt. Sed vanis Hiſpanorum promiſſis intutam futuri fidem eſſe: nam & mutationem rerum, & obliuionem, & temporum viciſſitudinem irrita plerumque reddere quæ ſpoponderint. Vix credi poſſe aduerſus tumultuantem, eos ſemper arma tractaturos, qui euentu didicerint, non eas ſibi vires eſſe; quibus contumacem primùm poſt minitantem, exercitu exuant. Sapientius futura mala præuideri, quam iis quæ incuriâ admittuntur mederi. Cupidinem Monferrati Sabaudio ingenitam, à maioribus inſtillatam & in illum præceptis deriuatam. Neque aliud magis ambiuiſſe; quam obiici ſibi occupandi quæ verſauerit occaſionem, quâ opportunè vti nouerit. Id adeo certum, vt ne nunc quidem abſtineat ſermonibus, irâ audaciaq; dictatis. Itaque iuxta ſtultitiam eſſe, tam vaſtas cogitationes excuti animo, aut audaciam defuturam credere. Iam inter matrimonij pacta (vt pars prouinciæ ſileatur) veniam rebellium, & ceſſionem damnorum futura. Hinc augeri prætextus Sabaudij, & exiſtimationem increſcere magno Mantuani dedecore! ſiue ſponte, ſiue coactus eam in pacem conſentiat, quam cum armis vrgeretur auerſatus ſit. Perſuaderi non poſſe miſsâ Mediolanum pupillâ, dimittendam è Sabaudio viduam matrem. Id Mantuano opinione iurium apud æmulum pernicioſum: ſiue ſtatim deſtinatis inſiſtatur; ſiue tractâ in longum negotiatione, inexplicabilibus difficultatibus (quas ſubitò expediri conducat) inuoluatur. Intellexiſſe Vincentium patrem conſilij pondus: eoq; prius compoſitionem controuerſiæ tractaſſe quàm nuptias. Eam ab ijs præpeditam, qui nunc intoleranda imperent, vt alieno malo ſibi domi pacem faciant. Neque fugere Hiſpanos, durante inter Sabaudium & Mantuanum odio, intutam ipſis Italiæ poſſeſſionem eſſe, cuicunque ſe propugnatores addiderint: nec alium in finem tumultuarias nuptias imperare, quàm vt ſuſpicionibus liberi, etiam arma deponant. Simul vterque Principum, illos ſolos rerum arbitros accipiat. Huius quidem matrimonij ingentes vtilitates præferri; verumtamen non vitæ ſolùm diſcrimine, ſed & dominij ceſſione eas vmbras æſtimari. Cuicumque Principi credi poſſe, Sabaudium notis artibus in ſcutum, & arbitrio quæ promittat interpretantem ſatis moneri omnes, ſe fidem conſumpſiſſe. Quòd ſi Rex Hiſpanus quietem Italiæ & amicis vtilem probet, cum illum non alia pacis inſtrumenta tractare; & inuiſo pridem matrimonio, eam certioribus & acceptioribus medijs promouere? An impoſſibilem putari inter vtrumque pacem, ſi Sabaudio filia non eſſet? Miſeram conditionem populorum; quibus aut pereundum, ſine eo coniugio ſit, aut admiſſo in perpetuo diſcrimine agendum. Cæterùm id proponi ac perſtrepi, quod Mantuanus pauenti & annuenti ſimilis, & nominauerit

nuptias

nuptias. Detrahendam huic auerſioni perſonam & liberè eloquendum. Nec enim ideo aduerſus ius, fáſque piiſſimum Regem toleraturum detrudi è ſuo Ducem,& in Caroli V. aui contumeliam iure conceſſis exui;ſed tutelæ quam non ſemel ſacramento promiſerit ſeriò inuigilaturum. Fruſtra reiecto coniugio,expenſas & damna ſubditorum, quæq; belli mala referuntur,obijci. Apud prudentem Principem,plus vtilitate exiſtimationem valere:neque ſaluo honore admitti conditiones poſſe, quas inter media arma fuerit aſpernatus. Et vtilitati & gloriæ Hiſpanorum referre, Sabaudium ab armis diſcedere:non itaque credi poſſe,omiſſuros cœpta,niſi exutum legionibus viderint.Sic inanes metusMonferrati ceſſuros; & in pace dubia,retiuendis ſuis,ſuffecturum Mantuanum, iam eruditum diuerſis vexationibus inter inſidias agere. Cæſarem ac Regem Hiſpanum, vbi rationum pondus exceperint,pro excuſato Mantuanum habituros,nec ideo profectioni renunciaturos;qua certum eſt ante alia honorem Regi accedere.Gallos aſſiduè colendos;& apud Reginam amitam literis & Oratoribus obtinendum,vt hanc nepotis ſui cauſam, apud Hiſpanum ſuam fateretur. Profuturum certè officium, & vel metu offenſionum ſecuritatem Mantuano acceſſuram. Senatum Venetum,in quo multi ſapientiâ eminent;quam ſemel cauſam complexum ſit,in finem vſque protecturum : neque ſubſidium quod irrequiſitum contulerit, oratum auerſaturum. Non quidquid ab Hiſpanis imperij ſpeciem referat, pauendum;neque proinde concedendâ pupillâ ſolicitudine trepidandum ; quam certum ſit Reginam Galliænon permiſſuram à paterna domo abduci,nec dictam ſemel ſententiam retractaturam. Illos plerúmque difficilia negotiorum non vnâ via aggredi, ſed modo placidis , modo aſperioribus trahere in ſententiam aduerſos niti ; & tum de comminationibus remittere, cum deprehenderint ſubeſſe conſtantiam. Puellæ incolumitatem in Dei auxilio eſſe;nec ſi quid illi fato eueniſſet, hæredi matri aliud quàm inanes prætextus acceſſuros.Imo ſi bona omiſſis feudalibus examinentur,nullam illi à patre hæreditatem poſſe contingere ; graui ære oppreſſa re Mantuana & pleriſque bonorum alienatis ; quæ poſſint ab emptoribus optimo iure repeti.Iam verò reddendæ dotis, & incrementorum quæ reperiantur metum; & Mantuano indecorum, vt qui accepta coniuge,ſolutam pecuniam in hunc vſum vertere poſſit ; & imparem eſſe exprimendo conſenſui. Magnum Hetruriæ Ducem,de collocanda Mantuano ſorore, cum prudentia ambiguè differere:non deſpectu, contemptu,aut Hiſpani metu, ſed formidine opinionis Europæ, qua credatur,communi quieti, viduæ nuptias magis expedite.Hinc enim cunctationem. Vbi cum Sabaudio reſciſſa negotiatio fuerit ; & certum ac ſui iuris Mantuanum accepiſſet,promptè deſiderio acceſſurum. Magni Ducis matre geſtiente, & eam ſpem primo ſtatim die complexa. Porrò promiſſum Hiſpano arbitrio matrimonium, non ſtatim viduæ Mantuanum obligaſſe; ſi non hoſti,non ſuſpecto,non æmulo nupſiſſet,ſatiſfactum promiſſis.Hetruſcum iam nimis Hiſpanum, & non ſemel Auſtrio ſanguini illigatum. Poſtremò ſola rebellium venia potuiſſe olim delinito Sabaudio,nuptias cum filia contrahi ; idque ſuffecturum fuiſſe,vt arma deponeret ; cum nunc etiam matrimonio inuiſo vinciri ſe Mantuanus patiatur. An ſi volente Rege dimiſerit exercitum,nulla impoſterum pacta,nullas leges fore difficultatibus componendis. His quæ ſermonum licentia commentabatur (iam enim apud Mantuanos id omne honeſtum habebatur , quod argutiſſimè Sabaudium laceraret) qui ſcriptum illud inuerecundum ac ſtolidum vomuerat, confeciſſe ſe putabat,coniugium Ducis cum vidua,indecorum, iniquum , pernicioſum eſſe : nec ex eo ſpem vllam pacis , ſed fraudium circumuentionúmque formidinem.

Primus Mantuanus nondum prima luce egreſſus cubiculo libelli copiam accepit,diu ante expectatam. Mox viduæ amitæ res communicata;tanto eorum ſu-

uore qui infenſi Sabaudio fuerant; vt excludendo pudendo matrimonio, & trahendis in ſententiam Regibus ſuffecturus videretur. Iam enim percrebuerat, vim tantùm Mantuanis in calamo eſſe; & quantum Sabaudius virtute nitebatur, tantum illos ſcriptis obſtrepere. Id verò cæteros quibus clarior intellectus, & futuri certior coniectura, ſecreti magnitudine conficiebat; donec & vulgata res, & Magnus intimus ſecretorum, auctor fuiſſe detectus eſt. Et quamquam illicò rationum vanitas, & quàm inanibus ſuſtentaretur, patuiſſet, ſcriptoris tamen auctoritas, Amitæ reſpectus; & in primis Mantuani in proprium exitium præceps animus, retinuêre; ne (vt moris erat) famoſo ſcripto falſi argueretur. Reſponderi tamen placuit: quique prouinciam ſuſcepit (gnarus ſe in eluctantes, & contempturos niti) teſtatus eſt, veritatem quidem quam Romanus Pontifex, Cæſar, Gallus & Hiſpanus Reges, Veneti, (quique minimè crederetur) Etruſcus ſe offenſurum; ſed labore inuiſo pletiſque, & infructuoſo. Ex Italo ſic traduximus.

Reſponſio ad præcedens ſcriptum.

Id præcipuum ab opifice Deo, humano generi datum; vt prudentia vſuum, etiam futurorum cognitionem coniecturâ præſumat. Occurrere ſapientum placita, imminentium apud maiores exempla: quorum memoriâ facilè ſit, impedentia præſenti ac futuræ occaſioni componere. Pro modo ingenij iudicium quoque vigere, aut langueſcere: & eum qui præterita ingruentibus committat; quæque eaſdem cauſas ſecuta ſunt conferat, parum à diuino diſcrepare. Excelſi animi id magnum munus, eoq; purgatiſſimo intellectui proprium; cui non ira, non amor officiunt; & apud quem ſuis meritis res æſtimatæ, nullo externo affectu imbutæ excipiuntur. Quò minus mirum, ſi relictæ Viduæ Sabaudiæ inuidiâ, quam infenſum crediđiſſet, & Ferrarienſis Amitæ hortatu; nec non Teatini otio; quod Viduâ ſacerdote Ieſuitâ ad confeſſiones potius vteretur, prudens aliàs miniſter ad ea proruperit; quæ niſi deprauati animi argumento vulgari poterant. Equidem caritati Sabaudij admiſſo licet coniugio parum credi poſſe; niſi in eam concordiam eatur, quâ veteres prætextus diſſoluantur. Sed eam operam Mantuano, non Hiſpano incumbere; quem æſtimatâ infirmitate, & potentiâ æmuli, deceat certiſſimæ neceſſitati, & perpetuæ ſecuritati aliquid condonare. Ius apud Mantuanum forſan credi: non deeſſe tamen validos Sabaudio prætextus; diuturnitatem litis, eiuſq; partem à Cæſare decreto veteri non finitam, mereri aliquid quod redimat vexationem. Pleraque apud illum præter ius, magnâ æquitatis ſpecie, & tractari & admitti poſſe; finium exactiorem cuſtodiam, aquarum fluenta, molatrinarum, itinerum, pontium vſum: quæ ante non ſemel in diſputationem vocata turbas mouerint. Hæc ſi longior altercatio; & facilis à ſimilibus ad vim tranſitus conſiderentur, ſatis docere inuictum aduerſus omnem largitionem animum, ſibi cauſam malo facere. Vbi intumuerint animi, & prætextus irâ & iniurijs arſerint, infeſtationem, raptus, turbatam poſſeſſionem, quæque inimicorum propria honeſti formam induere, eoq; neglectum, vexationem, damna, verioribus pretijs indicanda; & minori loco habenda, quàm ſi minima prouinciæ pars concedatur. Suppetere tranſactioni decora nomina; & formoſos largitioni titulos, quibus conceſſio adornetur; etiam vtilitate commendetur; mutationem finium, nuptias ſororis cum Pedemontano Principe: quas nulla vnquam vtilitas æquauerit. Potentiorem eſſe Sabaudium, quàm vt credita iura negligat; & indies augere potentiam: forſan & Mantuano Regiam tutelam adimere; ſiue Hiſpani Regis filiam, ſiue Galli ſororem coniugio accipiat. Contra apud Mantuanum ſecuritatis Regiæ ſpem langueſcere, odio miniſtrorum, tædio, expenſis; etiam non plenæ fidei ſuſpicione; neque ſatis poſſe diſcerni, damnoſiúſne ſit carpi à Sabaudio, an Hiſpanis prævalidis Dominis ſeruire. Niſi Monferratum intactum illaceſſitumq; ſit, Mantuanos reditus parum neceſſitati, multò minus decori ſufficere. Explendis creditoribus prouentus omnes hauriri; & è Monferrato auri congeriem quotannis deuehi.

Google

uehi. Experimento cognitum Gonzagam domum, externorum ac potentiorum Principum ſeruituti mancipatam, intra veterem paupertatem manſiſſe; donec dotali Monferrati incremento, cæteros per Italiam Principes, ſplendore aut ſupergreſſa eſt, aut æquauit. Debuiſſe multò antè Mantuanum præuiſo exitio ſuo ſalubri deliberatione occurrere; non inutili cunctatione ſua commoda perdere, aut frangere pacem Italiæ. Sed quando prima agendi tempora à prauis conſultoribus prodi paſſus ſit, licet tardè, ſeriò tamen procurare debere, vt cupitæ ab omnibus quieti conſulatur. Matrimonium certè non ſufficere: ſi quid tamen bonæ ſpei, aut ſecuritatis præſumere liceat, eo maximè obtineri poſſe. Quod ſi tum etiam in tutæ Mantuani res dicantur, quam vnquam pacis ſpem fore, vbi validiſſimi & infenſiſſimi hoſtis filia, Regiſq; protectoris neptis reijci videatur? Sanctiſſimæ Viduæ duraturam pietatis memoriam; vtque ceruicibus Monferratenſium perniciem auerterit, ſi Dux & miniſtri crediſſent. Retinendam eorum quæ prudentiſſimè decreta ſint conſtantiam; & ſi quæ vis formidetur, publico bono, Regumq; ac Principum Europæ deſiderio excuſari. An credi poſſe, vniuerſos excepto Mantuano, eius rei iudicio decipi; & apud vnum Conſiliarium, vnam Fœminam, vnum Teatinum, vnum alterumve mediaſtinum, quidquid vnquam prudentiæ ſit, reperiri? Cæcutire reliquos qui approbent, aut qui pendeant iudicio errare? Mortalium omnium conſenſum inurendo rubori ſufficere. Nullam ab Hiſpano vim Mantuano intentari; temporis conditionem, & neceſſitatem accuſanda. Paterna Principum conſilia, & ſalutares monitus amicorum; quibus vtilitatis opportunitatiſq; admoneatur, præſumenda. Finem negotiationis offenſurum, quàm intempeſtiuè inſulſa libertas iactetur, ab omni ſpe deſtituto, niſi eius qui protegat, & auerſatur. Incertum adhuc eſſe an cum Franciſcus Princeps inter viuos ageret, Soceri inſidijs vulgatis impetitus ſit.

Quod ſi pro vero habeatur, debuiſſe & ipſum, quando iam parti malorum matrimonio obuiam iuerat, duraturam quietem ſororis cum Pedemontano nuptijs, & minimâ titulo dotis largitione redimere. Quorſum ſpectaſſe ſuperbum reſponſum Oratori Sabaudio datum, id tum coniugium tractante? Nobilitatémve an opes diſplicuiſſe. Alienis erroribus proprios non excuſari: quandoquidem proficere exemplis in vſu ſit, iiſq; plus ponderis quàm rationi eſſe. Proinde peiora Ferdinando fratri imminêre; geminatis vtrinque cauſis irarum, & integris adhuc viribus, quæ tot dies ſiluerit. An reddito odio credi poſſe, conciliari caritatem, & duritiè indomitâ flecti obfirmatum animum? Non hanc primam cauſam eſſe, quæ duplici licet Iudicis ſententia terminata, partium mutuo conſenſu, & pactis dirempta ſit. Ne tertiæ quidem ceſſurum Sabaudium, adeò minus primæ, quæ pleraque indeciſa reliquerit. Abiiſſe iam tempus quo Sabaudius occultus Mantuani hoſtis credi poterat. Patere plus deſiderio, non ſibi, non occaſioni defuturum; donec ab æmulo ſatisfactionis (aut ſi quod ſpecioſius nomen arrideat) titulo aliquid accipiat. In vitam Mantuani aut Vincentij fratris inſidias fruſtra credi; nec enim vtriuſque exitio defutura plura capita, quæ ſucceſſione in Monferrati inueſtituram vocentur. Et ſi vniuerſi fato decederent, non Sabaudio ſtatim, ſed Cæſari ius parari. Et patre & patruo annuentibus expedire nuptialia componi. Hunc pacto acceſſiſſe, illum non auerſari; ſi Mantuanus factis quàm dictis, quod olim promiſiſſet, teſtaretur; documentoq; approbaret, veram ſe amicitiam cupere. Profeſſum hoſtem dolo ac vi ſæuire ſolitum: & quando concedatur delaſſandos diuturnitate moleſtiarum Hiſpanos, & deterendum continuis malis Mantuanum; cur abnui inſtrumenta pacis, & pulchram ſecuritatem leui conceſſione non quæri? Regiam neptim Mantuanis laribus inductam, veram domini pacem attuliſſe; etiam Mantuani ſororem Sabaudium filio coniugem cupiuiſſe; cùm regales nurus non deeſſent; nec quod ſuſpiciones moueret, auditum,

Google

niſi modeſtiſſimæ querelæ accuſentur. Fatalem illam viduam dimiſſam, nec honeſtis conditionibus receptum coniugium, exitium patriæ attuliſſe. Id ante alia Mantuanum in votis habere expedire, vt propriæ familiæ commodo, hoc potiſſimum ſanguine, eius poſteri illigentur. Quæ ſecuta ſunt, malæ fortunæ culpâ euenisse; quæ tamen inuehendis calamitatibus impar erat, ſi in præſentem à Mantuano; malis conſultoribus perdito, erratum non fuiſſet. Simulationem caritatis metu exiſtimari: & iuxta malignitatem eſſe, compoſitis prætexibus ac diſſentionum cauſis excluſis, vanas ſuſpitiones, terriculamenta, puerilia, vmbráſque admittere. Quo enim titulo, quibus iuribus, quò fine credi poſſit, ſinu matris, ab auo aut patre filiam abſtrahi? An maioris fidei tutelam alibi credi poſſe? An educationem principem? an pietatem? Quid hoc ſtoliditatis ſit animo concipere, Mantuanum abſcente matre raptum filiæ non metuere? & defuturam fidem & cuſtodiam præſente? ſi quo iure diues pupilla credatur, id omne matris eſſe, dimiſſamque viduæ ac parentis cauſam, forſan & parum congruentem. Iam Monferrati inueſtiturum ſuperſtite prole maſcula fœminas in perpetuum arcere: etiam Sabaudium qui olim ſpetauerit, crediderítque agnouiſſe veritatem. Dotémne pupillæ, tot ante nuptiam annis auus requirat; cui non ſoluere ſponſo, non à patruo exigere incumbat, aut poſſe præſente matre eam ſibi curam aduocare. Porrò ſit genero ſocer infenſus, nec coniugium caritas diu duret apud nonnullos: agente Mantuæ vidua puellam in tuto fore. Quod ſi ira & inſidiæ formidentur, vxorem ſũmo loco genitam, prudentia ac ſanctimonia incõparabili reuerentia obſequioq; deuinciri. E ſocero creditos metus multum cauſarum habere; eóq; præueniendos quocunq; remedio, quod in futurum veteres prætextus excludat. Amari quidem dulcedinẽ pacis, ſed inſtrumentorum aſperitatem vitari; quamuis natura comparatũ ſit, cuiuis effectui ſuas cauſas, ſua media reſpondere. Parricidij nullam occaſionem, aut vtilitatem ſatis probabilem fingi poſſe; niſi inanes cauſę, & barbaraſęuitia, non filiæ, non patri, non nepti profutura comminiſcantur. Tantùm infamiæ flagitioſo & inteſtabili appingendum; magno viro & chriſtiano Principi eo minus, quo magis abſurda eſt cogitationis temeritas: neq; enim in poſſeſſione Monferrati Mantuano, & fratre eius extincto, relictam neptim, ſed Niuernienſem Ducem ac filios, demum Cæſares ſublata familia ſuccedere. Sabaudios quamuis matre Paleologa ortos, ſemel ſucceſſione exactos, conſenſu ſapientum ſemper excludi. Principum nuptias ſi cauſæ irarum occurrant, aut iura dominationis; haudquaquam ſolidam fidem habere; ſed nec plebeios; quoties inter eos de fortunis ac re familiari omni agatur, conuenire. Salubre id à Mantuano, & sciri & recoli aſſiduè expedire; vt meditatione vtilitatis, neceſſitatiſque eruditus, profutura conceſſione, & ſororis matrimonio, res ſuas in ſolido ſtatuat: ne ſuſpitionum fluctibus agitatus, timore aſſiduo contabeſcat. Si prætextus, ſi iura mutuo conſenſu, ac Cæſaris Regúmque placito componatur, plus haud dubiè fiduciæ in negotiatione futurum, Neq; enim nullum mortalium, nouos motus niſi execratione proſecuturum. Vtinam præteritis menſib. non ſemel probata, & Mantuanus in mentẽ reduceret & incauto miniſtro obtruderet; raptus, incendia, fluuiorum prouinciæ interceptiones, exulum inſolentiam, finium turbationem quęq; & mole ſua, & recordatione ſola inquietum dominum habent: mox ſepoſita in tempus indignatione remedia complecteretur. Neque enim finitam miſeriam, aut extremum vexationis euenisse. Totum enim iſtâ duratura niſi ſalubri conſilio obuiam procedat. Si enim ſententia veritati ſuadentium aduerſa exitu probetur, illis gloriã, Principi exitium comparari. Sed vbi deprehenſa vanitatis fuerit, mala domini quę promouerint ſpectaturos. Mutuum matrimonio amorem, & titulo dotis leuem aliquot oppidorum ceſſionem, plenam ſubditorum fœlicitatem, & Principis continere. Eſſe alios dandi prætextus, finium nempe æquationem (ſi dotis nomen non place-

Google

placeat, & correctionem agri tortuoſi. Neque enim ignotum eſſe, confuſum potius, quàm conterminum Pedemontanæ regioni Monferratum eſſe; & conducere vtriuſque Ducis quieti, ſi poſſeſſio recto limite & indubitato dirimatur. Perſpectum Franciſco Duci Soceri cupidinem fuiſſe: & quamquam requiſitus (vt dicebatur) ſororis nuptias diſtulerit; non tamen abnuiſſe; vt qui præuiderit parum ſecuram Monferrati poſſeſſionem, niſi tractatis ante à parente conditionibus eſſe poſſe. Sic inſtante ſocero; cum adulto iam Authumno, Mantuæ in eum finem haberet Oratorem, promiſiſſe ſe Caſali ſequenti vere futurum; & tum operam omnem tollendis diſcordiarum cauſis daturum. Non minores Franciſco Duci quàm Ferdinando fratri ſpiritus fuiſſe; eum tamen palam, cum nil de ſuo Socero dare velle iactaret, ſecretis ſermonibus formam componendorum limitum, cui Sabaudius acquieſceret, proſequi voluiſſe. Etiam quò deſtinata accelerarentur, totam futuram æſtatem Caſali agere decreuiſſe, niſi inuictum in domus ſuæ mala fatum obſtitiſſet. Iam verò intolerandam potentiſſimo Regi, & impias in Hiſpanos de Mantuano optimè meritos, eas voces eſſe; quibus circumferatur, cupere Ducum diſcordiam. Quorſum enim armatos exercitus, tot Oratores, tot miniſtros, plena curſoribus itinera, tot expenſas, tot ad Pontificem ac Cæſarem preces ſpectare? An erogationes tot millionum auri ludum cenſendum, cum nil effundenti comparetur? aut integros & ſuis opibus vſos Duces merum Regiæ potentiæ facere. Illam certè potentiam eò magnitudinis proceſſiſſe; vt niſi quieſcentibus & in tuto agentibus amicis (minoribus licet) pacem nolit. Cupere certè alienam ſecuritatem ſibi imputari, diſcordias externis. Non habere Mantuanum quod cupiat, præter memoriam fidei gratitudinis; & facile multa de ſuo conceſſurum Sabaudio fuiſſe, niſi prodito beneficio, prodigere meruiſſet famam prudentiæ. Ingratum quidem laudem gloriámque beneficio dare, ſed famam ſapientiæ imminuere, tamquam neſciuerit collocare. Cæterùm bono iure abnuiſſe Hiſpanum Regem ea pacta, quibus Sabaudius Mantuano, in eorum vicem, quæ per Monferratum reciperet, pleraque Hiſpanæ iuriſdictionis oppida largiebatur. Quod ſi res ipſa ad normam arcanę dominationis exigatur, Mantuano potius quàm Sabaudio addi voluiſſe: quòd incrementum omne, apud efferum, & belli ſtudio accenſum Ducem, ſuſpectum crederet. Falſa ſpecie exterritum Mantuanum: nec enim vllum adeo validum ex lege vinculum eſſe, quo fratris vxor matrimonio induci prohibeatur; qui Summi Pontificis auctoritate ſoluatur. Suppetere apud Hiſpanos, Anglos, Polonos, etiam recentia exempla; apud quos didicimus id magnis cauſis vrgentibus, laudatóque inſtituto vſurpatum. Eſſe quo perfidiæ illi accuſentur; qui Parentis humani generis, & legum Eccleſiaſticarum moderatoris poteſtatem ea ſuper re inficiantur. Sacroſanctas nuptias, honeſtiſſima pacta, Diuis quoque accepta fore; ſi permiſſio eius arbitrij ſit, cuius placita diuinæ legis vice Chriſtianus orbis obſeruat. An libidinem aut flagitium, coniugio bono fine, bonis artibus quæſito prætendi? Maximè quod contrahentes, nullo priuatim affectu ſuo, publico tantùm bono, & rerum ſuarum neceſſitate concurrunt. Auerſionem faſtúmque ex re, non alio conſilio aut imperio æſtimanda. Cur enim multò ante, datum à Chriſtianis Principibus conſilium, admiſſum eſt? cur ſpes oblata? cùr fratri gratulatum? cur (quod fama vulgauit, ſiue verè, ſiue falsò, acceptum tamen Mantuano) ſecreta fides data? Cur Vidua omnium neſcia, expectatione, negotiatione, opinione turbata? An quietem prouinciæ, rerum tranquillitatem, Italiæ pacem comparari, adeo pro vili habetur, vt matrimonio Viduæ poſtponantur? Diuino fauori ſuas partes relinquendas: nec ignarum bonis eſſe ſacramenti vi inter contrahentes certiſſimam caritatem naſci. Sed abnui à nolentibus manifeſta,

quia corruptus prauis conſultoribus animus, impendentia mala ac bona non deſpicit. Cum Pedemontanus Princeps amore ac hoſpitio deuinctus, Parenſque eius faciles nuptijs aures accommodauit; non bello adhuc, nec illatis iniurijs potuiſſe opportunè contrahi; ſed quando elabi occaſio permiſſa eſt, & hinc aceruus malorum inſecutus, maióque adhuc calamitatum moles immineat, benè ſecuræ fœlicitati, & quieti populorum conſuli. Satis Mantuano à Sabaudio ſatisfactionis acceſſurum; ſi hic vi abſtineat, & magnas in propinquo ſpes, anguſtis limitibus definiat. Si promiſſa conatúſque Hiſpanorum minus placeant; ſi viciſſitudini temporis, ingenio Sabaudij, propriis viribus Mantuanus diffidat; aut bello (quoties virium propriarum non pœniteat) aut pactis, rebus ſuis exitium iam ſpectantibus conſulere debere. Sed illi non militem, non pecuniam ſuppetere; tergiuerſatione eius ac duritiæ, Hiſpanum, Gallos, Venetos frigeſcere; quos omnes concordes matrimonium conſulere expertus ſit. Nil auxilij à Cæſare præter inanes minas; quibus metu neglectis abſtinere, ſatius illi fuerit. Vana indignationis terricula menta eſſe, quæ toties viſa ſint à Principibus impunè contemni. Pontificem conſilio tantùm, non armis aſſuturum; vt qui ſe pacis medium, & nemini hoſtem profiteatur. An ergo excindi prouinciam, ſpoliari populos, euerti munimenta, exui dominatione ſummo dedecore ſuo potius velle; quàm à maioribus parta quocunque iure retinere; & auitis opibus per ſummam tranquillitatem frui? Nobili & honeſto titulo dotis, & precum tot Regum tot Principum vtilitatem gloriámque habere. Si quid inexpreſſum à Sabaudio credatur, nil Gonzagæ domus magnitudini detrahere: quam potentiâ Sabaudiæ parem, nec Mantuani Duces profeſſi ſint, nec alij crediderint. Paribus titulis impares prorſus vires eſſe. Id quotidianâ meditatione recolendum, vt neceſſitas perſuadeatur, facti damnoſus pudor eliminetur. Quò enim vetuſtius Sabaudij in Monferratum deſiderium, quò altius filijs Principibus inſtillatum eſt, quò plus virium & opportunitatis ad recipiendum habeat, eò promptiorem Mantuanum ſeruandæ poſſeſſioni ſuæ, facilitate & prouiſu eſſe debere. De rigore aliquid remittendum; & (quamuis iuſtitiam aduerſam credat) de ſuo aliquid concedendum; vt humanum genus & potentiſſimi Reges agnoſcant, Sabaudium exuere prætextus omnes, renunciare iuribus, Cæſarémque concordiæ annuere. Tum inferendi Mantuano belli cauſas, litis colores procul fore; nec tum reperturum Sabaudium iniquorum armorum imagine, cuius ſe auxilio & amicitiæ credat, futurâ apud omnes manifeſtâ iniuriâ. Imo Hiſpanum Gallúmque, & Cæſarem, quorum arbitrio Mantuanus paruerit, vades ſecuritati, & iniquitatis vltores futuros. Multum referre quo quis titulo bellum moueat, quo nomine turbet. Venetos olim pleraque Pontificibus Romanis, Franciſcum Sfortiam Venetis, Sfortias ſecutos Principes in pacis tractatione hoſti reliquiſſe, vt cætera manerent. Et laudatam non minus fuiſſe moderationem, quàm profuiſſe. Expertum hactenus Mantuanum, quàm exitiabili eorum ſententiâ vſus ſit, qui dum proprijs commodis ſtudent, vindictam rebellium, & damnorum repetitionem conſulunt. Hanc animi duritiem tot oppida per Monferratum diripuiſſe, excidiſſe, concremaſſe, tot greges abegiſſe, tot cædibus in innoxios ſæuiiſſe; ſed vtilitatem apud miniſtros, dum proſcriptorum opibus ditantur fuiſſe: damna & miſeriam apud Principem & plebem manere. An excuſari poſſe Mantuanum, tot à Pontifice ac Hiſpano monitis edoctum, caueret priuatas famulorum vtilitates, quæ ipſi immenſâ iacturâ expiandæ forent. Petiiſſe ab illo Sabaudium, quod vſu inter decertantes, & Gallorum maximè conſuetudine receptum ſit; Regéſque id ipſum non vno Legato, aut vnis literis flagitaſſe. Maluiſſe tamen Mantuanum Oratorum & plurium Curſorum expenſa tenuari: non quod aliam ſaluti viam breuiorem

breuiorem rectiorémque ſciret; ſed quòd in deterrima pronus, huc illuc prauitate conſulentium agitari cuperet; vt orari & negare videretur. Nequaquam agendorum ignorantiam, apud peritos artium imperandi præſumi; & non vno totius Europæ exemplo doctos, in publicum bonum etiam iniquitatem impendi. Indulſiſſe rebellibus frequenriſſimè Gallos Reges, & Carolum V. Cæſarem, (qui fortunam in conſilio habuerit) Germanos conſternatos recepiſſe. Hos omnes, mores à Iulio Cæſare accepiſſe, & à Romana prudentia; quibus eundem intra diem, iidem & hoſtes fuerunt, & amici, & externi & ciues. His doceri poſſe, non ſemper exactam iuris, ſed plerumque facti rationem habendam eſſe: nec eſſe validiorem agendorum præceptorem, quàm præuiſam & ineuitabilem neceſſitatem. Itaque Regum precibus Mantuanum acceſſiſſe multo ante vtilius illi fuiſſe, quàm dominationem & prouincias Monferrati in ambiguo ſiſtere. Quòd ſi etiam denuo bellum ingruat, magno rerum ſuarum damno deprehenſurum, vim iuſtitiæ præualere; prudentérque magnis interceſſoribus concedi, quod propriis viribus retineri non poſſit. Denique plus honoris è prudentiæ fama eſſe, quàm vtilitatis è peruicacia; quæ vt deſtinatis profutura non eſt: ſic præcipuæ laudem meteri, ſi tot Regum ſponte agat potius, quàm aduerſatus impellatur. Pupillæ raptum, aut Hiſpani Regis preces, ſi perniciosa domui Gonzagæ credantur, & incommoda; tracta in longum negotiatione rejicienda. His calamitatibus ſtatim occurri poſſe, accepta vidua, & data ſorore; quæ dotis nomine pauca oppida numeret, procul à Monferrato diſſita; nec vllius (ſi negentur) potentiæ incremento. In hæc pacta quietum, & ſecuras res Mantuano futuras. Sine coniugiis apertum bellum, clades, excidia, vaſtitates; aut (quod minimum) ſecretum formidine aſſidua ob Sabaudium infeſtum; contumaces ſeditioſos, petulantes accolas; vniuerſa non dicto minus quàm tolerantiâ erubeſcenda. Et in promptu Sabaudio excuſationes futuras: ſiue ignorantiam facti, ſiue impares prohibendi vires ſimulauerit. Si Vincentij parentis meditatio placeat, rem in integro eſſe: & debere iis quoque temporibus rationem agendorum congruere; vt litis neceſſaria compoſitio credatur. Quòd ſi Hiſpani conditionibus, quas Vincentius agitauerit minus faueant, ſupereſſe alia pacis inſtrumenta, plures vias, vt quiete habita, ſalutare vtrinque matrimonium ſequatur.

Præcedentis ſcripturę auctorem, finem malorum, & ſuppreſſæ litis occaſione, pulchram ſibi quietem figuraſſe: oportuiſſe quibus artibus, aut pactis ea compararetur expedire; & ſalubri voto (quod conſultoris munus eſt) oſtendere, aut non aliam ſpem ſalutis, quàm eo in coniugio fateri. In arbitrio Hiſpanorum eſſe, an decertantes Duces velint. Quòd ſi ea potentia ſint, vt ne metu quidem moueantur, aut ſuum exitium Mantuanum queri; & de iis lamentari, quos fautores iurium ſuorum habuerit; quorum auctoritate in ſuo ſit, & potentioris hoſtis iniuriæ ſubſtractus? In immeritum interdum, nunquam in inuitum beneficia conferenda. Id illi ſeriò æſtimandum; ne tardè, & non profutura pœnitentia perditas res ſuſpicet. Vitam quidem in tuto eſſe; ſed nec modica largitione imminui dominationem; aut ideo infirmiori à Sabaudio iugum imponi. Præferri ab Hiſpano nuptias: quod nullo maiori vinculo familiarum animi obligentur. Si nulla neceſſitudinis occaſio foret, alia remedia tractaturum fuiſſe; vt plura numero, ſic ſpe exitúque minora. Satis bona ſua Mantuanum præuidiſſe, vel eo argumento argui, quod liberè abnuere matrimonium veritus ſit, cum interdum etiam requiſiuerit. Orandam illi fortunam; ne olim fruſtra deſideret, quod nunc faſtu rejicit. Securam à Rege tutelam eſſe: Neque tamen peruicacia irritandam potentiam; aut nimia fiducia, temerè conſilia ſalutaria reſpuenda. Siue admittatur, ſiue

abnuatur coniugium, expenſas & belli mala ſecututa, niſi ſecuto remedio prævalidus hoſtis molliatur. Ineptiſſimè iactari exiſtimationem, honorem, dignitatem, vbi quod honeſto titulo concedi poteſt, vi exprimendum relinquitur. Imo Hiſpanorum vtilitati conducere, vt armatum Sabaudium tolerent, ſi hoſtiliter agat: non oblata ſolùm occaſione proſcindendi aduerſus ingratum, ſed etiam vt inquietus ſuis artibus abſumatur. Et quidem credi poſſe, non toleraturos augeri potentia Sabaudium, nec id prudentes abnuere; occultum bellum timendum, & aſſiduas vexationes, haud quamquam aperto prælio meliora. Hæc caueri, & antequam vrgeant diſſolui oportere. Didiciſſe Mantuanũ non ſolùm, qua vi, & quàm parato robore excindi à Sabaudio poſſit; ſed quàm impar ipſe hoſti ſit; & vt non niſi alienis opibus ſuſtentari in imperio poſſit. Cæſarem ac Regem Hiſpanum, tam diu arma in Mantuani ſubſidium geſtaturos, donec Sabaudium formato exercitu apertè Monferrato inſultare ſpectauerint. Secreta illa, & quorum auctorem nec accuſare nec punire liceat, mala, abnuente Sabaudio, licet acriter feriant, bello non executuros. Et eo minus ſi aſperum Mantuanum, aduerſus vtilem rerum ſuarum compoſitionem inuenerint. Eadem conditione & Gallum Regem eſſe; cuius in Mantuanum pietas iam frigeſcat; non minus cunctatione parendi, quàm ob conceſſum æmulæ genti rerum ſuarum arbitrium.

Si Veneti prudentia commendentur, ſi beneficium acceptum negari non poteſt, ſi futuri ſpes ſit, audiendos, cum matrimonium non vna voce laudant præferúntque. Diffidentiam certè aut ingratitudinem cenſeri, vbi cognoſcatur benefactoris auctoritas vileſcere. Quodam fato Mantuano euenire, vt amicorum inimicorúmve placita, non alia reuerentia excipiat, & Europæ Principum ſapientię, paucorum à ſecretis incuria præferatur. Illud fruſtra metui, ne Infans pupilla ab Hiſpanis requiratur; neque ea in re Gallorum ope Mantuanum egere. Nam niſi ſapientiorib. acquieuerit, Regumq; arbitrio ſua commoda adaptauerit, ſuppetere Sabaudio formam, quomodo neptis licet abſentis iura, aut ſecreto, aut aperto bello proſequatur. Ne ſuper Monferrato quidem certa eſſe Sabaudij iura, quanto minus in res pupillæ aut modicas, aut nullas; ſed prætextus & creditam æquitatem ſuffeciſſe repetendis prouinciis. Multo honeſtiori nomine iunctam neptis cauſam proſecuturum. Apud magnos & potentes hoſtes iuſtitiæ ſpeciem ſufficere. Dotis, & eorum quæ ſimul requirantur, minimam eſſe iacturam; ea tamen præſto eſſe debere, vt requirenti Sabaudio repræſententur. Ne ſi veteri odio, & ambitione prorumpat, iuſtiſſima cauſa agere præſumatur. Eſſe apud Magnum Hatruriæ Ducem, quod cum Mantuano nuptias moretur: non ob ſenſum Europæ, ſed Regis Hiſpani reuerentiam & fortunæ Mantuani formidinem. Scire enim vtilitati ac neceſſitati magis viduam conducere: & niſi amica negotiatione nuptiæ ſequantur, certiſſimum bellum imminere. Itaque quamquam magnitudine & nobilitate, negligere Mantuanum non poſſit; ſorori ſuæ tamen timere, ne ſpe lætitiæ & fauſti ominis collocata ærumnis coniugis inuoluatur. Quod ſi ſorore poſthabita, licet requiſitus viduæ nuptias Mantuanus præferat, quid credendum eſt illi expedire, cuius cauſa agatur? Equidem permiſſum Regi Hiſpano matrimonij arbitrium arctius Mantuanum obſtringere; quàm vt liberè thori ſociam deligere poſſit aſpernarive: eâ tamen modeſtiâ eſſe, vt niſi commodo & vtilitate Gonzagæ domus induci velit. Laudare neptim non caritate, non ambitione; ſed amici bono: neque enim ſplendori regio hinc acceſſionem gloriæ, aut magnitudinem Sabaudiam eo decore egere. Hetruſcum verò quo maiori neceſſitudine Regem tangat, eo honeſtioribus votis promptius auerſurum. Poſtremò ſuperiorem licet ſuâ fortunâ Sabaudium, eaſdem quas ante bellum voluerat, pacis leges dicturum. Sed (quod Mantuanum iugulat) vetera iura

tripli-

Digitized by Google

triplicatas verſuris dotes exigere; quas vix hic abnuere purâ fronte poſſit. Nec apicibus legum,ſed ſolido niti,vt ſibi ſuiſq; ſatisfaciat.Hæc opus eſſe à Mantuano componi, ſi manſurum pacem velit; neque obſtinatione ac duritie, debere præferre firmitatem; quam non amicorum opibus, non pecuniâ ſuâ, non milite iactare poſſit. Duplici connubio expedire ſe,præſentibus & imminentibus moleſtijs poſſe; & addidiſſe vtrinque numina, inſtrumenta concordiæ, Principes ſorores,regijs moribus,& virtutibus ante alias. Secuturam prolem quæ duas domos nectat; vt quocunque Sabaudius proſpexerit, nepotes occurrant, certiſſima vincula caritatis;paucorum ante oppidorum conceſſione mollitus. Id genus humanum conſenſu approbare; nec aliam pellendarum domo ſuſpicionum viam eſſe. Niſi ſalubri huic conſilio Mantuanus acceſſerit, deprehenſurum experimento; quibus ſe difficultatibus & anguſtijs impingat.

Ea reſponſionis forma fuit; quæ nec ipſa omnibus placuit, quamuis Sabaudij iura prætulerit; ſiue apud Mantuanos inuiſa fuit; quòd rationes in contrarium adductas iugularet. Contemptui Viduæ Ferrarienſis,& Siluij Teatini,in exitium Gonzagæ domus nati, teſtimonium ſatis erat: annexis inſuper iis,qui in fœminæ gratiam, & Viduæ Sabaudij odium, nuptias auerſabantur. Adeóque temeritas viliſſimorum Ducis ſeruorum increuerat, vt eadem velut alieno dictatu ſumpta, ituro cubitum, exſurgenti, epulanti, inter ſeria & iocos recitarent; tantâ ſecuritate (magno enim fotu incalueraut,) vt ne Conſiliarij quidem audentius loquerentur. Hinc ſi cui honeſti & vtilis cura ſuberat, publicè tamquam apud obſeruaturos, Ferrarienſique relaturos, teſtari non audebat: cum ipſe Dux facilem ſe læſuris, aſperum profuturis monitis pręberet. Quò minus mirum quod Mantuanus quíque intus veritatem olim ſectatus fuerat; tot ictibus, tot expoſtulationibus, priori & ſalutari deſiderio exciderit. Et ſecreta quædam opinionum colluctatio, magno æſtu animo eius influere viſa eſt; quæ inquietudinem, vigilias, inediam, & frequentia per interualla ſuſpiria exprimebat.

Cum ſui laboris ſenſum prioris ſcripturę confutator præuideret; & licet publicè vulgari ſententiam ſuam cuperet; non auctorem tamen ſe circumferri, aut iactare ingenium auſus eſt. Ita clam in Ducis manus exemplar, fruſtra quęſito qui detulerat, venit. Neque ſciri à nobis res potuiſſet, niſi ſolitâ leuitate Mantuanus,videndi ac legendi copiam toti familiæ feciſſet. Spem ſalutis (ſi quæ ſupererat) ſors in deſperationem vertit, delapſo Mantuano in amorem nobilis & venuſtiſſimæ puellę, cui Camilla Faâ nomen erat: ex eorum numero quę olim Viduæ famulatę fuerant. Hęc rarâ pulchritudine fratrem quoque Ducis illexiſſe dicebatur: ſed retinuiſſe pudicitiam ſupra quàm credi poſſet, virili conſtantiâ. Iuuenem morum concinnitate & vallatę honeſtatis, Mantuanus blanditijs ac muneribus fruſtra aggreſſus eſt; cum illa pręter honeſtas nuptias, ſæculi illecebras nec ſciret, nec admitteret. Ergo vt obſequentem cupidini redderet, ſpe coniugij aggreſſus eſt. Nec illa fortunam in tes ſuas verſam aſpernata eſt; licet pudicitiam in futuras nuptias retinuerit. Vix apud Aulicos creditum, tot menſes iuuenem Ducem deſiderium toleraſſe; aut illam alieno ſe affectui inconcuſſam prębuiſſe: licet ad extremum didicerint, quantum in Mantuano ſolicitudinis, tantum in illa virtutis fuiſſe. Aſſiduus apud hanc Mantuanus erat, choręas & ludicra agitabat, comœdijs intererat; & cum grauis hiems terram niue denſaret, vehiculo per Vrbem ductabat, perſonatam, ſed cognitam. Malum quod Duci puella contulit cum honeſtate fuit. Quippe cum ille arcana amicè communicaret & totos dies colloquijs impenderet; inter tot rerum argumenta id quoque in diſputationem venit, an Viduam Sabaudiam ſibi matrimonio copularet. Camilla audita Dominicæ voce inhorruit, ſtatimq́; fortunæ ſuę

Mantuanus delabitur in amorem Camillæ Faâ, quæ Ardizina dicebatur.

ſtudio deteſtata coniugium,vi omni enixa eſt,ne qui laudabant præualerent.Neque tamen odium fuit, ſed metus & verecundia ; quaſi paueſceret, à Viduâ olim Dominâ eâ in ſpecie flagitij, cui affinis credi familiaritate Ducis poterat, deprehendi. Aliqui illam cauſam propriam egiſſe referebant ; vt amotâ æmulâ, tamquam certioris ſpei ; ipſa iam Ducis ſuperior, & vicina ſummæ fortunæ induceretur.Non aliud per eos menſes acrius proſecuta eſt,quam vt loco Vidua depelleretur, & ſui anxia & ambigua futuri. Quid corruptus affectu animus,& altiſſimè admiſſum deſiderium afferre poſſent, & illa ſupra ætatem prudens nouetat, & à parente, ac contubernalibus fœminis monebatur : non enim procul ratione eſſe, inter Sadaudios & Florentinos ambigentem iuuenem, minori fortunæ, ſed occaſioni præualidæ locum aperiri.

Hac illi diſſuadet matrimonium Vidua.

Sub Auguſti finem, qui matrimonium ac veniam rebellium (oblato ſcripto quod paulò ante recitauimus, & alio confutatum habuimus) fuerat inſectatus, demum ſententiam ſeriò requirente Mantuano,in contrarium flexit.Cum enim mutuum coniugium commendaſſet, rationes addidit, quibus Hiſpani,Galli,Cæſariſq; indignatio (niſi annueretur) metui poſſe docebatur. Longior facti examinatio lucem rei fecerat ; & patefecerat veritatem, cui iam refragari verecundiâ præpediebatur. Recitatione abſtinemus ſcripturæ ſtilo ac methodo laudandæ, quæque curam exercuerit, quàm olim pro Mantuano aduerſus matrimonio fecerat.Sed nec alijs fundamentis innititur,quàm quæ in idem argumentum ante retulimus. Hoc Mantuæ continuis diſputationibus,actionibuſq; inter Aulicos,& apud Ducem;cum Sabaudius inter querelas aduerſus Hiſpanum, & iniurias Mantuani ; quæ inculcatis ad Europæ Principes literis miſerat, à prouiſu mutorum non abſtinebat. Imo Heluetios & conterminos Tranſalpinos inuitabat, apertè iam Mediolanenſi ditioni comminatus. Ramboglietus eâ tempeſtate Galliæ Regis Orator iam in cauſam deſcenderat;quique non cauſa potius, quàm gentis impetu Sabaudij animos certis promiſſis accenderat ; ſumma rerum in eo vertebat,an dimittendus à Sabaudio exercitus eſſet;& quando eâ in negotiatione obtemperatum Inoyoſæ fuiſſet , an apud Hiſpanos eadem moderatio requireretur. Quippe Inoyoſa accitis iam pluribus centurijs recentium auxiliorum,ſolui à Sabaudio militiam imperabat : eò maiori conſtantiâ quò plus ſibi virium eſſe videbat : idq; ſufficere quieti nonnulli arbitrabantur.Quamquam enim diſcordes adhuc Duces, non matrimonio , non compoſitione finium conueniſſent, depoſitis tamen armis,tantùm cauſâ acturi videbantur. Id audaciorem Mantuanum reddiderat ; tamquam parere Hiſpanis Sabaudius cogeretur ; ipſe à vi illius tutus, præſidio gentis redderetur. Itaque velut delegato munere,& in potentiores reclinatâ belli curâ ſcenicis vanitatibus intendebat ; die ac nocte theatris induiduus, & victoris more agens. Patrem quoque Camillæ Monferrato acciuerat, cum quo credebatur ſecreta pacta , & abditas conditiones matrimonij cum filia tranſegiſſe.

Ramboglietus.

Inoyoſa inſtat, vt Sabaudius ſolnat militiā.

Cauſa haud dubiè Mantuanus Sabaudio ſe ſuperiorem putabat ; quod diceret, in turbatorem & inuaſorem omnia iura clamare.Sed Sabaudius qui fortiores Hiſpanos armis retinere iam in animum induxerat , eò certius Mantuanum Monferrato quoque depellere meditabatur ; niſi concordiæ legibus faciles aures præbuiſſet. Et (quod dictu mirum) cum luſtraret exercitus, militarem annonam , & commeatum aggereret,ſua muniret,aliena expiſcaretur,pacis tamen negotiationem admittebat : vt ſcirent Hiſpani cum armato & impauido de pactis tranſigendum : conteſtatuſq; Rambogliettο fuerat,ſe concordiæ paratum,ſi Blancæ & Filiæ Viduæ à Mantuano dotes reproducerentur , ſi iura ſua ſuper Monferrato ſtatim agnoſcerentur; ſi Mantuanus aduerſum ſe iniurijs notus,& rebellibus peperciſſet, & Monferrati damna perpetuo ſilentio inuoluiſſet. Canaueſum prouincia

uinciā ſufficere exſoluendis quæ Sabaudius poſcebat videbatur, quoties facilitate ipſius humanitas tentata foret: Nobilis illa quidem, ſed pars exilis Monferrati; quæ ne conceſſa quidem apud Mantuanum eſſe poterat; ambita Sabaudij viribus, & recipi quouis in tumultu facilis. Hinc illinc implicatæ difficultatibus conditiones pacis, Inoyoſam primùm ſolicitum habuêre; Regis imperio arctatum, nè Monferrati pars vlla Mantuano detraheretur: & promiſſis quæ Sabaudium aduerterant, & quorum occaſione indignatum Ducem nouerat. Itaq; nec comminationibus abnuente Rege, nec precibus locum nouerat, induraro Mantuano ſub alienâ fiduciâ aut integras cum Sabaudio inimicitias protegentibus Hiſpanis exercere, aut ſecuram & duraturam pacem facere. Sed præ cæteris implacabili in deſciſcentes odio erat; quorum conſtantiam in iniuria intolerandam dicebat. Vi cogi videbatur; & oratam clementiam intempeſtiuam appellabat, ſi ſtabiles in offenſa perduelles, alienâ auctoritate aut precibus, in gratiam recepiſſet. Neque hi Sabaudij fauore tuti veniam anxiè poſcebant, malebantq; illam armis potius, quàm literis exprimi. Ea animorum conditio erat, vt cum vniuerſi ſuſpicionibus laborarent; nec ſecutura concordia crederetur, liberè apud infenſos & obnoxios partium iura agitarentur.

Sed Sauellus & Ramboglíettus in omnes facies verſi, nil apud Mantuanum & Inoyoſam intactum omittebant, quò formam pacis aliquam inducerent. Communibus, & malis imminentibus accurrerent. Caſtilionæus Princeps pro Cæſare nixus, licet Mantuani conſanguineus, etiam apud Sabaudium eandem curam pari ſtudio ſectabatur. Sed ante alios Inoyoſa, poſtquàm offendiſſe Sabaudium; nec aliam niſi explendis promiſſis viam reconciliationi ſciret, & dicto & factis pacem commendabat: Oratorem tamen Gallum pactis & negotiationi ſe ingerere impatientiſſimè ferebat. Nullas Regi in Italia partes; diſcordiam Italorum Principum eſſe; & vtroſque Hiſpanis non minus ſanguine quàm obſequio deuinctos. Poſſe illum preces deferre, & vtrumque conſilio iuuare in publica commoda: ſed gloriam negotij & arbitrij decus, apud ſe eſſe velle. Tabulas ſe quidem & pacta Gallo arbitrio ſignaturum negabat. Ramboglíettus audito neglectu ſui acrius inſtabat; teſtatus non minorem Regis ſui in eâ concordiâ partem, quàm Hiſpani eſſe vt qui cunctantem impellere, & vi cogere poſſet. Sabaudium ab Hiſpanis ſibi metuentem in tutelam ſumpſiſſe; miſſurum exercitus qui vindicent, doceantq; Hiſpanos eius arbitrium cenſeri, cuius vires æſtimentur. Porrò auerſari Inoyoſam inchoatam pacem eo argumento conjici poſſe; quòd & maturam diſſoluerit, & ineptâ æmulatione diſtulerit. Sabaudius quoque Rege Gallo nixus, niſi conſcio Ramboglíetto conditiones audiebat; in eo ſtare ſecuritatem ſuam putans, ſi iam tum obſequium reddidiſſet: vt iam certum Inoyoſæ eſſet, aut accipere pacem, aut apparare bellum debere. Quâ cauſâ Sauellus & Ramboglíettus, cœptam tractationem (quam concordibus votis Pontifex ac Regina promouebant) proſequebantur: licet Inoyoſa vanum illum, nec profuturum laborem appellaret.

Inoyoſa non vult Oratorem Gallum ſe negotiopacis ingerere.

Medio ardore negotiationis, vterque Sabaudium Vercellis conuenerat pacta concordiæ abſoluturi. Id etiam Caſtilionæus auerſatus fuit: ſiue Mediolanum vrbem regiam ſanciendis conditionibus opportunam crederet; ſiue & ipſe compoſiti motus vniuerſam gloriam Ramboglíettum præſumere æſtimaret. Decima ſeptimâ Nouembris die aduenerant; vt ſi Inoyoſa & Caſtilionæus inuiti diſcrepaſſent, ipſi formam agendorum ſtatuerent. Sabaudius quoque dignitatis ſuæ nunquam immemor, nec auerſus honori ſuo, literis vtrumque inuitauerat, vt ſeſe Vercellas conuenirent: breui diſputatione expediri vniuerſa poſſe, & tot difficultatibus finem imponi, teſtatus. Nec ſine viri gloriâ erat, Pontificium Nuncium & Oratorem Gallum domi ſuæ ſplendidè exceptos, preces attuliſſe; &

Sauellus & Ramboglíettus Vercellis Sabaudium conueniunt.

apud validiorem concordiam ſanciuiſſe. Non literis non pactis quidquam interjici patiebatur, quod in decus ſuum rectà non collinearet. Vbi conuenerunt, tamquam inter Hiſpanos & Sabaudium medij pacis eſſent; de modo diſſoluendæ à Sabaudio militiæ actum; & in eam ſententiam decretum, placere dimitti à Sabaudio exercitum, nec plus militis ſub ſignis retinere, quàm tertium ante annum à Varenâ Galli Oratore ſancitum fuerat; & nouum ad Vercellas munimentum erectum requirere Sabaudij ſecuritati videatur. Sacramento interim, non ſuo magis quàm Regis nomine Inoyoſam promittere, viceſimum poſt diem coactas copias diſſoluturum, nec in poſterum hoſtilia tractaturum. Quod ſi contra feciſſet Sabaudio Pontificis, Galliǽq; Regis tutelam ſponderi: Sabaudium ac Mantuanum litis arbitros dicere, qui ſextum intra menſem controuerſias componant, vt pronâ facilitate vtrinque in concordiam eatur. Canaueſum prouinciam interim Sauello, Ramboglietto, & Inoyoſæ tradi; vt ijs oppidis, Blancæ in primis, demum Viduæ relictæ Mantuani Ducis dotibus, gemmis & acceſſorijs caueatur. Ignoſci rebellibus (ſed honeſtis nominibus appellauerant) facultatemq́; ijs eſſe bona quæ poſſideant liberè vendendi: omnibus famam, honores damnatione & proſcriptione imminuta, reſtitui. Condonari damna præterito bello illata: nec quod ſemel arbitri ſtatuerint, in poſterum retractari. Vbi illi in hanc formam decreuerunt, primus Sauellus, mox Ramboglicttus, tamquam arbitri ſubſcripſerunt. Cuncta hæc Sabaudio volenti fuerunt; quem certum eſt Canaueſum aſpexiſſe; credidiſſeq; duplicis dotis causâ (ſi Mantuano ad manum pecunia non fuiſſet) partem illam, vt Pedemontanæ intimam ſibi ceſſuram.

Leges pacis ab vtroque cum Sabaudio dicta. Varena Orator Gallus.

Vbi typo res vulgata, ne quem conditione fallerent; & vt negotiatio plus haberet maieſtatis, Mediolanum, Mantuamq; delata eſt. Vmbræ & inania turbare Mantuanum ſolita erant, quò minus mirum, conditiones, & conſilio Aulico & illi pariter diſplicuiſſe: quo enim permittente in Mantuanum latam ſententiam, cui tantum auctoritatis permiſſum; vt nemine Ducis cauſam agente damnaretur? Diſſoluendæ inter Sabaudium & Inoyoſam militiæ formam deſcribi debuiſſe, non iura partium neſcio Cæſare expediri. Non Regis literas, non Cæſaris exhortationes firmum animum commouiſſe, vt tam ingentia largiretur. An plus Sauellum, & obnoxium Sabaudio Rambolicttum apud læſum poſſe. Manifeſtum eſſe, aut nunquam, aut ſolius Hiſpani gratiâ, Mantuanum ſuis iuribus non ceſſurum. Iam tam ingentis depoſiti reputationem, bonorum omnium iudicia perſtringere. Octoginta aureorum millia Blancæ, centum millia Viduæ relictæ; & ſi quid acceſſionis vtrique deberetur, tantâ oppidorum multitudine æſtimata: quæ, ſi frequentiâ incolarum, magnitudine redituum, multitudine nobilium ſubditorum, cœli ſalubritate, terræq; vbertate, veris prouinciarum pretijs iudicentur, multos milliones excedant.

Mantuanus ea pacta renuit.

Hæc ſumma querelarum Mantuani fuit: ſimul ad Inoyoſam dedit literas, iniquitatem arbitrij accuſans, neq; ſe niſi Hiſpano voto ceſſurum teſtatus. Satis hinc præſidij comparauerat, ſi firmus in propoſito ſteriſſet. Sed dum Gallos aut Hiſpanos (prout occaſio conducere admonebat) præfert, nec in ſuo ſecuritatem inuenit, nec in alieno; Gallo Hiſpanoq; iuxta ſuſpicaci. Inoyoſam ſcripſiſſe Sauello accepimus parum æquitati conſona ſancita Vercellis fuiſſe; & ne ſe tot Procerum inuidiæ exponeret, Mantuani lamentationes proſecutum fuiſſe. Ad hæc Sauellus & Rambogliettus ſuam aduerſus vtrumq; Regem fidem obteſtari: non arbitrium corripuiſſe, nō Inoyoſam aut Caſtilioneum excluſiſſe: nec ideo depoſitū prouinciæ immenſitate quęſitum, vt apud Sabaudium aut Hiſpanos remaneret, ſed vt res ipſa tranſactioni negotij ſtimulos acres ſubderet. Certum enim ſibi fuiſſe, non eam in Mātuano deiectionē animi fore, vt pro dotali pecuniâ, ſpecioſiſſimā iuriſdictionē concederet, & eorum maximè oppidorū, quæ ditiſſimam Monferrati partē continerent.

neret. Res dies aliquot agitata, nouitate diſſoluta eſt; non infimo abnuendi inſtrumento Inoyoſa & Caſtilionæo; cui retinendæ dignitati, vniuerſa à Gallo Oratore tractata rejicere pro pretio erat. Nam multo ante in Sabaudium induruerat, verecundia eorum quæ ſpoponderat, & exacerbato contumeliis animo: neque proficere in negotium pacis Gallum volebat; nec ipſe certiora proponebat, quod requiri conſilium ſuum, & orari vellet. Equidem cum Sauellus, & Rambolietus Vercellas cogitarent, vt cum Sabaudio pacta firmarent, Inoyoſa publicè ſententiâ abſtinuerat; iuueni tamen Oratoris à ſecretis dixerat, potuiſſe Dominum eius eo labore temperare, quem fruſtra ſuſcepturus foret; niſi arbitrium conditionum, ſibique & Caſtilionæo permiſiſſet.

Cum res Mantuana Hiſpanorum Sabaudiíque arbitratu fluctuaret; & incertiſſimam poſſeſſionem, innumeræ vtrinque difficultates; Galli Oratoris, Caſtilionæi, & Inoyoſæ æmulatus promitterent; Mantuani Ducem ſuum, non indignationis Hiſpanæ, non odij Sabaudij exceptione vllâ vrgebant, vt in nuptias conſentiret: quaſi effœta ætate, aut parum fœcunda valetudine ſpes domus præcipitarentur; aut ducta vxore (niſi ea vidua relicta foret) Sabaudium ne denuo prorumperet retentura eſſet. Adeo quod minimè vrgebat curabatur. Et tamen Vincentius frater iuuenis ſupererat pars magna & ſecura ſucceſſionis; qui non coniugium, non cœlibatum niſi fratris arbitrio præferebat. Sed populi caritatem immatura adhuc Niuernienſis fortuna accendebat; ne cunctatione ac mora, in longius ſitum, & moribus externis infectum, portio illa Italię potentię deuolueretur. Dux ipſe cœlibatui iniquus frequenter Hiſpanos accuſabat; quaſi per eos ſtetiſſet, quod alterum ante annum non nupſiſſet. Tres in partes ſciſſa Aula diuerſitate ſententiarum agitabatur: licet in id vniuerſi concurrerent, mirabili dominationis arcano, nec intellecto; ne poſſeſſioni Monferrati ante, quàm ſucceſſioni familiæ conſuleretur. Poſſe Reges occupatam ab hoſte prouinciam reddere, dare liberos non poſſe ſumma cauſarum erat. Neque tamen diſtinguebatur, quo maiori diſcrimine vtrumque verteretur; & cui ante alia prouidendum crederent. Ex his alij Ducis nuptias, alij Vincentij fratris, quidam vtriuſque conſulebant, ſuiſque rationib. ſinguli nitebantur. Ducis matrimonium ętate primùm laudabatur: id eſſe ius primogenitorum; vt rerum adminiſtrationi deſtinatus, ſucceſſorem relinqueret; cui acceptam à maioribus potentiam, tamquam per manus traderet. Viſis ſui Domini liberis ſubditos turbidos pręſenti reuerentia, & futuri vindicis metu in officio haberi. Non alia fortiora dominationis prǽſidia eſſe, quàm numerum liberorum. Sic proximè deſtinatorum inſidias vitari quoties flagitium, nil addit ſacrilego; ſed filios qui ſint paternas iniurias executuri. Fratrem fratri non natura, ſed ęrumna & infortunio ſubſtitui.

De matrimonio Mantuani ſubditorum ſententia.

Ferebatur contra, inualidum oneri matrimonij eſſe Mantuanum; frequentibus in iuuenta continentię ac religionum votis, nec hactenus apud Principes auditis illigari. Plures annos Eccleſiaſticis inſtitutis vſum, ſęculi neglectum imbibiſſe; & poſſe ſeruato rerum arbitrio, ſucceſſionis curam iuueni & valido fratri credere. Eum enim vigentem ętatem, & robuſtiora artuum compagem ſuffecturum promittere. Equidem ſi fratris liberos Dux in certam ſucceſſionem vocauiſſet, non defuturam illi coniugem Principi loco natam; quę domeſticam nobilitatem proueheat, & dignam Mantuanę dominationi prolem reddat. Quibus vtriuſque fratris nuptię placebant, gracilitate & languore Ducis, pinguedini ac moli Vincentij Principis metuebant; ne ille infirmitate, hic inutili obeſitate, parum expectationi reſponderet. Ita fieri vtriuſque periculum debere cenſebant: vt ſiue vni, ſiue alteri proles contingeret, res domi in tuto ſiſteretur. Inopiam Vincentij nemo formidabat: cui pręterquam quod dignum natalibus patrimonium contigerat; fraternę inſuper opes bono Reipublicę cauebant. Cęterum plus negotij

in deliberatione erat, quàm vt ſtatim & incóſultò abſolueretur. Non deerant qui Ducem retinere Cardinalitiam dignationem vellent; & data fratri vxore nepotes eius ad ſucceſſionem vocare; apud omnes tamen ab initio in finem ferè placuit, vt Dux nuberet, Princeps Vincentius Eccleſiaſticis muneribus initiaretur. Cum nihilominus aliqui ſucceſſioni diffiderent; & vtilius certiúſque Vincentium contrahere faterētur; eo res proceſſit, vt vulgaris ſententia paſſim acciperetur; vtq; diſſiti non minus quàm præſentes in eam curam intenderent. Capitale famulis apud Mantuanum erat, præferre fratris matrimonium, nec alio validius gratia noſtra apud Principem commota eſt, quàm quod primi ſententiam aperuiſſemus; & conſtanter ita domui expedire fuerimus profeſſi. Id liberius teſtari licuit; quòd Ferrarienſis votis Mantuani contremiſceret; Deúmque vindicem metueret, ſi minus religioni paruiſſet: niſi eo ipſo certius excludi viduam Sabaudiam videbat; & honeſtiſſimo prætextu tegi alienationem.

Traianus Guiſcardus, nuptias Vincentij Principis cum filia Regis Galli notha procurat.

Traianus Guiſcardus adhuc in Gallia pro Mantuano erat, commoda familiæ proſecutus, & eo nixus, ne bello quod præ limine videbatur, à Gallis Sabaudio aſſuturis vexaretur. Non ſemel reſponſum acceperat, tuta Mantuano omnia, ſi ille ſe Hiſpanis non commiſiſſet. Vbi patriæ prouiſum fuit; ſiue quod gentis ferè incuſtoditę meditationes introſpexerint; ſiue prouexerit occaſio negotium; ſiue amicorum monitu fuerit eruditus, apud Reginam, & quib. arcanorum regni commiſſa cura erat, ſecreta de Vincentij matrimonio colloquia agitare auſus eſt; vt & cupidini ſuæ conſenſus ſingulorum reſponderet, aſſequeretur. Henrici quippe Regis defuncti (cui Magni nomen virtutum fama circumdedit) dubia matre filiam, quæ dotis nomine trecenta aureorum millia, & Regis munificentiâ nobilem penſionem promittat, illi deſtinabat. Viſi initio Galli conditionem Principis, & (vt rebantur) certum animum non aſpernari: niſi iam tum ſucceſſioni Mantuani, prolíque diffiderent. Tantùm quo plus maieſtatis negotiatio haberet, in id flexerant, vt ſi petia foret, negaturi non viderentur. Aduerterat Guiſcardus fortunæ magnitudinem; cúmque Ducis ſecuritati & vtilitati, plurimum eas nuptias addere crederet, citis literis Ducem interrogauit; concluderetne pacta, an fratris

Id primò Mantuanus probat. Mox abnuit.

commoda maiotibus prætexibus (quos ipſe ignoraret) abrumperet. Re in diſcuſſionem Mantuæ vocatâ ſtatim reſcriptum, vrgeret cœptam negotiationem, & paratam concluſioni animum in vtroque fratre doceret. Ergo Guiſcardus cum Regina ac Proceribus apertius eloqui; nobilitatem, nexum Regi ſanguinem, indolémque teſtari; nec ante officiis apud eos quos proficere poſſe nouerat, abſtinere, quàm negotium in ſui Ducis arbitrium traheret: id enim verbi à Regina retulerat. Cauiſſe domus periculis inopinatis nuptiis videbatur; cúmque iam procliues Galli, feſtinans in deliberationem Regina, & Senatus Procerum annueret, id & publicæ rei partem eſſe docuit, & certam ſalutem familię, ſed (qua cauſa neſcitur) tractatio Mantuæ alto ſilentio inuoluta eſt. Guiſcardus ab his qui conditiones connubij Reginæ iuſſu tractauerant, requiſitus; quod in excuſationem traheret, non habebat; ſed abſtinere negotio & opperiri recentes literas ſe dicebat, iræ ac pudoris medius. Quidam ex Hiſpanis metum, & in pronius Vincentij obſequium interpretati ſunt.

Certè cum res promoueri cœpta eſt, conſilio prudentium laudem meruit; & ludificatio Regiarum nuptiarum, diſceſſaq; ſinu magna, nec amplius reditura fortuna reprehenſa. Certum tamen eſt paucos poſt annos, cum nauatâ Regi ad Vercellas operâ, nobilitas & ſtudium partium iuuenis obuerſarentur, annuum ſex millium aureorum donatiuum nomine penſionis expreſſiſſe; quaſi arram futuræ munificentiæ, & gratitudinis documentum. Scio id bono iure Sabaudium riſiſſe: vt cui certum eſſet pompam id & ampullas eſſe; & nos multos poſt annos procuratore Monferratenſi prouocatam ſolutionem experti ſumus; eam tamen glo-

riosis

rioſis tantùm nominibus, & vanis promiſſis repetitam; cum pleraque præſenti occaſione excuſarent. Idem Mirandulano Duci eueniſſe didicimus: cui cum plus pecuniæ, minus verò vtilitatis eſſet, in viceſimum quintum annum dilata ſolutio eſt, eiuſdem penſionis; & tamquam tempore præſcripſiſſet, obliterata. Mantuani ſilentij Regij matrimonij apud Gallos eadem conditio fuit; forſan odio neglectus, aut ne ægrè ferre repulſam viderentur? Illa tamen nobiliſſimo loco, & Regia liberalitate deſponſata eſt; tanto Mantuanorum contemptu, vt illi prioris tractationis meritò pœnituiſſe videri potuerint. Ab intimo Mantuani Conſiliario didicimus incertum futuri Mantuanum diu hæſiſſe; an eam ſibi coniugem depulſo loco fratre, adſciſceret; ſimulq; & apertam & ſecretam Hiſpanorum fidem eiuraret; odio Inoyoſæ tractum; & apud tutores Gallos præſumptâ ſeueritate. Et quamquam Ferrarienſis lubricum in omnia nepotis ingenium abſtraxiſſet, plus tamen Camillam illecebris, & deſiderio ſui profeciſſe; ne ſibi ne fratri externum matrimonium compararet. Certum eſt cum eundem intra diem plures nuptiæ cenſerentur; Mantuanum modò has, modò illas laudaſſe; ac ſi eadem facilitate qua calcei, matrimonia mutarentur. Sed illud ineptius erat, quod quoties Aulici hoc illudve matrimonium laudabant; toleratum à Mantuano, vt veluti expletum vulgaretur. Nec perfunctoriè id, ſed vicinos Principes eadem rerum nouitas aduertebat, vt Oratores gratulaturos cum literis mitterent. Pro Eſtenſi miſiſſe Venetos, pro quadam Venetâ miſiſſe Mirandulanum ſcio: adeo cum vnam tantùm Dux poſſet accipere, innumeras fouebat, differebàtque: & quaſi æmulatione puellæ Principes in id coniugium anxiè niterentur, vniuerſas ſibi deſtinari circumferebat. Eadem in claſſe Camilla erat; magnis Principibus, licet inferior, æquata; & in earum numerum adſcita, quæ ſortirentur.

Ad quod Camillæ ſtudium.

Porrò Sauellus ac Rambogliettus, quamquam criminari ſe, quod inuito Inoyoſa ac Caſtilionæo, auſi inanem concordiam forent; ne tamen priuato reſpectu, publico bono valedicere viderentur, vt Sabaudius Hiſpano componeretur, procurabant. Et Rambogliettus, qui amore Sabaudij aut gloriæ deſiderio diſtractus, ægrè affectui auellebatur, iam nouerat, tardiorem pacem eam negotiationem ſequi, cui Inoyoſa non annueret. Maieſtati Regis Hiſpani etiam Galli, deberi aliquod à Sabaudio obſequium fatebantur. Quod in alio neglexerant, ſibi quoque in tempore officere poſſe metuebant. Quantum Hiſpano reuerentiæ facto dictóque deberetur diu diſputatum; quoad Pariſijs decretum, quo honore ac reuerentiâ Hiſpanus haberetur. Sabaudius nullo in Hiſpanum contemptu, aut feſtu, niſi ſperneretur offenderetúrve, præceptoris eâ in re egere abnuerat: & ſi ſibi magno ac libero Principi honeſta proponerentur, non auerſaturum ſe fatebatur: ſed imperiorum, mandati, iuſſorum ſuperba coq; ſibi inuiſa nomina, non recepturum. Etiam cum apud Ramboglietum, cauſam ſuam familiari colloquio proſequeretur, parem magnitudini ſuæ animum induiſſe dixerat; non quod ſe pacem arbitris Regibus crederet; ſed ſuis viribus nixus, auderet retinere dignitatem. Quæ honeſti ſpecie proponerentur, illicò & recepturum, & ſeruaturum: iniqua exiſtimationiq; aduerſa, niſi vi admiſſurum. Si pacem Hiſpanus velit, cur diſcordias ſuas cum Mantuano non dirimere: ſed velle filiam à ſe hoſti collocari ardentibus mucronibus in mutuas iniurias? cur non exſolui ſibi eam pecuniam velit, quam veteres tabulæ, & Caroli V. ſententia admiſerit? Id non inſerere quietem, ſed opprimere partes; non componere diuerſos, ſed prouocare. Si cauſæ Mantuanus fideret, quam toties appellauerit; cur arbitros renuat, qui ſtatim ſua cuique adducant.

Sauelli & Rambogliettus nouum in pacem conatus.

His moti Sauellus & Rambogliettus, repetitis officijs Mantuanum tergiuerſantem, & appellato Cæſare tem differentem, impulerunt, vt diu res agitata formam pacis tandem ſumeret. Caſtilionæus paulò minus quàm neglectus, licet

Mantuanus negotiũ pacis Sauelli & Rambogliet-to cõmittit.

Caſtilionæus ferè à negotio excluditur.

pacem & ipſe Cæſareâ auctoritate cuperet; & non vno argumento fidem deſiderio feciſſet, verſam tamen in Oratorem Gallum ac Sauellum negotiationem indignè tulerat. Credebatur vi ſuâ, non quidem concludendam pacem abrupturus, ſed media quibus haberetur præpediturus. Atqui multò ante rerum arbitrium Ramboglietto ac Sauello conceſſum; vt ratum credi peſſet quod vtrique ſtatuiſſent. Satis habuit Mantuanus ſeq; ac res ſuas Hiſpani placito commiſiſſe, quæq; Orator Gallus ac Sauellus tranſegiſſent, in eam formam cudere; quaſi (vt erat) nihil in ipſo conſiſteret, quod pacem bellumve promitteret, tantumq; alienâ voluntate duceretur. Ridebat Inoyoſa conatum Galli, quem vanum appellabat; & ſpecie approbantis iam decreuerat, quamcunque concordiam irritam reddere, quæ integrâ exiſtimationis Regiæ dignitate non tranſigeretur. Et Mantuanus toties diuerſus, eâ in re Inoyoſæ mirè congruebat; teſtatus vel cuiuſuis cucullari ſponte, bonam pacem ſibi gratam fore; ſed non aliam pro bonâ recepturum, niſi quam ipſe probauiſſet. Suſpectabatur id Sauellus & Ramboglietttus; imo & Sabaudius aduerterat; eoq; licet aſſiduè negotium excuteretur, nihilo ſecius tamen bellum apparabat, auxilia conducebat, arces prouentu bellico firmabat. Interrogatuſq; à Sauello, cur pace iam concoctâ (ſic credebat) eâ ſolicitudine æſtuaret, reſponderat; Se quidem concordiam non aſpernari, ſed ſilente Inoyoſa vix ſperare. Perſpicacem Principis animum non erat quod falleret, nec quo falleretur occurrebat. Didicerat iam Sauellus quæ præcedentis negotiationis capita irriſa, quæ reiecta fuerint; & quo maximè læſum ſe Mantuanus quæreretur: eoq; credidit facilè in concordiam poſſe conueniri, ſi eo temperamento res tractarentur, vt integrâ Sabaudij dignitate parum Mantuano adimeretur. Sed cum rebellium venia, & damnorum ceſſio reuocarentur; irritum viri laborem, & ſpei aduerſum exitum reddiderant. Neque enim adhuc auctoritas Regum aut miniſtrorum exiſtimatio qui neceſſitatem inferebant admiſſa fuerant: & auerſus à coniugio Viduæ Ducis animus, aſperior in ſummam erat, quamuis ſecus plerique exiſtimarent, vulgarentque.

Ramboliettì & Sauellì nouus Aſty congreſſus.

Plus molis in perſuadendo Sabaudio erat; quem honore ac precibus flectere oportebat vt tractationem placatus exciperet. Quare id honori Ducis & maieſtati quoque datum, vt Ramboglietttus cum Sauello Sabaudium Aſtij agentem conuenirent, coramq; nouam pacis formam commentarentur. Ea fuit. Diſſolueret Sabaudius militiam, cuius ingenti amore tenebatur; nec maiores copias retineret, quàm olim Varena Orator Gallus decreuiſſet; nouæq; arcis Sandonal ſuſpicio requireret; quæ iam in meliorem formam aſſurgebat: Dux interim rerum ſuarum ſecurus ageret; cui in id Pontificis ac Regis nomine caueretur: viceſimo poſt die Hiſpani ſuis quoque legionibus miſſionem darent: id niſi præſtitiſſent, Sabaudium vterque præſenti auxilio iuuaret: ſi quid fortunâ belli in hunc, illumve ceſſiſſet, cum captiuis ſtatim reſtitueretur, inter Sabaudium & Mantuanum pax ſanciretur: tollendiſq; nouis offenſionum cauſis, præſumpta partium iura, arbitris quos delegiſſent, permitterentur. Ab his ſextum intra menſem controuerſiæ dirimerentur: repræſentaret ſtatim Mantuanus Viduæ relictæ gemmas & dotalem pecuniam, nec minus, ſi quid Iudices acceſſione deberi ſtatuiſſent. Dotem quoque Blancæ intra biennium penderet; & vſuras exſolueret, quas concordes arbitri iudicaſſent: obligationi ac promiſſis Rex Gallus accederet. Rebellibus ab vtroque Duce ſcelus condonaretur; eorum quæ prius apud Dominos poſſediſſent, vendendi licentia permiſſâ: non præſentia ſolùm abolerentur; ſed vetera quoque tollendis colluſionibus obliterarentur; eaq; concordia induceretur, cui quantacunque præteritorum memoria aduerſa foret. In hæc ſancita concordia, vt irrita; ſic nec Sabaudio quidem cito exitu profutura. Mantuanus enim neque ſtatim Blancæ debitum ſoluendum recipiebat; aut ijs quæ quomodocunque probare

probare ſolutionem poterant, renunciabat: neque facilis in rebelles erat, aut precibus Regis Galli paratus. Proprio certè ingenio creditus fuerat obſirmatum ſe vniuerſis præſtitiſſe; licet Hiſpani quidam faterentur, illi & Inoyoſæ ita conueniſſe, vt pacta nulla reciperet, niſi quæ Hiſpani cum Caſtilionæo dictauiſſent. Sabaudio quoque minus cautum fuerat; quòd nulla damnorum memoria haberetur, quâ Mantuani prætextus diſijcerentur. Meminerant oculati id acriter olim flagitatum, ne id Sabaudij certis iuribus æſtimatione opponeretur. Qui verò Ducis naturam vſu nouerant, preſſum id ſilentio magnâ arte crediderunt; quaſi ſponte aliquid omiſſum voluiſſet, quo ad ciendas nouas tabulas vteretur, quotieſcunque minus debito Mantuanus feciſſet.

Certè licet ab inermi Sabaudio Hiſpani aliquid negotiatione exprimere potuerint; vbi tamen ſpe ac viribus accreuit, difficilius erat etiam preces accipi: cum enim ſpecie pacem perſtreperet, vires in bellum & ſubſidia cogebat. Etiam quamcunque bellatori viro acceſſionem per arma gratiorem fore credebatur; quàm ſi maiora pactis & interceſſione Principum accepiſſet. Aldigherius in vicino armatus, magnos Ducis ſpiritus extimulauerat; contemptum ſui, faſtum Hiſpanum, paratum militem improperando; & (quod altius ſauciabat) vetera iura; & ſi bello abſtinuiſſet, perditam ſpem obijciendo. Sanè quocunque tandem animo intus eſſet, quæ Aſtij pacta negotiatione ſancita fuerant, Sauelli, Rambogliettì, & Sabaudij chirographo firmata ſunt. Re diſcuſsâ manifeſtum fuit, id non alium in vſum Proceres illos feciſſe, quam vt Sauellus ſtrenuè laboraſſe pro pace, Ramboglietus pro Sabaudio, Sabaudius pro communi quiete viderentur. Vt Sauellus facilis in negotiationem, & promptus in omnia pacta erat; ſic Sabaudius cum magnâ prudentiâ omnibus intenderet, facilem ſe quoque vniuerſis præbebat, nullâ dignitatis aut famæ imminutione. Sed ipſis etiam negotiatoribus laboris vanitas patuit, cum Inoyoſæ faſtu, & Mantuani duritie ſpe excidere viderent. Obijciebat Inoyoſa adhuc eundem Sabaudio militem, eaſdem vires ſupereſſe; Mantuanus damna repetebat, & rebellium veniæ intonabat. Sed Sauellus accipi conditiones vnà cum Ramboglietto procurabat; nec Sabaudius auerſabatur, vt modeſtiam, & pronum concordiæ animum teſtaretur. In eum finem multas centurias exterorum ac popularium in ſua loca dimiſerat; reliquis eandem miſſionem breui daturus. Sed Hiſpani tegendæ arti ſuæ, eos alias in terras amandatos dicebant; vt turbatis iterum rebus, ſtatim aduocarentur. Rambogliettus huic famæ aduerſus, dimiſſos prorſus milites aſſeuerabat; & cum rumorem Gallæ gentis inuidia vulgatum querebatur. Cætera quæ pro pace tractabantur ferè concordiâ ſancita fuerant; & ſi vtrinque dicto fides affuiſſet, poterat bellum anceps, verà cohortium miſſione, & non examinatâ fide vitari. Id præuiderat Caſtilionæus, qui ſeptimum iam diem domi valetudine aduerſa attinebatur; & per codicillos Inoyoſam monuerat, cauere inſidias; neque ſtatim Sabaudio credere, qui viciniori Aldigherij conſilio vteretur. Hinc mutuis querelis graſſari denuò inter æmulos cœptum; cum alter alteri perfidiam, & ſubdolum animum obiectaret. Hanc ob cauſam nouis indies manipulis cuiuſque exercitus ſupplebantur; nam hiems frigore & imbre horrida, tractandorum armorum viam præcluſerat; & rixantes in pace continebat.

Sabaudius partem militum dimittit.

Hiſpani ſimulatam miſſionem dicunt.

Sabaudius & Hiſpani nouis ſe copijs inſtruũt.

Non minor in Sabaudio ſolicitudo fuit; qui excepto Inoyoſæ conſilio, veteranos quos exauctorauerat ad vexilla vocauit; & externorum numerum in cohortes deſcripſit, apertis iam odijs, & minis hinc inde intentatis. Hiſpani Aſtio publicè minitabantur; Sabaudius Mediolanum finem belli appellare videbatur; quoties Mantuani cauſa agebatur interrupta concordiæ ſpes videbatur; nec ſupereſſe quod diffidium amoueret. Nam damna quæ Sabaudius Monferrati inuaſione acceperat, prætextibus huius componi poſſe dicebantur;

& ſubeſſe eadem ſemper in contumaces indignatio, quæ veniam & preces excluderet. Ita quocunque res vertebat, innumeras difficultates ſuggerebat. Accedebat quod nec Mantuani cum Vidua nuptiæ, nec vniuerſa Sabaudij placito concluſa belli mala auertere poterant: quòd Hiſpani rem iam ſuam agi dicerent; & niſi armis gentis ſuæ exiſtimationem retineri non poſſe. Quo tamen paucioribus irarum cauſis laboraretur, & ne mutuæ Ducum offenſæ Regis quoque indignationi prætexerentur, Pontifex & Imperator toties decantata, Mantuano ſuggerebant; Viduæ matrimonium, ceſſionem damnorum, veniam rebellium: Venetique ipſi ſemper conſilia bello præferre ſoliti, internuncio Reipublicæ Oratore, monita precéſque miſcebant; ſiue ſuffectura ea; ſiue fatalem animorum rabiem molitura exiſtimarent. Sed Hiſpani pacem deſperauerant; proinde apud illos non amplius de bello dubitatum. Sed cui Pedemontanæ parti inferretur diſputabatur: Nam alij Vercellas Nouarę vicinio, Taurinum alij ſtatim aggredi ſuadebant: vt ſi caput rerum & belli ſedes reciperetur, cætera victores exemplo & deſperatione ſequerentur. Verùm quocunque vertiſſent, alienam ſe cauſam proſequi, & hinc plus inuidiæ imminere nouerant: ideoque honeſtiori titulo Aſtium prætulêre. Forſan vtilitas conſilium iuuit; vt ſcilicet bellantibus à tergo ac latere, Monferratenſis commeatus, pabulum, & hoſpitalitas abundè eſſent. Ciuitatem illam bono iure ab Hiſpano repeti, auelliſque Sabaudio vt perduelli credebatur. Nec occultari iura placuit, vt imparatam vrbem incurrerent: Sed mox pompoſo titulo vulgata ſuſpectantique Sabaudio futuri coniecturam fecerunt. Ipſa opulentiâ agri ante alias; raro tamen milite, & inualido ambitu murorum, impar primo aſſultui futura credebatur; ſi præſertim mediâ Taurinenſi viâ, numeroſi equitatus præſidio, affutura laborantibus auxilia Hiſpanus intercepiſſet. Sed in hoſtico difficilis occupatio, impoſſibilis communitio erat. Sandamianum celebre Monferrati oppidum, ſitu, nobilitate, opibus, offerebatur, quod opportunè neceſſitates explere poſſet.

Inoyoſa Sandamianum imponendi præſidij cauſa à Mantuano petit & obtinet.

Proinde Inoyoſa (tamquam nil adeo excelſum eſſet, quod tutelæ prætextus à Mantuano exprimere non deberet) datis ad illum literis, locum requiſiuit; munimentum cæteris Mantuani oppidis, & Aſtij flagellum fore teſtatus. Neque ante certiorem deſtinationis Regem fecit, quàm obtineret: ne magnus Rex indecoram poſtulationem auerſaretur; aut ſi placuiſſet, tardius executioni res mandata videretur. Mantuano pleraque obuerſabantur, quæ diſſuadebant: magnitudo oppidi, nobilitas, potentiori mutuò danda poſſeſſio, & difficilis ſimilium reciperatio: ex aduerſo blandiens tutelæ nomen: ne ignauiâ aut diffidentiâ parum obſtrictus Regi animus (tum cum maximè obſequio opus erat) accuſaretur, vt annueret peruicêre. Imo literas ad Regem addidit, fidei & promptitudinis certiſſimæ; obteſtatus communem cauſam, ſine ſuo diſcrimine eſſe nolle. Ergo quingenti equites eo miſſi, & præſidio miſerrimi Sandamiani impoſiti: qui diutius immotati, ſolito Hiſpanis more hoſpitum fortunas abſumpſere, integro ſemper hoſte, & ferè illaceſſito, nec tentata Aſtij oppugnatione, magna Inoyoſæ ſuggillatione, & ducum gentis notâ. Hoc rerum turbine agitatis animis, noua inſuper à Mediolanenſi Senatu ſcriptura, partium iras accendit; quæ in ditionem Aſtenſem clam illata, & publico affixa, proſcriptionem à Rege Hiſpano, Ducis Sabaudij & ſubditorum continebat: quaſi Aſtenſis Comitatus Mediolano ſubditus Cæſaris lege eſſet. Sic continebat:

Decretũ Senatus Mediolanenſis pro ſcriptione Sabaudij cauſâ Aſtij & Santiæ.

Cum hactenus Sabaudij Dux aduerſus potentiſſimum Hiſpanum Regem, & Mediolani Ducem hoſtilia exercuerit; eóque Aſtenſis ditionis & Santiæ dominio, quę à Mediolani Ducib. feudi titulo poſſidet, ipſo iure deciderit pariterq; ſubditi ſacramento, quo Sabaudio obſtringebantur, ſint ſoluti; ideo omnes ab Inoyoſa Mediolani Gubernatore admoneri, ne Ducis cauſâ in poſterum aduerſus Regem

Regem directum Dominum, arma tractare præſumant; non Sabaudij miniſtris parere, non ſubſidio adeſſe. Si ſecus feciſſent, pro deſertoribus fore,& rebellium titulo notatos; reos vitæ, ac facultatum. Et ne qua rei ignoratio præſumi ab ipſis poſſet, datam Antonio de Vilches & Perego Scribæ curam; vt regiæ proſcriptionis exemplar, loco publico affigant: eandem fidem habiturum ac ſi Aſtij & Santiæ appenſum fuiſſet. Nonâ Decembris vulgata ſententia, magno Mediolanenſium fauore accepta eſt; at exultante præ lætitia Inoyoſa: tamquam reperto vnde contumaciæ pœnas Sabaudius lueret. Dependulam parıete ſcripturam Monachus primùm, mox eo referente cæteri aduerterunt; vnde ad Ducalis Sabaudij Patrimonij Procuratorem res delata: qui ſtatim ad Verruenſem,& eius iuſſu ad Ducem profectus eſt. Iam vileſcere Regis exiſtimatio apud Pedemontanos, & exprimendæ obedientiæ inualida credi cœperat: cumq; negligi inanes minas pleriq; conſulerent, multis exequi conſueto iuris inſtituto placuit: quòd vt ferebant,nimis experta vanitas exſibilationem mereretur. Seu vero,ſeu falſo nixa foret,poterat formidari;niſi Inoyoſa cœptantis motus initio,gentis ſuę decus & famam fortitudinis imminui cunctatione ſiuiſſet. Certè tum Sabaudius numeroſo milite extero ſecurus, etiam honeſtiſſima ſpernere potuiſſet; quantò minus manifeſtæ ineptiæ fuerat obſecuturus. Itaque Gabrius Patrimonij curator (ſic vocant) Ducali Cameræ ſupplices libellos eâ forma tradidit.

Subditos & feudatarios Aſtenſis ditionis,qui Hiſpanorum oppreſſione liberari cupiant, ſibi incogitanti ſcripturam detuliſſe, Cœnobio Diui Bartholomæi eiuſdem iuriſdictionis appenſam. Hanc iuris & facti veritati aduerſari. Aſtenſem enim ciuitatem Romano Imperio ſubditam, nunquam Hiſpanos Reges, aut Mediolani Duces pro directis Dominis agnouiſſe. Santiam verò tot ante ſeculis priuſquam Hiſpani Reges partem vllam Italiæ poſſiderent, apud Duces Sabaudios fuiſſe,nullo Mediolanenſis Ducatus ſuperiori iure. Sexageſimum enim ante annum,cum Hiſpani locum præſidio retinerent;& contra Galli Pinarolum ac Sauilianum,ab vtriſq; vniuerſa Emanueli Filiberto Duci permiſſa fuiſſe;nullâ Hiſpani Regis aut Ducis Mediolanẽſis exceptione: ſi quid tamen iuris,eâ ſuper re tabulæ compoſitæ pro Hiſpanis habuiſſent,nequaquàm cum reddidêre ſiluiſſent. Inoyoſam primùm hoſtilia aduerſus Pedemontanam exercuiſſe;neque Sabaudium niſi rerum ſuarum tutelâ motum obſtitiſſe,vt vim repelleret.Si tamen priorem in iniuriâ eſſe velint, meminiſſe debuiſſe Sabaudium ſui iuris Principem eſſe, nullo obedientiæ vinculo Hiſpanis, aut Mediolanenſi Ducatui obſtrictum. Proinde inanem veritatis ſcripturam corrigi,& eliminari cupere.

A Camerâ Sabaudij veritatis aſſeritur.

Ad hæc Ducalis Camera in ea verba reſpondit: Vniuerſis notum velle,poſt exactam iuris Sabaudij ſuper Aſtenſi ditione & Santiâ diſcuſſionem; & titulorum quibus à ſacro Romano Imperio dicta loca immediatè poſſideat, nulla erga Hiſpanos, aut Mediolanenſem Ducatum obligatione decernere ac iubere; vt ridiculam & vanam eam ſententiam videri; ſic ſubditos aduerſus naturalem ſuum Dominum Sabaudiæ Ducem,tot annorum obſequium non remittere;ſiue in pace parendum,ſiue bellum tractandum occurrat,pro Ducis arbitrio. Viceſimâ alterâ Decembris id decretum Mediolanum miſſum,ſtatim in plures vulgatum eſt; ſuſpenſis omnium animis quo ſenſu exciperetur; quibus rationibus rejiceretur. Et quamquam in Vrbe hoſtili non deeſſent,qui facilitatem Senatus ſecretis quæſtibus inſectarentur: quòd non examinato,non probato iure periculoſam dedecoris negotiationem tractauiſſet, alij tamen ſecretas cauſas præſumebant; quibus Aſtium & Santia Mediolanenſi Ducatui feudo obſtricta dicerentur. Sanè ſecuta demum inter Hiſpanos & Sabaudium pace, nullam iactatorum iurium memoriam reuocatam; & plures eâ quoque in re Sabaudij cauſam prætuliſſe. Neque tamen adhuc pax aut bellum erat. Differri non deponi arma videbantur; & ea

vires præualituræ, quæ hoſtiles cogitationes aſtu ac ſedulitate præueniſſent.

Inoyoſa contra ſpem, multis millibus vallatus plus formidinis faciebat; cum Sabaudius pauciotibus, ſed audentioribus offenſiones potius ingereret. Et quò

Inoyoſa minatur, ſed Sabaudius exequitur.

plus moleſtiarum, & ſolicitudinis inferret, cohortes diſpoſuit; ſingulisq; magna auſuros Duces conſtituit. Vniuerſi laceſſere, exercere, carpere, inquierum Hiſpanum habere, nocte dieq; aſſultare, magno partium dedecore iuſſi; cum tanta vis eluderetur, irrideretúrque. Id interim imbuendis ad bellum ſuis ſatis eſſe cognouerat; dum pluribus è locis accelerata auxilia cogeret; & non aſtu aut effugijs, ſed aperto Marte congrederetur. Ante alios Caluſij Marchio, Comitis Verruæ filius, centurijs aliquot prouincialium præfectus, cum iactum Seſiæ flumini ab Hiſpanis pontem (vt vltrò citroq; deducendo militi, ingenti Pedemontanæ malo deſeruiret) accepiſſet, pulcherrimum facinus animo concepit, ſi Paleſtri haud longè diſtantis (Mediolanenſis prouinciæ vicus eſt) populatione, & iacti pontis incendio, gloriam inſignitis militiæ ſuæ primordijs, ex potenti hoſte retuliſſet.

Marchio Caluſij Paleſtrum prædatur.

Ergo delectu equitum habito, remotiori vado Seſiam tranſgreſſus, imparatis, vt vicinio Hiſpanorum ſecuris, Paleſtranis inſiluit. Statim metus & trepidatio ignatis conſilij incuſſa; preces ac lachrymæ fruſtra in ſubſidium adhibita; cum miles odio Hiſpani nominis implacabilis, & ne expeditionem perdidiſſe diceretur, per domos irrumperet. E paruo oppido, maior cupidine, & opinione præda fuit. Tum ille grauiores ſarcinas impedimento eſſe ſciens, & obſiſtere gloriæ auiditatem, orauit vt eorum aliquot aſportandæ prædæ deſtinarentur; reliqui expediti ſecum, Pontem Hiſpanis ſitum, ferro flammiſq; diſſoluerent; mox celeri receptu famam ipſam præuerterent. Vicit tamen militaris auaritia; vt quæ ſingulis cura erant, paucioribus communicare abnuerent, vniuerſi oneribus impedirentur. Ipſe tamen blandiente gloriâ ac famæ cupidine, quò deſtinauerat proceſſit. Riua cum ſuis progredientem, & altiori vado Seſiam tranſgreſſum, Hiſpani præſidiarij non longè tendentes, per exploratorem didicerant.

His Ludouicus Guaſcus impoſitus, properantem licet, onuſtum tamen prædâ Marchionem, notis itinerum compendijs, modicâ in planicie offendit. Iamq;

Capitur à Ludouico Guaſco.

haud procul Ponte erat; cum expedita arma; & vt inter odiorum ſecutos ſclopetis res agi cœpra eſt. Vbi Caluſius clauſum ſe & viribus imparem vidit, fugam prælio miſcuit, pluresq; caſum euaſerunt. Conſtantia & pugnæ ardor iuuenem attinuit, qui ſuis iam deſtitutus, vulnerato equo, & inutili armorum vſu in Guaſci poteſtatem venit, Mediolanumq; captiuus abductus eſt. Vbi aliquot menſes detentus, aſtu aut cuſtodum incuriâ elapſus eſt, vt ſuo loco referemus. Paleſtri caſus Hiſpanos Duces aduertit, pronam ac liberam nimis eſſe Sabaudij in Mediolanenſem agrum irruptionem; poſſeq; Ducem per diuerſa conterminos populos, non minus quàm Mediolanenſes lacerare. Parum itaque tuta adiacentia eſſe, & ante alia Nouariam periclitari. Inchoauerant paulò ante munimentum, cui ab Inoyoſa

Arx Sandoual.

nomen Sandoual indiderant. Itaque ſecuritati ac terrori promoueri cœptam arcem placuit; quæ motus hoſtiles eâ parte retineret. Quinto enim ferè milliatio ab Vrbe planiciem delegerant; cuius latera & tergum amica municipia fulciebant. Cœptum ingenti ſolicitudine opus, alacritate popularium, ardore militum; quaſi ſecuritatem ſuam molirentur, eductum eſt: elata tantùm in tumulos humo; quæ depoſitâ belli curâ murorum extrinſecus objicibus firmarentur. Illicò arma commeatus, & ſexcenti præſidiarij impoſiti ſunt; vicino auxilio, ſi toto exemplo obſidionem Sabaudius tentauiſſet. Sed laſſare quoque hoſtem, ſuis illum artibus petere, pluresq; in locos bellum ſpargere ex vſu crediderunt; quòd nondum eas Sabaudio vires opinarentur, vt diuidere copias quas coëgerat ſecurus præſumeret.

Oneliam celebre oppidum ad mare Liguſticum Sabaudius poſſidebat, Matrúmque, ac frequentes vicos, nexis vallibus ac montib. impoſitos; decorú amœnumq; prouin-

prouinciæ latus ſi in pace habuiſſet. Hinc inde Genuenſis ager, & haud procul portus, quem Mauritij appellant, formido Oneliæ. Hunc Hiſpani habituros ſe ſpectabant, ceſſurámque Genuenſem Rempublicam voto; cuius Proceres, mutuis & muneribus bellè à Rege illigari, abnuere non poſſe videbantur. Haud quaquam promptum Hiſpanis erat, peditatum equitatúmque, ac bellica tormenta, terreſtri itinere ſummittere; aſperitate viarum, montiúmque confragoſis obnitentibus. Sabaudius quoq; locorum potens metuebatur. Securior expeditio claſſe credita; vt litore Genuenſium Hiſpanus miles prætervectus, cum armis & commeatu omni facili (etiamſi pugnâ expediendus tranſitus eſſet) expeditione Oneliam iuxta exponeretur. Eâ causâ ſcriptæ ab Hiſpano ad Rempublicam literæ, tranſvectionem liberam, vſumq; portus ac litoris petentes. Haud cunctanter Domini (vt dicebant aliqui) reuerentiâ, & mutuis cum Sabaudio offenſis; præcipuè quod durante adhuc lite (quas tam integrâ beneuolentia proſequuntur) animorū alienatio ſuberat. Præter enatam inter Hiſpanos & Sabaudium diſcordiam quæ bellum traxit; etiam iure Oneliam repeti quidam Doctorum Mediolanenſium ferebantur: quippe extare inueſtituram quandam Mediolanēſis Ducis, qua Sabaudio Onelia permittitur, dicebant; & tum ſumptis contra armis, in ſupremum Dominum rebellione deuolutam. Quod ea tēpeſtate ratum fuit, claſſis ab Hiſpanis cum milite feſtinata. Neque tamen Hiſpanorum conſilia Sabaudium omnibus intentum fefellerunt: quantúmque diſtantiâ & locorum iniquitate licuit, ſubſidia periclitantibſuis tranſmiſit. Vbi enim inſolita claſſis mare occupare viſa, Referendarius Glareanus, & & Capitaneus Boriglinus, cita trtremi Niza ſoluentes Oneliam appulere. Duo bellica, ſed antiquati moris, parum valida, & ferrea tormenta conuexerunt; nec minus puluis ignei vim, ac funiculorum in eundem vſum. Statim portæ muris aggeribuſq; firmatæ; Duę tantum patentes relictę, quæ diuæ Virginis Lauretanæ, & S. Auguſtini cognominib. appellantur: commoditati ciuium, & aduerſus hoſtilem impetum validiores. Octingenti inſuper ſclopetarij inducti, Marti Prelæq; conuallib. exciti, quorum ducenti per vices, nocturnas apud Diui Auguſtini portam excubias agebant. Trecenti foris, vias & hoſti peruia inſidebant. Galeanus Oneliæ ſubſiſtere, & publica munificentia excipi à Sabaudio iuſſus eſt. Boriglioni militia commiſſa; vt propugnacula, excubias, pro neceſſitate curaret. Sclopetariis diurna alimenta in numerato ſoluebantur. Sed apud omnes trepidatio ſuberat, ne Hiſpanus externúſque miles nondum claſſe expoſitus, ſibi Oneliam deſtinaret. Itaque ad Sangeorgium ciues miſere literas, quibus an tuti agerent, liceretq; procul Hiſpanorum metu ſolicitudinem exuere poſcebant.

Hiſpani à Genuenſibus obtinent vſum portus & litoris.

Hiſpani ius ſibi ſuper Onelia figurant.

Oneliæ & Morani obſidium.

Curam Sangeorgius auxit: nam ſuſpectam vicinorum fidem, & tamquam imminente hoſte cauendum docuit. Bello præpoſiti, nauim expedito cum remige miſere; vt eo loco viſa, Hiſpanorum conſilia aperirent, & maturè ad ſuos deferrent. Sed & Onelienſes aliquot ante dies Sindicum loci Taurinum miſerant, ſubſidium, & aduerſus præſentes motus expenſis modum orantes. Is rediit ſpecioſis, & bona fide reportatis: ſimul feſtinatus curſor aduenit; qui publicæ rei curatores, Ducis nomine admonuit, quadringentis aliis ſclopetariis propediem affuturis, hoſpitium & alimenta parari, quos eques Brolia ducturus foret. Miſeri ſpe imminuendorum onerum Sindicum miſerant; ſed cum octingentis militari licentia vſis prouidiſſent, & quadringentos inſuper opperirentur, grauiter ſortem ſuam commiſerati didicere, ardente circum bello, ſiue protector exercitus, ſiue inimicus reciperetur, parum incolumitati rerum referre.

Porro eo infeliciori conditione erant; quòd futurorum neſcij, nec præſentibus arbitrio vſi, imminentibus conſulere non poſſent: niſi prouidiſſent, exitiabili in Hiſpanos, aut Sabaudium poſſeſſione pietatis. Mox Ducis prudentia

notuit; cui Onelienſium ingenia libertati ſueta, & cuiuſcunque imperij (adeò minus militaris) intolerantiâ, ſpe mutationis offerebantur, tamquam Hiſpanos mallent. Neque enim licet Brolia, mox propugnationis minister aduenerit, promiſſum ſubſidium deduxit; aut plenè non crediderant Hiſpanas vires eò vertendas. Populi tamen opinio valuit, vt metus crederetur. Quorſum enim in vicino claſſem, & tot ſecretis negotiationibus datam deſtinationis ſuſpicionem, inter Rempublicam Genuenſem, & Hiſpanorum Oratorem; niſi de bello actum foret; motis iam ante per Pedemontanam armis? Et quia Brolia eandem formidinem nutriebat, inculcabàtque, circumſterêre ciues hominem precibus importunis, vt infantes, ætate defectos, fœminas, & rerum cariſſima in tutum comportari permitteret. Nec ille conſilium auerſatus eſt; id maximè obteſtatus, vt alacriores inter diſcrimina operam Patriæ nauarent; neque locum niſi extremâ neceſſitate depulſi relinquerent. Et in eo quidem anceps iudicium fuit; atque id genus impedimenta amoueri ſuadentibus, ne agendis rebus incommodarent, alijs infringi fortitudinem ciuium facili effugio, nec relictis à tergo qui caritate morarentur conſulentibus. Vicit timor, & cura rei familiaris, proxima vicinarum neceſſitudinem caritati. Securitate an trepidatione ſimilia fiant, multum referre patuit. Priorum enim feſtinatio præcipitem inſequentium celeritatem imitabat; hominum rerumq; implicatorum confuſionem: cum formidoloſiores in portam ſarcinas deferrent, alij domos repeterent; vltrò citroq; commeantibus frequentes incurrerent, locorum anguſtijs, multitudine, incerto vocantium & reſpondentium rumore, pluuia inſuper ventiſq; turbati. Pretioſiſſima primùm aſportari cœpta; & vbi licentia laudari, tempuſq; aſportandi ſuppetere viſa, viliſſima etiam vtenſilium nauibus impoſita. Tolerandæ ſolummodo obſidioni neceſſaria, & vſui militari requiſita omiſſa ſunt. Quidam prudentiam Ducis interpretari: vt ciues indignatione in Hiſpanos, ſibi magis, magiſq; metuentes (quando nullum victoribus ſuperari municipij pretium eſſet) fortius propriam incolumitatem tuerentur. Coniecturam conſilij iuuit Brolia, non ſemel aut ſecretò obteſtatus, vbi abactam prædam irrumpentes aut recepti hoſtes deprehendiſſent, in captorum corpora ſæuiores futuros.

Inter has turbas diſpoſiti exploratores Broliam monuerunt, militaris pecuniæ Hiſpanorum menſarium, breui Monacum venturum. Id nauibus diuerſos curſores Regios attuliſſe; plureſq; alios iter illud frequentantes fateri. Tum Brolia expedito nauigio intercipere poſſe credens, deduci in portum apparatam nauem iuſſit. Inerant militum viginti. Hos operto prætermauigare, & à longè viſis incurrere (ne quis inexcuſſus laberetur) imperauit. Nec enim conſilia introſpici vanum erat: maximè apud futurorum ambiguos, & ad quemcunque rumorem properantis hoſtis pauefcentes. Fortè euenerat vt Ioannes Hieronymus Doria id temporis Loano domeſtica naui ſolueret, & cum quindecim ſclopetarijs, vt claſſem Portui ſuccedentem præueniret, locum æſtimaret, quæque ſecuritati conduceret, pararet. Vbi altum tenuit, procul Broliæ nauim conſpicatus, Dianum flexit; mox ſubſidio alterius nauiculæ, cui decem milites addidit cœptum iter proſecutus eſt. Nec à Broliâ miſſi periculum auſi, ſecundum littus, omiſsâ prædâ inceſsêre. Doria Broliæ iniuria irritatus, cum apud amicos inſidias quæſtus foret, Nicolaum Gandolphum impulit publicè lamentari, non ſua potius quam Reipublicæ causâ. Intempeſtiua contumelia in Genuenſes erat; quorum arbitrio mare Liguſticum, & belli exitus ſciebatur. Proinde Brolia Ramarium ſibi familiarem ad Doriam miſit cum literis; inter Ducem ſuum ac Rempublicam plures annos adultam amicitiam; quam non vno documento, quoties mutuâ operâ opus fuit, teſtatam viderint. Eoq; nobiles ciues non excipere, quin eodem animo deuinctos velit. Datum à ſe excutiendi vniuerſa ſuis imperium, non vt Doriam, aut Genuen-

Brolia inſidiatur Regiæ pecuniæ.

Genuenſes nobiles proſequerentur: imo cum Curſores Hiſpanos (quos apertè hoſtes iam ſit expertus) conſequi iuſſerit, Genuenſem nationem excepiſſe. Fruſtra territum Doriam, cui ad ſua tendenti, diſpoſitum remigium foret conceſſurus.

Ad hæc Doria nullo ſe publico Reipublicæ muneri fungi, priuatum nobilem familiaribus negotijs, in res ſuas profectum fuiſſe reſpondit. Et quamquam Regium miniſterium ambiat, deprehendi tamen, aut intercipi noluiſſe. Quos amicos hoſteſve habeat ignorare. Publicæ libertati ſeſe credidiſſe, quæ ad ſua commeantibus ſecura maria promiſiſſet. Itaque excuſare Broliam; cuius iniuſſu patatam ſibi vim fuiſſe credat; culpâ miniſtrorum curæ nimis anxiæ. Pari inter vtrumque fide miſſa & recepta excuſatio, non credente Doriâ errorem violentiæ fuiſſe; aut certiorem erga Ducem, quàm Hiſpanos caritatem Reipublicæ. Adulatio & ſimulatio ſimul ſunt; non tutâ ſemper aut opportunâ irarum oſtentatione. Cæterùm Doria vix portum renuit, cum tormentorum bellicorum præfectum eſſe vulgatum eſt: ſiue famam ſilentio & conniuentiâ, ſiue ambiguis ſuper eâ ſermonibus extuliſſet. Nobilis viri aduentu Onelienſes, vniuerſa futuri belli metu æſtimarunt; non adeo Genuenſibus fidentes, quin doli aliquid latere ſuſpectarentur. Magnitudo viri, pondus formidini addebat; vt qui bellicis artibus non minus, quàm ciuili prudentiâ ac conſilio valeret. Interim Brolia dubia diſcrimi-num pro exitio accipiens; vt ſolicitudine firmitudinem ac conſtantiam teſtaretur, ab Onelia ad litus vſque elatâ humo, ingenti operariorum labore aggerem duxit: portas nouis muris obduxit, congeſtoq; ceſpite inania oppleuit. Impoſitum olim foſſæ pontem, quæ municipij promontorium diſcriminat, abrupit; elatiorem oppidi viam (vulgus Cauare appellat) aggeratis molibus interſepſit. Simul tormentum bellicum non exile, media in platæa quæ Doria vocatur ſtatuit. Et quia pauidis conſilia incertitudine mutantur, portam aliam plateæ oppidi obuerſam, & cœptâ formidine obſtructam, nouis conſilijs ambiguum animum turbantibus, aperuit: vt verſo in Genuenſem agrum itinere, aduentantes è claſſe Hiſpanâ milites præueniret; & prius bello laceſſeret, quàm ferè in ſolido ſtetiſſent. Augendæ quoque conſternationi, tormentum media platea ſtatuerat; quaſi cominus eminuſq; certaturus: ſimul immiſſurum ſe militem profeſſus eſt in agrum Genuenſem, vt populatione ac cædibus, amicitiæ cum Hiſpanis contractæ vices redderet. Iuſſi non minus populares ſumma vallium incolentes, igne nocturno viſo, aut tormenti bellici fragore excepto in auxilium properare, altiora ſectati, & inuia inimicis.

Certè viri fortitudinem inficiari non licet, dictis factiſq; iuxta ſtrenui; nec tacere, vt etiam apud hoſtes commendatus ſit: quippe (quod inter aduerſa magni ductores vſurpant) veris ſubſidijs falſa miſcuit, vt eâ ſaltem imagine ſuos ſpe ſuſtentaret. Ad extremum diei medio, cum inter centuriones neceſſaria propugnationi examinaret; per ſeruum doli gnarum offerri ſibi literas fecit; eaſq; proſuturâ ambitione publicè legi imperauit. A Thomâ Principe Sabaudio miſſæ fingebantur; continebantq; paucos poſt dies, cum delectu veteranorum & pecuniâ affuturum: magno interim animo capeſceret Rempublicam, & inter difficultates ac labores apud ciues id ſolatij fateretur. Statim in omnes fama properantis auxilij vulgata eſt; etiam Portum Mauritij delata: & forſan ſtudio ad ſuſpectos retinendos. Hinc formido & Genuenſium ſolicitudo aucta curam intendit. Qui inter Genuenſes militiæ præerant primò ſtatim aduentu Broliæ, vt turas populariium rès ſeruarent; neque Sabaudio aut Hiſpanis parata eſſet audendi licentia, quod circum militum habebatur, Portui Mauritij induxerant. Iam enim & Sabaudij in Genuenſes indignationem exceperant, & Hiſpanis ab his vſum litoris permiſſum, copijs bello exponendis. Firmatis ſpe ſubditis; monitiſq; diligentiam

omnem apud Senatum futuram, ne prædæ hoſtibus, aut vexationi amicis eſſent; & Broliæ deſtinatis occurriſſe, & Hiſpanos diuerſa agitantes præueniſſe videbatur. Hæc aliáque anxium ſucceſſus Broliam habebant: Iam enim haud procul Pedemontano (quod vulgus Langueggiam vocat) Hiſpanam claſſam ſtetiſſe audiuerat: conceſſum à Genuenſibus per terminos ſuos iter; illos milite vicina firmaſſe; iactaras in caſum minas, & Principis Thomæ ante alia aduentum. Quod licuit diligentiâ, ne ignauia inter diſcrimina accuſaretur; aut quæ ſecuritati parauerat incuriâ diffluerent, popularium fidem experiri ſtatuit, an præſumptæ fortitudini reſponderent, vocatíque feſtinarent. Media nocte tormenti bellici ſono exciri placuit: ſed vix triginta obtemperauêre: ſiue flantibus in contraria ventis excipi ſonus non potuerit. Quidam obtorpuiſſe apud ſubditos obſequium rebantur, nec in poſterum miniſterium præſtituros.

Genuenſes portū Mauritij firmant. Neque ſecius à Genuenſibus diſcrimine Portus Mauritij, qui Sanſtephanum, Capreſam, & Boranam incolunt, aduocati: qui rara promptitudine accurrêre, eóque amica ciuium hoſpitalitate excepti ſunt. Sequenti cum Orator Hiſpanus apud Genuenſes commoda de futuro bello diſponeret, & quę facilitate Reipublicæ ſuâ diligentiâ confeciſſet moneri ſocios ex vſu crederet, datis ad Monaci Caſtellanum literis, negotiationis ſeriem, & pacta amicitiæ præſcripſit. *Brolia Hiſpanorum literas intercipit.* Curſor modico nauigio vectus trans ora Oneliæ tanquam ſecuro properabat, ſed à Brolia in eam curam diſpoſita præuclox nauicula, inopinanti inſiluit, ductúſque in vincula, & literæ detractæ. Ex frequenti conceſſu lectæ, ne æmuli ſecretum fraudem interpretarentur. Permiſſam claſſi regiæ eo litore nauigationem portúmque à Senatu; & militis in ſicco expoſitionem continebant. Sciri id futuri documento par erat. Neq; interim exploratorium lembum otiari placuit; qui litore egreſſus, vix vno à Portu Mauritij miliario, onuſtam Neapolitanam quadriremem aſſecuta eſt; & magno Reipublicæ Genuenſis dedecore, cuius arbitrij illud mare iactaretur Oneliam abſtraxit. Plus mœroris permiſſa Hiſpanis libertas *Et cum Stephano Spinola queritur.* litorum, quàm pręda lętitiæ fuit. Itaque Brolia Romatiam ſimilium adminiſtrum, ad Stephanum Spinolam Portus Mauritij Commiſſarium die eodem miſit. Mandatorum ſumma fuit: Iactatam erga Sabaudium Senatus amicitiam ſine fide eſſe; nec Oneliam ſine ope & permiſſu Genuēſium oppugnari potuiſſe. Iacturam omnem facilitati Senatus, & odio eius in Ducem imputari. Apud memorem beneficij & iniuriæ graui facinore delinqui; non obſequij, non odij negligentem, & paria in tempore redditurum. Ne Sabaudij amorem magno mercari velle, aut horrere Broliæ minas videretur, plenus conſtantiæ Cōmiſſarius reſpondit: *Qui Senatū Genuenſem excuſat.* Eandem Senatui erga Hiſpanum & Sabaudium pietatem, diuturnitate amicitiæ, officiorum paritate: neque niſi profeſſione indignationis, Regiæ claſſi maris ſui vſum (quem toties beneficio Sabaudius vſurpauerit) negare potuiſſe. Promiſcuum obſequium, vt in amicos præſtitiſſe, quos inuicem eodem affectu agere cupiat: omnia intus vana, apud peritos falſa; qui amicitias & odia, cauſáſque ſuis ponderibus metiuntur.

Duodecima Nouembris Alexander Vinaldus priuata amicitia, nullo Reipublicæ à Portu Mauritij Oneliā venit. Haud procul oppido Broliam armatorum globo ſeptum obuiū habuit, à quo intra mœnia receptus; & nullo priuato colloquio mixtus publicè eloqui apud omnes iuſſus eſt. Tum Vinaldus eadem quæ cęteri; longam Senatus Genuenſis cum Sabaudio amicitiam, Liguſtici maris imperium, non abnuentibus etiam Hiſpanis veteri poſſeſſione vſurpatum; promiſcua erga Hiſpanum & Sabaudium obſequia, & ſecuram pacem memorauit. Vbi ſimilia in eundem ſenſum ſpecioſa verbis, irrito effectu executus eſt; reſpondit Brolia, talia non dictis ſed factis ſuo Principi approbanda. Vanum amicitiæ nomen graui iniuria deteximſſe, eoq; ſibi ac Duci ſuo Genuenſes pro hoſtibus fore; eo certioribus,

quò magis falſos & ſimulantes inuenerit. Cur enim ſi pacem præferant, inimico Hiſpano, & Portu, & ſecuro mari oppugnationem Oneliæ imminentem promouerint? non defore ſibi vires; & à fortiſſimo Duce ventura breui auxilia, quæ conuictis & profeſſis odij opponat. Suadere interim ne quietem ſuam interrumpat, conſtantiamq; propugnantium laceſſat. Procurationem fidei, & ſpeciem concordiæ, manifeſtis contra inditijs fruſtra tentari.

Conteſtatio belli erat inter æmulos, ſuſpicionibus minisq; decertantes. Quâ causâ Stephanus Spinola, Senatum ſuum imminentium certiorem volens, Curſoribus per auia dimiſſis literas Genuam deferendas dedit. Sed eo ipſo doli ſuſpicionem præbuêre. Cum enim Sabaudiæ ditionis confinia tetigiſſent retenti ſunt, & detractis literis ad ſua dimiſſi. Adeo vigili ſtudio vniuerſa præuiderat Brolia; vt ſi loci ſitus permiſiſſet, tuta omnia credi poſſent. Regreſſi curſores maiora vero retulerunt; ludibria, carcerem, verbera, etiam famam, vt ignauiam excuſarent. Sed Spinola contumelia Senatus, ſui vilipendio accenſus Nicolaum Gandolphum hoſtilitatem exprobraturum Oneliam miſit. Neque tamen ſtatim admiſſus. Diſpoſiti prius armatorum ordines; & mox per medias ſclopetariorum centurias Sabaudiam iteratò conclamantes, humaniter licet, exceptus eſt. Audientibus cunctis quæ detuliſſet exponere iuſſus. Tum ille Stephanum Spinolam pro Republicâ ſua Commiſſarium apud Portum Mauritij queri dixit, quòd literas ad Senatum Genuenſem ab illo miſſas diſpoſitis inſidijs intercepiſſet; iniquè ſecum agi dicens, quòd Sabaudias copias Oneliæ præſidio deductas, iiſdem diebus penetrate fines, prætextu mutuæ caritatis permiſerit. Vera erant, neque Brolia obſequium inficiari auſus, retentos curſores reſpondit; quod per auia properantes ſuſpiciones ferè abolitas reduxiſſent. Quod ſi notis itineribus commeaſſent, & inſigni Reipublicæ Genuenſis pectore medio conſpicui munus faterentur, liberum tranſitum habituros. Sic iubere Ducem, qui continuatione amicitiæ firmatum obſequium, inanibus reſcindi nolit. Proinde paulò poſt literas interceptas ſe remiſſurum.

Brolia intercipit literas Spinolæ ad Senatum.

Vbi ſatisfeciſſe obiectis viſus eſt, rurſum excepit: iuſtiſſimas Principis ſui querelas aduerſus Senatum eſſe; quòd Hiſpanos hoſtes ſecuro litore iuuerint, vbi copias in excidium Oneliæ exponerent. Nec minus Spinolam offendiſſe; quòd Ioannem Hieronymum Doriam oppugnationis & Oneliæ Ducem nominatum, portu Mauritij cum omni commeatu recepiſſet. Ad hæc Gandolphus: nil priuatè Regi, aut Hiſpanis adminiſtris conceſſum; cuius beneficij exemplum Sabaudus non ſemel apud ſe ſit expertus. Neutri decertantium illigatos ſe, faciles in vtroſque beneficij facilitate fuiſſe. Ioannem Hieronymum Doriam oppugnatione Oneliæ deſtinatum nec audiuiſſe, nec temerè credere. Genuenſem à ſe nobilem, & ſuo iure vſum amicè excepiſſe. Hæc inuicem altercatione iactata, non aliud quàm Broliæ indignationem mouerunt. Cum enim Gandolphus prædatorium nauigium improperaret; & alienam iuriſdictionem turbari iactantius quereretur; ille prorupit; ſe quem multò minora offendiſſent, maioribus non ceſſurum. Primos Genuenſes iniuriâ, priores etiam obſequio Ducis quem læſerint amicitiam demereri debere. In ſummam nihil actum; tantum cum ducentis ſclopetarijs ad fluuium vſque deduci Gandolphum imperauit. Nondum Portum tenuerat, & rumor increbuit, vim ingentem militum Comite Morettæ duce Oneliam per cognitos popularibus colles accingi. Hinc ira, & nondum redditis literis quas Brolia interceperat, metus; & futuri incertitudo. Additumq; Portui Mauritij centum ſclopetariorum Tabbiâ deductorum præſidium: ne incuria & inconſulta ſecuritas, tot Sabaudiorum centurijs vicina inſidentibus, agendæ rei, & populandi agri occaſionem præberet. Nec enim apud ſuos quàm exteros temnendus Brolia videbatur; quem innata vis, & ferendæ obſidioni neceſſaria com-

parata intrepidum teddebant. Præcipuè quod aduerſus ingentem Hiſpanorum claſſem, & tot armatorum millia certare iocum diceret. Sed potiſſima conſtantię Onelienſium cauſa fuit Marchio Dolianus, cis Padum pro Sabaudio curator, qui Nouembris decimâ quintâ, cum duabus centurijs armatorum Oneliam ingreſſus eſt; & maioris auxilij ſpe, etiam ignauos ad fortitudinem erexit. Iam à metu ad minas proceſſerant, cum alij per tentoria & cœtus, quidam publicè in Genuenſes vt malè fidos, & olim pœnas daturos inueherentur. Et ne inanis præſumptio crederetur, plerique fœminas, ſupellectilem, liberóſque, quæ primo metu à Portu Mauritij deuexerant, reduxerunt; ſiue tarditatem Hiſpanorum contemnerent, ſiue viribus ſuis plus iuſto fiderent; ſiue denique (quod Genuenſes interpretabantur) amicitiæ pignore detracto, hoſtilia in eos quos paulò ante hoſpites experti fuerant, minitarentur.

Marchio Dolianus cũ 200. Oneliã ingreditur.

Die decimâ ſextâ, cum nemo crederet ingrueute iam hieme proceſſuram expeditionem ſexdecim Hiſpanæ Triremes in alto apparuêre, vix vno à Portu Mauritij milliario. Nec fefellit Broliam inopina vis; quem nauigium explorationi deſtinatum, horis aliquot, ante quàm litori ſuccederent, admonuerat. Vbi ſub ictum fuere, Marchio Sanctæ Crucis centurionem lembo impoſitum ad Spinolam præmiſit; mandatorum ſumma erat, orare ſe exercitui Hiſpano ſecurum litus; vtq; bello quod aduerſus contumacem Regi ſuo Sabaudium moliretur, neceſſaria exponere liceret. Addebantur & alia in ſpeciem (quaſi poſceretur, quod pridem obtentum fuerat) amicitia Regis, iactum fœdus, tutela Reipublicæ; & reddendi officij (ſi quando operâ eguiſſent) promiſſio. Spinola eâ ſe maximè cauſâ miſſum reſpondit; patêre Portum, amica omnia; neque apud Senatum ſpecioſâ oratione Regem indigere, cui Reſpublica beneficiorum magnitudine, & obſequio ſe deuinctam fateatur. Duo tantùm excipere, ne in Genuenſi ſolo caſtra poneret, aut diutius immoraretur; exponi ac deduci militem ſimul cupere. Annuit Marchio, & datæ fidei publicis etiam tabulis cauit. Vbi dignitati ſatis actum, ad mare vſque progreſſus, obuium ſe Marchioni dedit. Tum exponi miles cœptus: Neapolitanorum Veſpaſiano Macedonico Duce Vexilla ſex; octo *Hiſpanorum*, ſub Petro Sarmento, modicus numerus, ſed validus & auſurus. Statim vulgatum quod hactenus in occulto fuerat, Ioannem Hieronymum Doriam, cuius vt in hoſtem Broliæ querelæ præceſſerant, bellicis tormentis impoſitum, Sanctæ Crucis Marchionem belli ſummum continere. Nec fruſtra eas vires, ſed certiſſimâ deſtinatione miſſas, vt Onelia in omni oppugnaretur. Iam enim meditatio belli per Pedemontanam audiebatur; & Inoyoſam contractis exercitibus, poſt fugatum (vt dicebant) Beſtano Sabaudium vlterioribus inſtare. Hactenus ne infenſis quidem Duci perſuaderi poterat, duraturas Hiſpanorum iras in Sabaudium; & profeſſione pietatis, & amore liberorum eius obſtrictorum. Brolia viſa claſſe, & propinquo hoſte, partem militum aggeri à ſe primùm educto impoſuit, tormentumq; bellicum eò deduci imperauit: mox oſtentandæ conſtantiæ, inani ictu ſæpius in hoſtem exploſit.

Marchio Sanctæ Crucis copia.

Marchio Sanctæ Crucis, vbi cum ſuis vicina tenuit, tentandum ante fidem obſeſſorum ratus; ſi impares certum exitium obnuerent, lembum cum albo vexillo teſtimonio clementiæ, & legibus quibus reciperentur Onelienſes præmiſit. Vbi ſub ictum ſe dedit, iamq; litori ſuccederet, infeſtis ſclopetariorum exploſionibus exceptus eſt: non enim ignarus erat, quid ea miſſio deferret. Nautæ ſpontaneam deditionem deſperantes, vitato periculo in ſecurum flexêre. Regius interim exercitus, patenti quoquouerſum litore prælioq; diſpoſitus procedebat. In hunc Onelienſes acriter tormento decertantes, cum ſæpè irrito euentu iacularentur, tandem detectos aliquos collineato magis & certiori ictu excepêre. Incuriâ ductorum cecidiſſe dicebantur, quod hoſtilibus globis expoſitos, per aperta deduxiſſent.

xiſſent.

xiſſent. Ergo clade ſuâ docti, quâ humus eminebat, & leuiter accliues colles erigebantur, inceſſerũt; delecto longiori ambitu, & ſecuriori. Miſerat triremes Marchio, vt haud procul littore, continuis tormentorum ictibus obſeſſos infeſtarent; & profuit ſtudium. Cum enim Brolia minori prouiſu, & inculcatis ictibus ſéque ac ſuos fatigaret; è nauibus in mœnia & tecta ingenti fragore ſæuiebatur. Non proſpicere aduentantes, aut ſeruare munimenta tempeſtas globorum ſinebat: multóque cum ſanguine obſeſſorum deductus miles, agreſtium obiicibus tutus, in ſecuro conſedit: Butellæ nomen eſt; locúmque Caſtrorum in morem communiuêre. Domorum quæ agri proſpectum impediebant nonnullæ diſiectæ, plures vſui ſeruatæ. Educta quoque nauibus tormenta ſunt, vt maiori compendio, & minori decertantium periculo expugnatio maturaretur. Amnis medius nec belli fortunam cominus experiri licebat, aut tranare, niſi certo profluentis aut hoſtium diſcrimine.

Dignum memoria facinus Hiſpanus miles, noctis obſcuro vſus, agreſſus eſt: detraxit corpori indumenta, iiſq; ſarcinæ more collectis, dorſóque ac pectori alligatis in amnem ſe dimiſit. Aliquid lucis ſydera fundebant; idéoque tenebrarum beneficio abſcondi non potuit. Hinc ab Oneliensibus, qui vicinas mœnibus ædes ſeruabant, vnde directum in ſublarentem fluuium ictus erat impetitus eſt, maléque habitus. Socij ſecuti, eandem viam tenebant; nec in eo periculo deſtinato abſiſtere voluerunt, ſed currenti eluctati, ſimul in hoſtem miſſa plombea glande, vlteriorem ripam victores tenuêre. Prouexêre & ad vlteriora fortitudinem, pariq; conſtantia præſidium aggreſſi, inter ſanguinem, ſudorem, cœnuúmque enixi ſuperauêre obſtantia, incertos greſſus genu ac manibus firmantes, præſantéſque obiecta ſcopulorum; donec conſtantia procurrentium coactus Brolia, per nota diuerticula, & rectos vinetis colles, in domus aggeribus ſolidatas euadere. Hiſpanorum eo conflictu octo deſiderati, quadraginta ſauciati ſunt, inter tot ſtrenuos leuis iactura: ſi hinc futuræ expugnationis vtilitas, illinc deceptus opinione Brolia æſtimentur. Supererat agendorum pars multo maxima. Cum enim depulſi prioribus domibus in vlteriores tectioréſque media ſe via recepiſſent; neque quaſi aut disjici mœnia, niſi his primum demolitis liceret; die ac nocte tormentorum ictibus diuulſæ ſunt. Vbi laceræ ac nutantes, quamquam per ardua viam obſeſſoribus aperuerunt; tum facto cuneo, & patriam conclamantes, magno impetu Hiſpani prorupêre. Qui inſederant, quamuis propugnationi firmatum experti ſunt; non numero, non loco confiſi omiſêre præſentia; ſéque inde proripientes, Monaſterio Oneliæ vicino receperunt. Quingenti erant, qui ſuſtinere hoſtes debuerant; ſi fortuna iuuiſſet, validi, ſed conſternatione ac metu trepidi, vix ſecurum & in propinquo receptum aſſecuti ſunt. Creditum eſt, eodem impetu capi Monaſterium ab Hiſpanis potuiſſe, ſi labori dies viréſque ſuffeciſſent. Adeo confuſos propugnatores dicebant, vt velut vndis raptati, inter vepres vineáſque conglobarentur. Pauentibus Dolianus & Brolia aderant, caſtigabantq; formidinem; & præter præſentia, futuri auxilij ſecuritatem inſtillabant: tantúmque auctoritate valuêre; vt qui paulo ante dicti ab Hiſpanis fuerant arma proieciſſe; firmatum aggeribus vallóque Monaſterium tueri, vtróque diſcrimini occurrere auſi ſint. Hiſpanus miles timore hoſtium, ſuo profertur vſus, in firmatos ſtatim tormenta, & neceſſaria oppugnationi conduxit.

Cinctus eſt Monaſterij ambitus geminato propugnaculo quæ tumultuario labore eduxerãt; & diſpoſitis bellatoribus, etiam clauſis proſpectus in obſidentes ademptus eſt. Intus Sabaudij ſuo robore, fortitudine ductorum indefeſſi, aggerare humum, in ſubeuntes ſclopetorum ictibus graſſari; denique difficilia omnia inimicis reddere. Sed iam vniuerſos nerui (quódque magis vrgebant) puluis bellicus deficiebat: vt iam in vicino Hiſpanorum victoria ſpectaretur. Dolianus & Brolia

intus vigilantiâ; foris querelis; auxilium & puluerem bellicum conclamabant: ferebantq; Sangeorgium, fatali hoſtibus Sabaudij nomine, per incerta oppugnatoribus enixum; cum ducentis peditibus, equitibus quinquaginta, haud procul Oneliâ viſum; tamquam Genuenſium præſidio vim facturum; & mox in obſidentes erupturum. Iacturam illam altiſſimè Sabaudium ſauciaſſe conſtat: non tamquam receptioni diffideret; ſed metu famæ, cuius primordia fortunam determinant. Nil intermiſſo opere Hiſpani ad hortos vſque Monachorum munimenta prouexerunt. Viam quoque quâ ad Cappuccinos rectâ itur complexi ſunt; ne qua pars gloriam & ſpem conceptam moraretur. Secretis interim queſtibus populares ſuam miſeriam; & in excidium Patriæ accinctos non minus hoſtes, quàm ſuos Duces lamentabantur. Illos offenſa, has intempeſtiua conſtantia; & (vt moris eſt) vulgatæ querelæ etiam ad Monachos delatæ. Eâ tempeſtate Cappuccinorum Prouincialis (vt vocant) Oneliæ erat: hic commiſeratione populi, & profeſſione pietatis, de conditionibus induciarum cum Doliano agere, Broliam orare, centuriones periculi ſui admonere aggreſſus eſt. Quâ re moti vniuerſi trium horarum ſpatium ab Hiſpanis, intra quod locus dederetur, eo mediatore poſtularunt. Nec Hiſpanorum Proceres pacta abnuerunt; ſiue diſcrimini ac ſanguini victoriam puram præferrent; ſiue crederent nullo præſidio poſſe denuò Onelienſes animari. Sed Dolianus & Monacho impoſuit, & Duces hoſtium ſpecie pauentis circumuenit. Cum enim Marchio Sanctæ Crucis, Turſij Dux, ceteriq; Primates de belli exitu diſputantes iuxta ſancti Mauri ædes conſediſſent; nondum elapſo tempore induciarum, ab arce Oneliæ bellico globo impetiti ſunt, licet altius collineatus, vicinum parietem foderit, nullo Ducum malo. Tum fraus depræhenſa; cognitumq; non in alium vſum quæſitas horarum aliquot inducias; quàm vt nutantia munimenta, eo beneficio firmarentur. Itaque in oppugnationem Hiſpani redierunt; ictibuſq; frequentibus portam oppidi, quæ ſuburbium ſpectat; monaſterium, arcemq; quatere ceperunt.

Non minor obſeſſorum peruicacia erat; licet enim magnâ pulueris bellici pænuriâ laborarent; rariores licet, certiores tamen ictus in Hiſpanos dirigebant. Fors fuit è Caſtello ferreum globum tormento miſſum, ſuburbij caſam quandam palea refertam inceſſere; ſtatim conceptus ignis miſcetando apud amicos hoſteſque ſpectaculo: nec ante extinctus eſt, quàm vniuerſa circum conflagrarunt. Cum adhuc vigeret incendium, noua claſſis in alto viſa, quæ cohortes aliquot Siculorum, ſubſidio laborantibus Hiſpanis expoſuit. Hinc aucta obſeſſorum conſtantia: & cum Onelienſes inopiâ rerum metuq; langueſcerent, eundem Cappuccinum communi calamitate ad Marchionem Sanctæ Crucis impulerunt; vt acceptis à Marchione Doliano præceptis, depreliantes triduò ſine noxa conquieſcerent; promitterérque, niſi nono ſubſidio firmatum oppidum à Sabaudio foret, expleto tempore victoriam conceſſuros. Auerſati conditionem Hiſpani Duces; fruſtraq; eam moram poſci reſponderunt, ab ijs, quos vnius diei certamen erat appreſſurum. Scire ſe ciues non animis non viribus ſatis competere, deeſſe clauſis commeatum, & ante alia puluerem bellicum abſumptum. Et cum Monachus conſtantiam Doliani iniquè ab innocentibus ciuibus lui teſtatetur, reſponſum eſt, potuiſſe Onelienſes, cæde infeſti Ducis, rebus ſuis conſulere. Magno ſtipatorum globo vallatum Dolianum, eoq; facinori viam deeſſe, dicente Monacho, Marchio Sanctæ Crucis addidit, tot ſtrenuos commilitones inermis cucullati præſidio non egere: proinde abſcederet, ſibi enim certum eſſe, vniuerſos belli iure victos trucidare.

Paucos ante dies longinquitatem obſidij, & prouentus bellici inopiam Dolianus æſtimans, per ſecretos calles Villafrancam miſerat, qui puluerem bellicum, funiculos, plumbum, globos ſolicitè requireret. Monebantur ſocij diſcriminis; & quantum

quantum roboris Hiſpani in eam oppugnationem coegiſſent. Nec degener ſolicitudo fuit; quippe vniuerſorum ſtudio, quinque millia pondo collecta, & naui minori impoſita, vt ſuſpicio luderetur, Oneliámque tranſmiſſa. Id Sanctæ Crucis Marchioni per exploratorem innotuit; qui feſtinato imperio, lectiſſimas Triremium aduentanti lembo occurrere, & intercipere prouentum iuſſit: non tamen diſtincto, onerariáve naui, an vili nauicula veheretur. Triremes portu deductæ, onerariam Syracuſanam primò obuiam habuêre, quæ fide publicâ, multâ ac diti merce onuſta in Hiſpaniam properabat. Ea & cognita & ſtatim dimiſſa. Iámque ſuperflua diligentia, & exploratoris incuria timeri cœperat; regreſſæ tamen, haud procul litore, deprehendêre Liburnicam, cum puluere & literis ſecuritatem & velox auxilium promittentibus. Non ſubſtractum obſeſſis potius præſidium quàm ſecuta conſternatio, fortunam Hiſpanorum in ſpem certam erexit. Nam ante ora Doliani detrahi puluerem clauſi viderunt, & hinc manifeſtam deditionis neceſſitatem. Miles Siculus Hieronymum Pimentellum iuuenem nobilem & ſtrenuum ſecutus, magnifico ornatu in cuneos diſpertitus rectâ Bertollam proſecutus eſt; hoſpitio vſus; quod Hiſpani nondum ſuperato amne tenuerant. Dies aliquot Cappuccinus, cui Patria Brunduſium celebre ſanctitatis nomen dederat, apud Portum Mauritij diſtinebatur; Mantuam (vt ferebatur) à Duce accerſitus; qui pietatem viri & conditionem, coram experiri decreuerat. Itaque die Dominica, magno auditorum conſeſſu; cum in corruptos ſæculi mores, & licentiam flagitiorum inueheretur, flexit ad futuri præſagia; bella, cædes, excidia, morbos, Italiæ ingruentia, tamquam è cortinâ vaticinatus. Neque fortuita aut impetu cœpta comminatio fuit; ſed calamitatum quæ Pedemontanum Monferratum, Mediolanenſem Ducatum; nec minus ſocietate odij amicitiæve, vniuerſam Italiam annos aliquot exercuerunt, oſtentatio.

Die eodem citus equo curſor, vrgente nemine, ſponte proficiſcens, in Portum Mauritij delatus eſt; vulgauitque limitaneas Genuenſium copias, pluribus equitum turmis, & manipulis Sabaudiorum peditum congreſſas acri prælio, cum irrumpere fines Reipublicæ, & ſiue ſubditos raptare, ſiue Oneliam ſubſidio accurrerent. Hinc inde plures deſideratos; ſed fugâ Sabaudiorum apud ſuos victoriam ſtetiſſe. Hæc in vulgum læta ſtatim mœſtitiâ corrupta ſunt: quòd pleroſque Genuenſes, Cænæ & per totam Pedemontanam negotiantes retentos diceret; in quorum ſubſtantias & credita graſſaturus Sabaudius foret. Neque paucorum eam iacturam, ſed vniuerſorum ferè (illigatis mutuò commercio ciuibus) futuram; vt nullius damnum ſolitarium occurreret. Pars quoque mœtoris credita, nullo licet ſatis certo auctore vulgata, cupti à Sabaudio Cariſſani famâ. Hinc enim apertam in fines Genuenſium irruptionem, victiſque ac victoribus luctuoſam decertationem imminere. Apud Senatores altius in futura quæſitum ſententijs. Non enim duratura in Sabaudium Regis odia; eaq; ſimul cum vi omni infenſi Principis in Rempublicam vertenda metuebant.

Viceſimâ Nouembris ſui quoque Dolianum ſauciauêre. Cum enim deſcribi iuuentutem omnem, & in publicas tabulas expenſam ac commeatum loci referri iuſſiſſet, centum ferè milites abeſſe deprehenſi; quos metus futuri, & præſens calamitas videbatur in fugam vertiſſe. Et primo quidem belli initio nomina intrepidè dederant, ſed mox nutante partium fortunâ, & deploratis rebus exuerant conſtantiam profugi ad externos. Horum alij per extentos funes ſeſe è muris demiſêre; alij imagine conuehendi commeatus, modicis ſarcinis conglobatis exceſſêre: plures cum arma tractarent, tamquam excubias procul acturi ſeſe proripuêre. Sed militares animos fortiter infregit, proniorésq; ad contumaciam populares reddidit, ne ſolita pericula promptitudine poſcerent, & læti obſequio animas prodigerent. Nocte inſecuta Marchio Dolianus, vt Hiſpanos progreſſu

Digitized by Google

exultantes procul mœnibus haberet, ducentis popularibus, foſſam quæ portam Diuæ Virginis Lauretanæ proſpectat, communiuit. Iuſſi peruigiles eſſe, & incutiendo terrori, vel inanibus ictibus præſidium affirmare. Quieuêre tamen Hiſpani immenſo imbri fuſo; niſi ſecretum conſilium ſuberat. Orto die in ſuas quiſque centurias cuneóſque diſpoſitus templum Diui Martini raris propugnatoribus obſtantibus occupauêre; vt & domus oppoſitas. Ita ambitus omnis Oneliæ hoſtili vallo clauſus eſt. Obſtrepuit Dolianus tantum obſeſſoribus in ducentum armatos licuiſſe: ſed dum cuſtodes, & nocturnas excubias ſciſcitatur, vniuerſos fugâ dilapſos fuiſſe accepit. Formidinis inditium ſparſa in plures locos arma, vt rari viderentur, eandem fuga viam tenuiſſe. Vis pluuiæ vt repentinum in oppidum incurſum inhibuerat, quod auctus amnis vado tranſiri non poſſet; ſic vbi vehementia ſubſedit, duo tormenta bellica Hiſpani trans flumen traxêre. Licet pectori tenus vndæ aſſultantes, impetúmque procurrentis totis corporibus frangere ac retinere cogerentur. Porta quæ ſuburbium aſpicit, domúſque velut munimentum prætenſæ, disjiciendæ, complanandæq; erant; vt obſeſſi etiam aſſultu vrgerentur. Neque tamen quæ olim cœpta nouis conſiliis omiſſa ſunt; ſed Monaſterium Diui Auguſtini indefeſsè quaſſatum; vt pluribus ſimul curis propugnatores fatigarentur.

Iam vires, iam animus Sabaudios deſtituebant; proficiebântque Hiſpani amne, ac domibus circum ſitis potiti: quibus tecti ciues in certum ictum deſtinabant. Dura neceſſitas Oneliæ ducibus conſilium ſalubrius inſtillauit; iterúmque Cappuccinum toties fruſtra ad hoſtes miſſum, deferre noua deditionis pacta coëgêre. Placuit duos Centuriones Hiſpanos Oneliam obſides mittere; cum interim totidem Centuriones Sabaudij in caſtra profecti, coram abeundi leges acciperent. Id pleriſq; Hiſpano nomini indecorum creditum. Debuiſſe obſeſſos, ſi pacem, incolumitatem, & ſecuras ſibi res voluiſſent, Marchionis S. Crucis promiſſis fidere; obſides reuerentiâ victos offerre: procul maieſtate Regia Dolianum milite deſtitutum, exarmatum, clauſum, omnium egenum, pari cum victoribus iure agere. Dux Hiſpanus aduerſum hæc immotus, victoriamq; quandocunque haberetur ſatis honoram ratus, ſecuritati Sabaudiorum cauere voluit; credidítque acceleratæ deditioni ſine ſanguine & expenſâ, duarum horarum obſides bene concedi. Hæc inter primores diſceptabantur; cum venêre à Doliano non quantum deſperatis rebus conduceret, demiſſi; ſed conſtantiam potius irámque ſpirantes: Gallus maximè, cui non victoria, non deditio ſine ſudore & ſanguine honora videbatur. Exponere ſuorum mandata iuſſi, reſpondere: paratos ſe munimento excedere, ſed triduum induciarum velle; quo certior neceſſitatis reddi Dux Sabaudius, & deſtinari auxilium poſſet. Elapſo tempore, nec deducto ſubſidio, deditionem ſine morâ facturos: vexillis tamen explicatis, armíſque vt ad prœlium inſtructos; cum commeatu, ſarcinis, & tormentis. Intactam fœminarum pudicitiam, ſecuros ſui oppidanos: nil inde Sabaudio iuris deperire velle: denique vniuerſos validó cum præſidio ad limites vſque deducendos. Aderat Cappuccinus profeſſione pietatis iis curis immixtus, conditionum tamen magnitudini aduerſus: quiq; multo ante monuerat, vires ſuorum, commeatum, ſpem futuri auxilij prius æſtimanda; quæ ſi minus ſecuritati ac fiduciæ reſpondiſſent, à victoribus pacta recipi debere; honora tamen, & quæ nobili loco natus, viciſſitudinémque fortunæ expertus Marchio foret dictaturus: Hiſpanos etiam duces orauerat placatos contumacium preces exipere; neque paucorum culpâ, tot millibus incolarum & militum exitium velle.

Marchio Sanctæ Crucis ſemper mitis, nec niſi fugacis iracundiæ, quæque ſtatim vaneſceret obnoxius, retinuit impetum naturæ, indignationémque compeſcuit; quam intempeſtiua & importuna poſtulatio, iam irritauerat. Vultu quoq; ad

facili-

facilitatem compoſito reſpondit, ne momentum quidem conceſſurum, quo Sabaudius anguſtiarum Oneliæ admoneretur, eò minus tridui moram: quando compertum habeat continuatione laboris intra diem vnum, Caſtello Oneliæ Regia inſignia implantaturum. Iure victoriæ tormenta bellica occupantium cenſeri: nec enim inermes & commeatus indigas arces omittendas eſſe. Dignitati Doliani & belli ducum, non arma ſolùm, ſed & ſarcinas, quæ inter inania reputet, explicata vexilla, ſonantes timpanos, ardentes funiculos promittere; comites in tutum vſque ſpondere: popularium indemnitati, equeſtri ac nobili ſacramento cauere. Non alia à piiſſimo Rege mandata accepiſſe, quàm ignoſci deditis, tributorum intoleranda leuari, paternâ caritate vniuerſos complecti debere. Datam fidem maioribus documentis, quæ non promittantur, liberaturum. Annonam ſiquidem vel de ſuo deducturum, ſacras ædes priſtino decori reſtituturum, egenis imbellibuſq; Regiâ munificentiâ conſulturum. Vbi Gallus centurio plura aut potiora quàm peterentur potentioris arbitrio permitti vidit, vt viribus ac beneficio impar, naturali impetu conuerſus in Turſij Ducem; hæc quidem pro voluntate agitis reſpondit; ſed ſi viarum inacceſſa, & negotiorum ſui Ducis moles, deducere Oneliam auxilia permiſiſſent, multo cum ſanguine, hoc vallo, his mœnibus potiremini: cum paucis & inermibus res eſt; æquo Marte, fortunam in virtute eſſe. Retinuit indignationem Turſij Dux, comitate violentiam hominis mollire volens; id tantum ſubiungens, promendæ virtuti locum, tempus, occaſionem illi non defutura; ferenda conſtanter aduerſa, & cedere validioribus partem prudentiæ eſſe. Proinde maturè ad Dolianum regrederetur; & ſi conditionibus annuiſſet, deditionem feſtinaret: ſciret interim paratam victoriam, vi Hiſpanos omni proſecuturos; ne ſemel promiſſis inconſtantes denuò pœniteret. Profecti Oneliam, ſtatim in Caſtra regreſſi ſunt; vtq; formidinis incerta conſilia, addidêre pactis, vt per Reipublicæ Genuenſis fines comitatum cuſtodiamq; haberent; Genuenſium caritati manifeſtè diffidebant; nam ſe per eos fines tutò incedere poſſe negabant. Marchio Sanctæ Crucis ad hæc reſpondit; nullum Hiſpanis ius in Genuenſes ſcire; pietati tamen Senatus fidere; nec dubitare, illos æquo in Sabaudium animo futuros: proinde tutum regreſſum cenſere. Ad hæc Gallus laudata comitate Marchionis adiunxit; Genuenſes ſeſe factis Sabaudij hoſtes profeſſos; cur enim negatum auxilio iter, quod Oneliam mitteretur. Tum Stephanus Spinola pro Republicâ, rerum eo tractu Curator, excepit: ne id quidem cum ratione dici: oportuiſſe illos multò ante preces ad Senatum deferre, vel Oratoris Hiſpani exemplo; qui potentiſſimi Regis nomine, litoris vſum petierit.

Id longiori diſceptatione tractatum (quando magnum temporis momentum erat) Hiſpani ductores diremerunt; ſancitumq; chirographo Legatorum, vt horâ diei vigeſima Onelia permitteretur. Tum ſolutum obſidium, & digreſſis Sabaudijs, loco Hiſpanus miles potitus eſt. Expleta victoria credebatur, tamquam nullis amplius hoſtibus, & trans Liguriam fugatis; ſed immaturitas triumphi gloriæ partem corrupit. Siquidem Brolia operis ac laboris indefeſſus, vbi improſperè Oneliæ propugnationem ceſſiſſe vidit; ne conceſſiſſe lauream vniuerſæ rei videretur, modico ſed valido comitatu Caſtellum Marri inſedit; exemplo ſuo conſtantiam aduerſus Sabaudium Ducem vicinis inſtillans; & ſi bellum ingrueret ſpem auxilij. Hiſpani interim coacto Oneliæ conuentu, ciuium ac vallium adiacentium ſacramentum pro Rege ſuo accipiebant. Marrum quoque & Prelam miſerant, qui populares in vota requireret; ſed qui Caſtello potiti fuerant, Sabaudium profeſſi ſunt. Marchio ſanctæ Crucis ad rei famam commotus, ſtatim perfidiam Broliæ incuſauit; quaſi conceſſâ Onelia cætera ſequi debuiſſent; Marrique ac Prelæ vna eadémque conditio fuiſſet. Contra Brolia vel

Onelia in Hiſpanos.

Brolia Marrum ſe recipit.

Genuenſium teſtimonio, aliam Marri ac Prelæ prouinciam; nil inuicem communi habere, diſtinctas Præfecturas teſtabatur. Et patuit incuria, quod paratis iam Sabaudijs vniuerſis cædere, ea quoque loca conditionibus Hiſpani non inſeruiſſent. Quod vbi vulgatum, vt apud Sabaudios cautiora; ſic apud Hiſpanos acriora concilia exciuit. Cúmque de bello nõn dubitaretur, nonnulli popularium misêre ad exercitus Duces oratum, vt partem militum, recipiendæ (vt loquebantur) fidelitati ad ſe mitterent; ne facilitatem obſequij apud Ducem ſpontaneam rebellionem maliuolentes appellarent. Miſſus cum trecentis ſclopetarijs Luiſius de Leiua, tamquam ad res paratas; iuſſúſque non ſolum fidem incolarum recipere; ſed etiam expugnationem loci ſtatim aggredi, ſi pertinaciam deprehendiſſet; aut præuiſis difficultatibus agendorum normam condiſcere; quáq; via, quibus inſtrumentis, tormenta bellica ad expugnationem ducerentur.

Cæterùm Oneliæ tamquam duraturæ pro Hiſpanis dominationis primordia iaciebantur. Et ne quâ pars ciuium, cui portio agri erat immunis ſacramento ageret, nobiles etiam nonnulli Genuenſes iurare coacti ſunt. Imperialis & Bartholomæus Doria erant, qui cum Oneliæ Conſiliarij officio fungerentur, exemptos ſe à communi neceſſitate aſſeuerabant: ſed metu (iam enim maieſtatis arceſſebantur) cæterorum fortunæ ſucceſsêre viceſimâ nonâ Nouembris. Id apud Genuenſem Senatum grauiter acceptum, quaſi nobiles ſuos ſeruili conditioni Hiſpani ſubdidiſſent. Brolia primo ſtatim acceſſu, quòd Caſtello Marri ſatis fideret; ſitu & arte, ad longiorem oppugnationem validi, commeatum à paganis corraſum, in plurium menſium vſum ſepoſuit; puluere tantùm bellico & plumbo deſtituebatur. Nec ſi Hiſpani concordes obſidium agitaſſent, ſpes habendi ab exteris ſupererat. Præfecti Campi cui Sarmento cognomen erat, & Leiuæ animis diſcordibus, nec in ſummum agendorum annixis, datum Broliæ tempus noui militis conuocandi; & bellici prouentus comparandi. Triginta ferè gregarij Rubinâ educti propinquas Hiſpanorum ſpes morati ſunt, conuecto intra Caſtellum puluere ac plumbo. Eam pulueris bellici, & plumbi copiam, totâ ditione Sabaudij, in belli vſus aſſeruatam, inficiari quiſque poſſet; niſi cui Ducis prouidentia, & armorum connatum ſtudium perſpecta ſunt. Leiua poſtquam in valles Marri deſcenderat, paratoſq; imperio paganos per lætitiam conclamare Hiſpaniam audiuiſſet, omiſſis pauculis & ſecuris rebus Oneliam remeauit. Niſi Campi Præfectus Sarmentus, nataq; inter ductores diſcordia bonum publicum interrupit, ſecuti quoque Marri ciues vicinos fuerant veri animi documento; ſed expectatione deluſi; quòd maiori ope affuturos Hiſpanos, & eo fomite reualituras partes crediſiſſent.

Facilitas hominum Marri, & ſuis & alienis intentum Broliam non fefellit; qui vbi reuerſum Oneliam Ducem, & apud ciues nil externæ ſecuritatis vidit, armatâ iuuentute ſtipatus Caſtello deſcendit, cædéque ac ſanguine popularium perfidiam vltus eſt; excidium quoque & fortunarum amiſſionem comminatus, vbi appellatum auxilium gnari diſcriminis & viarum duxiſſent. Genuenſibus quoque metum addiderat; in quos implacabili odio ferebatur, toti ditioni bellum conteſtatus vbi plures ſibi auxilio aduenienſſent. Id exploratores Stephanum Spinolam Commiſſarium docuerant, qui futurorum anxius (iam enim Hiſpani reditum ad ſuos parabant, & in Pedemontanam expeditionem accingebantur) Marchionem Sanctæ Crucis conuenit, orſuſq; ab ijs quæ eius Reſpublica optimè de Hiſpano nomine meruiſſet, flexit ad gloriam, quaſi Marro & Prela omiſſis imminuta victorum exiſtimatio, faciliſq; Oneliæ receptus foret. Addebat in ancipiti conterimina ſociorum agere, quos iam Sabaudius hoſtes dixiſſet, reoſq; malorum belli ob ſtudium in Hiſpanos. Itaque ne mora obſidioni interponeretur, orabat:

vtq;

vtque importunum hoſtem, non Hiſpanis ſolùm ſed & Genuenſibus incurſurum finibus illis exigeret. Paruit Marchio, cognitò quàm vtilia & honeſta ſibi præciperentur: cúmque Portum Mauritij militem claſſi impoſiturus properaret, quatuor peditum vexilla prioribus addidit, vt ſub Ioanne Hieronimo Spinola Marri expugnationem maturarent. Receptus à Stephano Spinola Sanctæ Crucis Marchio, & Turzij Dux eâ feſtiuitate, quæ Regium miniſtrum, & Genuenſibus amicum decebat: cum vniuerſi deductum Oneliâ militem quibus Marrum tentandum fuerat, finémque opperirentur; neque dubia ſpes expugnationis eſſet, citus curſor Albengâ profectus detulit Sabaudios inopinatò Zuccatellum inuaſiſſe, cœpiſſe, præſidium quoque & commeatum bellicum intuliſſe, vt durabilis poſſeſſio eſſet. Itaque notis iam in Genuenſes odiis de Albenga formido inceſſit, ne quod Oneliæ amiſerat, Reipublicæ illius damno ſarciret. Ad rei famam Stephanus Spinola, Mutio Gentili Centurione, & Nicolao Gandulpho in eâdem operam aſſumptis, cum puluere bellico, cuius inopia ciuitatem laborare nouerat, ſumma feſtinatione Albengam venit; reperitque tantum pauoris & conſternationis apud ciues, quaſi iam iam inimicus mœnibus inſtaret. Hiſpanis quoque imminuta lætitia; quod trecentos ferè Gallos, quos ira & deſperatio agitabat, Oneliam pergere accepiſſent, Zuccarelli agrum prætervectos, per Leronam vallem Oneliæ conterminam delatos. Nec dubium habebatur, iis quæ cœpiſſent, plurimum id ſecuritatis detrahere; Oneliam deſtinatione certa à decertantibus exercitibus raptandam. Die eadem à Genuenſi Senatu miſſi triremi Germani appulêre; & Ciſſanum cum pluribus Alaſſio ac vicinio deductis, miſſi ſunt: vt loco non arte minus quàm naturâ firmo, anguſtias quoque Ligurum Alpium aduerſus vim quamcunque inſiderent. Comes Gentilis Centurio euntibus additus, vt opportuna locorum cômmuniret.

Porrò Zuccarellum Marchionis Octauij Caretti erat; ſiue proprio, ſiue ſubditorum ingenio apud ſuos inuiſus. Veſperaſcente iam die, Filibertus Carettus alterius eodem nomine conſobrini ſui prætextu cum triginta omnino armatis inſperato ingreſſus eſt, quos trecenti Galli toto itinere comitati ſunt; ne aduentu hoſtium vrgeretur; & iidem paulo poſt ſecuti. Marchio Octauius Caſtelucchio agebat, non ignarus conſanguinei & populorum odij. Ergo qua maximè feſtinatione licuit, munimentum arte & natura tutum milite ac commeatu firmauit. Secus Franciſcus Barca addidit obſeſſis animos, ne vim vllam externam pauéſcerent. Quippe certiorem Senatum doli factum, in tempore vniuerſa curaturum. Hoc ſtatu rerum inani rumore vulgatum eſt Comitem Guidum Sangeorgium, formidatum hoſtibus ducem, cum delecta ſclopetariorum manu, tamquam Caſtrum vetus occupaturum aduentare. Sed patuit vanitas, eorum fide, qui certiora detulerunt. Viam qua Oneliam itur anguſtiis ac rupibus inacceſſam; nec niſi clauſtris Ciſſani ſuperatis poſſe penetrari. Hiſpanorum quoque deſtinata formidinem depulêre: dictum nempe Pimentellum Oneliam cum quadringentis peditibus regredi; quibus Marri expugnationem cogitet. Nec minus Gubernatorem Finalis ingenti operariorum numero, Baleſtini, Naſini & adiacentium oppidorum iniqua complanare, qua Zuccarellum iter eſt; vt tormenta quatiendo Marro neceſſaria faciliori opera conuehantur. Intra Oneliam tum ſeptem militum vexilla erant; intulerúntque Hiſpani in Arcem vim magnam pulueris; plumbi, funiculorum, & commeatus, quantum longo bello ſuffecturum crediderant. Iam verò popularium damna, quæ ab Hiſpano exercitu vltro citróque commeante acceperant, Stephanus Spinola pro cuiuſque profeſſione publica pecunia dicitur exoluiſſe; adeo in vulgum accepto beneficio, vt in præſentem quidam grata recordatione meminerint. Et tamen minor agreſtium iactura fuerat, quàm pro numero militum, aut permiſſione

Digitized by Google

licentiæ. Sed ſummâ in pace agere, & ſecundùm libertatem ſuis vti ſueti etiam leuiſſima querebantur. Moniti nihilominus communi neceſſitati, & publicæ egeſtati nonnihil condonare (quando publica res, priuatorum opibus ſuſtentetur) ſinguli in tempore publico diteſcant proficiántque.

Qui Marrum inſederant, cum odio & pænuriâ prædatum erumperent, Genuenſe territorium ante alia raptabant. Abducta armenta fuerant; & plerique negotiatores cum iumentis & ſarcinis intercepti, vt famam flagitij vitarent, reos Hiſpanos ſubdiderunt. Sed qui Zuccatellum tenuerant, niſi etiam præferrent fines ingloriam militiam credebant; eoq; Caſteluecchium luce creperâ adorti, intra matutinos ſomnos, cum effringere valuas pettardo aggreſſi forent, irrito facinore à Franciſco Barca magna cum ſtrage reiecti. Decembris initio Centurio Mutius Ciſſanum profectus, quâ parte in frontem municipium infirmius videbatur, ducto aggere vallauit; diuiſâ inter ciues ac præſidiarios curâ; neque fœminili labori temperatum, quin publicæ incolumitati humum ac tigna deferrent. Mox redijt, qui ſeruarent relictis, & ſecurâ ſpe, ſi oportuiſſet, diu ferendæ obſidioni. Paucos ante dies quadringenti Hiſpani Prelæ Caſtellum occupauerant; intulerantq; & victui & prælio neceſſaria; ſed vbi cautum ſatis præſentibus, relictiſq; per quos poſſeſſio retineretur, Oneliam regreſſi ſunt. Adiacentes valles arbitrio Sabaudiorum permiſſæ. Nec hi abuſi opportunitate ſunt, ſed ingentibus exactionibus, pecuniam, fruges, vinum, quæq; iram militarem leniunt, pendere coacti; cum nonnulli etiam verbere vrgerentur; licet præter animas nihil quod hoſtis deſideraret, domi haberent. Etiam paganus tamquam pecuniam abdidiſſet, cum frumentum, vinum, & domeſticam annonam obtuliſſet; & inſuper pecunia requireretur in tormentis defecit. Poterat crudelitas popularem ſeditionem excire; niſi ſatelles quidam vniuerſa rimatus, inter ſecreta ollam multo argento grauem repeniſſet; exprobrauiſſetq; homini aduerſum ſe ſæuitiam; quòd modicâ pecuniâ propriam incolumitatem redimere noluiſſet. Dum hæc Marri aguntur Gubernator Oneliæ accitos publicæ rei Curatores (Sindicos dicunt) primùm multa in ſpeciem comitate excepit; & quia licentiâ militari pleraque admiſſa offendiſſe populares didicerat, præteritis ſatisfacere, & pro Hiſpanis futuro prouidere decreuit: Populi querelas, inquit, ſe magno cum mœrore accepiſſe; & licet initia bellorum militaris petulantia, inter vim & pacem accuſentur; tempore turbarum tamen difficilem diſciplinam eſſe, Rectorum verò aduerſus ſingulos rectum animum laudare. Fateri quidem incuriâ & licentia fuiſſe peccatum, ſed vbi compoſita forma rerum militares manipuli promiſcuo hoſpitio modeſtè vti iuſſi, ſolutum ſtipendium, conuecti commeatus, & datæ in publicum leges ſunt, vim omnem fuiſſe, etiam lamentationes vanuiſſe. Quos olim hoſtium nomine appellauerint, iam ſocios tutoreſq; fateri. Vſu & tempore impoſita onera, vt imminui cupiat, ſic neſcio Mediolanenſi Gubernatore irritare non poſſe; quia tamen certa ipſi Regis & miniſtrorum in fidos ſubditos voluntas ſit; ſi ipſi preces detuliſſent, facilè obliteranda. Ire itaque & certâ ſpe Inoyoſam petere, illiq; quæ immutari aut obliterari cupiant exponere debere. Daturum ſe literas & comites, qui populorum cauſam magnâ pietatis commendatione proſequantur.

Ad hæc Onelienſes, paratos ſe quidem in nouos dominos, nec aliam quàm obedientiæ gloriam quærere: deſpectum ſui, & militarem ſæuitiam lamentatos; non vt in Principem queruli, ſed vt vexationibus modum inuenirent. Nunc prudentia ac vigilantia ducum tolerari hoſpitalitatem, conſuetudinemq; militatem vtcunque ferri; nec minus protectionem Regiam, & Gubernatoris Mediolanenſis cupere: ſed poſtremos ſe ſeruientium, quo id officio conſequantur parum peruidere. Sic agendorum dicendorumq; forma volentibus dictata, in hæc verba: Onelienſes ſemper Mediolanenſibus Ducibus fuiſſe addictiſſimos; reſeruatum

tum

tum ipſis ſupremum cauſarum ius coluiſſe: & quamquam triginta annorum miniſterio Sabaudius ſummum illud imperium ſpecie ſupremi dominij corruperit, manſiſſe tamen apud ipſos congruentem antiquæ conſuetudini voluntatem; nec diuerſam futuro promittere, non bello, non pace obliterandam. Vallium tributa reſcindi, hoſpitalitatem militarem tolli, externorum commercia reſtitui cupere; nec alia, documento pietatis in bonos ſubditos, ſiue iure, ſiue vſu ſueta orare. Satis modeſtè agi cum Oneliensibus videbatur, ſi cætera pati quiete tranſigerentur. Quippe Genuenſium confinia, inſolitis olim populationibus Sabaudij infeſtabant, gnari non ſuffectutam vindictæ Rempublicam, niſi Hiſpani accurriſſent. Hos verò pactis expletos parum vlterioribus prouiſuros. Haud procul Pieue cum duabus ſarcinis Mulio deprehenſus, pecuniâ primùm mox rebus omnibus exutus eſt iubente Broliâ. Non rapina ſed odium Senatus erat; licet non petita a ſe commercij licentia accuſaretur. Reddita tantùm iumenta, vt ea liberalitate inuidia molliretur. Id populi querelas accendit; vt Hiſpani tories negligentiæ accuſati iniurijs intenderent. Genuenſes Ioannem Auguſtinum Marinum Dianum miſerunt; vt militiam videret, & quo robore diſciplina eſſet, diſceret. Hic quinquaginta ferè ſclopetarijs ſtipatus, licet Oneliam iuxta incederet, non alio tamen officio in Gubernatorem præſentem & proſpectantem vſus eſt; quàm breui ſalutatione, & verticis conniuentiâ. Non enim aut ſermonem miſcuit, aut ſalutem ei fuerat impertitus. Progreſſus ad ſua hominis indignationem magis conciuit quam credi poſſet. Sub veſperam inter ſuos examinatâ ſuperbia, Gubernator prorupit: notum Genuenſibus eſſe velle, quoties armato eum milite vicina Oneliæ tetigiſſent, niſi permiſſu ſuo liberum iter habituros. Præter hoſtilem rabiem quæ populos & rem omnem affligebat, & vniuerſa circum bellum ſpectantia; etiam vis morbi miliriam exercebat. Oneliæ & apud Portum Mauritij, domus hoſpitales graui lue ægrotantium refertæ: niſi nocua vis hieme depoſuiſſet contagionem minitabatur. Nec ideo tamen imminutus eorum numerus qui Oneliam ſeruabant; ſed mille præſidiarij, tamquam inter hoſtes miſerabilem in modum ciues hauriebant; vt vix decem annorum pace opulentâ in priſtinam fortunam redituri crederentur. Inania ſuperbè poſcebantur, lectus, palea, focus, condimenta, lumen; ſed hæc ipſa ne plura poſcerentur magno emercanda erant; augebatúrque oppidanorum confuſio, quòd nec queri metu peiorum, nec ſilere dolore præſentium liceret. Sic pernicioſa conceſſio, ſuſpecta querela; & gratias agere & pati perſuadebant.

Cæterùm receptâ olim Prelâ, & permiſsâ Sabaudijs vallium poteſtate, didicêre Hiſpani malè caput Prouinciæ, ſiue colonis conſeruari (quippe Brolia propinquitatis commoditate vſus nil intactum omittebat, quò Marrum diuturnæ obſidioni componeret) proinde miſſis quadraginta expeditæ iuuentutis, vniuerſos Regis Hiſpani ſacramento adegêre. Inter tot vicos Villatella Præpoſito Franciſco Terramo præferre conſtantiam auſus eſt, intulitq; militem & commeatum vt conſtantiam profiteretur. Contra victores pari facilitate Luſcinaſcum relicto quadringentorum ſubſidio Tornam Teſtegumq; recepêre. Hic plures præſidio impoſiti, quod Sabaudij eo itinere Oneliam petituri dicerentur. Paucos ante dies Comes Sangeorgius Zuccarellum cum delectis venerat. Hinc aucta ſolicitudo firmitatis, geminati propugnatores, conuectata longę obſidioni neceſſaria; neque ſtrenuo Duci Brolia deerat, indefeſſus præceptiq; mandatorum executor. Id ante alia cunctationem Hiſpanam diſcuſſit; & in eorum quæ cœperant ſecuritatem, magis vigilantes reddidit. Sed & octo Triremes Monacum miſêre, vt hinc peditatum & annonam Oneliam comportarent. Dicebantur locum in formam validiſſimæ arcis inſtructuri. Brolia ipſe quamuis numero inferior, raptare Onelienſes, comportare in tutum prædam, laceſſere oppidanos non vili animo adortus

eſt;& Hiſpani cum eadem in Sabaudios exercerent, intuta omnia, etiam Genuenſium imperio ſubdita reddiderunt.

Brolia quidem Oneliensſes perfidos, occaſionémque deſciſcionis ſectatos apud Sabaudium appellauerat; & in hos Nizenſes, vt in hoſtes, rapinis, cædibúſque ſæuiebant. Auditæ tamen Ducis Sabaudij literæ quibus Præfecti monebantur, conceptis verbis abſtinere iniuria in Onelienſes amaros ſibi ſubditos. Credebant omnes ſic prorſus Principem ſentire; quamquam Hiſpani opinarentur, eâ ſpecie obſtringere ſibi, & promptos ad occaſiones reddere voluiſſe. Certè Sabaudij virtus ſine arte non erat; vt cui ſiue vi ſiue virtute certum eſſet, tempore in æmulos proficere. Eâ causâ ſilere non decet, quod Brolia ipſe publico epulo cum maximè vino incaluiſſet, vulgauerat; perſcriptum ſibi à Duce; vt quibus maximè poſſet acerbitatibus Onelienſes ad pœnitétiam reuocaret; nec contra crederet; ſi pietatem ac clementiam commendari imperatiue audiuiſſet. Arcanum id dominationis Hiſpani appellabant; vt cum pœnas in noxios exerceret, integrâ adminiſtri gratiâ, ſeſe auctorem abnueret. Apud Teſtegum, quod nullo ſuperiori iure Marchioni Marri ſubiectum eſſet, requirere fidelitatem Hiſpani ſuperſedere: ſed quia eo itinere valles Oneliæ ab hoſtibus tentari poſſe cognouerant, centum quinquaginta pedites reliquerunt, qui Zuccarello aduentantes arcerent. Addidere proinde loco aggeres, quibus è ſublimi in ſubeuntes tormentis intonarent. Pars reliqua Hiſpanorum Carauonicum, Sanbarrholomæum, Aurigum, Conium, Sanlazarum, Lauinam, Genam, Candeaſcum, villáſq; Diuorum Petri & Sebaſtiani percurrere.

Egreſſis Sabaudiis Candeaſco, vt munimento annonam inducerent, forte in paululos Hiſpanos inciderunt: cæſus Decurio, duóque manipulares ſauciati; cum cæteri fugam maturaſſent, eluendóque dedecori magnum in inſidiis Hiſpanorum numerum teſtati forent. Vbi ex voto res Hiſpanis ceſſit, vniuerſi haud procul Monaſterio Zoccolantium ſubſtitêre; à Marri ſuburbio vix mille paſſibus diſtantes. Neapolitanas centurias aduentantes opperiri cōſilium fuit; vt auctu virium breuior expeditio cum honore eſſet. Et hi quidem tertio affuere fere quadringinti. Sed potiſſima in Duce fiducia erat. Itaque pridie Dominici Natalis Ioannes Hieronimus Doria Oneliam deuectus, cuius auſpicio cœptum bellum patrandum etiam videbatur. Is primo acceſſu non paganos ſolùm, ſed & ciues Oneliæ ab decimo ſeptimo anno ad quadrageſimum, in cenſum militarem vocauit, vt communi cauſæ, publico ſtudio accederent; alij tormentorum ſubuectioni intenderent, alij ſecuritati aſſiſterent; plures viarum incerta dirigerent, ardua complanarent. Veterem militiæ morem reduxiſſe videbatur, ſi duraturo miniſterio, & ordine caſtrenſi profecturi forent. Ingens tormentum promouendum erat; ſed & minus, quod diſtantes certiori ictu feriret. Viceſima ſexta Decembris, vix milliario vtrumque Marro abfuit; facilitate maiori, quàm creditum fuerat, deuectum. Et quidem Marri incolæ voto Hiſpanos accercebant; neque illis eijciendi Broliæ vires ſuberant. Hic tamen & muneris & famæ ſtudio, cum ardua Caſtelli inacceſſa videret, planiora & in ſuburbium decliuia firmauit; non inani deſtinatione, vt domus ea proſpicientes loco præſidij eſſent. Cæterùm quingenti Hiſpani Monaco triremibus vecti, metum obſeſſis addidere: ſiue Ioannis Hieronimi iuſſu Marrum deducerentur; ſiue Oneliæ præſidio aduocati forent. Ante alia conſternationi obſeſſis fuit, ingens nauis commeatu bellico onuſta, capráque ab Hiſpanis; quæ è Gallia redux, Sabaudiis puluerem bellicum, plumbumq; ferebat.

Per id ferè temporis Caſteluecchium, quo nonnulli conuenerant vt in ſecurum, breui obſidione abiit in Sabaudios; non ſolùm doctore Mainero, & Franciſco Barca, ſed & militibus publica fide dimiſſis. Sabaudij vires ſuas iactabant; plures tamen commeatus inopiam, continuum dierum aliquot laborem & vigilias

lias, etiam Ducis aſperitatem accuſabant; & vt inter aduerſa prona in deteriora ſuſpicio eſt, non defuêre qui perfidiam, & proiectum animum exprobrarent. Carthuſianum nempe Monachum ſcalis in arcem receptum, diu & ſecretò Maincro fratri collocutum; nec admiſſos cæteros niſi pactis iam firmatis, & totâ agendorum deſtinatione. Neque tamen Barcam & cæteros licet poſtmodum accitos poſterioribus congreſſibus intereſſe voluiſſe, quaſi conſcientiam turpitudinis aucrſarentur, & conditiones abnuerent. Res incerta varijs commentantium ſermonibus; prout amor, odium, coniecturæ ſuberant, tractabatur. Summa conuentionum fuit, recipere Sabaudios poſſeſſionem Cæſareo nomine, cuius vicarium eo tractu gerat; nec aliud quam Marchionatus arces ſecuritati requirere. Manere Marchioniſſam Dominam, ius ſubditis dicere, vti reditibus placere; bellum & in illud expenſas ſibi ſumere. Et quò viderentur honeſtiori causâ vti, vbi Caſtellum tenuêre, quæcunque intus reperta in publicas tabulas retulerunt; veluti forent in tempore rationem reddituri. Milites vt ad bellum, cum inſignibus & armis ſpecioſè dimiſſi ſunt; cum Reipublicæ Genuenſis nihilominus dedecore; quod illi Marchionatus nullum ius reſeruaretur, quamquam multo auro obſtrictus; quodq; tutelam loci præſumens, & milite miſſo auſa, turpi deditione ante ſupremam neceſſitatem omiſiſſet. Secutus victoriam Comes Sangeorgius eſt; iuſſitque ciues fidelitatis ſacramentum apud ſe Sabaudio dicere; mox in vicina delatus, eandem omnibus qui Zuccarelli Marchioni parebant, legem impoſuit. Et quia apud municipium mille ducenti pedites, centum equites numerabantur; qui Genuenſibus fidi erant, & Albergæ & Loani metuebant; tanquam hoſtes repetendæ vindictæ cauſa in Doriam familiam, quæ Sabaudio Oneliam detraxiſſe ferebatur, extrema pararent. Nec vana ſuſpicio fuerat; quippe Sangeorgius apud diſcedentes iniurias queſtus fuerat; & fore repetendi tempus cum comminationibus dixerat; facilis aliàs, & aduerſus victos placabilis. Sed reddidêre vices Hiſpani pluribus eo tractu oppidis paucos intra dies receptis. Neque tamen ideò præualuiſſe videbantur, quod Marrum ſitu & arte validum Sabaudij adhuc retinerent: & tueri cætera, dilapſiſq; in Hiſpanorum fidem minitari viderentur.

Penultimâ die anni, poſt inſumptos deductioni tormentorum plures dies, Ioannes Hieronymus Doria, portam municipij collibus obuerſam continuis ictibus quatere aggreſſus eſt; ceſſitq; conſilio res, nam turris & murorum proxima, magno hiatu ruinam fecêre, & expugnationi ſucceſſuris, expeditum per aduerſa iter præbuerunt. Temperandam tamen vim, & virtuti miſceri debere artem Hiſpani crediderunt. Tertia noctis hora delecta; vt fragore tormentorum, ſclopetorum ſono, conclamationibus enitentium, tenebris atque horrore propugnatores frangerentur. Nec conferti aut indiſcreti irrumpere voluerunt; ſed in plures claſſes diſpartiti, exercere virtutem, & hoſtem tot ſimul oppugnantibus impeditum diſtrahere; vt cuique ſuæ partes, & aperta victoribus gloria eſſet. Emanuel Luna, & Petrus Oſorius cum ſuis per rudera diſiectorum murorum ſeſe penetraturos receperant. Marius Albertinus & Paulus de Zuſo partem oppidi poſteriorem appoſitis ſcalis aggredi promiſerant; & ne qua obſeſſis fiducia eſſet, parte alia ſexaginta ſclopetarij è vicino hoſtem laceſſere, plumbeâ glande diſtinere, & noui inſultus ſpeciem præbere iuſſi ſunt. Apud ciues Sabaudij militis vix centum quinquaginta numerabantur, qui nec vicinum ſubſidium videbant; nec ſeſe incolumes euadere poſſe; hoſtes verò niſi cum victoriâ ceſſuros. Diuiſi per loca oppugnatores, vt conferti ſuggrederentur, tormenti bellici ictum opperiebantur; ſtatimq; Hiſpani quâ parte iuſſi fuerant in prælium eruperunt. Inimica Neapolitanorum gloriæ fortuna fuit; nam rectores itineris, per ardua, vepribus ac foſſis impedita, eoq; inacceſſa miſerrimos deduxerunt; proſpectatâ ante fugâ, vbi tenebris & inuijs implicatos vidiſſent. Sub noctis medium, quaſi haud procul mœni-

bus conſtitiſſent,& inter abrupta viam expedirent,dilapſi ſunt. Hi metu dedecoris, quò longius per incerta abſque duce progrediebantur, eò certius Marro abducti ſunt. Tandem octo die in Caſtra licet incolumes, longo tamen errore fatigati peruenerunt. Hiſpani ſpe haud dubiâ,eandem apud ſocios fortitudinem in hoſtes fore nocturnâ quamuis expeditione rati, diſpoſitis ordinibus per ruinas aſcenderunt; contra Sabaudij humum, dolia, aſſeres, trabes, & ſaxorum moles ſcandentibus obiecerant; quæ vix tormentorum ictibus ceſſura videbantur. Inſuper fidis bellatoribus, latera ſepſerant; qui in aſcenſuros ignem, lapides, tela, certo ictu collinearent. Magna vtrinque decertatio; & propugnantium inſultantiumq; conflictus diu auditus,Sabaudio milite omni illuc verſo:nec enim alia parte Neapolitani vrgebant,errore noctis vt diximus eluſi. Et ſclopetarij ex aduerſo ciere ſonorem belli iuſſi,inanem metum fecerant.Ad extremum victa Hiſpanorum peruicacia; & infecto opere retrò ad ſuos regredi coacti ſunt. Eorum quadraginta vulnerati, duo tantùm deſiderati dicebantur. Ductores poſt receptos ſuos, cum Neapolitanos nondum reduces, temeritatem militum præcipuè inſectati ſunt, quòd obtreſtantibus melioribus, ſine galeis ei ſe diſcrimini obieciſſent. Ferè enim ſaxea tempeſtas corpora lacerauerat,& nudatum ferro verticem denſis ictibus colliſerat. Doria propoſiti tenax,& diuturnam paucorum obſidionem,imminutionem ſuam putans; tot inſuper ſauciorum pudore accenſus,vicino in meridiem colli, vtrumque quod deduxerat tormentum admouit; iuſſitq; præfectos non die,non nocte permiſsâ propugnatoribus requie munimenta quatere.Diſpoſiti quoque milites,& ſpe potiundæ prædæ ſtimulati diſtinere & exercere clauſos moniti, egreſſus omnes ſeruabant; ne quid ſpei externæ Sabaudios efferret. Et flagellabat ignauiam apud ſuos Brolia; vniuerſos exemplo ad fortitudinem incendens,conſiliorum auctor,& pars laborum potiſſima.

Die tertiâ & quartâ Ianuarij acrius & infeſtius in mœnia intonatum; cumq; per ruinarum tumulos inſultui aditus videretur, viceſima altera diei hora certamini definita; paratis vtrinque hoſtibus,& inferendo bello,& propulſando. Marius Albertinus portæ vnde ante exacti Hiſpani fuerant cum Neapolitanorum parte ſuccedere; Hiſpani facili per ruinas acceſſu, quæ diſiectis bello domibus prætendebatur, plateam inſedêre; Petrus Oſorius cum paucioribus viridario, quod turri multis ictibus tormentorum laceræ adiacebat, irrumpere iuſſus. Et Albertinus quidem, rara inter diſcrimina fortitudine, etiam hoſtilem aggerem tranſgreſſus eſt. Nec ſequius Hiſpani per ruinas enixi,etiam Sabaudiorum munimenta peruasêre. Brolia cum dies noctesq; in armis, & inſomnis egiſſet; paulò ante ſe humi reclinauerat in requiem. Nec ſomnus prorſus erat; ſed ad omnem rumorem attentus,extremum caſum opperiebatur. Ergo vbi renouatum bellum, & ardere certamen accepit,præceps arce deſiluit; & facto cum ſuis cuneo inſtantibus congreſſus, retinere victorum impetum nitebatur, ſui tamen non numero pares,viribus animiſq; parum competebant; eoq; malorum ſubſidium, & pugnæ & receptui intentus arcem proſpectabat. Hanc ſemper prælio aſſiduus cum ſuis petebat. Ad plateæ finem gregarium obuium habuit,à quo ſclopeti ictu impetitus,nullo licèt accepto vulnere,humi tamen ſtratus eſt. Haudquaquam deſpondet animum,ſed pudore & ira exiliens,lanceaq; breuiori in hoſtem obuerſus, ſeque ac famulum indiuiduum ſibi tutabatur. Accurrêre alij Hiſpani in certamen, à quibus grauiter vulneratus,& medio ſpatio porrectus. Tum ille enſem exeruit mortemq; ignauæ deditioni præferens, altero genu reclinis ſeſe tutabatur. Ad extremum multitudine hoſtium victus, & nouo per iugulum vulnere accepto, *Brolia mors.* corruit. Haud dubiè per id bellum Hiſpanorum victoriæ remorator,& qui nobilitatem fortitudinemq; ea expeditione generoſo exitu inſignиuerit.

Poſtquam Hieroſolymitanæ militiæ inſignibus ornatus fuerat,bellum amplexatus

xatus eſt; pluréſque annos Belgico bello profecerat; & tum virtute ac conſtantiâ non Archiepiſcopo Taurinenſi magis, quàm Duci ſuo nauatam fortiſſimè operam, decoro fine approbauit. In Prouincia modo aſperitate, modo ob militarem licentiam dicebatur malè audiuiſſe: ferebantúrque ſubditi odio & deſperatione hominis, Hiſpanam potentiam inuocaſſe: niſi credamus diſſitos, & iuxta libertatem agere ſolitos quantamcunque diſciplinam ducis fuiſſe auerſatos. Cæteri Sabaudij octo manipularibus deſideratis, & paucis vulneratis in propinquam arcem ſe receperunt; quæ magnitudine propugnaculorum, commeatu bellico, ac ſitu, in plures obſidionis dies ſuffectura credebatur. Neque enim tanta municipij cura fuerat, vt arcis ſolicitudo non perurgeret. Clauſi interim & obſeſſores inuicem mutuis ſclopetorum ictibus ſæuiebant: quippe Hiſpanis Broliæ mors animos addiderat; & imminuta victoria videbatur ſi diutius munimento hoſtes potirentur. Parte aliâ Sabaudij prouinciam obſidentium æſtimantes haudquaquam omiſſuros cœpta rebantur, niſi ſecuto arcis excidio. Pauciores erant, quàm vt tueri ſe aduerſus validiores poſſent. Itaque oſtentato ſigno, & timpani ſono deditionem faſſi, ſtatim conditiones expediuere; vt ſine vexillo & militiæ inſignibus excederent: tantùm ſarcinæ & arma conceſſa. Octoginta fuiſſe dicebantur, ferè Galli; iuuentutis non temnenda manus, ſi cum paucioribus ipſis dimicandum fuiſſet. Tum militi præda oſtentata. Sex menſium annona reperta; omni ciuium opulentiâ, tanquam in ſecurum eò illatâ. Pudori fœminarum ignoſci placuit; ſic Ioannes Hieronimus imperauerat. *Marrum capitur.*

Caſpaſium ſupererat quinque paſſuum millibus Marro diſtans; quod viginti ſex Galli, nulla retinendi ſpe inſederant. Hi quoque celerem deditionem, acceptis legibus quas victores Marro dixerant, fecerunt. Potuiſſe in plures menſes expeditionem trahi: & ſummiſſis à Sabaudio auxiliis eo tractatu Hiſpanam exiſtimationem imminui (iam enim ductore equite Manta duo peditum millia aduentabant, vt laboranti Marro preſto eſſent) niſi conſilio ac feſtinata executione, Doria victoriam præcepiſſet; Duces hoſtium apud ſuos & exteros faſſi ſunt; vt virtute infracti, ſic gloriæ inimicorum præter ſpem æqui. Eadem formido Genuenſes impulit, tormentis bellicis & aucto præſidiorum numero Vintimiliam præuenire; tanquam vis omnis eò flecteret; & metu, ne eorum quæ Hiſpani ſtrenuè egerant, ipſi pœnas exoluerent. Comitis Sangeorgij fortitudo, & Sabaudiorum comminationes; quas manipularibus Zuccarelli excidiſſe didicerant, cauere futuro monuerant. Ianuarij decimâ plenus gloriæ Doria, cum tormenta quæ Marrum deduxerat, Oneliam reuehi; quæq; virtute parauerat, delecta iuuentutis manu inſideri iuſſiſſet, Sauonam prouectus eſt, Zuccarelli oppugnationem, & vlteriora agitans, quæ cum Hiſpanis deliberanda erant. Hic Oneliam & Marrum exitus habuit.

Nobis operæ pretium viſum eſt, rerum ſeriem in plures menſes egreſſam, vno filo continuare; ne factorum ordinem, diuerſorum hiſtoria interſecaret. Amiſsâ Oneliâ, patefactum ad vlteriora locum Hiſpanis ſtatim innotuit; vt ſecuro litori inducere claſſes, & armatas copias in tutum, per totum tractum Mediolanenſem ituras, poſſe exponere viderentur. Et licet Aulæ more pleriq; iucundiora apud Sabaudiû ea ſuper re proferrent; non deerant tamen qui iuſtitiâ ac prudentiâ firmati monerēt, non omnino fidendum, nec prorſus deſperandum: credere enim illos ſe vltro prouocatos fuiſſe: nec ob id concordiæ omnino aduerſos futuros, ſi depoſitis armis obſequium reſtitueretur. Vim quidem illatam, eóque tranſlatam molem belli, vt à viſceribus Monferrati aliò tempeſtatem auerteret: non adeo tamen iniquum potentiſſimum Regem, vt ſpoliatos conſanguineos, exutos dominatione innocentes nepotes cupiat. Eam poſcere reuerentiam, quæ potentiori, nullo deferentis dedecore præſtatur; poſſitq; pietatis ac gratitudinis nomine excuſari.

Digitized by Google

Partem iam agri occupatam; nec poſſe tot ſimul in loca bellum ſpargere. Denique parendum neceſſitati, ne coactus deſtitiſſe videatur. Sabaudius licet apud ſuos plenam ſecuritatem non videret; & in Rege filiorum caritatem non abnueret; honori tamen quàm vtilitati propior in id præcipuè enitebatur, ne temere arma tractaſſe diceretur. Ea virtutis improbitas, & conſtantiæ vis quorundam concilia exciuerat, vt inanes metus exciperet, iramq; duraturam foueret. Magnitudinem illam animi, & peſſimorum conſilia Sabaudij & aliorum commodis obfuiſſe Mediolani vulgatum fuerat. Quos inter prauæ dominationis præceptis miniſter vſus, inexpleto in Mantuanum odio, & Hiſpanorum inuidiâ; ſiue apud bellicoſum Ducem plus gratiæ & conſilijs præliandi, ſiue res ſuas tali medio profecturas videret, id vnum maximè inculcabat: cuicunque fidei apud mortales locum eſſe; ſed vbi dominationis ſolicitudo ingruat frigeſcere virtutem, remittere conſtantiam, & plerumque fiduciam ſtultitiæ nomine appellari. Speciem honeſti tantùm quærendam; aptandos prætextibus titulos; fidemq; in perfidiâ perſtrependam; cætera negligenda. Nec enim inanes otioſorum ſermones proferre Imperij terminos, aut arctare. Poſſeſſionis & victoriarum potentes Dominos laudari: moræ, ſecordiæ, iacturæ, cum dedecore cauſas inſuper reddi. Inferiores, validioreſq; accuſari; & apud potentiores ſapientioréſque, ius ex euentu præſumi. Nemini mortalium Hiſpanam ambitionem faſtumq; ignorari; quæ non ſemel Italiæ ac Belgij dominatione excluſa, vltra naturæ metam, nouitati & nuditati innoxiorum iniqua arma intulerit. Hic ſibi imperium orbemq; nouum formauiſſe; vt vel inani cœlo, & vacuâ terrâ ſoli dominarentur. Cæterum iniuriarum experimentis miſerrimos incolas didiciſſe, quâ facilitate alienam poſſeſſionem irruperint, exigi poſſe: nec illos aliunde quæſito ſubſidio parta tueri poſſe, quàm ſi Europa claſſes militiamq; ſuppeditet; quibus conſilia libertatis præueniantur. Adde vim omnem Hiſpanorum extra vaſtitates illas eſſe; & eò ſecurius apud exteros imperare, quò plura per Europam tenent. Hinc fiduciam & certitudinem præſidij. Iam enim Indicas Belgicaſq; expeditiones, fœdam apud Hiſpanos ſolicitudinem feciſſe; prouinciarum ſanguine prouincias debellare: ſimul Venetos ſuſpicionibus, Belgas fortitudine, gentem licet latè imperantem periculorum & infirmitatis admonuiſſe.

Miniſtri praui conſilia.

Principem ab humilitate remotiſſimum, hæc & alia impulêre, vt acrius vniuerſis intenderet. Et quando abditum Regis arcanum, arbitrio commentantium interpretabatur; ne hoc maximè Inoyoſa iam hoſtis imponeret, ſcriptas Mediolanum literas à Rege intercipere ex vſu credidit. Neque enim iniuriæ ratio inter depræliantes habenda videbatur, ſed maiorum æſtimatione obliuiſcenda, dum ferro, aſtuq; vis illata propulſaretur. Idibus Februarij citus equo Curſor in diſpoſitas inſidias incidit, ademptæq; illi Hiſpanæ literæ, & agendorum præcepta ad Inoyoſam; quæ poſtmodum Sabaudius doli admonitus, teſtando quam iniquè vexaretur, typo vulgauit. Inerant quæſitiſſimæ aſperitatis ſententiæ, quibus Inoyoſa accuſabatur; eò quòd negligentia deliquiſſe diceretur; licet poſtmodum laudaretur; quòd armorum inducias Sauello ac Rambolietto petentibus negauiſſet. Sed ante alia accuſabatur, quod hoſtili agro abſtinuiſſet, Monferratenſibus ac Mediolanenſibus oneratis; quodq; Mortaræ Marchionis eâ ſuper re ſalutaria monita reieciſſet. Præceptum addebatur, vt omiſſa repeteret, hoſtiúmque opulentiam in ſuos vſus verteret. Et quia Legionum ac publicorum munia apud Caſtra adminiſtri diuerſa conſuluiſſe ſciebantur, ſingulorum ſententias rationeſq; perſcribere iubebatur. Objiciebatur tot menſium labore & expenſis, præter nouam arcem in proprio ſolo eductam, tot exercitibus, tot ſudoribus, nil aliud aduerſus Sabaudium valuiſſe. Tertium iam ſuppletas legiones auctáſque minimo honore gentis, nullo honoris incremento. Neglexiſſe Aſtij obſidionem,

Hiſpani literæ interceptæ à Sabaudys.

Vrbis

vrbis non ſitu,non mœnibus tutæ;& deſiderio ſtatim acceſſuræ damnabatur. Altius vanitatis Hiſpanæ ludibria penetrare dicebant; nec enim Gallis aut Nuncio Pontificio ignotum,quid ſedulâ operâ patrari potuerit;quibus cum quadraginta dierum induciæ negatæ ſint, plurium menſium cunctatione permiſſas. Potuiſſe primùm Pedemontanum agrum graui exercituum hoſpitio hauriri: ſi quid Galli Regis,aut Pontificis gratiâ condonaſſet, ſpecie victoris qui alieno iam ſolo inſiſtat honeſtius largiri potuiſſe. Simul inertem & ſua inutiliter abſumentem militem claſſi imponi, & tentâdæ Nizæ obſidioni deſtinari debuiſſe; ne qua pars inimici ſecuritatem præſumeret. Denique numerum copiarum ac conſilia perſcribere; temporique & occaſioni intendere iubebatur. Cætera ſecretis characteribus (quas cifras dicunt)notata; quæ Aulici ſciri nolebant, Sabaudij ſuſpiciones fortè continentes. Sed & aliæ literæ repertæ, quibus Rex de Inoyoſa querebatur, quòd capita conuentionum, quibus Sabaudius Sauello ac Rambolietto mediis acceſſerat, ſibi non perſcripſiſſet: quòd Sabaudij in tractum Mediolanenſem irruptionem ſiluiſſet, Thomæq; Principis in eandem oram excurſum. Continebant etiam, facilè conijci ab Inoyoſa potuiſſe, quas hoſtis conditiones pacis obtuliſſet: niſi humilitate & obſequio potentioris indignationem præueniſſet,haud quaquam Regem recepturum fuiſſe;qui Sabaudium ſibi beneficiorum magitudine obſtrictum agnoſceret. Simul iubebatur exercitum omnem Pedemõtanæ inducere, caſtraq;in hoſtico firmare;eâ ſpecie honeſtiora ſibi fore pacta concordiæ quę ſequeretur. Nec enim interim debere tot pugnatorum millia incerti negligentia detinere, eoq; in hoſticum tranſlato bello exerceri debere Sabaudiũ:ne pudẽda ſibi ſecuritate apud exteros & regio honori aduerſos,armorum tranſlatione,ac negotiatione proficeret. Quippe nouo vere,maris ac regnorum curam reduci,eoq; Neapolitanos ſolitis ſibi ſedibus deſtinari.Nexa quoq; literis Sabaudij ac Inoyoſæ,mutua promiſſa erant. Ille contractum militem dimiſſurum ſe;eo tantum retento quem ante turbas, Regiâ permiſſione habuerat; & quod nouæ formidini,ob recens ad Vercellas ſitam arcem Sandoual, Sauellus ac Ramboliettus requiri cenſuiſſent. Sic Regis maieſtatem,ſuam modeſtiam poſcere.Offenſis in Mantuanum temperaturum ſe:quæ iure deberi ſibi credat duobus arbitris vtrinque nominandis permiſſurum; quorum ſemeſtris iuriſdictio litem abſoluat, receperat. Hic ſe nullâ iniuriâ Sabaudium laceſſiturum; præuiâ illius obedientia legiones dimiſſurum; nec Oneliam ſolùm, ſed quidquid Regia arma cœpiſſent,ſui ſe Domini nomine reſtituturum ſpopondit.

Tertiæ Regiæ literæ viceſimâ Ianuarij datæ (nam priores ſecundâ ſcriptæ fuerant) manifeſtam Regij exercitus ignominiam, & exiſtimationis qua Regna ſeruantur corruptelam improperabant. Quod erat reliquum ſecretis characteribus continebatur. His aliiſque efferati animi in offenſas properabant; eòque valere conſilia credebantur,ſi quis decertantium pluribus ſimul locis & frequentius inſtitiſſet. Haud dubia Regij exercitus deſtinatio erat: Et Sabaudius quamquam populatione Paleſtri vices hoſtibus reddidiſſet, apertam tamen caſtrorum oppugnationem auerſatus videbatur; ſiue adhuc reuerentiâ Regij nominis cunctaretur;ſiue (quod Hiſpani tradunt) tranſalpinis & è Lotharingia excita auxilia operiretur. Nec enim eas copias adhuc coëgerat, quibus in aperto aduerſus plures legiones bellum auderet. Contra Regij lento Inoyoſæ progreſſui intonantes, & eo perniciem exercituum ſtare fatentes, addebant ſtimulos mináſque è Rege; vbi illi factorum ratio reddenda eſſet. Et quidem licet ſuprema apud ipſum auctoritas cenſeretur,non eâ tamen exiſtimatione apud Duces erat;qua olim Fuẽtes glorię & famę magnitudine præfuerat. Siue volentem;ſiue occaſioni intẽtũ fortuna partium impulit,Olmum ac Roccauaranũ in Lãgis ſita,modicaq; municipia tentandi Roccauaranum patẽti acceſſu, & fragili arce eſt; Olmo ne atcis

quidem ſpecies, tanto minus res erat. Et hoc primo incurſu captum; Roccauaranum ducenti pedites ſub dominis de Barona,& Polimæo ſeruabát. Sed longius duces ad alias res digreſſi conſtantiam ſuorum, ſubditorum fidem infregêre. Ex his nonnulli monuiſſe Hiſpanos ferebantur, ſeſe occupantibus paratos eſſe; procul duces; Arcis Roccauarani dominum oblatum à Sabaudio Gallorum præſidium reſpuiſſe.Barona Mutinam iuſſu Ducis Nemurſij profectus fuerat,vt recenti coniugis funere mœſtum Ducem ſolaretur. Polimæus Taurini agebat priuatis negotiis euocatus;ſine formidine & cura: opportunam rebus negligentiam, facilémque modici & ſine Rectore præſidij oppreſſionem Hiſpani cognouere.Proinde viceſima quinta Martij, aliquot centuriis miſſis vtrumque oppidum receperunt. Eluctati quidam ſunt,ſed eodem impetu cæſi.Qui præſidiarius inerat vniuerſis militiæ inſignibus armiſque vt certaturus inductus, ne coacta, ſed ſpontanea deditio videretur,loco ceſſit. Sed nec Hiſpanus voluntariéne an coactè vniuerſa accederent, diſtinguebat, & fortè armorum initio approbanda popularibus manſuetudo erat; ne hoſtes quàm amicos admittere viderentur. Ludouicus de Corduba documentum dedit; qui in quinquaginta Gallos captiuos inſolitâ victoribus humanitate vſus eſt. Si Roccauarani Dominus Gallorum centurias admiſiſſet, diutius trahere obſidionem, & Sabaudij auxilia expectare potuiſſe, etiam qui interfuere teſtati ſunt. Hæc eâ parte Pedemontis & Monferrati cui Langæ cognomentum acta ſunt.

Roccauaranum & Olmum Hiſpani recipiũt.

Parte alia Thomas Princeps Sabaudius, vix cœpta pubertate vireſcens; & iis annis ferox, quod non alio genitore accepiſſet, vbi iam tractari bellum, & Pedemontanam Hiſpanos aggreſſos vidit; ſimul parentis indignatione; & militum quos ad manus habebat alacritate pellectus, carpere Mediolanenſem agrum, Inoyoſæ inopinatis incurſibus aggreſſus eſt: Non quidem vt de poſſeſſione certaret (nec enim eæ copiæ puero Principi erant;) ſed vt damno rerum ſuarum hoſtes monerentur,tueri ante ſua,quàm aliena laceſſere deberê. Increat adoleſcenti vis animi,non difficultatibus,non periculis concuſſa,vt natus ad impoſſibilia crederetur. Et licet Hiſpanum Regem Patruum, eodem quo cæteri fratres ordine agnoſceret; in incognitum tamen, vt non educatione,non beneficio obſtrictus, certiori conſanguinitate,quàm caritate ferebatur. Audita olim pueri vox etiam ſenes ſtupore detinuerat,cum teſtatus foret,neminem Hiſpano fidere poſſe, qui ſororis nepotes ſuis miniſtris lacerandos vexandóſque prodiderit. Itaque expeditiſſimo equitatu delecto,non rurales caſas,ſed Caudiam nobile Mediolanenſis ditionis oppidum inuaſit;quò validiores ciues eſſent, plus prædæ ac gloriæ dictitans;iactánſque ſuſcitaturum virtute fortunam,quæ puerum deſtinatione rerum ingentium nondum aſpexiſſet;ſimul orans comites,ne ſe eadem quæ gregarij auſum deſererent; ſed honori & vtilitati propriæ ſtrenuè adeſſent. Dictu mirum quem ad pericula excitari oportere ætas ſuaderet, veteranos & diſcriminum gnaros ad conſtantiam inuitaſſe. Deduxerat in curæ partem ſtipendiorum numero apud Belgas pro Hiſpano Rege,& veterem militiæ Ceuam: accedebat vetus nobilitas;vnde futurorum ſpes deducebatur,& præteritorum commendatio. Nobili viro propria æſtimatio, ſpes recentior, credita iniuria (quod quadringentos aureos penſionis annuæ infra magnitudinem ac virtutem ſuam putaret) obfuêre;meditatúſque eſt feſtinatione ac nouitate,quæ olim præmia meruerat nanciſci. Omnes itaque taciti,ignoti,arborum ac collium objicibus tuti,aliquot paſſuum millia progreſſi ſunt. Sed Paleſtrenſium fortuna vicinos excitauit,ne ſimulatæ Sabaudij quieti fiderent; aut ſoluta diſciplina occaſionem illi bene agendæ rei patefacerent.

P. Thomas Mediolanẽſes carpit.

Præuiſi à Candianis procul hoſtes ſunt; eóque pro porta ac mœnibus diſpoſiti ſuggredientes exceperunt. Leui vtrinque velitatione; & eminus ſclopetis certa-

certatum; cum Thomas Princeps huc illuc anxius, nouos aditus, & pronam incurſionem rimaretur. Non vno ictu, ſed in caſſum impetitus (vt fere ſtrenuis in bello fortuna ignoſcit, tollit degeneres) fuit. Vtrinque frequentia vulnera fuêre. Et Ceua cum nouum ſacramentum, nouo decore adornare; fortius & incautius niteretur, plumbea glãde ſaucius, paucos poſt dies finem habuit. Ne tamen inhonora expeditio, & tantum ſanguinis fruſtra inſumptum diceretur, in villas illata & explicata indignatio, quæ hoſtiliter populatæ ſunt. Mox compoſitis ordinibus cum ſuis Princeps, in Pedemontanam rediit. Maiora parabat; & ni Dux Pater ſolicitus de filij ſalute præter opinionem fuiſſet, virilis fortitudinis & regij animi documentum expectari poterat, quod Hiſpanos metu & admiratione detineret. Sed retineri audaciam & generoſam indolem oportuit, dilatâ in futurum gloriâ, & è prœliis trophœis.

Porro Sabaudius vbi vires ſuas, præconceptam olim de Hiſpanis fiduciam, veterem Inoyoſæ amicitiam fruſtra eſſe; augeríque hoſtes numero, & nonnulla Pedemontani agri auulſa; etiam exiles copias, famâ deſtitui vidit, niſi belli initia ex opinione vulgi ſequerentur; & conatus partium primo ſtatim inſultu retineret, citatis nunciis tranſalpina auxilia prece ac præmiis fatigare; communem eam cauſam aduerſus Europæ Monarchiam ſibi ſtruentes teſtari, augere iniurias, onerare hoſtes: ſed hiems pluuiis intractabilis, & per montes itinera altâ niue obſita feſtinationem morabantur. Neque enim Martij rigores, aut Aprilis importunos flatus metuebat; ſiue exemplo crederet, vniuerſa militem toleraturum quæ ipſe pateretur; ſiue locorum gnarus, non bello magis, quàm ſuorum commodis prouideret. Sunt qui tradiderint, rerum ſuarum firmitati eas copias coëgiſſe (quippe inermem nemo hactenus viderat) nec antequam hoſtium irruptiones excepiſſet, in apertum prodiiſſe. In incerto propius vero indicium eſt, ſtrenuum Ducem, & cui arma pro ſolatio forent, veteres ſimultates recolentem; & quantum decoris prudentia compareturr, præuenire partium minas voluiſſe; nec minus ſpargere in diuerſa bellum, vt minori populorum ſuorum iacturâ certaretur: aduerſi in auia & infœcunda tracti pluribus ſimul difficultatibus & neceſſitatibus colluctarentur. Neque ſubditi quamquam collationibus tenuati, Ducis ſui gloriam, ſanguine ac fortunis omnibus, non ſuſtentaturi credebatur; proniores bello ob vicinos Gallos; & decurſu ſæculorum certiſſima in Principes ſuos fide.

Paucas hactenus centurias Sabaudius numerauerat; diuiſíque vix tutelæ ſuffecturi, adeo minus inferendo bello pares erant. Cum nihilominus Hiſpanorum deſtinata obſeruaret, certus cuicumque occaſioni præſto eſſe, & obniti fortunæ. Aprilis initio tranſalpini manipuli, diutius expectati vocatíque, per gelu horridum, ac imbres aſſiduos enixi, primùm Pedemontanam inceſſerunt; ſed diuiſi ac ſparſi; vt niſi aliquot dierum diſciplinâ erudiri ad bellum poſſe viderentur. Primi tamen tegumento & armis ſtatim inſtructi, mox hoſpitio & annonâ recreati. Hinc alacritate ductorum temnere frigora ac pruinas, ſub aperto in armis agere, & contemnere manifeſta diſcrimina adorti. Apud Hiſpanos poſt Vicouaranum ac Olmum capta, oſtendi Cortemiliam nobile Pedemontanæ oppidum putauêre; non ignari eo capto, Ceuam Camnellum, Aſtium acceſſura prioribus; & quo tegebantur munimento deſtituta, longam obſidionem non toleratura. Decem aut (quod longiſſimè) duobus millib. paſſuum aberant, eóque Cortemiliæ fortunâ cæterorum putabatur. Id præuiderat Sabaudius; cui opportuniates, occaſiones, ſua, aliena conſilia perſpecta erant. Hærentē tamen, & qua primùm Hiſpani perrumperent, cogitantem, acceleratæ popularium literæ monuêrunt, Gābaloitam Campi generalem magiſtrum ducum gentis conſenſu, alimenta, pontes, paganos, iumenta cogere; vt bellica tormenta faciliori conductu ad Cortemiliam

Sabaudis auxilia accurrunt.

Hiſpani Cortemiliam cogitant.

ſiſterentur. In oppidum Sabaudius multo ante vim frumenti ingentem; & alia obſidionibus tolerandis neceſſaria tranſmiſerat; vt ſi quid improuiſum Hiſpani tentauiſſent, ad dies aliquot ferre poſſet; ipſe expeditus, & nullis quæ morarentur, illigatus, incolumitati ſuorum, famâ citius aduolaret; quippe per Langas Alpeſtrem prouinciam, & Liguriam lateri hærentem commeatus inopia eſt; contra per Pedemontanam luxuriat ſeges, & colonos vbertate confundit. Inerant prius Cortemiliæ, nonnulli præſidiatiorum manipuli, ſed minor quàm ſuſpectus numerus: quod ſumma licet pace apud ipſum nil ſolutum eſſet; nec tum aliena cogitaret. Vbi ex Hiſpano progreſſu metum vidit, plures centurias deſtinauit;queis Dux Nemurſius conſanguineus,ſubſtitutis Polemio,& Hanchio imperabat. Nec minus Equitis Bolij copias, Heluerióſque octingentos,pridem ſub vexillo habitos; quibus Anerinus Tribunus præfectus fuerat. Plures quidem quàm breui obſidioni;& affuturo mox cum pluribus Sabaudio opus eſſet.Sed ſolutos & vagos hoſtes carpere;tumultuariáſque velitationes, cum ſpe gloriæ audere ijſſerat;niſi potius moræ omnis impatientes concitauerat. Potiſſima ex deſtinatione Ducis ſpes,in diſcrimine poſitis erat. Chieraſchi primùm reliquos ſubſiſtere imperauit;eam enim bello ſedem delegerat, vbere circum agro, & adiacentibus colonis, promptè in diuturnum bellum annonam ſpondentibus.

Sabaudius obuius periculo.

Secutus eſt Sabaudius quos præmiſerat egreſſus Aſtio decimâ tertiâ Aprilis: cum iam Gambaloitam coactis in vnum centuriis aliquot, & duobus tormentis bellicis Cortemiliam progredi accepiſſet. In eam expeditionem quinque peditum millia & ſexcentos, octingentos ſexaginta equites, robur partium, collegiſſe didicimus. Licet imprudentes & ignari, vt magni Principis virtutem eleuarent,plures fuiſſe tradiderint. Vetus is miles, ſub Lanzij Marchione, Coloncllo Taffino,Comite Calozij diu meruerat. Pars è Marchionatu Saluzij deducta; ſed iis Sabaudij Rectores impoſiti, quod diu Gallis Dominis,ante præteritas turbas obſticti,& recens ſacramentum,totam fidem non promitterent. Sed cùm in Hiſpanos ducerentur, conſtantes in odio deprehenſi. Miſſa quoque duo tormenta bellica; quæ per hiantia cœno itinera, & aduerſus colles magno nixu trahebantur. Illa ab Cena Salicetum promota haud longè Milleſimo(oppidum hoc Pedemontanæ eſt) & octoginta pedites, quadraginta equites coſtodes additi. Cæterùm inania quoque ſectantes exploratores Sabaudium monuerant, inductam Beſtagno vim commeatus; & (vt ferebant) ſexaginta aureorum millia, in vſus belli, & militare ſtipendium. Quidam plura addebant, Hiſpano mendacio perſuaſi; qui adeo famam pecuniæ auxerant, vt egentes ſuos inani ſpe lactarent. Nec procul fide fuit eâ maximè causâ properatum à Sabaudio, vt Duce ac pecunia potiretur. Nec enim ignotum erat,cum in bello virtute vteretur,apud Aulam & nonnullos miniſtrorum ſummam rerum auro præſumere.

Sabaudij copia.

Vbi diuidi à Sabaudio militem, & quoſdam præmiſſos, incerto an eadem ipſe eſſet ſecuturus, ſtatim plura loca metus comprehendit. Nam Finale, Milleſimum, Cairum, Spignum, Mombaldum, Beſtagnum peti credebant. Alij Vicouarano formidabant, velut recepturus conceſſam arcem aduentaret. Ea certè Sabaudij fortuna erat, vt magnis licet exercitibus imperitus, peritia tamen locorum, & magnitudine animi timorem aduerſis incuteret, apud ſuos reuerentiam retineret. Ambiguum quoque futuri indicium primo ſtatim motu à Chieraſco Sabaudius dederat. Cum enim progreſſus Hiſpanorum ad Vicouaranum, & copiæ Hiſpanorum illuc verſæ,tutelam Ducis Cortemiliam excirent, incertis tamē auctoribus (nec iocus fuit) percrebuit, illum Albæ Monferratenſis ciuitatis obſidium meditari. Comes Aleramus Sangeorgius magnis apud ſuos natalibus,& pari virtute notus, ciuitatem pro Mantuano cum quadringentis ſcloperariis ſeruabat. Sed laxo ambitu,laceris mœnium obiicibus,nullo tormentorum bellicorum appara-

Digitized by Google

apparatu tecti cities, intutam ſecuritatem nouerant, ſi cupido nauandi Sabaudio inceſſiſſet. Quod per temporis anguſtias & raros propugnatores liquit, prouiſum: ſimul ſecreto nuncio Alphonſum Aragonium Monferrati Gubernatorem monuit periculi ſui; docuitque maioribus copiis ſibi opus eſſe, quæ nimit anti iam, & deliberanti hoſti objicerentur. Amiſsâ quippe Albâ cætera in præcipiti fore. Ad hoc Alphonſus inanes metus, & vanos rumores eſſe reſpondit: Equitem enim Griſellam Nizæ præfectum certiora & veriora perſcribere. Sed formidini Alerami ſuum pondus erat; nec vno auctore didicerat, paratum occaſioni Sabaudium aduenisse; & vbi intentum Aleramum vidit, abſtinuiſſe. Sequenti Sabaudius motis propere caſtris iter ingreſſus, apertam trans Tanarum amnem viam tenuit: & vbi Albenſi agro inceſſit; ſiue quieſcentibus Monferratenſibus proſperiora ſibi fingeret, ſiue abſtinere camporum iniuriâ deſtinaret (nam in ſagaciſſimo Principe conſiliorum ardua æſtimatio eſt) ne quis in ciuium corpora ac fortunas hoſtiliter ageret capitali edicto vetuit: profeſſus ſe niſi in inimicos arma ferre: paulatimque cœno ac paludi planiciei emenſis, in colles vicinos euaſit. Præcidere à corpore prouinciæ ciuitatem viſus eſt, tamquam intercipere auxilia ſi quæ aduenirent; & deſperatione ſubſidij eſſet inuaſurus. Non ſiluit Aleramus, iteratiſque literis quantum diſcriminis in cunctatione foret; & vt cautior ad pericula Alphonſus eſſet teſtatus eſt. Ille, ne inuiſam monitoris diligentiam habuiſſe videretur; aut aduerſis in culpam oneraretur, Comitem Ferdinandum Alerami fratrem, cum centum quinquaginta peditibus ſubſidio miſit: non prorumpendo, non retinendo hoſti numerum ſuffecturum. Etiam per aperta & hoſti obſeſſa penetrandum iuueni ad fratrem erat: neque pars equitatus, quæ a longè exploraretur miſſa fuerat; aut quæ tegeret foueretque. Eóque inter Proceres Monferratenſes vulgatum fuit, miſſum in certum exitium Ferdinandum à Gubernatore parum amico; ſiue hoſtium inſidias vitauiſſet, ſiue detectus fuiſſet: ſolùm enim cum paucis, & itinere fatigatis tot millibus inconſultè obiectum. Albæ caſum nihilominus imminere ſi eo Sabaudius flexiſſet; quem enim quadringenti non retinuiſſent, centum additi parum profuiſſent. Fama proditionis ex eo fuit, quòd agenti Nizæ Ferdinando Capitaneus Veſpaſianus de velle & iuſſu Alphonſi proficiſcendi mandata detulerat; & vbi egreſſum portâ cum ſuis incedere vidit, manu elata crucis ſigno dimiſerit; vt ad certum interitum. Scimus nos multo ante Aleramum & Ferdinandum ob magnitudinem animi, quòd fortitudine ignauiam improperare videretur, fauore popularium, & amicitiâ cum Riuaræ comite, qui tum Caſalenſem arcem ſeruabat, Alphonſi ſecretis odiis exercitos. Cæterum virtuti Ferdinandi etiam fortuna affuit; nam per nota diuortia; & opacas arborum vmbris valles ad fratrem peruaſit: neque Sabaudijè collium ſummo proſpectantes aut incedentem detexere, aut vlterioribus intenti, & ſolicitudine rerum ſuarum illigati, venientem adorti ſunt.

Oroſcus Marchio Mortaræ, Alexandriæ Gubernator, velut fama nominis ſui vniuerſa tractutus, graui comitatu ciuitate egreſſus; ac ſi ſecuræ res eſſent, proceſſerat. Quinque ferè Hiſpanorum millia; quos Hieronimus Pimentellus & Comes Villamedianæ ductabat; nec non Italorum tria millia, Gambaloitæ militem, cum ſexcentis equitibus, & ingenti famulatu trahebat. Lento haud dubiè greſſu, ſiue tentaturus propria, ſiue aliena capturus incederet. Lecticâ vehebatur, quòd diſcrimina, collium ardua, planiciei lutoſa, imbres, nebulam, ventos aduerſa valetudini formidaret. Scripſerat ad Inoyoſam literas, quibus diem egreſſus ſui, cauſas, & cōſilia communicauerat. Sed multo ante Inoyoſa, cum adhuc Mediolani futuri belli formam diſponeret, viceſimam quintam Aprilis diem exercitui dixerat; vt Papiæ cum armis, & ſignis vniuerſi adeſſent. Vbi Oroſcum præcepiſſe bellum; & honori gentis vires illi adiungi debere nouit, Sancium Salinam equitatus Regij

C. Aleramus Sangeorgius ſibi à Sabaudio Albæ metuit.

Et petit auxilium ab Alphonſo Aualos Gubernatore

C. Ferdinandus Sangeorgius Albam ad fratrem venit.

Oroſcus cum exercitu.

Locumtenentem; & Thomam Caracciolum Neapolitanorum cohortium Colonellum, citis equis conſequi Oroſcum iuſſit, adeſſe eniteti, & celerem aduentum ſui docere. Illi præeuntem, non ante quàm vicinio Beſtagni aſſecuti ſunt; quo ſe ille cum mille ſclopetarijs Hiſpanis, & paucis equitibus receperat: diſpoſitis per vicina oppida cæteris ne oneri Beſtagno forent; vtq; in vicino eſſent, ad occaſiones parati. Vbi ad Mantuanum priorem Oroſcum in bellum proceſſiſſe delatum eſt; inter ſuos, mox apud exteros pro comperto vulgauit certam Inoyoſæ fraudem conſilio ſubeſſe. Inoyoſæ enim & Sabaudio conuenire; & cum eâ parte copiarum permiſſum Oroſcum gloriæ & honoris æmulum, vt à præualido Sabaudio opprimeretur. Poſſe imputari viro temeritatem, & crimen non ſeruati mandati? ne ſcilicet ſe niſi præſente Inoyoſa periculo exponeret. Graues inter Oroſcum & Inoyoſam ſimultates intercedere; & illum, vel eo inuiſum eſſe, quod Mantuanum in cultum delegiſſet. Addebat proprio curſore id Oroſcum à ſe monitum, vt fraudes comperitoris eluderet.

Sabaudius obuiam Hiſpanis procedit.

Nos inter magnos viros æmulationem quidem gloriæ ſæpe obſeruauimus; ſed Inoyoſæ præuaricationem nullo ſatis probabili argumento nixam didicimus. Nil eorum quæ aut Mantuanus crediderat, aut Hiſpani molirentur Sabaudium latebat, fidis exploratoribus ambitum; & totâ regione diſpoſitis obſeruatoribus, qui motus hoſtiles examinarent ac deferrent. Deſtinationem itaque primam Hiſpanorum doctus Cheraſco cum ſuis egreſſus, vitatâ per Lâgas viâ, quæ pluuio cœlo ardua & inſuperabilis occurrebat, haud procul Nieuè Tanarum traiecit. Hinc per Noueliam Caſſinum præfectus (quod præſidium cum centum quinquaginta ſclopetarijs Beneuereſcentus ſeruabat) ad extremum Cortemiliam delatus eſt. Feſtinatio Sabaudij, Oroſci cæterorumq; tarditatem haud quaquam ſtimulauit; ſed ad omnes vicos occaſionéſque moræ ſubſiſtens, audentiorem hoſtem reddiderunt: qui iam cunctationem illam, formidinem & ignauiam interpretabatur. Itaque relictis Cortemiliæ octingentis Heluetijs; & nonnullis prouincialibus cum Mottæ Commendatore quòd in propinquo Beſtagnum (licet Monſerrati oppidum) ab Hiſpanis peteretur; eóque plures properare faciliori in Cortemiliam eruptione cognoſceret, decimâ ſextâ Aprilis vergente iam in noctem die vt ſecuritatem ac magnitudinem animi proferret, vniuerſis obuiam proceſſit. Nox omnis itineris inſumpta, Duce ipſo gregarij labores tolerante, vt Gambaloitam Beſtagno receptum intercluderet; partémque hoſtium acceleratâ victoriâ circumueniret. Promptior certè per diuerſa ſeparatorum oppugnatio erat; conferti plus virium ac laboris intuliſſent.

Legiones plures erant, quas Inoyoſa Hiſpanis, Itali Principes obſequio ac miniſterio illigati, deducto milite ſuo conflauerant. Sed miſertimi Monſerrati iactura omnis erat: ſeges adoleſcens vltrò citroq; commeantibus exercitibus proculcabatur; cædebantur expedito itineri, ſternendis pontibus, aut ſuſcitandis ignibus ſpecioſiſſimæ arbores; ruſtica annona omnis in milites abibat; denique quamquam amicè ruſtici haberentur, conſuetudine belli hoſtiliter hauriebantur. Primum Sabaudium publicæ fidei ac ſacramenti, quod Pontifici Romano ac Gallo Regi, miſſis Oratoribus dederat reuerentia perculit; ne neglectis conditionibus pacis, poſt infenſos iam Hiſpanos, etiam Pontificem, & quorum ope nitebatur, Gallos offenderet; aut quod Chriſtianos Principes perfidiæ inſimularetur; quâ nulla victoria adornatur. Quomodo propulſaret iniuriam, ſponſioneſq; intaminatas cuſtodiret ambigentem, circumfuſi ductores copiarum validis argumentis excitarunt; ſecuritatem quidem Monferrato promiſſam dicentes, ſed quoties prouincia hoſtilitate in illum abſtinuiſſet. Pro inimicitiæ enim conteſtatione accipere; ſi aciem contra duxiſſet, ſi arcibus, commeatu, copi[illegible] commodo hoſtem iuuiſſet; ſi Mantuanus horum admonitus, neglexiſſet. Initium offenſionum

Digitized by Google

ſionum illinc,apud ſe obſiſtendi fore; quòd naturæ & gentium iure permittatur. Ab vtroque decertante diuidere Mantuanum debuiſſe; nec damna quæ Mediolanenſi agro debebantur in ſe vertere; quibus ad querelas accendatur. Vbi iam Hiſpani annonâ ac præſidijs Monferrati aduerſum ſe vtantur, manifeſtam eſſe profeſſionem irarum; nec reo valere pacta offenſionum, quæ quieturo promiſiſſet. Vulgandam ſolummodo iniuriam. Vbi enim tutos in Monferrato Hiſpanos & inſtrumenta hoſtilitatis expoſita fuerint, neminem adeo iuris expertem fore, qui belli mala prouocanti non imputet. Quinimo teſtabantur, non plus operæ in Hiſpanos, quàm iunctum illis Mantuanum requiri: poſſe ac debere eodem impetu ambos peruerti; & profligato potentiori, nullam apud inferiorem ſecuritatem manſuram.

Probata omnibus ſententia; iam enim Monferratum quod à bello exceperat in vſum hoſtium verti, pabulum, frumentum, hoſpitium conferre; populares vltrò citróque commeanti Hiſpano exercitui, vias complanare, pontes ſternere, impedimenta conuehere,apud Nuncium,Gallos,& Venetos queſtus fuerat. Et Nuncius quidem abſtrahere Hiſpano Mantuanum ſuperſedit; ſed Gallus ac Venetus Oratores,acrius apud ſuos Principes nixi ſunt, vt miſſis ad Mantuanum literis,vrgerent iuuenem, ſubtrahere ſe præliorum aduerſis; & tanquam pactis olim deuinctum,ſpectatorem agere. Rex Gallus & per Italiam miniſtri,quibus ſe periculis,quo populorum Monferrati malo immiſceret turbis,docuêre. Sed Veneti internuncio Oratore Mantuæ curante,indefeſsè lamentari,obteſtari,ſuadere,orare,etiam à longè minitari. Quorſum enim hauriri ſubditos impotentium Hiſpanorum hoſpitalitate, nullâ ſuâ culpâ, nullâ neceſſitate, nulli vſui attineat? Fruſtra vim potentioris metui, qui vix Sabaudio par, etiam per vim inſiſtere Monferrato non ſit auſurus. Venetis ſupereſſe vires ſuſtentandi in pace Mantuani,& diutius fouendi Sabaudij. Neque tamen peruicêre vt annueret; malè creditâ apud Ducem rei honeſtate,& vtilitate. Quamquam enim pietati Sabaudij,& datæ fidei non ſemel ſuſpectari didiciſſet; poſſetq; nullo famæ diſpendio ſectari tutiora: conuentiones tamen ac pacta præferre, quæ certus ſit Hiſpano fœdere non imminui teſtabatur. Eandem ſibi ac Regi fortunam velle; pridem profeſſum ab eâ potentiâ diuidi nolle, cuius beneficio non ſemel amiſſum Monferratum reſtitutum agnoſcat. Leges pacis ad Aſtium ſancitas Hiſpanos potius quàm Mantuanum reſpicere: ſe nexum eâdem obligatione teneri. Quod ſi immunitas ſuorum æſtimetur ſecuritaſq; prouinciæ, cui dubium ſit depræliantibus in Pedemontanâ exercitibus,Monferratum theatri loco futurum? Interim ferenda quæ vitari nequeant; & vtiliter validiori, vel honeſtè licet ceſſuro legibus fœderum hærendum. Crediderat id ante Sabaudius votóque præuenerat, vt vindictam proſequeretur ſecretarum iniuriarum, reduceretq; ſpes quas omiſerat precibus Regum, & ſuo opportunè vteretur. Honeſtè certè Sabaudius Monferratenſem quietem interrupit, fauore in hoſtes Mantuani, laceſſitus, & vt occaſio cauſæq; infeſtandi ſcirentur ſcripto vulgari voluit, mitti que voluit in Conſulum Beſtagni manus,in hæc verba: Perſpectum iam ſibi eſſe Hiſpanos ingenti armorum apparatu,& tormentorum bellicorum prouiſu,Pedemontanam prouinciam ſuam meditari; vt ſe rebus exuto,alienam poſſeſſionem irrumpant: ſecuritate populorum, & aduerſus intentatas minas cogi ſe infenſos hoſtes finibus abſtrahere, diducere, diuidere; & Monferrato quod occupauerint, depellere; ne eo ſubſidio in ſua damna vtantur. Proinde quoties per Monferratum deducendæ ſibi copiæ fuerint, diſtrahendi, carpendi, oppugnandi hoſtis cauſâ, id nullo inimicitiæ in Ducem Mantuanum argumento ſumi velle; ſed ne eo latibulo Hiſpani caſtella ſua raptent, mox tuto recipiantur. Profiteri proinde Mantuano, cui Pontificis & Galli Regis reuerentiâ, certis legibus Aſtij ſancitis pacem conceſſerit, ſecuram eſſe

Gallus & Venetus Orator procurat abſtrahere Mantuanũ ab Hiſpanis.

Manifeſtum Sabaudij ad Beſtagnienſes.

cupere. Id vt ſuum Dominum certiorem faciant Beſtagni Conſules admoneri voluiſſe.

Gnarus quidem humani ingenij Sabaudius erat hæc aliáque prauè interpretantes, pro excuſationibus accepturos; nec facilè credi, ſtatim ab irato accipi datique fidem; ſed ſatis ad cauſam erat, apud bonos intelligi cauſam diſcordiæ, & quæ ſequerentur mala hoſti imputari. Non enim ſine prudentia, & æqui opinione erat, apud eum qui iura ſua potiora noſceret, præſumptionique ſciret ab omnibus honeſtatem appingi. Quamquam enim victoriam armatus ſectaretur, blandiebatur nihilominus exiſtimatio, vt generis humani conſenſu opinionéque iuſtitiæ probaretur. Exploratores ſpecie amicorum vagi, iam Albæ proſpectu digreſſum Sabaudium docuerant; Hiſpanos quoque Beſtagnum properare, pluresq; cohortes vicinis iugis oppidiſque diſperſas; vt quoties neceſſitas admonuiſſet Oroſchi auxilio ducerentur. Parum proceſſerat, cum Caſcinaſcum vix triginta familiis habitatum ſeſe obtulit Monferratenſis ditionis animique. Horum fermè viginti ſcloperis obſoletis armati, vt magno auſu virtutem fidémque teſtarentur, viſo procul hoſte, locum inſidiis præceperunt, non ſibi non ſuis metuentes; quod ſtatim periculo affuturos conterraneos, & Hiſpanos credidiſſent; neque auſurum Sabaudium oppugnationem loci, ardente iam apud ſuos bello, & inimico vicina inſidente. Primum agmen quod Dux ipſe pleriſque nobilibus comitantibus cogebat ſecurum inceſſit. Proximè ſecuti ab inſidiis malè excepti ſunt. Occiſi duo, octo vulnerati. Sabaudius vix æquium patiens tanto minus iniuriarum, temeritatem miſerrimorum impatienter tulit; eóque cohortibus Gallorum, quæ ſimul aderant, & populares, & oppidum permiſit. Qui licentiâ exoluti, licet duos tantum inſidiantium interceperint, in oppidum tamen flexêre. Id vt multorum auaritiæ ac libidini impar erat, ſic miſetius habitum. Cædes, ſtupra, incendia, in pœnam inconſultæ & illaceſſitæ audaciæ vſurpata: non ſacris temperatum; non in acceptæ iniuriæ vindictam potius, quàm reliquorum exemplum. Intempeſtiua certè paganorum fortitudo fuerat; qui nullâ auxilij ſecuritate, non numero tuti, præualidum executurúmque Principem irritare præſumpſerant. Sed vt imprudens odium inualidos accendit, ita inconſulta generoſitas perniciem accelerauit.

Caſcinaſci incolæ in Sabaudios ardent.

Sabaudij oppidum diripiunt.

Cum procul ardere Caſcinaſcum quidam Hiſpani conſpexiſſent, id tantùm dicuntur elequuti, minimi vici tantam flammam credi non potuiſſe. Expletâ vindictâ, haud procul Veſimo deducendæ Sabaudio copiæ erant; maiori diſcrimine: quod municipium ſitu ac incolatum numero, Monſù Fortunæ præſidij duce repentinam inuaſionem rideret. Comitem Sangeorgium præmitti ex vſu Sabaudius credidit, vt apud ſuos, eóque obnoxios ſecurum iter requireret. Qui cum potentiam Sabaudiam, vim exercituum, & paratum contumacię pręmium expoſuiſſet, inuictum tamen illorum aduerſus deſciſcionem nobilis viri animum, deprehendiſſe dicitur: nec populares ſatis tempori & neceſſitati conſulentes. Et licèt ſecreta quorundam conſcientia crederetur, aperta nihilominus profeſſione coram multis abnuentibus & obſeruatore abſtinuerunt. Itaque vbi diuiſi per turmas ac centurias haud procul mœnibus fuêre, certis ictibus è propugnaculorum pinnis impetiti ſunt. Securior inimicitię oſtentatio ciuibus videbatur, quòd viſâ plurium dierum obſidione ac morâ pręualituros Sabaudios exiſtimarent, & vicino Hiſpanorum auxilio fiderent. Iis tamen à longè cęteri militum comminati ſunt; & reddendę iniurię reuerſuros; ſummâ in Mousù Fortunam irâ; cuius impulſu arma forſan inuiti cœperant. Accelerari interim tormentorum bellicorum ſubuectionem, & properare ſuos Sabaudius iubebat; feſtinatione ac ſolicitudine non minus, quàm fortitudine, rem famámque ſuam prolaturus. Et licet plura Hiſpani exercitus millia non procul Beſtagno, vicinis oppidis hęrere audiuiſſet, poſſe tamē imparatos opprimi crediderat; nondum vniuerſis in eam expeditionem deductis,

Digitized by Google

deductis,& confuſione hoſtium illectus. Tormenta maiora duo Nieuo Nenilio & Caſtino, per montium edita trahebantur; minora Cortemiliâ eodem itinere ducebantur; vitata planitie, per quam alto cœno hæſiſſent; nec totius militis iunctâ operâ eruta fuiſſent. Eodem die ſuccedere Beſtagno animus fuerat; cum noctem omnem labori inſumpſiſſent; ſed lubrica & ardua itinerum, pedites equóſque confecerant: eoque apud Loazolum exiguum vicum decimâ ſeptimâ Aprilis, ſubſiſtere coactus eſt: nam & tormentorum vectores plus opinione morabantur, & intolerandus pediti labor vires ſingulorum attinuerat.

Sequenti promotis iam ad vlteriora tormentis, & minoribus propè actis, Beſtagnum meditatus eſt, ſiue Hiſpani clauſi obſidionem tolerauiſſent; ſiue aperto congredi maluiſſent. Oroſcus quoque Beſtagnum venerat, miſsíſque in vicina exploratoribus, conſilia & conatus hoſtium opperiebatur. Sed Sabaudius etiam ſecreto valebat. Cúmque apud Hiſpanos nil tutum eſſet, ipſe inſuper fallendo proficiebat. *Sabaudius ad Baſtagnum.* Vniuerſis Hiſpanorum centuriis,& ipſi Beſtagno fortuitus paganus improuiſam ſalutem tulit. Nam ſummis collium iugis exercitum peditatu & equitatu mixtum vidiſſe ſe teſtatus eſt; præceps Beſtagnum delatus, & in vicino hoſtes minitatus. Oroſcus lectica vectus in eam expeditionem, cum aliquot turmis equitum corporis cuſtodibus, Sabaudiis iam in vicino colle apparentibus Beſtagnum ingreſſus fuerat. *Vbi ſe Oroſcus audit.* Ergo feſtinatione ingenti claudi portas iuſſit; vt cum præcipites in bellum è collibus demiſſi Sabaudij properarent, cocta ante cibaria, quæ paucorum vſui conuehebantur induci portis non potuerint. Vectores tamen ſeſe periculo hoſtium ſubſtraxerunt, & retro euaſerunt in ſecurum. Eadem celeritate plures cum Sancio Salina, Hieronimo Pimentello, & Carolo Antonio de Ruere, Comitéque Baldaſarro Beccaria, quorum poſtremi Sendatarij Monferratenſes erant, portis ſucceſſere. *Cum multis aliis.* Horum aliqui vicinum mœnib. aggerem, quem tumultuariâ operâ erectum in præſidium deſtinauerant, deſeruêre. Comes Sangeorgius Colonelli Taffini copias, Frinâ ſergente maiore duce, qui primam exercitus partem tuebatur; mox dominos Hauche, Salam Sciarrellanum, Trozium, Arlum, Paſſam, cum ſuis centuriis, Sabaudium inſuper equitatû, Roaſſani turmas; poſtremò Pedemontanos equites, decus fortitudinémque illius militiæ, ſub Honofrio Muto Commiſſario, in trepidantes & agendorum dubios immiſit: vt ſi hoſtis gradum retinuiſſet, impetu perrumperetur; ſi ſeſe munimentis continuiſſet, illico nondum diſpoſito præſidio, & auxiliis deſtitutus opprimeretur; aut, quod minimum, accelerata oppugnatione circumueniretur. *In hos Sabaudij incurrunt.* Neque tamen audacia clauſos inſequentium, inſultantiúmque prorſus impunita fuit. Lauora ductor cum aliquot plumbea glande ſauciati ſunt; Trozio ſummus humerus vulneratus. Sabaudius cohortium ducibus mixtus,& vrgebat moram;& ſua cuique præliaturo à longè loca præſcribebat; diuiſo exercitu; ne qua Beſtagni pars peruia & inobſeſſa foret. Clauſos intus maior futuri ſolicitudo habebat, quod aduerſus peruicacem propoſiti hoſtem, non munimento non commeatui fiderent;& vix in tempore affuturum auxilium ſperarent. Quod tamen præuiſu proſpicere licuit, porta aggere ac humo ſepta; prætenues, & ad omnem concuſſionem nutantes muri, trabibus & elato aggere firmati; & inter concordes ac ſtrenuos partitæ vigiliæ. Diſpoſiti ſuis locis propugnatores; monitíque per ſecreta effugia Hiſpanarum in vicino tendentes duces auxilio accurrere: ſtatim quippe vulgata neceſſitas;& è partium dedecore concepta indignatio.

Præuecto iam meridiem ſole Gambaloita & Oroſco fidens,& ſubſidij gloriam ſibi deſtinans, haud procul Beſtagno tamquam auxilium properaret, videndi ſui copiam fecit. In eum miſſus à Sabaudio equitatus; vt acri primùm velitatione exceptus, mox torrentis obiectu & ſuis vicinior, vniuerſis copiis exciperetur. Sed Gambaloita cui vetus militia, non firmitudinem agendorum magis quàm peri-

riam dederat, vbi imparem ſe multitudini vidit Monaſterium (oppidum Monſerrati eſt) conceſſit; vt pluribus additis, certiori euentu ſtatim in pugnam regrederetur. Collib. inſederat; neque Sabaudij fugientem inſecuti ſunt, præcedenti itinere fatigati, & montis arduo impediti. Decimâ nonâ Aprilis, Paſchatis celebritate die ſacro, minora tormenta bellica in caſtra Sabaudij venêre: ſtatimque Cazolij Comes iteratis ictibus quatere mœnia adortus eſt. Præuiderat Sabaudius rem omnem victoriámque in eo verti, ſi celeriter vniuerſa expedirentur. Neque tormentorum magiſtri in vanum ictus collineabant; vt qui non lacerare recta ædium, ſed ſtratis mœnibus aditum ſibi parare niterentur. Arcta omnia obſeſſis reddiderant. Sala & Schiattellarius ductores dexteram partem tenuêre; Hauchius & Griua ſiniſtram, haud procul tentorio Ducis: Equitatus Bormidam amnem verſus explicatus. Calozius, Polemius, Eques Bolia collem vicinum tenuerant, medio inter Hiſpanos & Beſtagnum ſitu, ne qua ſpes ſubſidij foret. Oroſcus & numero propugnantium, & vicino auxilio fretus, duobus quoque minoribus tormentis, hoſtes qua aſſiduo ictu inſultabant, exercebat. Sed vbi mœnia vetuſtate, & exilitate nutantia, fragore inhærentium tormentorum vibrari cœperunt; plus à ſuis, quàm ab oppugnatoribus detrimenti experiebantur. Coactúſque Oroſcus eſt aliam ſe in partem oppidi transferre, vnde tutior ipſe, equitatus inſuper hoſtilis Bormidæ contiguus flagellaretur. Sic incommodi plurimum Sabaudijs illatum, cum inter propinquos hoſtes acriter res ſclopetis ageretur. Plurimum decoris apud Sabaudios credebatur, ſi Beſtagnum mille quingentis fere incolis habitatum; quóque facili negotio aggetibus ac foſſis in munimenti formam educeretur, fœcunda circum planicie, & collibus pone tectum, ipſo belli initio cœpiſſent.

Sabaudius Beſtagnum quatit.

At Oroſcus frequentibus nunciis Inoyoſæ præſens periculum, & vix in alterum diem ſuffectura ſuccuſſioni mœnia, rerum omnium indigentiam teſtabatur, vt feſtinatum ſubſidium acciret. Adeo vicinos Hiſpanos exercitus & numero ſuperiores eſſe, vt amici exitium cum excuſatione partium excipi non poſſit. Diuiſi interim propugnatores ſuccedentes Sabaudios, nec aſſultu irrumpere mœnia validos ictibus crebris fatigabant. Vicinis quoque municipijs Hiſpanæ centuriæ, & pars equitatus, literis Oroſci ad diſcrimen conclamantur. Sub meridiem Cordoua, qui cum ſuis Spignum inſederat, relicto domi vexillo; nec non Gambaloita, cùm mille quingentis ſummo in colle viſi; tanquam tollendi obſidij & ferendi ſubſidij cogitatione aduenirent. Hos à longè Sabaudius conſpicatus, vbi numerum æſtimauit, in riſum ſolutus eſt: ſuos quippe numero ſuperiores, ſuperandam planiciem, quam plura ſuorum millia inſediſſent, tranandum deníque Bormidam, cuius ripas diſpoſiti moſchettarij ſeruabant, nouerat. Neque ſi mœnia ingreſſi forent, ſalutem oppido laturos; quòd plures propugnatores, locus ac anguſtia commeatus non ferrent. Neque tamen in promptu iudicium erat, cuius incuria aut temeritate qui aduentabant vrgerentur, traherentúrve; cum vtrinque prudentiam deſideraret. Qua tamen in ſecuris expeditionib. alacritatę conſuetum eſt, Equitem Boliam ſiniſtrâ villam colle tectam occupare cum ſuis; & Polemium vicinum nemus præcipere iuſſit. Et quo certius deſtinata ſuccederent, à ſingulis equitibus dorſo tolli peditem imperauit. Planiciem porrò equitatus Sabaudius ante inſederat, per turmas & opportuna locorum digeſtus, opperiénſque certamen. Nec incallidi Hiſpani, vim aduerſam non præuiderant; ſed ſine flagitio aut Oroſci imperium abnuere, aut regredi metu non poterant; eoq; obuios acriter excepêrũt. Diu inter eos certatum, & medio ardore pugnæ duæ cataphractorum Sabaudiorum centuriæ mixtæ prœliantibus, vertêre partium fortunam. Pro Hiſpanis facilis receptus erat, cum aduerſus collis, magno nixu ſuperandus, Sabaudios moraretur. Hi aduerſæ gentis odio, & tolerato diu pugnæ deſiderio ferebant

Hiſpani auxilio Beſtagni accurrunt.

reban

rebantur. Ad extremum peruicacia inſequentium inſtantiúmque coacti Hiſpani campum vacuum, multis ſauciis & non paucis interemptis relinquere. Neque dubium eſt eum conflictum plus ſanguinis hauſurum fuiſſe, niſi fatigari Sabaudij; & ægrè ſub armis per auia enixi, copiam Hiſpanis recipiendi ſe in tutum præbuiſſent. Rei famam ſtatim mentientium vanitas excepit; vulgato, apud Pedemontanos eo conflictu duo hoſtium millia cecidiſſe: Aſtij ducentos deſideratos: victi & fugati quinquaginta omnino periiſſe fatebantur. Neque tamen nullo ſanguine Sabaudiis ea victoria ſterit; cum valida Hiſpanorum decertatio equites equoſq; laſſauerit, & non inuendicati Hiſpani perierint. Tum primùm nulli hactenus creditum arcanum, fidem palam inuenit, poſſe etiam in ſuo Hiſpanos ſuperari.

Hiſpanos fugat ceditque.

Certior iam diſcriminis Oroſci ac ſuorum, Inoyoſa contractas vndique copias equitatúmque Beſtagnum ducebat; quando ſecreta conſilia non ſucceſſerant, exempti periculo amici gloria ſtimulabat. Cenſebantur peditum duodecim, equitum duo millia cum iuſtis armis. Neque tamen in Sabaudium iracundia progredi videbatur; ſed eadem quæ in pace animorum compoſitio: Nec enim aut Sabaudij cauſa examinabatur, aut in illum ob mota contra arma conuicio inuehebatur: cúmque inter epulas magnitudo Regis, vires exercituum, cauſæ diſſentientium, Mantuani res tractarentur, Sabaudij nomen compendio præteribatur, vitabatúrque; haud dubiè formidine & reuerentia. Hinc proditionis coniectura, & Regis gloriæ apud Inoyoſam neglectus creditus. Quærebantur nonnulli ſe tamquam ioco in hoſtem duci; fatebantúrque ab iis haud quaquam victoriam deſiderari, qui nullo iniuriarum odio, etiam oſciranter in prælium procederent. Id apud plures & potiores, aut occaſionem detractioni dedit, aut facinus appellari fecit. Quod ſtatim per Italiam literis vulgarum, ſine Scriptoris notâ ſileri non potuit. Quippe poſt relictam Alexandriam, propinqua Beſtagno tenentem Inoyoſam, ſecreto noctis Sabaudio collocutum dicebatur; conceptáque pridem odia detergere conatum, offenſas remiſiſſe: & dediſſe præuaricationis argumentum, quod abeuntem non fuerit inſecurus, non aciem auſus, non Canellum (quod in votis militi erat) obſidione cinxerit; quódque illaris per omne Monferratum damnis annuerit. Seu vera, ſeu falſa, quia nonnulla coniecturis alebantur, protinus apud Mantuanum excluſa facti dubitatio; & quod in fortiter creditis vſu venit, reperti teſtes, qui adſtitiſſe, audiuiſſe, vidiſſe perfidiam; impunitatem apud Regem Iſabellâ Belgij Duce & Filiberto filio mediatoribus promiſiſſe, fatentur. Quibus Ducis mores, formidine vacui perſpecti erant, cõgreſſum ſine arte non credidêre; quòd nullis aduerſis metuentem ſibi, & obuium periculis ſcirent. Etiam quæ ſecura ſunt ſuſpiciones auxere; quòd cum Sabaudius receptui inſiſteret, non immiſſo peditatu turbatus, non equitatu præpeditus fuerit; ſed inter trepidationem, alto luto vallem imperuiam, imbres aſſiduos, & imminentium ſuperandorúmque collium lubrica, ſecurum illaceſſitúmque iter permiſerit.

Inoyoſa ſuccurrit.

Inoyoſa dicitur Regiam cauſam prodere.

Fabularum licentia fuit, & commentantium impudentia: nec enim aut Inoyoſa tectus ignoratúſque ei congreſſui acceſſiſſet, aut Sabaudius clandeſtinis conſiliis paruiſſet; ſolitus aduerſus fortunam, medio cœlo, nullo pauore occurrere; & gloriam ei diei parti componere quæ victoriam oſtendiſſet. Die eadem parum gratus Sabaudium nuncius offendit. Cum enim minora tormenta nullo notabili progreſſu, ictúque inani munimenta foderent, ſperarétque maiora iam iam affutura; ea altâ palude merſa, nullâ humanâ ope erui luto poſſe, fatigatos equos bouéſque, fractos rotarum orbes, ſimul Inoyoſam magno apparatu inſtructum aduentare didicit: Hinc ſoluendę obſidionis neceſſitatem, & feſtinati receptus vidit. Eeditis collium vti ſe debere, vt inſequentium conatus eluderet; & alio tempeſtatem belli verteret. Aliqui perſpectum quidem Sabaudio conuectionis difficultatem dicunt; ſed non ante recedere Beſtagno voluiſſe, quàm prouideret vt in ſecuro

tormenta ſiſterentur:feſtinatione enim & numero omiſſa intercipere hoſtes potuiſſent. Inoyoſa continuato itinere Terzum venit, quod mille paſſus Beſtagno diſtat; legionibus peditum, equitúmque pluribus centuriis comitatus. Viæ tantum, non item prœlio accinctum monuêre exploratores; auſurum pugnam Sabaudium, & tendentis aciem,oppoſita acie inuaſurum. Nec numerum hoſtium Principis locorum gnari, & magno animo procurrentis tutò negligi poſſe: ferè pro audacibus Deos ſtare, & contra trepidantes fortunam depugnare. Inoyoſa ceſſuros oppugnatores, vbi ſe præualidum deprehendiſſent reſpondit, in Hiſpanum nomen reuerentiâ, Mediolanenſes copias metu. Fruſtra exterritos vicinos; & minorem duce in Oroſco conſtantiam fuiſſe. Cui enim magnitudinem ſuam viréſque regij exercitus ignota? Ad deſcriptarum legionum famam potentiores Sabaudio Venetos pauiſſe; irâmque ſui Regis non vnis literis deprecatos. Nondum vanam æſtimationem ſui depoſuerat, cum præmiſſi Curſores plures equitum turmas ripas Bormidæ quæ ſuperandæ Inoyoſæ erant, obſidere detulerunt. Accingi alios, & eos inter delectum moſchettariorum numerum; ediros viæ tumulos quibus tegerentur præcepiſſe. Cruentam victoriam merui poſſe; multoq; ſanguine viam ad Beſtagnum mercandam; ambiguum formidinéne, an ex vero retulerint. Alij tamen atque alij retinere agmen; & media in planicie ſub Dio pluuio cœlo, humenti tellure, vniuerſos ſecutam noctem agere compulerunt.Id degeneris animi plerique interpretati; tanquam paucos deturbare munimentis, tot millibus bellatorum ſtipatus,vitaturos certamen, fugamq; circumſpectantes, impellere formidaſſet. Etiam bellicæ rei inſcitia accuſabatur; quod tumultuario aggere, ſalutem multorum millium commiſiſſet, inſultaturi Sabaudij arbitrio ſi libuiſſet; quoties nocturnam Inoyoſæ militum quietem ferro igniq; turbauiſſet: neque enim duraturam fortitudinem laſſato & omnium indigo militi; aut ducibus inter tot aduerſa,certam prudentiam futuram.

Certum eſt nullo metu concuſſum Sabaudium, vbi properare auxilia accepit, cum iam colligere ſuos impedimenta,& vertere in ſecurum pedites iuſſiſſet. Miſerat enim equites qui aduentantes exciperent, fortunamq; & vim hoſtium experirentur.Forſan id certaminis genus callidus Dux elegerat,vt pedites loco impeditos, expeditorum equitum certamen tutos redderet; & retento ad tempus hoſte certior tormentorum receptus eſſet; quæ ægrè per dehiſcentem planiciem mouebantur. Iuoyoſa animorum & deſtinationis Sabaudij ſecurus congreſſum abnuit; ſatis acturum ſe putans,ſi inoffenſus victoris ſpecie, velut pulſo hoſte Beſtagnum obſidione Oroſcum diſcrimine præſenti liberaſſet. Nec laceſſere æmulum Sabaudius voluit, qui incomparabili Regis Hiſpani reuerentia, quamcumq; victoriam ſibi à fortunâ miſſam parum exultanti animo acciperet. Cæterùm diei extremo manifeſtus Sabaudij receptus fuit; qua enim Beſtagnum corona cinxerat diſſoluit,flexítque centurias in eandem viam,quam veniens inceſſerat.

Viceſima prima Aprilis, ſub meridiem peditatum præmiſit: & quidem ſatis compoſitè diſceſſum, diſtinctis manipulis, centuriis, cohortibúſque ne confuſio moram faceret,aut feſtinatio timorem qui nõ erat,argueret. Nec minus tormenta, quibus Beſtagnum exercuerat abducta. Equitatus omnis extremum agmen clauſerat, ſuorum ſecuritati intentus, bellóque paratus. Non hactenus maiores querelæ Mantuani per literas huc illuc miſſas auditæ. Lamentabatur quòd Inoyoſa motis caſtris geſtientem in prœlium ire militem retinuiſſet; quaſi protector extremorum neceſſitati Sabaudij conſuluiſſet; haud dubiâ deſtinatione ſatis habere ſi hoſtis diſceſſiſſet.Quoties enim dicebat, tarditate præcedentis peditatus, & difficultate conuectionis tormentorum hoſtilis equitatus mediâ viâ ſubſiſtebat,toties Inoyoſam ſuos continuiſſe,ne frangerent,cæderéntque peruicacem,& vnâ ſemel plagâ illatâ, longam illi regioni pacem faceret. Publicè id miniſtri quo-

quoque eius repetebant; parum gnari rerum & cauſarum, quæ Inoyoſam audere inhibuiſſent. Perſpectum enim præſentibus fuit gregarios vix pedibus inſiſtentes ad Beſtagnum habuiſſe; & equitem ne iumenta altâ in palude deſtituerent, partem itineris pedibus emenſum; cúmque illos extremo labore fatigatos videret Inoyoſa, congreſſum omnem vt exitiabilem vitauiſſe. Id Mantuani nobiles, cum exercitum comitati teſtati nobis ſunt; & quidam ſacramento aſſeruerunt, actum de vniuerſis fuiſſe, ſi Sabaudius languorem Hiſpanorum aliquo nuncio didiciſſet. Illius quoque miles ſarcinis armiſque oneratus, & ſolo fallaci hærens, denſo inſuper imbri affligebatur. Quod de Hiſpano verum erat, Mantuanus quoque de Sabaudiis iactabat. Quamuis enim honeſtus Ducis receptus, & cum prudentia videretur; quod pauciores ſuos, tot millibus Hiſpanorum Monferrato vt ſuo vtentium exponere noluiſſet; diſcriminis tamen periti, quíque inter Sabaudios miniſterio ſtipendia faciebant, potuiſſe tot aduerſis colluctatum Ducem cum vniuerſis copiis internecione deleri; aut hinc recenti & numeroſo hoſte; illinc Oroſco & Salinâ parte alterâ inacceſſibilibus collibus intercipi fatebantur; finémque bello, quod tot hominum millia hauſit, cum honore imponi. Addebant id ſe eorum fide aſſerere, qui præſentes caſum bene agendæ rei viderant. Onerabatur quoque innocentis Inoyoſæ infamia, quod Sabaudiorum tormenta profundo luto ſepulta, diem integrum immota ſtetiſſe dicerentur, quinquaginta omnino militibus ad cuſtodiam relictis. Id præcurſores conſtanter Inoyoſæ dixiſſe, paratámque fuiſſe poſſeſſionem, ſi ſclopetariorum aliquot manipuli miſſi forent, qui pauculos illos fugâ diſperſiſſent, & omiſſam prædam abduxiſſent.

Qui Inoyoſæ famam tuebantur, ſatis Hiſpanis gloriæ eueniſſe reſpondebant, quòd certâ reuerentiâ aduerſus regia vexilla Sabaudius receſſiſſet. Nos quid opus facto ad gloriam & victoriam fuerit, aliorum iudicio diſtinguendum relinquimus; non defuturis, qui in Sabaudium aut in Inoyoſam affectu, actorum cauſas examinent. Sancius Salina Beſtagni cum Mortara clauſus, vbi recipere ſe oppugnatores, & quibus difficultatibus implicatos colles eminentes inſcendere vidit, Mortaram conuenerat; ne tam promptam paratámque ipſis bene agendæ rei occaſionem elabi ſineret, obteſtatus; ſed vt pandi portas, aggeſtam humum diffici, & in fugientes (vt dicebat) immitti equitem imperaret. Certum tamen Hiſpanis erat, aut nolle gloriam, aut non accipere. Et ductores nunquam adeo fractum hoſtem crediderant contempſerántque; vt vel cædentem prouocare vellent. Proinde nullius ſe precibus qui idem cum Salina orauerant vinci Oroſcus paſſus eſt: ſiue tum primùm Inoyoſæ conueniſſet; ſiue equitatum Sabaudium, famâ virtutis (& vera erat) formidaſſet. Qui honeſtiora de Duce loquebantur, dubitaſſe Oroſcum ferunt, ſimularetne diſceſſum, an prorſus recederet: Artes quippe Sabaudij metuiſſe; quem ſciebat nunquam ita fortitudini intendere, vt artes belli negligeret; & prudentiam obliuiſceretur. Præuidiſſe quin etiam eos qui abiuerant, modico temporis reduci in aciem poſſe, & inſecutos graui mole premi. Clauſorum Beſtagni fermè viginti interempti, plures ſauciati: è Sabaudiis quos in aperto congredientes, non munimenta non aggeres texerant, quadraginta cecidiſſe fama fuit. Hiſpani mille deſideratos apud hoſtem prodiderunt; ſed quibus non ambitio, non vanitas bello aut ſermoni cauſam dederat, mendacium arguerunt. Negari non poteſt, Ducis iuſſa, malè à Sergente maiori executioni mandata. Nam die medio Hiſpanis circa mœnia diſpoſitis & tempus ictibus quærentibus, intectos pedites, ſuper eminentes aggeres reduxit, & occaſionem cædium præbuit. Electam in eum receptum Sabaudio noctem, iuſsúmque Sergentem longis ambagibus, è pinnis murorum

Sabaudius à Beſtagno recedit.

Digitized by Google

Cum aliqua confuſione culpâ Sergētu maioris.

iaculantes vitare cognouimus: ſed ille aut diſciplinæ neglectu, aut præpoſterò obſequio, recedentium militum latera, hoſtibus ad ictum nudauerat, vt è vicino certius ferirentur.

Hunc loco motum, & in culpam erroris exauctoratum fuiſſe accepimus; cum incertos facti auctores, audaciam ſuorum & his ſimilia excuſaret. Neque nos plura eâ de re quæſiuimus. Ea tamen ſeruantiſſimum diſciplinæ Ducem, ſuorúmque qualicunque malo indignatum, non placauêre. Præcipua iræ cauſa fuit, vbi feſtinatione receptus turbari ordines, & præcedentes vrgeri, cœno ac pluuiâ colluctatos vidit. Quod in recedentibus plus metus eſſet; & ſi Hiſpani inſecuti forent, minus in ſuis præſidij. Caſus bellorum, vt oculatiſſimè Sabaudius præuiderat, ſic Polemium & Equitem Boliam in collium ſumma præmiſerat, vt tutum compoſitis iter eſſet; turbatis ſaltem parte aliquâ ſecuritatis. Prudentia vſui fuit; ne cœpta confuſio fatigatos & periculo conſternatos tranſuerſa fuga abriperet. Hinc plerique ad vexilla reuocati, intra ſuos ordines recepti ſunt; alij virtuti fidere iuſſi; nonnulli palantes eo ipſo acti, ne perirent, perière. Primus Sabaudij motus, vt læta omnia, ſtatim à popularibus exceptus. Deſperatione rerum, & metu Hiſpani exercitus Beſtagno recedere, tertia parte exercitus mulctatum, incompoſitas centurias fugam quoquouerſum proſpectaſſe, relictis media via tormentis, proiectis armis, abiectis ſarcinis; quò expeditiores elaberentur: eodem quo venerant itinere regredi; victores Hiſpanos inſtare trepidantibus; diſperſos equitatum inſequi, mox vulgatum. Et quamuis Sergentis, vt diximus, culpa nonnulli manipuli confuderint; cæterique & viæ & prælio parati noto itinere regrederentur, nihilominus certum eſt obfuiſſe conſternationis opinionem; ſparſóſque per colles & ſaltus Monferratenſes colonos animaſſe, vt aliquot ſine ordine ac ducibus incedentes, opprimerent. Caſcinaſchi populares, quorum vicum Sabaudij paucos ante dies ferro ignique deleuerant, præ cæteris vindictæ ſtuduêre. Nam vix aggere tecti, & ardua collium tamquam Arcibus ſecuri, in prætereuntes acriter graſſati feruntur, nulla in futurum patriæ ſolicitudine, quam iam amiſerant, eóque nulla reliqua vltionis materia apud vindictam repetituros. Donec agmen per cœnoſos colles enitebatur, decem & octo occiſi ſunt, paulò plures ſauciati: Et quia inſidiantes latronum in morem pugnabant, metu aduentantium dilapſi ſunt.

Idque Hiſpani vulgant.

Quoſdam Sabaudios fugientes populares Mōferratenſes cadunt.

Inoyoſa ingreditur Beſtagnum.

Die eadem Inoyoſa Beſtagnum ingreſſus, vt Oroſco ciuibúſque ſalutis auctor; quaſi imminentem exitio hoſtem fugauiſſet, feſtis acclamationibus exceptus eſt, agíque ſibi gratias tolerauit, obſtrepente licet intus conſcientia, quæ neminem abſoluit. Plus enim flagitij negligentia admiſiſſe, quàm ſolura obſidione beneficij contuliſſe ferebatur. Vix quatuor horas immoratus Aichium Monferrati ciuitatem profectus eſt, milite numeroſo, & ingenti famulatu ſtipatus. Neque alieno minori quàm apud ſuos parſimonia vſus eſt; nec egit mitius quàm ſi vniuerſo cum exercitu hoſtiles copias admiſiſſent. Vicinæ villæ, & oppida in propinquo ſita, frumento, vino, cæteríſque annonæ ſubſidijs accurrêre: in equos pabulum; in Duces pecuniam conferre coacti ſunt. Surdam populationem incolæ appellabant; eò acrius indignati quòd Hiſpanorum blandimentis credidiſſent; qui ſe de ſuo protecturos Monferratum ſacramento promiſerant. Melazaum Monferrati oppidum Sabaudiorum Hiſpanorúmque vexatione caruit, ſumma fortunæ benignitate; & quod centum quinquaginta ſclopetarijs ſub Comite Beccaria ſeruaretur; qui aduentantibus Hiſpanis, non alio ſe ſubſidio egere faſſus eſt, vt venientem

Mox Aichiū proficiſcitur.

in ſua

in ſua damna hoſtem arceret. Ipſo Paſchatis die Sabaudius monitus fuerat, Equitem Alphonſum Aualos pro Mantuano Duce Monferrati Gubernatorem Achium cum tribus peditum millibus, equitibus ſexcentis veniſſe; vt iniectâ popularium militiâ Cannellum Pedemontanæ municipium aggrederetur; aut, quod minimum, eo itinere in Sabaudij caſtra auectum commeatum, bellicúmque apparatum interciperet.

Thomam Principem fuiſſe comperior, qui id exploratorum operâ delatum, parenti communicauit. Et quidem Alphonſus Guerrerius, mox fratris prouectioris obitu in Belmontis Marchionatum aſſumptus, & tum Monferratenſis equitatus ductor Bergamaſchi cum quingentis equitibus ſubſiſterat; vt vicino incurſu, prout occaſio valuiſſet, huc illuc ſubſidio & bello occurreret. Itaque Alphonſus Aualos ad turmarum duces dederat literas, vt quàm citiſſimè cum ſuis Nizam properarent. Paruerant illi; neque Guerrerius imperij aut conſilij conſcius, ſed belli incerta metuens retinuerat. Hinc Principis Thomæ ſuſpicio; & pluribus eadem refricantibus, Sabaudius Cannellum regreſſus eſt. Neque tamen Aualos aut Cannellum tentare auſus eſt, aut Sabaudio vicina laceſſere; cùm nihilominus eadem itinerum difficultas Sabaudios afflictaſſet; & alto cœno demerſum tormentum bellicum omiſerint. Quòd nec manus contulerit, nec virtutis ſuorum hoſtiúmve periculum ferens, non abducere ſepultum luto tormentum aggreſſus ſit, vniuerſi in degenerem animam trahebāt; tamquam certiori in Hiſpanos, quàm Matuanum fide eſſet; quibus plurimum annorum miniſterio apud Belgas ſciebatur illigatus. Eo certè initio creditum Anali fidem fluctuaſſe; quod ſuſpiciones parfidiæ recepiſſe milites omnes, & Mantuanum apertè crediſiſſe deprehendiſſet.

Alphonſus Aualos eminem militiā Nizam vocat, inſciō Alphonſo Guerrerio.

Inoyoſa Beſtagno diſcedens copiarum rectotibus imperauerat; vt omiſſis quos inſederant locis, retro ad ſuos regrederentur. Caliſani, Cairi, Spignini, Roccauarani, & Mombaldoni præſidio quod ſatis eſſet relicto. Miſerandum in modum hauſtæ popularium fortunæ; & in calamitoſos pietatis & amicitiæ ſpecie grauiter collationibus ſæuitum. Sed querelæ fruſtra erant; inclamaſſe iniuriis, gregarium accuſaſſe, ſuſpiraſſe apud Duces, maieſtas erat. Nec vllo hactenus bello victi victoréſve tantum immanitatis intulerunt, pertulerúntque. Iam Belgica hoſpitalitas Gallicæ expeditionis collationes præ Monferrati malis laudabantur. Haud dubiè miſera fœlicitas, quæ malorum comparatione præferebatur. Profecto ab Cannello Sabaudio ſtatim Hiſpani victoriam animo conceperant. Formidinem & Aſtij deſperationem Duci appingentes; conſuetudine humani ingenij, gloriam ex hoſte non credere niſi prius famæ detrahatur. Etiam inter vtroſque maior æmulatio erat, quàm vt de vno tantùm oppido certaretur. Vita, opes, exiſtimatio, ſtrictis mucronibus peti videbantur: quamquam Duces, non eadem in hoſtes indignatione agere putarentur: & cum atrocia dimitterent, fortunam & caſus rerum recuſabant; graui tamen odio eorum qui Sabaudio aderant Hiſpani vrgebantur; quòd non Mantuanum tutarentur, ſed liberum Ducem opprimere cogitarent. Et quia à bello ad conuitia diuerterant, quidam vt libidinem ingeniorum exercerent; tanquam Sabaudius ad ſuos reuerterat, conſiliorum Ducis cenſuram agebant; quod fallacibus campis, cœnoſo itinere, feſtinatam Beſtagni oppugnationem præſumpſiſſet; quòd clauſos non annona, non numero ſecuros irritis eminus ictibus laceſſiuiſſet, quòd aduerſus affuturum tot millium auxilium minores neceſſitate copias duxiſſet; quod oppidum aſſultu occupare collata vi omni neglexiſſet, vt feſtinantes auxiliarios præueniret; quòd non receſſiſſet à Beſtagno ſed fugiſſet; quòd per Hiſpanos ſteterit, quò minus tormenta lutoſo itinere relinqueret; potuiſſe non commeatumſo-

Sabaudio quidam detrahunt.

lùm, ſed & pecuniam quoque ſtipendio Hiſpanorum miſſam magno hoſtium malo intercipere; æuo nutantia propugnacula contis infringere, diſiicere clauſtra portarum; & paucorum manipularium periculo, tot hoſtium Centurias delere, inconſultum acceſſum, inhonoratam fugam, vanam prætenſionem fuiſſe. Militem eius ac duces in poſterum quamcunque expeditionem formidaturos; quorum animos tot irritis aſſultibus fregerit deieceritque.

Ab aliis laudatur. Hæc & ſimilia tamquam ex diſciplina militiæ, peritiſſimo armorum Duci objiciebant, ab iis quorum vis omnis in dicto eſt. Contra plerique etiam Hiſpanorum, fortitudinem ac prudentiam Sabaudij non vno argumento commendabant. Satis illum ſolido itineri inſtitiſſe, cum clauſi peterentur; niſi inſolito naturæ turbine, & immodico imbre ſecuto cohortes & tormenta bellica hæſiſſent. Nobiliſſimæ expeditionis ſiniſtrum exitum (quod Hiſpanis ſalutem tulit) cœlo imputandum. Vbi Beſtagnum venerit, validiora munimenta, plures opinione propugnatores, ſpem viciniorem auxilij deprehendiſſe. Exploratorum ſolicitudini fortunam illuſiſſe, non hoſtem; & niſi multorum cæde belli exitum tentari potuiſſe; ſæpe falſis rerum delatoribus duces falli; & cum eorum prudentia in laudem trahenda ſit, fortuitа culpam non mereri: Cæterùm fortitudinis & conſtantis animi, non vnâ vice ſpecimen dediſſe; viſitato etiam, militaris diſciplinæ legibus receptu; cæſis qui auxilio venerant, oſtentata ſucceſſoribus acie, & factâ pugnæ copiâ, oſtentatam conſtantiam; ſi quæ verborum apud hoſtes, factorum etiam vbertas fuiſſet; potuiſſe magno prælio belli initia inſigniri: quominus acerrimo conflictu res tranſigeretur, per ipſos ſtetiſſe. Fruſtra Hiſpanam modeſtiam & aduerſum ſe pietatem prætendi, ſpecie regiæ neceſſitudinis; fortibus enim auſis, metu & ignauia abſtinuiſſe. Hæc capita diſceptationum erant, quæ ſermone ac literis, magno partium dedecore tum vulgabantur, cum agere & ſilere tempus requireret; ſed eorum maximè infamiâ, qui verborum ampulloſi, bene agendæ rei in hoſtem occaſiones prodiderant.

Cannellum iuxta erat Sabaudius, cum à Thoma Principe filio, & exercitus ductoribus; qui cum quatuor ferè propugnatorum millibus Aſtium ſeruabant, literas accepit. Monebant tota mole belli illuc Hiſpanos flectere; haud procul Nono amnem Tanarum ponte iunxiſſe, deduci profluenti tormenta quibus ciuitas oppugnetur; commeatum, arma, magnum apparatum, ingentem bellatorum numerum. Legiones quoque ab Italis Principibus miniſterio Hiſpani Regis miſſas properare. Hæc non obſcura futurorum inditia eſſe. Et haud dubiè præſentiam Ducis requirebant. Quamquam enim Princeps iuuenis ſupra annos gloriam ſectatus, hoſtium copias licentius prouectas Nonum vſque acriter foret inſecutus, plus tamen in Patre præſidij, & in militibus conſtantiæ credebatur, ſi fidem ac fortitudinem ſuorum coram expertus Dominus fuiſſet. Addebant exploratores, regreſſum Alexandriam Inoyoſam. Illinc quoquouerſum imperia, & cogendis cohortibus nuncios mittere. Nonum ſedem bello lectum, vix quatuor paſſuum millibus ab Aſtio diſſitum. Equidem Inoyoſa in quartam vſque diem Maij Alexandriæ ſubſtitit; cum interim Sabaudius indefeſſa opera, quæ retro reliquerat tueri: & hoſtiles conatus præuenire ſatageret. Ductorem militiæ Arlò, cum Gallico ſubſidio Cannelli ſubſiſtere imperauit; præceptum verò vicinis dederat; vt ſi quæ vis eo ingrueret, accepto ab obſeſſis ſigno, magno numero accurrerent; mox popularium operâ, quibus aduerſus Beſtagnum vſus fuerat præmiſit, & Aprilis die viceſima ſexta, cum cæteris ſubſecutus eſt. Aſtenſes quo longius à mœnibus oppugnatores haberentur trans Tanarum tempora-

temporarium munimentum erexerant, congerie lignorum, & comportatâ humo fabrefactum; aduerſus tormentorum ictus ſatis validum: infirmiores enim ciuitatis muros longam concuſſionem non toleraturos, eo maximè præſidio, indigêre nouerant.

Eâ parte ingreſſus in vrbem Sabaudius eſt, quamquam ſuo itineri aduersâ. Æſtimare operam voluerat antequam tecto ſuccederet; non impetuoſo vento, non præcipiti imbre retentus quin ſtatim vniuerſa examinaret. Aduentanti parenti Thomas Princeps, cum parte equitatus obuium proceſſit; feruntq; reuerentiâ (quâ nulli Principis filio maior erga parentem eſt) ſilentem, iuſſum eloqui; addito adoleſcenti forti opera virum induto liberum ſermonem competere. Cæterum nonnullis Hiſpanorum diſplicuiſſe vim illam in Aſtium verti neſcius non ſum: ſiue ſua cuique, ſiue publicæ rei vtilitas diſſenſioni cauſam dederat. Nam Vercellas alij, plures Creſcentinum præferebant. Sed quamquam Inoyoſa numeroſo milite ſeptus frigidiſſimè bellum tractaret; irrepſerat tamen cupido gloriæ, & deſiderium magno facinore, quæ illi parum æqui obiecerant, diluendi. Placuit Aſtium, muris vetuſtate inualidis, ampliori ambitu quàm vt à paucioribus defenderetur, medio inter Monferratenſem & Mediolanenſem ditionem ſitu, propinquiori maris ſubſidio; & (quod Mantuani præuiderant) cupidine abſtinendi ſuis, & agro Monferratenſi pro libidine abuti. Iam enim propria Hiſpanorum cauſa in Mantuanum abiuiſſe videbatur; nec illis vlla in Sabaudium propria odia; tantùm amicis Ducis patrocinium iactabant. Si quid hoſpitio alieno immanius admiſſum foret, præceptum ſilentium videbatur. Nec deerat promiſſæ temperantiæ color; tamquam vicino Mediolanenſi agro, commeatus quæque bello neceſſaria quærebantur petenda forent. Ea ſpecies à Mantuano plena fide accepta non eſt; cum nonnulli quibus Regiæ vires, & quot armatorum millia in eam expeditionem accingerentur perſpecta erant, inanem Sabaudio metum incuti dicerent; & eam belli ſimilitudinem tantùm interpretarentur; crederéntque eâ ſecuritate, poſſe generoſum Ducem congruos animo ſpiritus induere. Iactabat Mantuanus in limine victoriam Hiſpanis eſſe; ſi audentes & certi ſententiæ intima Pedemontanæ irrupiſſent. Condonari hactenus Sabaudio pleraque neceſſitudinis recordatione potuiſſe; & quamquam ſe oblatâ ſecuritatis ſpecie eludi: ſed iam vbi conuicijs in Regem, iniuriiſq; hoſtis non abſtineat, exiſtimationem patrium rerum ſummam deteri, & cætera quæ vim maieſtatis contineant.

Hæc in Monferrato, Mantuæ nullâ belli ſolicitudine, Villa cui tandem Fauoritæ vocabulum exitus dedit, ambitu & mole creſcebat. Foſſa quæ perennem âquam nauigijs ſuffecturam contineret cauabatur; & lacus in theatri formam, quod & piſcium omni genere impleretur, & toto ambitu ſtatuis ornaretur. Sed & induxit Ducatui religionem, vt Societas Angeli cuſtodis è loco ſumeret dignitatem. Viri ac fœminæ nobiles in communionem adſcripti, mox Muſici, & ſeruorum infimi; prout Principis fauor hos illoſve prætulerat. Si quando in publicum procedebant, ſinguli more nouo, ſeriem continuabant. Mares primùm, mox fœminæ, albo induti, & cæruleâ patientiâ (vt vocant) ad talos deductâ. Inſtituti ratio certam habere pietatem videbatur, ſed præter nouitatem, locus præcipuè diſplicuit; cauatæ enim in obſcuro cameræ, ſcalæ magnis ambagibus exciſæ, & quouis in receſſu educta altariola puerilem in modum, cum Diuorum reliquijs, & lampadibus. Certis anni temporibus (quod reatuum abſolutionem ab vrbe habuiſſe diceretur) ciues latebras illas magnâ veneratione frequentabant; nec fœminæ abſtinebant; ſed vniuerſi loci anguſtiâ obſcuroq; arctati ſæpè labebantur, è publicis templis eas reliquias in profanum delatas nemo probabat. Sed Mantuanus domeſticâ frequentiâ & nouitate illâ gaudebat; vtq; proferret

Sabaudius Aſtium venit.

Non omnib. Hiſpanis placet Aſtium peti.

Societas Angeli cuſtodis.

Digitized by Google

ingenium,plures apud eum cœtum orationes meditati argumenti, præcones diuini verbi æmularas; & accitis nõnullis eius inſtituti, & facundiâ & acumine ingenij confunderentur. Secretæ optimorum querelæ frequenter audiebantur; & ipſo orante ſuſpiria meliorum; quæ non pietas, ſed publici dedecoris dolor exprimebant. Eo in numeto cum plerique nobilium adſcripti, Domini cupiditati blandirentur, omiſſos tamen nonnullos, tamquam prudentiores proſpectabant. Hos enim inter, non Chieppius,non Guiſcardus, non Senatores vrbis, non Gonzagorum plurimi erant, vt iam omitti ac negligi in honorem abiret. Pietas in Deum;& datum religionis exemplum ſuis,nemo inficiebatur; ſed Monachorum munia neglecto belli paciſque ſtudio ſuum Principem obire,ſine mœrore ſpectari non poterat:cum præcipuè impetu quodam animi iſta, non continenti exercitio tractarentur.

Inter hæc Inoyoſa Flizanum Alexandriæ oppidum profectus, ſubſequi vniuerſos iuſſit. Hic leges daturum, milites ad cenſum vocaturum,ſtipendia ſoluturum ſe promiſit, vt mox Aſtium infenſo agmine proficiſceretur. Ciuitas ipſa maioris famæ quàm rei, penitus intra Monferrati viſcera arcta in planicie ſita eſt qua Oriens ac Septentrio proſpectant. Extrema parte leui cliuo eleuatur,cui caſtellum veteris ſtructuræ inſidet. Hinc quadringentis ferè paſſibus latior campus excurrit,quem excipiunt colles; Vallem incolæ appellant, Carthuſianorum Monaſterio inſignem. Tanarum verſus prata funduntur,fluuio extremum marginem alluente; qui Annonum prælabitur. Ciuium ſeptem ferè millia incolunt; ager viginti circiter oppidis omnis continetur;quæ præceſſorum Cæſarum munificentiâ Epiſcopali iuriſdictioni addicta,ad extremum in Ducem abierunt.Cum Gallorum Rex Carolus Regnum Neapolitanum,ac Ducatum Mediolanẽſem impetu recepiſſet,eo delatus nomen ciuitati decúſque dedit,quę hactenus ſine nomine fuerat. Annonum oppidum vix octingentos ciues numerat, Alexandriæ vrbis vicinio & imperio vſum. Huius extrema, collium decora ſeries excipit in Tanarum verſa: mox quatuor millium amplitudine protenditur Aſtium vſque. Spatij medium Verſa amnis interſecat;& tenui alueo(niſi vis imbrium temporarium augmentum addat) exiles aquas in Tanarum voluit.

Sabaudius Aſtium munit Igitur Dux Sabaudius accitos ductores cohortium,& periculi admonitos,quæ inchoata fuerant munimenta perfici iuſſit,dum Tanarum vſque ducerentur. Nouum quoque flumini pontem inſterni curauit, qua Borbora riuus influit: ſed & longum per transuerſa aggerem tolli imperauit,à Carthuſiæ collibus deriuatum, qui etiam Tanaro finiretur.Id non alio conſilio,quàm vt ciuitatis ambitus omnis, & molatrinæ quotidiano vſui ſeruientes, eo machinamento tegerentur. Trahi quoque in longum obſidionem poſſe rebatur; ſi procul mœnib. hoſtem diſtinuiſſet,& ſecretis deſtinatis inſtantes ac neſcios conſilij ſuſfatigaſſet.Quantum humana ope niti potuit, ſecuritati ſuorum cauit:licet tot millium aſſultum, & tot legionum oppugnationem ſe metuere fateretur loci iniquitate, in quo parum munimenti eſſet, & paucitate propugnantium. Irrita aduerſus eam debilitare m Hiſpanorum vis,multum gloriæ addidit; vt quòd infirmitas & languor fuerat, in Sabaudij fortitudinem vniuerſi referrent.

Vbi in ſecuritatem adducta munimenta, & addita paganorum manus cæptos à ductoribus aggeres extulit, partiri loca cæpit, vt diſcerni & obſeruati acrius nauarent, manifeſtiórque æmulatione ſingulorum virtus eſſet: ſimul ne nouitate rei pauefacti,minus expectationi reſponderent, Diebus aliquot milites belli modo caſtris eduxit,& in loca quæ ſeruanda acceperant diſpoſuit. Pugnæ quoque & aſſultus ſpeciem præbere voluit; vt noua hoſtium facies minus terreret; ipſi audentiores ſeriò aggrederentur, quod per imaginem conflictus probauerant. Eo exercitio eruditus miles eſt, datum ſibi locum & propugnacula retinere, ſuggredientes

dientes oppugnarores arcere, vrgere inſtanres, pugnæ & receptus ſigna diſcere; conferroſque aut diuiſos occaſioni occurrere. Nec minus forma cruptionibus præſcripta, quamcunque in partem vis Hiſpana incubuiſſet. Et indiuidui Sabaudio adminiſtri belli aderant, quorum innatæ fortirudini pręſentia Domini ſtimulos addebat. Digna maiori fortuna virtus erat, ſi quando cauſa validior arma mouiſſet: ſed fallit plerumque res opinione corrupta; nec aut cauſę aut exiſtimationi ſemper fortuna reſpondet. Nouem hominum millia ſub ſignis habere dicebatur; cum cætera ditionis procul ſita, populares centuriæ, & acciti noui delectus tutarentur. Non die non nocte intermiſſa ſolicitudo & cura: & cunctis præſens Dux haudquaquam Hiſpanos fefellit, qui iam Annoni conuenerant; videbantúrque neglectam ſemper agendorum opportunitatem feſtinatione velle corrigere. Iraque peditarus omnis Hiſpanis & Iralis mixtus, & in plures cuneos diuiſus recta Aſtium via præmiſſus eſt; vicinis collibus latera tegentibus. Inerant Neapolitanorum ac Longobardorum Tertij (ſic appellant) nouem; Gambaloita mille & ſexcentos circiter numerabar, Hieronymus de Roo duo millia, Ioannes Petrus Corbellonus duo millia & quingentos; ſed Crucis albæ rutelæ relicti, vnde in hoſtes frequens auxilium imminebat: ſub Carolo Spinello Neapolitanorum duo millia, ſub Thoma Caracciolo totidem, Carolus Sangro vix ſexentos numerabat. Dux Lateræ Marij Farneſij filius mille Parmenſibus præerat, mille & quingentis Lucenſibus Cenamus. Carpegnæ Comes Vrbinatibus mille ferè numero imperabar: ſed hi caſtrorum curæ tribus ferè paſſuum millibus ab exercitu diſtantium relicti fuerant. Miſerat quoque Magnus Etruriæ Dux, peditum duo millia; neque tamen Aſtium vſque proceſsêre; ſed Arci Sandoual impoſiti præſidium agitabant. Et quamnis Inoyoſa ducere in bellum mallet; illi tamen pactis inter Hiſpanos Reges & Etruſcos Duces nixi, niſi ad turelam Mediolanenſis Ducatus teñeri ſe dixerant. Non hîc Hiſpanos de poſſeſſione Mediolani certare; ſed aduerſus Sabaudium de alienis contendere: proferendorum finium nullam ipſos obligationem manere. Quod quia verum dicebatur non aliud ab his obtentum, quàm vt ſecuritati Mediolanenſis Ducatus deſeruirent. Quamquam ne ad id quidem pacta à Carolo V. deſcripta, cum Senatum dominium largiretur, continere ferebanr. Si enim externa vis in ditionē irrumperet, certo bellatorum numero accurrere ſecuritati debere iuſſerat; & id ſe facturos Medicæi receperant: nunc ſumma pace rerum Hiſpanos Pedemontanam exercere; & Sabaudium non inferre bellum ſed propulſare. Hiſpanorum ſex Tertij erant; vni Petrus Sarmentus præerat, contineb átque mille ſexentos; alteri Ioannes Brauus, cui inerant mille & quingenti; tertio Ioannes Cordoua pari peditum numero; quarto Hieronymus Pimentellus, cui vix ſexenti ſuberant; quinto Luiſius Cordouā, quod quadringentos complectebatur; ſexto Comes Villæmedianæ, ſexcentos numerabar. Et quia Comes grauibus de cauſis procul in Hiſpania agebat, Petrus Sarmentus curabat.

Hiſpanus exercitus ſub Aſtio.

Viginti quoque diebus, antequam pax Aſtij ſanciretur, Madrutius cum legione Germanorum in caſtra venerat. Eam Tertiorum diuerſiratem, & numeri diſcrepantiam, miram viſum iri ſcio, quibus expeditionum forma ignota eſt; ſed gnari moris, militarem in Tertiis Hiſpanorum infrequentiam agnoſcent, eamq; ducibus addere. Idq; impunè vſitari apud Duces gentis, magno exiſtimationis regiæ malo; apud Iralos verò magis minúſve; prout apud ſupremum belli ducem, & ſocios auctoritate valuerint; Accedunt caſus rerum; vt deſcripti Tertij trium millium numero ſuis in locis, vbi in bellum deducti ſunt, dimidiā plerumque parte imminuantur. Aliis fuga elapſis, aliis infirmitate impeditis, pluribus miſſione abſentibus; vt ab exercitu viginti millium, vix decem millium opera expectari poſſit. Procedentis exercitus is ordo erat; Primum agmen quingenti equites du-

ſtabant; mox pedites & tormenta bellica. Hinc quatuor fermè equitum millia in duas turmas diuiſa ſequebantur. Primæ Alonſus Pimentellus vniuerſi equitatus præfectus; poſteriori Sancius Salina præerant. Succedebat Marchio Eſtenſis, cum quadringentis cataphractis, antiquâ Mediolanenſis ditionis militiâ: mox impedimenta ac ſarcinæ vehebantur; quarum extrema delectus peditatus claudebat.

Duodecimâ Maij erat; cum totâ mole ab Hiſpanis in Aſtenſes bellum tranſlatum. Vtrinque arma & Duces erant: & Chriſtianus Orbis ſecreto aut manifeſto cum decertantibus Principibus fœdere, ingentis belli ſeriem meditabatur. Rex Gallus ſupra ætatem ſtudio gloriæ & pacis accenſus: cum miſſis ad Inoyoſam literis, mox & ad Sabaudium & Mantuanum fruſtra deſideratam Italiæ quietem moliretur, validius apud Hiſpanum nitebatur, vt integrâ exiſtimatione partium aduerſi placidioribus amicitiæ legibus accederent; nec mutuò implacabiles ad exitium vſque decertarent. Apud Mantuanum nil moræ erat, quò minus ſancitis inter Reges conditionibus annueret; ſi vis hoſtilis abeſſet, & iura apud Cæſarem examinarentur. Peditatu nihilominus aliquot cohortium, & ferè quadringentis equitibus, quos ſpoliato iumentis Mantuano agro coëgerat, ita Hiſpanos inuitaſſe videbatur; vt ipſe periculoſa Monferrati, ſuis centurijs inſideret; nec omnis eius ſpes in extremis eſſet. Propriam conditionem malè æſtimantem, cum totum ſe Hiſpanis permiſiſſet, peritiores monuerant ita ſubſidium admittere, vt opportuna & opulenta locorum, arciumq; valida ſuo milite firmaret. Placuerat iuueni conſilium, ſed domeſtica inopia deiecerat animum (alieno enim ære grauatus vim inſuper pecuniæ inanibus effundebat) vt nil ſponte meditari auderet, aut exequi. Sæpè etiam ductoribus praua æmulatio intercesſit, vt datam à Senatu Veneto munificentiam perderent, nec vllum in vſum vtiliter inſumerent. Multa à Regibus viciſſim iteratis curſoribus deferebantur, cum iam in limine bellum ſtrepere; & Sabaudius auxilij Gallici ſecurus præter proprium militem, plus quàm crediderant Hiſpani decreſceret. Quamquam enim ſatisfacturum ſe Regijs poſtularis, quæ nihil honori ſuo detraherent apud Gallum fateretur; cum tamen Aldigherius aliiq; magni nominis Duces, firmitudinem præſentiâ ſuaderent, libertatem ſuam, & dominium omni Regum imperio ſolutum præferebat; vtq; rogatus conditionibus quas ipſe dediſſe potius quam accepiſſe videretur accedere diceretur, arma ſimul & negotium pari fronte tractabat admittebátque. Incertum eſt an prorſus ex animo Hiſpanum parem induceret; licet crediderim aliquid ſtimuli Venetos Gallumq; addidiſſe; vbi ſtabiles ſententiæ deprehendit, nolle illos Monferratum Mantuano detrahi; & pacem prouinciæ promouere.

Certè procul à conſilijs pacis erat, cum Gueſſerius, Regius apud Taurinum miniſter, Lutetiâ regreſſus Marchionem Rambogliettum conuenire auditus eſt, & quæ ab Hiſpano Gallus retulerat narrare. Rambogliettus vbi pronos in concordiam Reges, & maturam concluſioni negotiationem vidit, citis equis ſororium ſibi Pugnium ad Sabaudium miſit, tempus colloquio oraturum. Iam certior ſuorum literis Sabaudius erat, quid is tractaturus adueniret: ſed ne medio armorum campo, inter acies paratos certamini milites, decantatæ toties pacis leges auſcultaret, præuenire Oratorem voluit, Valſenaramq; oppidum congreſſui deſtinauit; pariter ne Pugnius Aſtium veniret imperauit. Cupido belli Sabaudio, & honoris tanta cura ſuberat, vt non ſpecie, non re, deſiderium concordiæ oſtenderet. Quidam dedecere bellatorem Principem, intra tentoria, omnibus iam dimicationi compoſitis pacis conditiones accipere iactabant. Alij cohortium robur infringi ferebantur, otioq; quàm virtuti diſponi, ſi iam exertis enſibus dulcedinem maturæ pacis excepiſſent. Neque enim magnos Duces armatos, & victoriam præſumentes honeſta pacta, hoſtium ſponte delata intra tentoria ſemper audiuiſſe.

uiſſe. Quæcunque cauſa fuerit, Pugnius Rambogliettum certiorem reſponſi fecit: nec ille cunctatus Valſenaram nonâ Maij venit; eodem occiduo iam ſole Sabaudius, modico comitatu delatus eſt: cumq; ſileri aduentus cauſam imperaſſet; in Oratorem Gallum officium, ne longiori itinere fatigaretur, vulgauit. Quippe Valſenara decimo ferè milliario ab Aſtio diſtat. Dilata in ſequentem patis tractatio; ſiue minus annueret, ſiue lentè diem elabi Sabaudius noluerit. Occurrere enim medio ſpatio negotiationis, quæ culpam belli flectere in alios poſſunt, & vniuerſa malorum fortunâ eueniſſe perſuadeant. Neque enim leue ex comitibus ad arma incitamentum erat; & aduentantes indies noui Gallorum delectus, conſtantem operam promittebant. Ipſe Dux ortu & inſtituto procul ab humilitate, exitium quam contemptum ſui mallebat. Sed locus & definitum negotiationi tempus vrgebant; itaque mane accerſitum Rambogliettum & Gueſſerium, multum de potentiâ Chriſtianiſſimi Regis; & gentis aduerſum ſe meritis præfatus, promere illos arbitrium iuſſit.

Rambogliettum Valſenarâ Sabaudium conuenit.

Tum Rambogliettus, quando ea Regis ſuæ mens, honeſtiſſimas conditiones pacis propoſuit; cupiebat enim compoſitarum diſcordiarum gloriam referre. A ſuis itaque erga Sabaudium officijs orſus conſenſum Regum proſecutus eſt. Negligere Hiſpanum ſummiſſionem Ducis, tantùm vt exauctoratione cohortium, & retentis qui præſidia ſeruent, Italiam omnem noui tumultus ſuſpicione liberaret, requirere. In Monferratum parum æquam inuaſionem cenſêre; neque tamen prætenſa iura contemnere; ſed Cæſarem cui ea iuriſdictio competat arbitrum cupere. Diu ab illo calcatam in proprium profectum viam omiſſam; neque dedecere Ducem comi obſequio aduerſus Hiſpanum modeſtiæ famam ſectari. Ea in primis Regum conſilia eſſe: ita Pontificem, Britannum, Venetos, Imperatorem ipſum, denique potentiores Europæ Principes annuere. Quòd ſi vniuerſorum arbitrium rejiciat publicam indignationem, & Regis in primis cuius opibus Sabaudiæ res nituntur, incurſurum: deſpectum nempe, tot curarum, legationum, expenſarum, officiorum credi poſſe. Tali ortu irarum, reuocaturum Regem ſuum trans Alpes auxilia ſuorum; & nomen Gallum Regis imperio, ſuis deſtinatis aduerſum fore. Abſtinendum illi in Mantuanum iniurijs, vt eius cupita honeſta credantur. Quæcunque ſibi hoſtis detraxiſſet, recepturum; & (quòd caput rerum ſit) niſi Hiſpanus promiſſis conditionibus ſtetiſſet, tutores Gallos in perpetuum habiturum. Vix credituros poſteros, præualidum Regem, Hiſpaniæ, Belgio, & maiori Italiæ parti imperantem, pactis Sabaudio non datis ſolùm, ſed & acceptis in concordiam iuiſſe: maximè quòd ipſo tumultus initio ante alia pactis accedere renuiſſet, vt tantæ maieſtati inhonoris. Poſtremò Regis ſui arbitrio, conſilium ac preces addidit; vt multo cum honore, & tantorum motuum ſuperſtes, ſuperati præter opinionem diſcriminis gloriam reportaret. Ad hoc Sabaudius; nullis niſi honoris ac gloriæ ſtimulis obnoxius; quamquàm vniuerſa in rem ſuam, & Hiſpanos tot millibus ambitos, de faſtu remittere videret, niſi communicato Principi filio, & Regum, rerumq; publicarum eâ cauſâ laborantibus apud ſe legatis, conſilio annuere voluit. Grates tamen Regi, & beneficium à gente accipere profeſſus, Cherium vbi omnia ſancirentur paucos poſt dies deſtinauit. Sic Rambogliettus Taurinum, ipſe die eodem Aſtium reuerſus eſt, imminens totius hoſtilis exercitus collecti periculum metuens.

Vt tamen præuiſa negotiatio; & ſi quando facta examinarentur, pacta nota eſſent, miſſis ad Pedemontanum Principem filium, & Oratores Principum literis, quâ cauſâ Valſenaræ cum Ramboglietto conueniſſet, & quid in ſummam agitatum fuerit admonuit. Pontificius quidem Nuncius, pars pacis, & curarum erat; ſed Britanni Regis, & Venetorum Oratores dilatione petebantur; quibus aut inuitis, aut neſcijs, haud quaquàm pacem admittere meditabatur; nempe vt belli

Digitized by Google

arbitri, paci quoque conſentirent. Eadem quâ reddiderat die, diſpartiti multò ante exploratores, procedere Nonio copias hoſtiles, & rectà Aſtium petere monuerunt. Opportunè rediiſſe videbatur; adeo pernicioſa mora omnis erat. Itaque communicato ductoribus conſilio, aduenrantem hoſtem, haudquaquam intra aggeres opperiri decreuit; ſed dato fiduciæ documento (vt ab exordio futura iudicarentur) diſpoſitis ordinibus obuiam procedere: ſiue parato à tergo receptu ſecurum ſe; ſiue facilius aduerſus itineris difficultates implicatos certari crederet. Ergo peditatum equitatumq; caſtris educit; & mille ferè paſſus in hoſtem profectus, ad Auerſæ amnis ripam delatus eſt. Vbi cum eminentiores & niſi magno nixu ſuperabiles reperiſſet, loco pro munimento vti decreuit; diuiſis ſtatim copijs, & Roaſſano parti equitatus impoſito, ſeruare itinera, & progreſſus hoſtium longius explorare iuſſo. Neque tamen adeo ſecretè proceſſit; quin Franciſcus Foëntes, Hiſpanici equitatus Commiſſarius, eâdem causâ ab Inoyoſa præmiſſus detegeret; ſimúlque cæteros cataphractos Gallos, qui occaſioni intenti Roaſſanum ponè ſequebantur. Foëntes Alphonſum Baleſterium cum expeditis turmis Gallorum frontem incurrere iuſſit; & niſi fugæ ſe dediſſent, pertumpere. Dicto citius obtemperauit. Iamq; Gallorum acies nutare videbatur; ſed cataphracti Alphonſum ac ſuos exceperunt; & amicis conſtantiam addiderunt. Sic mutata belli facies; & Galli actius nixi, præmiſſos hoſtes vrgebant; licet non ipſis, non Duci fortitudo deperiret. Galli obiectu collis eluſi, cum Hiſpanas copias monte vicino tectas ignorarent, tamquam in pauciores diſtrictis enſibus certabant: Baleſterius officij retinens, hortabatur ſuos, increpabátque; quòd temerè illatis & pauculis; ipſi integri, & numero potiores concederent. Ille tamen inter hæc vulneratus partium fortunam infregit; nihilò ſecius elabentibus opponebat ſeſe, & prece ac minis trepidantes retinebat. Plus tamen operæ cum ſuis quàm cum hoſte erat. Tum Pimentellus hortatos equites immiſit; quos Batteuillæ Baronem, cum cataphractis Lotharingis ſubſequi imperauit. Sed non his, non Gallis, linguæ, armorum, veſtitus diuerſitas erat; eoq; peruicit occaſio, vt nullo diſcriminis inditio miſcerenrur arctarentúrque. Pauiſſe vtróſque ne in ſuos ferirent, qui interfuêre memorant, totíſque manipulis commixtos confudiſſe ordines hoſtium potius quàm fregiſſe. Si qui inimicos aut ſocios nouerant, flexu & errore illo, incerti agendorum hæſerant; donec ſilentio ac conſcientia, vnuſquiſque noſcere ac noſci cœpit, & vt ſuis iungeretur in diuerſa propetauit. Hac cauſa vocati ſocij, conclamati Decuriones, audita militum nomina cunctationem diſcuſſere. Pimentellus tam acri initio, adeo breuem impetum non crediderat: itaque per hoſtes, per ſuos delatus, cum nomina ſingulorum parteſq; vocaret, nonnullos lateri ſuo nexos ſilentio detexit; ſtatimq; elatâ voce, inſidiatores appellauit; mox citatis Centurionibus inimicos oſtendit; ſed iam Galli diuidi, & periculo excedere cœperant; cum ante ferire Burgundios, ne mutuò ferirentur, noluiſſent. Ad vocem Ducum redintegrata pugna; & dum Pimentellus ſubſidia acceſſit, in Gallos concitat, & integros feſſis reſtituit, extremum propè diſcrimen adijt, lapſo equo ſtratus, inter confertiſſimos Gallorum, vixq; magno ſuorum auxilio reſtitutus. Octoginta ferè ſclopetarij Albæ Crucis muros (ruſtica ea caſa eſt) obſediſſe dicuntur; vt amicis Gallis præſtò eſſent, ſi quæ vis maior Hiſpanorum inſtitiſſet. Nec primum incurſum toleraſſe, ſed viſo periculo ad ſuos peruaſiſſe. Alij nuſquam id ſubſidij fuiſſe contendunt, ſed omnia iniquiora Sabaudijs.

Equitatus Sabaudi & Hiſpanicus conflictus.

Hac pugnâ pauciores opinione ceciderunt; & Galli licet hoſtium numero ſuperati, vix triginta ſuorum deſiderarunt; quamuis Ducum iactura maior fuerit; capto Roaſſano, & Samiano equitatus ductoribus; qui in hoſtes fortiſſimè inuecti, & nullo ferè armorum tegumento freti, intercepti ſunt; ſpeciemq; victoriæ Hiſpanis præbuêre. Quippe abductis Ducibus multum conſtantiæ amiſerant; & eorum

eorum nonnulli pudore & irâ præcipites, à pluribus & validioribus vulnerati. Primo ſtatim conflictu eo maximè pauiſſe Inoyoſa fertur, quòd aduerſus tot ſuorum millia pauciores Galli pugnare præſumpſiſſent: quod tamen ſuaſit neceſſitas, conſilio, imperio, precibus erga ductores, ſolicitum ſe futuri caſus oſtendit. Id omne ſecus à quibuſdam referri; & caſum omnem inter proſpera Sabaudij numerari neſcius non ſum; imo & cladem in Hiſpanos flectere, & imparem tanto negotio Inoyoſam appellare. Nos ab Hiſpanis & Sabaudijs nobilibus qui conflictui interfuerunt, ſucceſſum obſtrictâ & requiſitâ ſingulorum fide didicimus; poſtquam inter ipſos compoſitis rebus, nec gliſcentibus æmulatione odijs detectæ veritati locus fuit. Certè inter deſperatos & peruicaciâ certantes procul vero credendum eſt, partes funeribus caruiſſe; & eo initio ſubſtitiſſe Sabaudios, procedentibus ad vlteriora Hiſpanis, tamquam cœpto bello viaq; perruptâ.

Exceſſerat caſtris vt diximus Sabaudius tribus millibus in ciuitate relictis, cuicunque neceſſitati, deduxeratq; in prælium octo ferè millia, cum equitibus octingentis (iam enim copiæ accreuerant) non ſine multorum admiratione, quòd aduerſus tot Hiſpanas legiones, tam exiguis copijs proceſſiſſet; feruntq; familiarem Duci nobilem eâ admiratione motum, vniuerſi exercitus lamentationem illi expoſuiſſe; Sabaudium tamen magnâ animi conſtantiâ, poſtquàm inſtituti rationes proſecutus eſt, addidiſſe: ſuam præſentiam, ac in primis peritiam multorum millium operam æquare. Deduxerat quoque in eandem Auerſæ ripam, duodecim promiſcuæ molis tormenta bellica; depoſueratq; quà maximè hoſtilem impetum metui par erat. Ductores Gallorum præterito certamine feroces, & meliora ſemper præſumentes, aſſiduis obteſtationibus orabant, vt vlteriori ripâ ſuperatâ in Hiſpanos adhuc itineri implicatos ducerentur. Potiſſima vis equitatus erat, cui illâ expeditione plurimum gloriæ partum. Retinuit impetum, & certum virtutis animum Sabaudius; id vnum ante alia conteſtatus, non alio munimine firmius res ſuas niti; nec niſi imprudentiâ tot fortiſſimorum commilitonum incolumitatem in caſum dare. Premendos quidem & cædendos hoſtes, ſed proſperum euentum per occaſiones & opportunitates quærendum: plerumque locum, tempus, formam congreſſus, victoriam aut exitum partibus attuliſſe. Proinde certis legibus moderandam fortitudinem, ne caſui locus detur. Iam haud procul ſitæ acies erant; cum Sabaudij ingenti fragore in Hiſpanos ferreis globis fulminare cœperunt; & collineato ictu lacerati nonnulli iaculantibus expoſiti, rectaq; in ripam amnis verſi. Perniciem inde & infeſta omnia metui poſſe Hiſpani ductores cognouerunt; & quò par pari referrent, monerentq; Sabaudios etiam propriæ ſecuritati ſtudere, in ſuperſtantem loco collem, qui læuam inimicorum tegebat duo tormenta traxêre, & in oppoſitam planiciem direxêre, quam cùm ſuis Sabaudius inſederat. Diſpar vtrinque iactura: nam Sabaudij eodem impetu plures deſtinabant; Hiſpani è ſummo deorſum, non plures vno ſi fors reſpondiſſet, offendebant. Secuta nox, quæ prælantibus ſolatio eſſe ſolet, vtroſque tracto labore in lucem exercuit. Quippe depreſſiores Auerſæ ripas eductis molibus Sabaudij; campum contrà & ruſticas Crucis Albæ caſas Hiſpani ducto aggere firmarunt. Nil omiſſum, aut negligentia ſolutum: multitudo hoſtium Sabaudios conſtantiæ admonebat.

Decimâ tertiâ die Maij Hiſpani per edita enixi caſtra hoſtium & munimenta ſpeculati, nullâ certiori operâ accelerari victoriam poſſe cognouerunt, quàm ſi Sabaudios loco rectos, ſecuris ſedibus dimouiſſent. Res in conſilium vocata, decretumq; inſiſti debere collibus, quibus inimicorum latera detegebantur; & nemine obſtante pronior in Aſtium deſcenſus erat. Tormentorum quoque vis plus negotij factura videbatur, ſi addita prioribus tormenta, continuis ictibus è ſublimi inferiores Sabaudios exercuiſſent. Itaque frons exercitus in proximos colles

enitri iuſſa. Nec id ſegniter obtemperatum; quamuis per ardua, & ſub onere armorum fallaci greſſu iter eſſet. Statim Sabaudio Hiſpanorum conſilia innotuêre; & ſiue arctiori ambitu munimenta complexus foret; ſiue vt imminentia iuga in ſuos vſus verteret; ſeu denique præuenire conatus hoſtiles eâ quoque parte meditaretur, eodem cum duobus Gallorum peditum millibus profectus eſt, vſurpato ante ſitu inter Auerſæ pontem, & Caſtilionem, quo Hiſpana vis vertere credebatur. Tormentis quoque bellicis per opportuna diſpoſitis, ſeſe aduerſus irruptu-ros communiuit; mox Caſtilionem cum delectis ſexcentis firmauit.

Sabaudius præſidio firmat Caſtilionem.

Præceptum diſcedens dederat, ne cuicunque inuaſioni cæderent; ſed quàm diu puluis bellicus & commeatus ſupereſſet, oppugnatores arcerent; dederátque ſpem ſacramento iuratam, ſe in tempore maioribus copiis ſubſidio affuturum; non enim omiſſurum tutelam oppidi, quod vicinio Aſtium ſpectaret, & tot ſtrenuos milites contineret. Dux omnibus Carena opinione fortitudinis impoſitus; certam fidem & duraturam ſibi conſtantiam ſpopondit: mox Sabaudius ad ſuos regreſſus, quos præceperat collibus aggeribus continui operis incluſit; vertíque in Hiſpanos tormenta imperauit. Quod diei reliquum fuit, ictibus aſſiduis inſumptum; hinc Sabaudiis, illinc Hiſpanis artem iaculandi, certitudine & denſitate ictuum approbantibus. Die ſequenti eadem pertinaciâ certatum: cum tamen plus metus quàm damni inanis fragor faceret, apud Hiſpanos tres deſiderati; Sabaudiorum duo; cum plus trecentis ictibus vtrique crepuiſſent. Benecreſcentius peditatus Gallici ductor, apud Sabaudios nobilitate & fortitudine commendatus, famam iacturæ ſuorum auxit; ſuccedebant nihilominus Hiſpani in nexos colles; quo metui poterat, ne longius prouecti, Sabaudiorum latera ac tergum ambirent. Quod vt exitiabile ſuis Sabaudius cauere aggreſſus eſt; quamquam experimento probatos duces plures in exercitu numeraret; ſed ille nihil bene ac tuto factum credebat, cui laborem ſuum ac induſtriam non commodaſſet. Eos inter Camillus Tribunus propriâ audaciâ, nullo Ducis imperio, domum quandam medio inter deprælian tes ſitu commodam Hiſpanis, vt adureret, nonnullos primum hoſtes nactus; mox rumore pugnæ conciris pluribus, periculoſâ velitatione, fortunam belli irritauit. Inerât ſexaginta Hiſpani; qui eâ tutelâ ſecuri cum inferri faces ab hoſtibus, & in tectorum ſumma euadere flammas viderunt, ſociorum arma aduocarunt. Inſtabant interim Sabaudij, & iam procliuiora ignem conceperant, cum affuêre auxilia, & explicatis inſignibus congredi cœptum. Impulſi haud dubiè Sabaudij, & ad ſuos regredi coacti, cum decuplo plures hoſtes ſuſtinuiſſent. Domus nihilominus incẽdio conſumpta. Nec quod nonnulli ſaucij redierint pro diſpendio habitum, virtute tantum & exitu cui ſeſe accinxerant æſtimato. Sabaudius laudata fortitudine Camilli ac ſuorum cautiora conſilia præſenti ex vſu ratus; ne per eruptiones ſeſe fatigarent, niſi imperati hortatus eſt: neque enim defuturam promendæ virtuti occaſionem. Tum in colles verſus, vt tormentorum ſitum ordinémque definiret, haud procul domum aliam quam Hiſpani obſederant ſpeculatus eo dirigi aliud tormentum iuſſit; inſuper & aliud conuehi; vt ictuum frequentia iis latebris inimicum excuteret.

Tot ſimul curis indefeſsè operatum primores Gallorum conuenêre, non procul Caſtiliono, anguſtias tectámque ſaltibus, & collium eminentiâ viam referentes; ſi lectâ ſclopetariorum manu præciperentur, fruſtra latos ambitus, & Hiſpanorum progreſſus fore. Quingentos enim pluribus millibus ſuggredientium inimicorum retinendis ſufficere. Inſuper Caſtilionum eo munimento firmari; nec in ciuitatem obſeſſam (ſi tamen obſeſſa dici mereatur, quæ ne quarta quidem parte ſui ambiatur) aut caſtra, niſi ſuperato diſcrimine acceſsúeſſe. Aderat dominus de Arlò, & Comes Odonus Roerus, ambo veteres militiæ, & congruenti natalibus virtute: qui vbi viſum & examinatum à ſe locum retulere, certámque ſpem frænandi

nandi hoſtis, cum ſexcentis obtinere aditum, & eo latere ſecuras res ſeruare iuſſi ſunt. His ſe alij nobilium in pericula comites addidêre; quos inter Dominus de Paſsâ, & è iuuentute nonnulli; quibus certitudo gloriæ magnitudine laboris ac diſcriminis æſtimabatur. Sed Hiſpani deſtinationis ſecuri (quando copiâ prælantium duplò ac triplò Sabaudios ſuperabant; poterántque plura ſimul in loca arma ferre) vt latiori ambitu poſſeſſa hoſtibus clauderent; vbi Caſtilionum moram cupitis laturum vidêre; Principem Aſculanum cum quinque bellatorum millibus tentare præſidium; & eâ parte transferre bellum conſuluerunt. Cum ratione crediderant, cogi in Vrbem Sabaudium, & campum omnem eſſe obſidentium fore, ſi colles circum omnes, & impoſitum lateri hoſtium Caſtellum occupauiſſent. Neque tamen Aſculano latentia in anguſto præſidia; & Roëri meditationes perſpectæ erant; eóque velut mœnibus oppidi bellum illaturus, compoſitus tamen cuicunque fortunæ, iter ingreſſus eſt. Vix mille paſſus progreſſus, vbi ſiluæ denſari, & ambigui calles pandere ſinum cœperunt; prorupêre magno impetu Galli: & quidem ſclopetis res primùm agi cœpta, mox cuneo hoſtis impelli, diuidi ordines, perrumpi manipuli, confundi gregarij. Vrgebat Luiſius Cordoua, & Ioannes Oregliana ſuæ gentis ductores; & inter certantes & cedentes Hiſpanum nomen conclamabatur. Contra Arlò & Roërus fronti centuriarum prætenti, ſuos voce, manu, ad conſtantiam quam totiêns promiſerant, hortabantur. Sed numero ſuperabantur: & Hiſpana acies virtute augêbatur non ſolùm præſentiâ Ducum, ſed conſueta nationi fortitudine. Non minus conſtantiæ apud Arlò & Roërum videbatur; donec vtrique fortiſſimè pugnantes, & ſuis è loco ſecuro pauorem exprobrantes (quod nullâ neceſſitate coacti dilaberentur) prima in acie, non vno vulnere dato acceptoq; cecidêre. Victa ex eo pertinacia, & multi trucidati, plures ſauciati; cum reliqui per decliuia fugâ inconſultâ voluerentur, vel ſiluarum abdita ſcrutarentur, pars cum Paſsâ Caſtilionum præcipiti fugâ peterent. Non impunè ea victoria Hiſpanis fuit, ſed multi iiq; ſtrenuiores deſiderati; & qui primam frontem virtute aut ſorte tenuerant.

Aſculanus Caſtilionum aggreditur.

Eum dimicationis finem Alonſus Pimentellus præuiderat; & quò rumorem prælantium Sabaudij non exciperent, nec laborantibus ſuis opem ferrent; plures centurias per planiciem vtraque Caſtra interſecantem effudit; tubarum concentu, & tormentorum fragore aduerſos ad bellum prouocans. Creditur impoſuiſſe; aut licet aliqui artem detexiſſent, loci tamen conditione, & quia ſeruandis collibus deſtinari, niſi maiori nixu ſuperabiles putabantur, auxilio abſtinuiſſe. Nec dubium eſt ingentis diſcriminis rem fuiſſe, ſi Galli ſuorum promiſſorum, & loci, Ducumq; imperij meminiſſent. Quippe & dorſo collium, & denſitate arborum tecti, in ſuccedentes velut è latebrâ graſſari miſſilibus poterant. Sed vt in Gallis ſummâ audacia, ita in Hiſpanis conſtantia eſt. Cum adhuc inter hoſtes pugna ferueret, & veſperaſcente iam die, tamquàm ſecura omnia, & Roërus cum ſuis nil metuendum haberet, profectus in Caſtra Sabaudius fuerat. Tribunum quippe Monaſterolum, tum primùm cum ſuis aduentantem & quâ diſciplinâ, quo numero eſſent videre placuerat. Parte alia Thomas Princeps quâ Tanarus fluuius excurrit, cum equitatus ala, in viſas aliquot Hiſpanorum turmas inuectus fuerat. Et licet illi exploraturi potius quàm pugnaturi eò proceſſiſſent, vis tamen filij Sabaudio ſolicitudinem addiderat; ne ætate & animo ferox, nulla periculi recordatione delatus, in inſidias laberetur. Vbi reducem cum honore vidit, & nouos milites opinioni reſpondêre, regreſſus eſt. Hic vniuerſis intentum Ducem à Sangeorgio miſſus nuncius aſſequitur, plura Hiſpanorum millia vicinos colles occupaſſe, Domino Arlò & Comiti Roëro congreſſos, magno nixu certare, auxilio

& feſtinatione opus eſſe, numero quippe ſuperari. Et quamuis Sangeorgius prouiſu certo pleroſque impetum excepturos miſerat; regredi tamen in colles Dux cœperat, vt vel ſuo periculo conſternatos ad firmitudinem reuocaret. Caſtrorum medio, vbi tendere Heluetij iuſſi fuerant Dominus Quiliai Gallus, ſudore ac metu æſtuans occurrit; centurias per ſaltus & anguſtias collium diſpoſitas locum deſeruiſſe teſtatur; Comitem Roërum & Dominum de Arlo, cum non precibus, non minis retinere ſuos poſſent, in acie confoſſos; cæteros aut palantes, ſeſe è collibus per inuia demiſiſſe, aut cum Paſsâ Caſtilionem receſiſſe.

Iam totis copijs obſideri Caſtellum & niſi celeriter victores arceantur, de municipio actum. Nullis aduerſis deiectum Ducem, pluribus experimentis hactenus didicimus; ſuorum tamen ignauiâ, & morte Ducum turbatus eſt; caritate in nobiles viros, auerſione dedecoris, æſtimatione diſcriminis. Repreſſit nihilominus mœrorem & futuro prouidit; ſimulq; è cohortibus Marchionis Lanzij, Polemij, Bolij, Taffini, Grinæ, & Loari promptiſſimos delegit, quos ipſe præſens auxilio duceret. Continuo dorſo collium ingreſſus eſt; quod in vallem hoſti ignotam deſinebat, haud procul Caſtilionis mœnibus. Itaque datis agendorum præceptis, vetiroſq; Sabaudiam aut ſocios conclamare, vt indeprehenſi obſidentibus incurrerent, vſque ad propinqua municipij delatus eſt. Poſt exactos collibus Gallos, conſtanti impetu receptos oppido inſecutus eſt, dirigiq; tormenta,

Hiſpani Caſtilionem capiunt.

ne qua oppugnationi hora decederet, imperauit: & quibuſdam ictibus inceſſiſſe metum fertur, quò pacta deditionis ſtatim acciperent. Carena loci curæ impoſitus; ſiue parum in clauſis ſpei, ſiue auxilio diffideret, vix hoſte viſo turpiſſimam deditionem fecit, ſine armis, ſine inſignibus dimiſſus; quamquàm bellatorum quingentos numeraret; & commeatus, bellicique pulueris copia in plures dies ſuppeteret. Hoc ſtatu rerum Sabaudius prope Caſtilioni mœnia delatus eſt. Rei certè indignitate, & iacturâ an retrocederet, impetúmve in receptos faceret, dubitaſſe dicitur; ſed valuiſſe prudentiam, ne paucos ſuos in aperto

Carenam Sabaudius ſuſpendio perdit.

tectorum ictibus expoſitos, pluribus, & victoriâ efferatis obiiceret. Carenam tamen militaris flagitij, & ignauiæ reum, teſtando quâ virtute commilitones vellet ſuſpendio perdidit. Redire ad ſuos quingenti quinquaginta ab Aſculano permiſſi fuerant. Quidam non adhuc directis in mœnia tormentis, nec vllo ictu tentatâ oppugnatione ceſſiſſe Carenam ferunt; eóque acrius indignatum Sabaudium vt in degenerem, nec vllo iuſto metu perculſum.

Deploratis eâ parte rebus, & opinione auxilij Dux eluſus, albeſcente iam die, redire omnes in ſua loca iuſſit. Porrò Hiſpani vbi abſcedere, nec conuerti hoſtem, è mœnibus proſpexêre, plumbeâ grandine inſecuti abeuntes ſunt; additis militari licentiâ probris, vt in imbelles & fruſtra auſos. Plura ſimul Sabaudium augebant, Caſtra parum tuto ſita, occupatis ab Hiſpano collibus, Caſtilionis fortuna, & ſuſpectus miles pauoris. Nec minus quadringenti Equites parte aliâ ab Hiſpanis Sandamianum miſſi; vt conductos Taurino commeatus interciperent, & Aſtium fame vrgerent. Inerant enim hominum viginti quinque ferè millia; & tot bellatorum alimenta rapiebant; quæ accipientibus ſatis diu ſuffectura erant. Si frontem tantum Hiſpani, quam producto aggere clauſi eduxerant obſediſſent; procul à mœnibus, & ex diſciplinâ ſuſcepiſſe bellum, & in aperta traxiſſe videbatur: ſed vbi latera quoque ictibus deſtinabantur; & ferientes à ſummo collium tamquàm in Arce tuti eſſent, cingique Ciuitas poſſe credita, tot obſidentium millia vicinio ſuccedere; arctiori ſitu opus, & ſeruari mœnia oportere vidit. Nec paruus ambitus, quod duo fermè paſſuum millia protendebatur. Etiam noui Neapolitanorum delectus, Etruriaq; & Vrbino lecta iuuentus, propinquare in caſtra audiebatur; magnum partibus momentum, ſolo no-

ſolo nomine latura. Et quamuis plura hominum millia è Tranſalpinis Sabaudius indies operiretur, longa tamen obſidione fatigare hoſtem decreuerat, & breui recepto ſecuritatem vrbis procurare.

Maij decima quinta primo ſole colligi vaſa Dux iuſſit, retrahíque intra mœnia tormenta; mox vniuerſos velut pugnæ paratos, recipere ſe intra muros imperauit. Illi quòd ſeruatis ordinibus decorè incederent, plures horas breuiſſimo itineri inſumpſerunt; tamquam inſecuturos negligerent, bellumq; mallent. Stimulatum à ſuis Inoyoſam acceperat, vt poſt fugatas, disiectas collibus & formidine trepidantes Sabaudias copias, loco & ſecuritati diffidentes, dum mœnibus ſuccedunt aggrederetur. Eaq; cauſa tam diu aperto hæſiſſe Ducem, quaſi prælij copiã faceret. Sed Inoyoſa ne quem ſuorum amitteret; vtq; incolumitati legionum, ſuæ gentis exiſtimatione prouideret, inſequi recipientem ſe noluiſſe; eadem facilitate ratus omiſſurum ciuitatem, qua munimẽta temporaria & inualida deſeruerat. Inoyoſæ reputatio conſenſum eblandientium prouocauit, vt petentes vrbem Sabaudios, conſternatione fractos, & tamquam imminente hoſte anxios, ſpem ſalutis omnẽ proieciſſe teſtarentur; miſſis Genuam ac Mediolanũ literis; ne qua pars Italiæ vanitatis expers eſſet. Id licet Hiſpanis honorificũ, Inoyoſę ipſi diſplicuiſſe didicimus. Nec in aperto cauſa; niſi reddendam Regi ſuo cauſam nouerat, cur paratam victoriam è fugato & cæſo hoſte, proſecutus feſtinatione non eſſet. Equidem aduerſo apud Tribunos & Centuriones ſuos rumore lacerabatur; quaſi & partium fortunam corrupiſſet; & vel ſibi ipſi infenſiſſimo Sabaudio certum decus condonaſſet. Iactatum à nonnullis audiuimus Iſabellæ Belgij Principis, & Magnatum apud Aulam Hiſpanam præfectis aſſiduè Inoyoſam monitum; ne victoriam aſperitatibus ſectaretur; & in ſororium Regium ac nepotes, hoſtilia minus contumaciter moliretur. Sed quæ in bello morum, eadem & linguæ licenceſt: nec facilè reperias, qui factorum euentum, oculati licet teſtes congruenter referant. Sabaudij quoque hæc & ſimilia, tamquam inania & vana obturbabant; iactabántque quantum per vires licuiſſet enixos hoſtes iis tantum adeundis, quibus ſe impares cognouerant, abſtinuiſſe. Pugnam medio inter vrbem & caſtra ſitu, cunctatione regreſſus pluribus horis obtuliſſe; ſuam fiduciam & promtum ad pericula ſuorum animum Hiſpanam arrogantiam retinuiſſe. Et quamquam hoſtes præualuerint; dediſſe tamen aduerſos infractæ virtutis ſpecimen; quod aduerſus numeroſiſſimum hoſtem, multo minoribus copiis, æquo ferè marte congreſſi fuerint. Id ſileri non debuit, vt certum lectori foret; quemadmodum non Hiſpanis & Sabaudiis ſic nec victoribus quidem ipſis conuenire: nec in tot millibus duos numeratos, qui rerum ſeriem eodem exitu ſint proſecuti. Haud dubiè licet magna indignatione, Hiſpanorum aduerſum ſe odium recoleret; in regio tamen exercitu multi cenſebantur, apud quos ſecretis cauſis certiſſimâ aduerſus Ducem causâ præualebant. Nobilitatem, fortitudinem, cæteráſque Principe dignas artes diligebant; æmulatione virtutum, quæ apud Hiſpanos Proceres frequentes ſunt, etiam inimicorum teſtimonio.

Die ſequenti obſtante nemine, quæ Sabaudius caſtra omiſerat, Hiſpani ingreſſi ſunt. Nil repertum, non arma, non commeatus, non palea; quæ ſumma ſecuritate & proſpectantibus hoſtibus, recipientes ſe Sabaudij intra mœnia conuexerant. Sed nec vlla munimentorum ſecuritas; neque enim à tergo inuadi Sabaudij poterant; & in vrbem proſpectu, non munimento eguerant. Iam enim Sabaudius quantum induſtria ac fortitudine licebat, procul habere hoſtem nitebatur; ne eo quoque præſidio deſtitutus, antiquæ vrbis poſſeſſionem, quam tot millibus propugnatorum firmauerat, obſidentium gloriæ permitteret. Id vnum requirere Inoyoſam nouerat ſcilicet vt honoris ſpecie aliqua, cupitam illi pacem concederet, admitteretve. Sed nec omnis ciuitatis ambitus adhuc clauſus

ab Hiſpanis erat ; & quatuordecim bellatorum millia longo labore vrgenda erant, vt vincerentur, profligarenturq;. Cum tamen noui delectus Hiſpanis accederent, & equirum turmæ vltro citroq; diſcurrerent, metus erat ne propulſo cómeatu obſeſſi frangerentur. Bellicæ quoque diſciplinæ periti fatebantur, expugnationum ingenia eo vſq; ſagacitate proceſſiſſe ; vt niſi clauſi campo aditu q; potirentur, & per interualla recentia auxilia acciperent, diuturna conſtantia fruſtra eſſe. Inter hæc Sabaudius ad Hiſpanos locorum munimenro intentos Tibicinem miſit , corpora nobilium præterito conflictu cæſorum vt ſepultutæ darentur, orantem : Nil à morte irarum ſupereſſe Inoyoſa reſpondit; nec defunctos ſolum, ſed & inter cæſos ſangunrem vnum deprehenſum conceſſit ; ſi forſitan præſtiro obſequio, facilior ad pacis conditiones Sabaudius redderetur, meditatus. Neque tamen ambitioſis exequiis defuncti honorati ; ſiue potiora Dux ſectaretur , ſiue ſpectaculum cladis ſuis ſubſtrahere expedire crederet; ne refricatione diſcriminis frangerentur.

In decimam nonam menſis quieſcente Sabaudio, ſecuritati caſtrorum ab Hiſpanis prouiſum , elati noui aggeres , foſſæ humo oppletæ cauatæ recenti operâ ſunt ; neque enim ſtatim ſecurura deditio ſperabatur ; & in eam curam deductæ cohortes, ad veteris militiæ æmulationem, laboribus firmaræ. Id certè tamquam ex diſciplina laudatum; ne caſui apud obſeſſos locus negligétiâ aperiretur. Nihilo ſegnius Sabaudius Caſtello vrbes Monreinerú verſus ſuperſtantes colles eductis nouis tumulis firmauit: quippe eo proceſſurum hoſtem crediderat; & eo impedimento procul arceri. Per editiora quoque ſecretas excubias diſpoſuit; vt Hiſpanorum motu obſeruato ſtatim occurreret. Inhiantes deditioni Hiſpani erant ; & quamuis non omnem vrbis ambitum complexi forent; frequentiora tamen itinerum inſiderant; & quod ſtabili præſidio incuſtoditum vltra citroq; permeanre milite infeſtum reddiderant. Si quid vrbi infetebatur, per auia, inacceſſa, & obſeruatoribus neglecta vehebatur : cum nihilominus vtrinque munimenta aduerterentur; & prælio (quod vix poſſe vitari credebatur) vniuerſi componerentur. Arte apud Ducem opus erat, vt maiori hoſtium numero congreſſus, cum gloria obſiſteret. Ille vnus erat in quem conuerſi ſuorum oculi ſpem habebant. Ergo in omnes curas diſtractus, die noctéq; inſomnis, audire ſuorum ſententias, hortari pauentes, difficultatibus hoſtes implicare, pari ac in victoria ſecuritate, multos muneribus, multos ſpe excitate: denique tanta animi conſtantia Hiſpani exercitus diſſolutionem, aut honoratam pacem polliceri; vt omnino credere cognoſceretur. Dignior maiori imperio Princeps, & quem congruens virtutibus fortuna in regiam amplitudinem efferret.

Pugna Sabaudij cum Hiſpanis in collib. Aſtenſibus. Vicesima Maij proferendis aggeribus cohortium expeditiſſimas Carthuſiam verſus Sabaudius eduxit ; quòd ea parte ſucceſſuros hoſtes opinaretur; vt vicinio ciuitatis magis metuerétur : ſed Hiſpani non dum orto die præuiſa locorum opportunitate caſtris exierant; vt nudatam eo tegumento vrbem facilius incurrerét. Caſtra Ioan. Petrus Serbellonus ſeruare iuſſus fuerat. Plurib. opus non eſſe, nouerant; neq; enim arcendo mœnib. bello & inferendo, Sabaudios numero impares ſuffecturos ſciebant. Primum agmen Petrus Sarmentus, Hieronym. Pimentellus, Carolus Spinellus, & Thomas Caracciolus, cú vniuerſis cohortib. firmauère. Læuam Io. Brauus, Luiſius Cordoua, & Gambaloita tenuère. Aderát per latera equitum turmę, vt pediratui ſubſidio eſſent; pro numero cuiuſq; & loco; medijſ reliquę copiæ habebát; ea ſerie nexę, vt promiſcuus labor, & paratum certantib. præſidiú conferrent. Ductorum prudentiſſimi, & vetuſti, militię candidè faſſi ſunt, maiori ſecuritate , cum Auerſam progreſſus Sabaudius eſt, non potuiſſe tot colles inſideri: ſic enim tecta mœnia, & maiorem obſeſſoribus difficultatem futuram. Quibus tamen Ducis conſilia perſpecta erant , deſtinatationem prælij cauſabantur; nunquam

nunquam ſatis credito, vitaturos certamen hoſtes numero potiores. Duo haud procul Aſtio colles placidè aſſurgunt, qui Longobardiæ proſpectu Carthuſiã obiectam tegunt, dorſo inęquali; vtriq; retinendo hoſti opportuni. Humiliorem cum Gallicis copiis aggreſſus Sabaudius eſt; elatiorem cum Heluetiorum aliquot millib. inſcendit; latera ac frontem electiſſimis ſclopetariorum, quinque tormentis bellicis, nec non equitum alis, qua explicari turmæ potuerunt communiuit. Horũ alij per infernam vallem diſpoſiti, nonnulli montium decurſu abditi, & tamquam in inſidiis diſpoſiti. Tardior (vt diximus) Sabaudij motus fuit, quia ſerò & parum ſcitè exploratores monuerant. Et quidem craſſa nebula matutinum ortum velauerat; licet editiora ſereno cœlo, ambiguum diem aperiret. Sic hoſtes mutuò obuij & ignari, corporibus ante quàm armis concurrerunt. Primus Gallorum & Lotharingiorum, cum Hiſpanis & Neapolitanis congreſſus fuit, vtriſque nullo præuiſu formidatus. Acrius Galli primo impetu incubuêre, vt mos Gallis; & mutuo hortatu animati in ſumma planicie hoſtẽ exceperunt. Contra Hiſpani oratione ducum, & receptu Sabaudiorum, paucos ante dies viſo elati, in obſtantes tota vi illati ſunt. Sclopetis primùm, mox haſtis deturbare loco renitentes conati; & honoro fine faſtigio montis potiri. Ingentem virtuti ſtimulum communis opinio, & ſpectata in Proceribus conſtantia addebat. Supremo ferè vertice exilis & ruſtica domus erat; hac primùm Hiſpani, mox Galli potiti ſunt; & ſuccedente decertantibus auxilio, non ſemel inter cædes & vulnera ab his, illíſve, capta & amiſſa. Partium interim equitatus planiciem & ima collium, tamquam hoſtium lateri inſultaturis legebat: ſed opportunitatibus intentus, ſi quando inimica acies præualuiſſet, ſubſidium ſuis, metum hoſtibus promittebat. Et Honofrius quidem Mutus Pedemontano equitatui præfectus, collectos in vnum ſuos, & facto cuneo erumpere iuſſos, in Neapolitanorum centurias aliquot inuectus eſt; qui paulo ante Sabaudias copias ſpectata fortitudine exceperant, & tum iterato certamine diſtinebantur. Noua vis plurimum terroris incuſſit: cum tamen retentis ordinibus validè confligerent quòd iniquo loco pugna eſſet, impulſi primum, & eorum plerique cæſi: nec tamen inulti ciciderunt: quippe multos hoſtium propius ſuggreſſos, miſſilibus, demum ferratis contis exceperunt; & maiori conſtantia præliantes confoderunt. Profuit infractus animus: & quamuis grandinis in morem ſclopetorum ictibus à Gallis peterentur; nec minus à longè tormentorum globis, veluti deſtinato ictu lacerarentur, locum tamen tenuerunt. Eo certè aucta vis, & eliſus eſt hoſtium conatus: diſſipati enim pedites (quando prima vis non ceſſerat) præcipiti fuga in vrbem ferebantur. Hiſpanorum quoque tormenta ab imo in ſummum verſa, & vices hoſti reddiderant, & detecta Gallorum latera malè habebant. Et quia diutius obniti ſpe loci auſi, multi Gallorum ſauciati; & quos hactenus ordines ſeruauerant, diſſoluti. Sic ſonoro clamore Neapolitani Hiſpaniq; viam progredientibus ſuis inter arma aperuerunt.

Immota adhuc vicino colle Heluetiorum acies conſtiterat; cui recepta opinione fortitudinis plurimum credi poſſe videbatur; nec adhuc Hiſpana vis animorum gentis periculum fecerat. Regij longiori conflictu, & conſtantiæ hoſtium diu eluctati, cum huc illuc plures in locos ferenda arma eſſent, & vniuerſis feſtinatione prouidendum diduxerant non ſolùm ordines, ſed continuatione curſus & laboris multum virtutis imminuerant. Id prȩuiderant ductores; & collectis virib. denuo Sabaudij in bellum redirent, ſparſoſq; ac fatigatos, etiam ſecuritati confiſos adorirẽtur, validas equitum turmas, & cataphractorum partẽ, in obſeſſa à peditibus loca ſummiſere; dato præcepto ne ſedem desererent, aut inanes rumores conſectarentur. Satis ea parte profectuum, ſi collis retineretur; vt tamquam ab arce ceruicib. clauſorum minitarentur. Dum per diuerſa confligitur,

vicinæ domui pauculos Sabaudios, vt in tuto occultari, ignarus facti explorator ad Neapolitanos detulit: neque tamen aut ſitum loci, aut numerum definiuit. Raros & ſine armis putauerat eam latebram metu inſediſſe. Facilis victoria credita proſperis hactenus partium rebus, obſeſſo colle, tot armatis deturbatis, ac in vrbem fugatis: itaque in exitium occultatorum vnanimes incurrêre. Præualidus equitatus erat; nec aliâ causâ in eo loco ſubſtiterat, quàm vt euentu æſtimato, ſi fortuna contra vertiſſet, ſtatim dilaberetur; ſin ſpes benè agendæ rei patuiſſet, occaſione fortiter vteretur. Continuêre ſe tamen, donec propius aduecti Neapolitani, ſuorum fauore deſtituerentur. Et quo plus fiduciæ apud debiliores, eò maior clades fuit. Mentitos Hiſpanum nomen Sabaudios quidam nolebant: nec deerant qui monitorem opportunitatis dolo vſum dicerent; non tamen alieno cognomine aduerſus Neapolitanos Sabaudios vſos. Et apud omnes inconfeſſo, propinquis iam Neapolitanis illos prorupiſſe, laxatiſq; ordinibus excepiſſe: & eò acrius cæſos, quòd maiori celeritate præcipienda victoria erat; ne Hiſpanus equitatus amicorum periculo monitus, paratum decus è manibus extorqueret. Illi tamen ſiue propriâ conſtantiâ; ſiue quod iam iam affore auxilia præſumerent fortiter obſtitêre. Sed pernicioſa aduerſus tot validiores virtus fuit, eoq; multi cecidêre. Probroſum in omne æuum ac flagitioſum fuit, quòd turmæ Hiſpanorum, ante quarum oculos amici trucidabantur, & in vicino tendentes, cum in ſubſidium à laborantibus aduocarentur, accurrere periclitantibus noluerint; ſed nullo virtutis aut indignationis ſtimulo, tot fortiſſimos commilitones, immoto obtutu mactari permiſerint. Id ſceleſtius, quòd poſtmodum querelis petiti reſponderint per neglectum ac faſtum, ſe iuſſos locum ſeruare; & collis poſſeſſionem, eorum ſociorum incolumitati ante habere debuiſſe. Alij tantùm fortunæ culpam circumferebant; quòd Hiſpanus equitatus ducibus deſtitutus (diuerſa enim curantes procul aberant) nullius certo imperio regeretur.

Ea clades quamquam pro numero exercitus Hiſpani minor, victoriam tamen, & quod gloriæ partum fuerat corrupit. Cæterùm Sabaudij equites, Neapolitanorum ſanguine conſpicui, nemine inſequente aut vrgente, ad ſuos peruaſere. Superant Heluetij ſpecie & opinione terribiles; in hos Inoyoſa plura ſuorum millia immiſit, patratum bellum ratus, ſi diſiectâ Gallorum acie, hi quoque loco depellerentur. Vt ſe ad ictum Hiſpani dedêre, continuis ſclopetorum ictibus impetiti ſunt: tempeſtatem cœlo miſſam crederes, adeo globorum multitudine, & pulueris ignei fumo ereptus oculis dies fuerat. Nec hi ſilenti aut ignauo agmine procedebant, ſed redditâ vice eminus in conſiſtentes graſſabantur. Præuiſo diſcrimine Sabaudius aduolauerat, & apud Ductores Heluetios conteſtatus eum diem magnæ ipſis gloriæ munimentum futurum; ſtimulataq; promiſſis virtute, hortabatur ne decori nominis, expectationi omnium, ſibi ipſis in tempore deeſſent. Quippe paratum ſe equo deſilire, & ferrato conto tamquam manipularium vnum, obire communem ipſis fortunam. Quantum decoris acceſſurum, ſi fugatis ſocijs ſpes hoſtium, ſuorum trepidationem correxiſſent. Nec ſiluit vetera; etiam bellante in ijs locis Carolo V. Cæſare, vt integras legiones pauci fuderint, ferro ac vi confertos exercitus aperuerint; & ad recentia delatus, vt ſtrenuè aduerſus Gallos decimum ante annum pro Sabaudia meruerint. Hos fortunâ elatos, quos formido Gallorum, & inanis ſpecies formidinis in fugam coniecerit. Aliam apud Heluetios diſciplinam, aliam virtutem, ceſſuros illos, ſi breuem impetum immoti retinuiſſent. Sed fruſtra monita erant, apud formidantes, & viſa Gallorum fuga animo conſternatos. Nec obſcura primo ſtatim certamine pauoris ſigna dederant; non hortatu mutuo, non aſſenſu hilares, non acclamatione horrifici. Iam haſtarum nutante ſiluâ proſpicere receptum videbantur. Copiæ Vlrici Ductoris erant (regimentum appellant) paucos ante menſes deſcriptæ, quibus ea prima militia,

militia, & belli flagitium fuit. Pauci veteranorum erant, quos longo vſu Sabaudius diſciplinæ ac virtuti aſſuefecerat, Amniro parebant, fortiſſima auſuri; ſi ſocijs in ſacramento conſtantia fuiſſet. Vulgatum poſtmodum rumorem ſupprimere animus erat, niſi per Europam ſparſus futuri præſagium dediſſet.

Ætate & robore validus Centurio gentis, pluribus in Gallia ſtipendijs, & artem bellandi, & opes nactus, cum à Sabaudio admoneretur fortitudinis; & inculcatum ſæpius præceptum, ſui faſtidium mouiſſent, fertur reſpondiſſe; non ſe ac ſuos ad lanienam miſſos, ſeruandis præſidijs, & arcendis à muris hoſtibus ſtrenuam operam nauaturos, cæteris tamen cohortibus valli loco ſeruire nolle. Alienam ſecordiam æſtimatam, & multo ſuorum ſanguine res exterorum promotas conſilium inſtillare; ne pari cum reliquis ſtipendio difficiliora aggrederentur: quippe in animis Italorum recentem memoriam victoriarum eſſe; apud ſuos œdium & deſolationum. Mediolanum, Rauennam, Pauiam, Pedemontum ſuorum funeribus oppleuiſſe. Proinde maiori diſcrimini, quos opulentior è victoriâ fortuna maneat, & propinquiores in diſcrimen traheret. Neque tamen periculum ſuos vitaturos; ſi quando pari cohortium numero & fortitudini certandum occurrat. Nunc vnum Heluetium decem hoſtibus committi; tot millibus ſuperatis ſine temeritatis notâ trophæum erigi non poſſe. Simul ſtrepitoſo idiomate ſuos hortatus eſt, vt ſeſe in ſecura reciperent. Ad hæc Sabaudius cum preces imperio miſcuiſſet; non aliud prolocutus dicitur, quàm virorum fortiſſimos maximè ardua decere. Succedebat interim Hiſpana acies, non Heluetiorum numerum, non denſam haſtarum ſiluam formidans. Vbi tamen propinquos iam hoſtes, & non dubiâ certaminis deſtinatione properantes viderunt, magno gentis dedecore locum primò deſeruêre; mox è colle Aſtium verſus ſeſe dedere præcipites, non ordinibus ſeruatis, non retentis armis; quæ nonnulli palantes & conſternati, deformi fugâ proiecerant. Quantum in Sabaudio fuit, ne fugarentur præuiderat, delecto ſecuriſſimo ad prælium loco, & forti equitatu ad læuam diſpoſito; ne qua vis maior turbaret ordines; dexteram enim collis ante firmauerat. Nec id Hiſpanos fefellerat; eóque acriter Pimentellus Sancium Salinam cum Burgundijs immiſit; vt nouo incurſu turbati, ſociorum incolumitati minus prouiderent. Pimentellus quoque cum ſuis equitibus lateri Heluetiorum inuectus eſt. Sed hi iam loco ceſſerant, exceperantq; prælium turmæ Sabaudiæ, & opinione fortius dimicabant. Vtrinque cædes & vulnera, & diſſoluti ordines prælîantes impetu delaros exceperant. Certantibus Hiſpanis nouus Pedemontanus equitatus inſiluit; ſtatimq; æquata pugna; vt ſuos Pimentellum retinere compulit, ſic cæteros huc illuc ſparſos, cum ad ſigna & ordines conuocaret, non tamen eum numerum cogere potuit, qui victoriam proſequeretur. Peditatus quoque Hiſpanus labore ac vulneribus feſtus, neque eadem conſtantia inclinantes preſſit; nec tantum hoſtium cecidit quantum pro numero potuiſſet.

Summo pugnæ æſtu cum aduerſus Neapolitanos flano ac cæruleo coloribus diſtinctos opponit ſuos Sabaudius, & exerto enſe pectore tenus armatus inter manifeſta pericula volutatur, ſuffoſſo equo corruit; cumq; alter duceretur, ſclopeti ictu exanimatus eſt. Idem Thomæ Principis filij diſcrimen fuit; qui cum iuuenili ardore percitus vrgeret hoſtes, & ſuos in certamen traheret; primamq; ante aciem impauidus gloriam ſectaretur, equum cui inſederat moſchetti ictu amiſit. Neque adoleſcens caſu turbatus eſt, ſed deducto altero qui ſeſſorem acciperet in prælium redijt. Ipſo metus initio, cum titubare Heluetios, & non armis non auribus ſatis competere vidit Sabaudius, lectam iuuentutis manum, tormenta in vrbem retrahere imperauerat, ne ambiguam victoriam Hiſpani partâ leui præda approbarent. Nec enim ignarus agebat apud eos ſecundam fortunam credi, qui hoſtem campo depuliſſent, ceciſſent, armis exuiſſent. A Duce miſſi poſ-

ſeſſa iam ab Hiſpanis nonnulla,nec ope humanâ recipi poſſe inuenerunt. Quæ capta non fuerant, per decliuia Aſtium verſus deuoluerunt in infernam planiciem.Sed alto cœtu ſepulta, exili riuo qui Carthuſia defluit, hæſerunt. Poſt ingreſſum Aſtium Sabaudium cum Thoma Principe filio,Inoyoſa colles occupatos legionibus diuiſit; vt æmulatione virtutis, & præſumptâ ſecuritate, eam ſinguli partem munirent, quam ſorte, aut imperio acceperant. Huic curæ intentum adiêre Hiſpani, imâ in valle tormenta aliquot à Sabaudijs relicta, nec auſurum hoſtem ſemel fugatum nouam eruptionem, referentes. Placuit occaſio. Prudentiores tamen,certiora & cautiora conſilia ex vſu eſſe dicebant. Quippe imminere loco hoſtium munimenta, & obſeſſos è vicino diram in prædatores vaſtitatem ſclopetis facturos;vt illa niſi multo ſanguine haberi poſſint.Militum quoque laſſitudo, retinuiſſe creditur, & frequentia ſuorum vulnera; nec enim adhuc cæſorum numerus plenè ferebatur. Vt ſperatæ tamen prædæ conſuleretur, militum pars minori ſitu tendere iuſſa eſt;vt parati diſcriminis præuiſu,quæ Hiſpanos cauſæ moratæ fuerant,Sabaudios quoque retinerent.Hi tamen primis tenebris cum Hiſpani nullo imminentis belli metu corpora curarent, & maximè egêre quiete obſeſſi crederentur,ducentos pedites,ſexaginta equites miſêre,& trahendis machinis,& conflictui ſuffecturos.Ita obſiſtente nemine,quamquam multo luto demerſa tormenta eruerunt,& intra mœnia traxerunt.Id animos addidit;non quod intus magno numero munimenta ambirent,ſed quòd eruptionis fortitudine documentum dediſſent,viuere hoſtium conſtantiam.

Totius decertationis exitum Mantuam Duci amici perſcripſerant; repertuſq; Dux piſcatui intentus,procul à belli curis. Itaque omiſſo inſtituto properè Mantuam regreſſus eſt, & inuitatos nobiles ciues ad veſpertinas choræas conuocauit. Cæſus,fugatus,exutus armis, vix mœnibus lapſantibus Aſtij tectus Sabaudius,argumentum colloquij fuit,& cauſa lætitiæ.Periiſſe militum quinque millia,viginti tormenta bellica magnæ molis Hiſpanos abduxiſſe,occiſum denique Thomam Principem ferebant. Addebantur patris lamenta,& ſubditorum in aduerſam fortunam querelæ. Sed & die ſequenti ſcena Sabaudij ſtragem referens comicè exhibita,peritiſſimis inſtituti operam nauantibus; cum tamen & valeret Sabaudius, & Monferratum ab Hiſpanis grauius, quàm ab hoſte raptaretur, libidinem quoque ingenij protulit,vulgato poëmate(quo genere vanitatis Mantuanus delectabatur) in quo vera falſis,vtriſque contumelias inſeruerat.Iam etiam boni,vt olim ſalutarib. monitis metu abſtinere didicerant; ſic vt indignationem Domini declinarent,luſibus,ineptiis, & ſimilibus falſitatum blandimentis aſſueuerant.Reliquum dimicationis exitum, & quæ conflictum partiú ſecuta ſors eſt, ſtatim exequi decreueram; niſi pleriq; his immorati diuerſa in quæſtionem vocauiſſent. Ea Lectoris vtilitati & oblectamento fore credidimus. Et quidem primùm Hiſpani indubitatam ſibi victoriam affingebant:dicentes pulſum hoſtem,locú quem inſederat occupatum, Ducé in vrbem ſeſe recipere coactum, detracta illi tormenta, campum circa omnem victricib. armis poſſeſſum,deiectos collib. Gallos,fugatos Heluetios robur exercitus; etiam cæſorum ac ſauciorum numero imminutas aduerſas cohortes eſſe.Eadem per Italiam fama percrebuerat,& non diſſonantia Oratores, pacis adminiſtri, ad ſuos Principes ſcripſerant: cum inſuper potuiſſe eodem impetu Hiſpanos ciuitatem irrumpere faterentur:ſi fugâ Gallorum, trepidatione Heluetiorum vſi,perſtitiſſent.

Partes ea pugnâ ſibi ſpe-ioſiora adſcribunt. Contrà alij Hiſpanorum gloriam eleuabant; quod eorum plures in acie cecidiſſent, nobiliores apud ſe captiui eſſent; receptus non fuga fuiſſet;nec in extremum emiſſe certamen; ſed variâ fortunâ huic illive parti ſpecioſiora obueniſſe. Flauos & cæruleos equites fulminatos diſſipatoſq;,peditum innumeros interemptos;nec apud hoſtes inané victoriæ opinionem futuram fuiſſe ſi Heluetij veteris gloriæ

gloriæ retinentes primum impetum vtrumque retinuiſſent. Id in cauſa maximè eſt, quòd cæſorum eo prælio numerus incertus ſit. Nec enim Duces partium, ſuos, & alienos conſenſu, & ex fide referunt. Quidam ſeptuaginta tantum Hiſpanorum deſideratos, & centum quinquaginta vulneratos ſcribunt. Alij cæſorum numerum ad quadringentos augent, ſaucios ferè octingentos teſtantur. Eo amplius Sabaudij; quamuis nec teſtimoniis ipſorum fides conſtet: nam modò plures, modò pauciores, eadem vanitate & confuſione reſtantur. Franciſcus Silua Paſtranæ Ducis Germanus Neapolito Regno cum ſuis profectus, primam aciem ductor tenuerat; qui cum ardete prælium, & Gallorum ordines primo ſtatim congreſſu peruicaciâ fortitudinis ſeruare locum vidit, ſubſidium ſuis, cæteris exemplum magnanimitatis daturus in medios hoſtes prouectus fuerat, cúmque fortius quàm cautius ſeſe diſcrimini expoſuiſſet, licet multum ſuis ſubſidij attuliſſet; & eo initio inclinaſſe hoſtes viderentur; dum tamen ſuos virtute ſuſtentat, perrumpit aduerſos, manu inter gregarios ſtrenuè certat, lætali vulnere ſauciatus eſt. Stratum iam & extremis proximum inimici opulentam prædam tati oppteſsêre; & abreptum ſuis quorum hactenus armis tectus fuerat, Aſtium primùm, demum Taurinum in cuſtodiam miſêre. Quiete opus habebat & medela; agitatio intempeſtiua vulnus deduxit, perniciemq́; dolor prouocatus accelerauit. Hæc præcipua Regiæ militiæ iactura credita; non nobilitatis potius quàm indolis, cuius magnum ſpecimen dederat, è præſentibus æſtimatione futuri. Lamentatos nobilis iuuenis conſanguineos, hoc cauſâ accepimus; quaſi procul humanitate omni Sabaudij captiuum perdere, quàm in propriam vtilitatem ſeruare voluiſſent. Huic crimini non modò Sabaudius, ſed nec ductores minores affines fuerant; conſuetudinem, factúmque belli initio decretum, quo captiui tollendis prœliorum impedimentis Taurinum mitti iubebantur, excuſando. Imitatus Sabaudius Hiſpanos fuerat; quòd ab his in bello capti, cum Annoni aut vicinioribus locis cuſtodiri poſſent, Alexandriam longius amandati fuerant. Etiam in Hiſpanos iniuriarum agebat. Quippe regiâ munificentiâ captiuos Taurini habui; durè ac parcè Sabaudios Alexandriæ nouerat. Hæc querelarum & diſſentionum forma erat.

Franciſcus Silua capitur à Sabaudis.

Et Taurini moritur.

Hiſpana militia quos colles poſſeſſione inſederat, ſtudioſè ſeruabat. Pars maxima eminentiorem tenuit: Ioannes Brauus, Luiſius Cordoua, & Ludouicus Gambaloita humiliori hæsêre: Lucenſes copiæ poſt Carthuſiam locatæ: Comes Horatius Carpegna, haud procul Aucrſa amne conſederat, elato loco, & in ſuorum ſecuritatem quæſito. Equitatus in planicie conſtiterat, in omnes recto tramite directi; & prompta ſocietate, ſi occurrendum bello fuiſſet. Ante omnia prouiſum, vt proprio ſe ſinguli vallo ſimarent, aduerſus repentinos incurſus. Sed & quo Sabaudiis plus terroris eſſet, legiones medio inter Carthuſiam & Ciuitatem ſitu; vt ſclopetarios ſuos in hoſtem pugnaturos tegerent; & in arcem ac mœnia, commodè tormenta dirigerent, maiorem ambitum complexæ lunatum vallum eduxêre. Id maximè propugnatores offendit, & præuiſu malorum, & quòd ſtatim directis tormentis, tecta ciuitatis ac mœnia quaterentur. Mirum pleriſque viſum fuit inter hęc, permiſſam Hiſpanis à Sabaudio tot dierum quietem, qua efferre arbitrio munimenta licuit; cùm tamen tot intus millibus feſtinata illa opera turbari placuerit. Nec tamen credibile eſt ſecordiam fuiſſe, ſed maiorem futuri curam: quando indefeſſis literis ac curſoribus, Regum Oratores pacem adhuc honeſtiſſimis conditionibus præfinitam proponebant. Duraturo quoque in plures menſes bello, multis ſimul locis prouidendum erat.

Hiſpanorum ordo in collibus Aſtenſibus

Maij die viceſima octaua, cum Ioannes Brauus veteri aggeri nouum addere pararet, & iam pectori tenus accreuiſſet, trecentos pedites, equites centum obſcuro noctis viſos erupiſſe, vt intentos operi trucidarent, quódque hactenus

paratum fuerat diſiicerent ; ſed è vicinio moſchetorum ictibus terrefactos , & in fugam verſos recepiſſe ſeſe,amiſſis etiam armis quorundam fide vulgatum eſt. Id (vt pleraque) Sabaudij vanitatis inſimulauit:nec Hiſpani facti ſeriem congruenter referunt. Initio belli Inoyoſa plures equitum turmas, Sandamianum (vt diximus)miſerat;vt aduectum Taurino & vicinis oppidis in caſtra hoſtium commeatum interciperet ; aut ſaltem infeſta omnia hoſti frequenti incurſione redderet. Et illi quidem imperio paruerant. Neque tamen frumentantibus obuios ſe dare auſi ſunt ; quod valido præſidio tecti incederent ; quamuis paganis rapinis , & licentiâ diram vaſtitatem intulerint. Neque mitius aduerſus Monferratenſes incolas egêre. In modum captiuitatis graſſati ſunt ; niſi diurna erogatione exorati erant ; non cibo , non pabulo ſatiati. Equidem claudi vallatíque Aſtium magni ambitus ciuitas obſidione non potuit ; quamuis neglecta itinera forent ; & proprio periculo alimentorum ſubuectionem tentare ruſtici cogerentur. Tot vallibus,tot ignotis collibus aditur;tot populis vndequaque obſidetur. Hiſpanus tamen eques incendiis temperauit;eoq; cum cætera immanitatis admiſiſſet,pietate vſum ſe fatebatur. Non certè aut rei domeſticæ aut agreſti pepercerat, conſuetudine victorum;& Gallis apud Monferratum eadem crudelius exercentibus. Leuis ea iactura in tot malis inimicorum credita ; quòd Monferratum protectione inuocata , fœdus ab amicis quàm hoſtibus tractaretur. Ridebant Sabaudij fortunam Mantuani , quod tot ſimul aduerſis conflictaretur;quódque eo confidentiâ proceſſiſſet, vt exitium vitare non poſſet,quocunque tandem exercitu teneretur.

Trigeſima Maij multum ante penſitato an rectum Taurini iter , obiectu noui munimenti ſolidaretur firmaretúrque , & qua arte facilis in Carthûſiam eruptio pateret , valida manu Sabaudius nouum aggerem eduxit , quod publicam viam tegeret , & dirutâ domo ruſticâ (in quam Ioannes Brauus ſpe munimenti tetenderat)infeſta omnia obſidentibus reddidit. Faſſi Hiſpani ſunt, maiori prudentia ac præuiſu alibi ſiſti non potuiſſe. Neque tamen impedire conati ſunt;quod pluribus cohortibus vtrumque latus aduerſus irrupturos texiſſet , caſtris equitatus procederet ; nec niſi magna clade poſſet prohiberi. Satis & ipſi habuêre nouum munimentum erigere;quod fronti monaſterij oppoſitum Pedemontanam regionem ſpectabat. Thomas Caracciolus cum ſuis,& Germanorum recens Nouatiâ deductorum plures centuriæ præſidio ſucceſſerunt:ſic caueri caſtrorum ſecuritati,& poſſe obſidione laſſari clauſos crediderant. Vicinitas hoſtium,& ſolicitudo (iam enim creſcere numero obſeſſores, & nouos quotidie delectus accipere didicerat) Sabaudium Aſtij continuêre,ne Chierium proficiſceretur : quem Regum Oratoribus importunè flagitantibus locum prædixerat ; cum nondum ſanguine ac cædibus vtrique incaluiſſent ; ſed indefeſsâ negotiatione ſpes pacis affulgeret. Etiam Principem Victorium filium an acciret in dubio hęrebat:ne Vercellę Nouariæ vicinio inimicorum libidini exponerentur. Plenum impudentiæ mendacium hoc tempore vulgatum eſt;ideo dubitaſſe Sabaudium an filium aduocaret; quod didiciſſet Hiſpana caritate ſolicitum res nouas moliri ; vt depulſo parente dominationem occuparet. Nec enim poſt hominum memoriam certius filiorum aduerſus patrem obſequium vſquam auditum eſt , quàm quo Sabaudij Ducis filij, digna æternitate gloria claruerunt. Sed nos hæc & alia portenta nouitatum, obſtricta eorum fide qui tradiderunt perſcribemus;ne comperta aut ficta ſponte omittere videamur.

Sabaudius Iſidorum mittit ad Oratorem Gallum.

Cæterùm ne noua deſtinatio , aut parum memor præteritorum Sabaudius diceretur, eóque licet cum decore ſuo pacem reſpuere, Iſidorum Barnabitam ſibi à ſactis confeſſionibus præmittere placuit;vt auditis conditionibus,ſi iuſtæ forent, annueret. Neque enim deerant qui multo honore ſuo tractari concordiam, reditura-

tura-

turaq; Duci omnia, quæ olim Hiſpani occupauiſſent, faterentur. Sæpius Iſidorus vltrò citroq; miſſus, vbi Sabaudij palato blandientia retulit (id enim & ipſe prætuliſſe dicitur) & Rambolıettus quæ maximè ex vſu eſſe crederet perſcripſit; vt in ſuburbia Aſtij veniret oratus eſt. Neque enim alieno relatui ſtandum, aut credendum eſſe faciliorem compoſitionem ſequi poſſe, quàm ſi vtrique congrederentur. Vno ab Aſtio milliario Rambolietto Dux collocatus eſt: cumq; mirâ taciturnitate forma agendorum ſupprimeretur, & eò acrius Aulici rimarentur, non aliud tamen eruêre; quàm Galli quidem Regis arbitrio quæ coegerat arma depoſiturum; eâ tamen ſuper re Britanniæ Regis ac Senatus Veneti ſententiam requirere velle: ſiue quòd hactenus negotiationi implicati, integrâ illorum dignitate negligi non poſſent; ſiue vt illi viſo obſequio, & permiſsâ auctoritate cenſendi, ſi quid Hiſpani hoſtiliтаris intuliſſent, mutuo vtriuſque patrocinio arcerentur. Nec dubium eſt ſolidâ prudentia Ducem vſum; non in ijs ſolùm quæ pacem ſpectare videbantur, ſed cum initio motus, tot Reges, tot Principes, ſuæ cauſæ illigauit: & ante alia cum Venetos Mantuano familiares in ſuam rem pellexit; coegitque, incertum, an inuiros (ne indignantibus iam Hiſpanis, & minitantibus, communi ope deſtituerentur) menſtruum ſubſidium, certâ pecuniæ ſummâ offerre. Eodem præuiſu Gallum Regem ſoceto Hiſpano bellum conteſtari impulit, niſi pactis concordiæ olim dictis ſtetiſſet. Ad extremum cum ſumma rerum per literas & Iſidorum præſcripta parum ſecuritatis & multùm confuſionis habere videretur Settimum in oppidum Rambolięttus accitus eſt, Sauellus Tihilum, Britanniæ ac Senatus Veneti Oratores Variliam; quò paulò poſt etiam Sauellus diuertit, communione negotij egere pacem ratus.

Sabaudij prudentia in illigandis ſibi Venetis & Gallo Rege.

Hic (vt inter multa & contraria negotij capita vſu venit) acriter ſententijs certatum; cum Gallus arbitrij gloriam, non Hiſpano, non Venetis, non Pontifici concederet; Sauellus eum honorem Chriſtiani orbis parenti deberi diceret; Britannus potentiam auctoritatemq; præferret. Venetus propriam illam Senatus curam & ſuis opibus ſuſtentatum bellum iactabat. Vbi poſt multa in pacta concordiæ deſcendêre, loci quoque lis inceſſit, quis prior quis poſterior receptas conditiones firmaret; cuius nomen publico ſcripto ante alios legeretur. Vana omnia & inania; ſed tamquam honorifica pertinaciter apud proceres vſurpata. Certum eſt tertiâ Iunij cum Rambolięttus Gueſſerio Regis Galli adminiſtro præſente Sabaudium docuiſſet, Commendatorem Sellerium retuliſſe, non aliud ſummiſſionis argumentum Hiſpanum cupere, quæ bella capta forent redditurum; ſimul exercitui ſuo modum impoſiturum; ne Sabaudij aut adiacentium ſuſpiciones augerentur; ſi Dux quas coêgiſſet copias ſtatim diſſoluiſſet; iis tantùm retentis, quibus ditionum ſuarum ſecuritati cautum crederet; & Monferrati prætenſa iura, vi omiſsâ, cotam Cæſare experiretur. Paucos deliberationi dies petiiſſe; illicoq; ſcripturam quæ pacta contineret, formatam & Sabaudij manu ſubſcriptam accepimus. In hac reſeruaſſe Britanniæ Regis aſſenſum ferebatur, qui iam non poſtrema negotiatorum pars erat. Porrò licet tot Oratorum huc illuc properantium, & apud Hiſpanos minus aſperæ petitiones in limine pacem oſtenderent; non defuêre tamen qui Sabaudium monerent, nouas copias in Hiſpana caſtra aduocatas, ſecretaſq; inſidias cauendas eſſe. Subodorauerat aliquid Sabaudius, eoq; in plures dies abire negotiationem voluit, vt res ſuas in tuto ſiſteret. Princeps Pedemontanus, tam propinqua Vercellis, Nouariam contrâ, cum delectâ peditum & equitum manu præſidebat; habebatque ſub ſignis aliquot bellatorum millia. licet itaque non inani operâ Prouinciam hoſti conterminam in ſecuro haberet; cum tamen apud Aſtium frequentia prælia & nanciſcendæ gloriæ occaſiones eſſe cognoſceret; ſimul flagitium interpretaretur, inter tot diſcrimina parentem volutari, ipſum vt decoris ſic laboris expertem procul age-

re,inculcatas preces miſiſſe dicitur, ne eo ſe honore fraudatum vellet; ſed ſub fortiſſimo parente militiæ ornamenta ſectari.

Princeps Pedemontanus ad Parietem Aſtium venit cum duobus millibus bellatorum.

Itaque Sabaudius cum paucos Hiſpanos eum limitem ſeruare; & vim omnem Aſtium tranſlatam certis relatoribus accepiſſet, Principem cum duobus peditum millibus ſeſe Aſtium conuenire permiſit. Aucto quippe hoſte non inconſultam eam acceſſionem fore nouerat. Vbi venit, diuiſus nouus miles eſt per noua munimenta, quæ proficientibus indies Hiſpanorum aggeribus tollebantur in terrorem & ſecuritatem. Nil intermiſſa hoſtilitate bellum procedebat; & quamquam depellere locis quos integris Tertijs inſediſſent arduum foret, nocturnis tamen & diurnis inſultibus, tectos & proſpectantes prouocabant, indefeſſo Sabaudio, & Gallis aperto marte congredi geſtientibus. Vtque inter eminus pugnantes vſu venit, plures per interualla cecidêre cum ſtabili greſſu & ſub certo telorum ictu dimicarent. Ea vna pugnæ intermiſſio erat; cum aut in Hiſpana Caſtra Oratores, aut in Sabaudia progrederentur. Cœpta enim pacis negotiatio, quamuis inter deprædantes trahebatur, non Sauello ſolum, ſed & Rambolietto communi bono, honori proprio aſſiduâ operâ intentis. Cumq; interim nulla dies certaminum expers eſſet; nec Hiſpani res ſuas in diſcrimen darent, ſed tempore & obſidione proficere cogitarent. Frequentes iam è craſſo vimine caueas extulerant, quibus haud procul Sabaudio præſidio directa tormenta tegerentur, tum Sangeorgius Sabaudium eadem agitantem conuenit, hortatuſq; eſt, vt nobili facinore delectis in operam ſtrenuiſſimis, molibus hoſtium iam eductis injici flammas permitteret; & diſijci quæ hactenus in ſuorum perniciem ſunt fabricata.

Certum erat fortibus auſis Ducem annuere. Ergo vicesimâ primâ Iunij multa hominum millia Caſtris eduxit, & tranſlatâ in Sangeorgium agendorum curâ, vt auderet exequereturq; inſuper ſtimulos addidit. Ille duobus peditum millibus, & equitibus fermè ducentis comitatus, in ſeruantes iam ſua, & propugnationi paratos inuectus eſt. Et primò quidem ſcloperis eminus certatum, mox ardore certaminis vlterius prouecti ad haſtatos ventum. Aderat pugnantibus Sangeorgius & à tergo Sabaudius addebat ſecuritatem, diù tamen certatum; cum Sabaudij machinas diſſoluere, & facibus armati, igni corrumpere niterentur. Et licet plures eo conflictu caderent, & frequentia in ſubeuntes vulnera audaciſſimos morarentur; ipſeq; Sangeorgius humerum ſauciatus foret, ſeruari tamen machinæ non poterant, quin concepta flammâ magno partium dedecore ſoluerentur. Neque tamen vis Sabaudiorum eo fine ſtetit, ſed diruere quoque munimenta adorti nudis manibus (quando ligones in promptu non erant) aggerem ac ſarmenta quibus coaleſcebant, lacerabant. Ad extremum vbi ſolutas in fauillam moles; & proprio quoque ſanguine reſperſam iacturam viderunt, ad ſuos reuerſi ſunt. Octoginta Sabaudios periiſſe, plures vulneratos Hiſpani referunt, licet partum decus molliret dolorem. Apud Hiſpanos pauciores cecidiſſe ipſi referunt; quod tecti in apertos pugnaſſent. Sed Lazarus Doria, & Iulius Nicolinus ſuo ductu militantes cæſi. Sabaudij Hiſpanorum ducentos deſideratos aſſeuerabant. Illud certum eſt, nec egreſſos Caſtris Hiſpanos, nec conſequi abeuntes auſos. Magnitudini Sabaudij reperti tum apud Aſtenſes quidam, qui cum Dux conſilia belli poſceret, auſi dicebantur deditionem ciuitatis ſuadere, & cauſas cur tueri diutius non poſſet, addere. Et quamquam Sabaudius renidens, & manifeſtè abnuere vilitatem illam videretur, quò minus tamen apud ciues non vulgaretur parari diſceſſum, & permitti hoſtibus Vrbem inhiberi non potuit. Id miſeros ciues apud quos certiſſima aduerſus ſuum Dominum pietas, & paratus exitio per obſequium animus erat, magno mœrore affecit. Qua re (cum indies creſcere Hiſpanos & vlteriora meditari viderent, inter ſpem ac conſternationem

nationem medij ſupplici libello Sabaudij conſtantiam flagitarũt,cuius ea verba erant. Plures iam menſes,glorioſiſſime Princeps,infœlix hæc noſtra ciuitas,comminationes oppugnationis,& belli mala in ſe verti ſuſpicabatur. Nam & murorũ infirmitas, & hoſtium vicinium, & ſitus opportunitas, & agri fertilitas, ante alia hoſtilem cupiditatem inuitare videbantur. Nunc obrutu vnó clauſa templa,domos vacuas,vias infrequentes,fœminas lachrymantes, pauentes pueros,paupertatem,lugubria omnia potes intueri. Nihilominus quantum tibi ſpei hac rerum noſtrarum conditione ſupereſt, id non mœnium debilitate, ſed fortitudine animorum,non metu infantium,aut muliebri gemitu, ſed virorum audaciâ,non deſperatione paucorum,ſed conſtantiâ & fide vniuerſorum æſtimandum habes. Periculum enim ac fortunam tuam omnes promptè requirimus, vitamq́; cum ſubſtantijs honori tuo vouemus. Fideliſſimi ciues tui ſubditi,non aliud ambiũt,quàm pro te pugnare, tibi fortitudinem ac caritatem approbare. Quidquid apud nos annonæ,tecta ipſa,ornamenta,ſupellectilem,opes cõmoditati cohortium tuarum relinquimus; noſq́; curæ munimentorum, & ictibus hoſtium deſtinamus. Fœminæ pueriq́; illorum miniſterio accingentur,qui primùm tutelam profeſſi, mox innocentium ciuium direptionem ſunt minitati; matronæ nobiles nondum familiæ honeſtati debitum ſponte deponent, vt ille in vſus militares inſumatur; non alium in finem,quàm vt mœnia hæc,hæ ædes,hoc cœlum tibi ſeruetur. Meminimus, Dux sereniſſime, Aſtium cæterarum ciuitatum laborem ſubiuiſſe: hic nutritas legiones,hic ingenti expenſa fotam manipularium indigentiam; hac ciuitate amiſſa cuncta trans Tanarum in hoſtem abitura. Taurinenſem ſplendorem, tuæ domus ornamentũ magnâ ex parte Aſtenſi nobilitate contineri. Quòd ſi optimè meritos,& gloriæ tuæ antè alios ſtudioſos deſeris; fortunis exutos,& auitis laribus depulſos, informi & erubeſcenda calamitate, perpetuò es ante oculos habiturus. Vt ſatis tibi virium,ſic tuorum militum auaritia noſtrâ munificentiâ explebitur. Fortitudini ac prudentiæ tuæ ne fruſtra crediderís,pedibus tuis aduoluti oramus ciues tui,tui filij. Nouitas hæc,& Aſtenſium opimi Sabaudium turbauit. Itaque ne ſe ea vilitatis nota reſpergerent,& vt certiſſimæ deſtinationi ſuæ fiderent imperauit: non Gallos ſeditioſè in poſterùm acturos, non tutelam vrbis omiſſuros; nec ea ſe ſuorum ciuium humanitate abuſurum ſacramento reſtatus. Id referre placuit confutando impudenti mendacio; quod ab hoſtibus Sabaudij, per ea tempora vulgatum Mediolani ſcimus: conſenſu ſcilicet Aſtenſes Ducem oraſſe, ne ſe diutius timore Hiſpanorum macerari vellet,ſed potius deditioni ciuitatis annueret; vt incolumitati vniuerſorum, & honori ſexus imbellis conſuleretur. Ne id quidem ſomniaſſe populum adeo verum eſt, vt potius obſidionem, labores,ærumnaſq́; popoſcerit.

Aſtenſes ſi bellum ſupplicem Sabaudio offerunt, oratione ſe Hiſpanis dedat.

Die eadem inter Sabaudium & Inoyoſam breues induciæ admiſſæ. Percrebuerat apud obſeſſos falſus rumor (vt puto) tanta inhumanitate quoſdam Hiſpani exercitus arſiſſe; vt in mortuorum cadauera,mutilatione,& laniatu ſæuierint. Falsò iactatum credimus,licet Hiſpanorum connata odia Gallos inſectata ſint. Hinc fama incaluit,magnum nobilium numerum præcedenti conflictu periiſſe: nec enim tantam eſſe plebis curam,& ferè ſepulturę iacturam in plebe negligi. Vndecim omninò retractos à Sabaudijs accepimus, haud dubiè nobiles; & ab amicis & conſanguineis tumulis illatos; cęteri paſſim in aceruum terrâ conditi; ne graui habitu contagionem inferrent. Æſtimanti mihi ductorum Sabaudij numerum,& quibus ille adminiſtris res tractauerit, ſubit admiratio,& humanę conditionis miſeratio. Quippe Marti cęſus Brolia, diuerſis pręſidijs aliquot Gallorum procerum deſiderati, propè Caſtilionem Aſlò & Roerus, Sangeorgius vulneratus, Caluſij Marchio captiuus, plures tormentorum ictibus lacero aut mulcato corpore, iniquam erga Sabaudij exercitus Duces fortunam teſtantur. Contra Dux ipſe cum

Induciæ inter Hiſpanũ & Sabaudum.

duobus liberis ardẽnte prçlio,huc illuc inter tempeſtatem miſſilium,& haſtarum
infeſtas cuſpides,ſuffoſſis licet equis intacti,Numinis certam tutelam arguit. Ea
præcipuè ratio occurrit , quòd audaciſſimi & maximè ſtrenui, quorum Sabaudio
copia erat,& primâ in acie ſiti,ægrè perniciem vitare potuerint.Et Dux ipſe vni-
uerſos in diſcrimen exemplo vrgebat:nam fortitudinis æſtimatorem, & præmio
in generoſos effuſum nouerant. Sors eadem,ſiue miſeria Hiſpanos bello ad Ver-
cellas comitata eſt ; perditis pluribus, & nobilioribus,quorum vita vtilior genti,
quàm ipſæ Vercellæ erant;vt in loco dicemus.Neque tamen Sabaudio cum igna-
uis res intercedebat,ſed cum Hiſpanis longâ militiâ duratis,& cum Italis & Ger-
manis quibus,ne virtute ab Hiſpanis vincerentur pericula viluerant. Eam iactu-
ram Sabaudijs obiectam ſcimus, grauiterq́; indignatos reſpõdiſſe,diſcrimina for-
tes incurrere; ignauos & munimentis tectos tutò bellare. Vrgebat nihilominus
cœptam negotiationẽ pacis Rambolietttus,& nullo decertantium ambiguo,quin
aut concordiam aut bellum amplecterentur ; prout hoſtis maluiſſet; modò ad Sa-
baudium,modò ad Inoyoſam pacta,in quæ conueniendũ exiſtimabat,deferebat.
Et cum in negotium multa cõgererentur,ea potiſſimũ Hiſpani à Sabaudio requi-
rebant,quæ primo belli motu petierant;nondum per Pedemontanam exercitib.
inſtructi;aut apud Oneliam Marrumq́; ſuperiores:Abſtineret nempe Monferra-
to;iura ſua(ſi quæ crederet) apud Cæſarem experiretur; conſcriptum militem di-
mitteret,ne quos metu aut ſuſpicionib. exerceret. Hoc poſtremum quidam fru-
ſtra Mantuani cauſa petitum vulgauerunt;nam & ſecuritati Mediolanenſis pro-
uinciæ,& Genuenſium impunitati,Sabaudium inermem eſſe expediebat.Vix ſa-
tis perſuaſo,tot copias in otio,& aduerſus parum amicos modeſtè habiturum;aut
iniuriarum memoriam proiecturum, quas à Genuenſibus Hiſpanorum mancipijs
(vt loquebantur)pridem ſe accepiſſe iactauerat. Et quidem duos fermè ante an-
nos abſtinere Monferrato promiſerat ; quandocunque proſequentibus bellum
Hiſpanis ille cauſam dimiſiſſet, nec prouectos in damna Sabaudiorum, copijs &
commeatu iuuiſſet.

Vicesimâ primâ Iunij,cum iam continuis Oratorum officijs belli feruor depo-
ſuiſſet,Sabaudius Pontificis Nuncio prçſente,cum Rambolietto & Gueſſerio,nec
Conditiones pacis inter Sabaudium & Hiſpanos. non Zeno Oratore Veneto in ſequentes conditiones pacis conuenit:Diſſolutu-
rum ſe militem intra menſem vnum quem haberet, octingentis tantùm Helue-
tijs retentis rerum ſuarum ſecuritati: ſi quid iuris aduerſus Monferratum præſu-
meret,omiſsâ vi,coram Cæſare, ciuiliter tractaturum. Id volenti Rambolietto
fuit;qui ſuis Regis nomine(ne Principem qui arbitrium rerum ſuarum libẽs con-
ceſſiſſet,negligeret,deſtitueretve)viciſſim ſpopondit,Monferratenſibus ſubditis,
qui in eam diem hoſtilia Mantuano Duci intuliſſent , & in Sabaudij partes tran-
ſiſſent,ſeruitium illud ipſis noxæ non fore:recepturos omnia olim poſſeſſa,quæq́;
Curatores fiſci Prouinciæ coegiſſent ademiſſéntque. Reſtituturos Hiſpanos op-
pida omnia,cum tormentis armíſque,quæ eo bello cœpiſſent,intra vnius menſis
ſpatium ; & Hiſpanis Sabaudioq́; mutuam captiuorum reſtitutionem futuram.
Quòd ſi Hiſpani,vi,aut dolo malo,conditionibus quas accepiſſent,& eorum Rex
Gallis ſacramento ſpopondiſſet, non ſtetiſſent; tum arma & copias Gallum Re-
gem Sabaudio ſubminiſtraturum , quantum eius ſecuritati opus futurum nouiſ-
ſet. Hæc pacta concordiæ erant: Cæterùm in eam formam, milites vtrinque di-
mittendos : Primò Sabaudium precibus Rambolietti motum mille pedites A-
ſtenſis militiæ ſoluturum : tum datis ad Inoyoſam literis petiturum vt exerci-
tum omnem è collibus quos inſediſſet, ad Crucem Albam , & quartum reduce-
ret. Vbi Inoyoſa poſtulata impleuiſſet, quòd militiæ reliquum Sabaudio fuerit,
educturum,dimiſſurúmque.Statimq́; Inoyoſam finibus Pedemõtanæ cum legio-
nibus ſuis exceſſurum.Et vbi Sabaudius ſuis miſſionem bonâ fide dediſſet,Inoyo-
ſam

ſam quoque non alium militem retenturum, quàm eum qui non Sabaudio, non vicinis metuendus ſit. Quà cauſa intra ſextum menſem non petituros ſuis copijs tranſitum per ditiones Sabaudij Hiſpanos. Ductori ſummo Gallorum Aldigherio Regem ſuum imperaturum, vt ſi quando Hiſpani pactis non reſpondiſſent,ſtatim Sabaudio cum Regio milite adeſſet, nouis Regis iuſſis non expectatis,aut recentioribus in eam curam mandatis. Nec minus manſurum in poſterum Haluetiorum & Valleſianorum cum Mediolanenſibus liberum rutúmque commercium. Regem quoque Gallum vniuerſis ſuorum,quos contumaciâ aut pronus in Sabaudium animus neglecto imperio traxit veniam conceſſurum; honoréſque ſingulis & ſolita ſtipendia futura. Eâ causâ debere Sabaudium amicos continere,nè in quem hoſtilia exerceant. Si quid bellici tumultus licentiâ militari(quæ vix inter tot millia reprimi poteſt)occultat;id concordiæ pactis obeſſe non debere. Cogendos tamen ſingulos modeſtè agere. Si quid vi detractum ſit omnino reſtituendum. Quidquid Rамboliettus Sabaudio Regis Galli nomine promiſerit ratum eſſe non debere, niſi dimiſſo omni exercitu à Sabaudio: Idque Regem proprio chirographo intra viceſimum diem firmare debere; Hæc prior Sabaudius ſcripſit;mox Ramboliettus; poſtremò Orator Venetus ſui Senatûs nomine promiſit, ſubſidia opeſq; Reipublicæ, quoties diſſolutâ à Sabaudio militiâ Hiſpani pacta violaſſent.

Exercituum animos ſuſpenſos expectatione futuri, viceſimâ ſecundâ Iunij repentinus Nuncius ſolicitudine liberauit; coaluiſſe enim inter Hiſpanos & Sabaudium concordiam vulgatum eſt:hactenus bellatum, in poſterum pacem & omnia tuta fore. Id apud Hiſpanos primùm,mox apud Sabaudios auditum; non tamen eâdem lætitiâ acceptum eſt. Etenim apud hos & illos,diuerſi animorum motus erant; & cum pluribus quies placeret, non tamen deerant qui bellum commendarent.Hiſpanorum aliqui nullo Regis ſui honore, ſanciram pacem rebantur, niſi Aſtium cuius cauſa ſex hebdomadarum labores, multo cum ſanguine ſuorum tolerauiſſent facili iam expugnatione caperetur: Sabaudij contra importunè ſolui militiam rebantur: Indies enim Hiſpanas copias dilabi, incertam apud Ductores concordiam,odio Inoyoſam apud ſuos, Vrbinates,cæteroſq; ſubſidio miſſos pugnam abnuere: Neque enim aduerſus exteros antiquo pacto ſibi præliandum,ſed Mediolanenſis tantummodò Prouinciæ ſecuritati: Plura quam triginta bellatorum millia in eam expeditionem deducta, nunc vix ſexdecim numerari;tantum hominum aut prælia aut bellum abſumpſiſſe:Apud ſe integras cohortes;quindecim prope iuuentutis millia: ſupereſſe Prouinciarum cis & trans Alpes militiam explendis centurijs;à tergo Gallos,& inexhauſtos pecuniâ Venetos.Pleraq; falsò,plura verè.Certum enim erat;expletis à Sabaudio conditionib. affuturum ſubſidio Regem,diſcedenti à pactis exiguas copias manſuras. Et quidem ſimilia apud milites vulgabantur.Sabaudius deſtinationis ſecurus, honeſtis ſibi conditionibus acceſſit;eaſq; libens chirographo firmauit, in hanc formam. Pax vulgâtur.

Cùm Rex Gallus Rambolietto internuncio Sabaudium docuiſſet, quod legatorum ſuorum opera ab Hiſpano Rege retuliſſet,in rem præſentem; ſimul vt Hiſpano ipſi conueniat cupere; nec diuerſa EpiſcopusCoſta,Sedis Apoſtolicæ Nuncius,aut Zeno Veneti Senatus Orator poſcerent,ideo Sabaudium Ducem in Romanum Pontificem,Regem Gallum,& Rempublicam Venetam obſequio ac facilitate, pariter aduerſus Hiſpanum Regem cultu teſtando quàm pronus in publicam quietem foret,præſtito ſacramento ſpondere,ſe intra menſem vnum coactum militem dimiſſurum; iis tantùm ſub vexillo retentis,quibus ſecuritati rerum ſuarum conſultum putaret. Iniuria & offenſis in Mantuanum temperaturum; & prætenſa aduerſus Monferratum iura coram Cæſare examinaturum. Aſtij viceſimâ primâ Iunij, milleſimi ſexcenteſimi decimi quinti.

Cæterùm poſtquam in eam formam tranſactum, noua Sabaudium ſuſpicio attinuit, ne quod chirographo rogatus ſanciuerat, prius in Inoyoſæ manus veniret, quàm ipſe conditiones ſe recepturum promitteret. Quamquam enim Rambolicttus, acceſſurum pactis Inoyoſà teſtaretur; pro re tamen & futuri ſecuritate videbatur, ſi quod vtrique ſubſcripſerant, apud Nuncium Apoſtolicum interim deponeretur: donec publicam fidem daret Inoyoſa, quæcunque vtrique ſpopondiſſent, apud illum immota fore. Ea cauſa Coſta Sauonenſis Epiſcopus tum Papæ Nuncius, miſſa fide quam ante ſubſcripſerat, indemnitati ac ſuſpicioni Sabaudij conſuluit. Niſi enim intra quartum diem ab Inoyoſa firmarentur, redditurum ſe concordiæ ſcripturam recepit; nec niſi illius chirographo habito dimiſſurum. Porrò binæ fuerant Rambolietti Oratoris ad Inoyoſam literæ; quarum prima ſic habebat: In cœptæ negotiationis finem, ab Excellentia tua me certiorem fieri cupio, num quotieſcunque Dux Sabaudius, retentis octingentis tantùm Heluetijs, & eo ſuorum ſubditorum numero, quibus tutela Prouinciæ curetur, cæteras copias dimiſerit, offenſis in Mantuanum Ducem abſtinuerit, & iuxta ſua coram Cæſare proſecutus fuerit, ab Hiſpanorum vi ſecurus ſit futurus; & an executioni mandatura ſit, quæ Reges mutuò promiſiſſent. Videlicet obtemperante votis Sabaudio, numerum ſui exercitus moderaturum; ne Ducis aut vicinorum ſuſpiciones prouocentur; & quæ bello capta ſint, cum captiuis dimiſſurum. Ad has Inoyoſa breuiter reſpondit; Se ſui Regis nomine vniuerſa recipere; & executioni mandaturum quæcunque Orator Rambolicttus ſuis literis complexus foret. Alteræ literæ Heluetijs & Valeſianis ſolitum per Mediolanenſem Ducatum commercium requirebant; & tollendis ſuſpicionibus, ne intra ſex proximos menſes, militibus Hiſpanis per Sabaudios fines tranſitus oraretur. His quoque Inoyoſa annuit; quod modico ſuo ſanguine (vt ferebat) Sabaudium ad obſequium compuliſſet.

[Gallus] in tutelam Sabaudium recipit.

Miſerat ante Sabaudius ad Regem Galliæ, & Proceres Conſilij Aulici literas, quibus reuerentiam ſuam, & paratum arbitrio animum imputabat; orabátque, vt ſecuritati ſuæ Rex proſpiceret. His reſponderat Rex, ſe neceſſitatibus ſtatim affuturum, & tutelam illius recepturum; ſi quando Hiſpani actorum obliti, pactis concordiæ non ſtetiſſent. Nil ſupereſſe videbatur, quod ſancitam pacem proclamari prohiberet; eóque publicis vtrinque edictis, miles offenſis abſtinere iuſſus eſt. Die ſequenti clariora amicitiæ inditia patuerunt. Sabaudius enim cum Principibus filijs, & magno Procerum comitatu, in caſtra vſque Hiſpanorum proceſſit; multiſque ductorum familiariter collocutus, licet non compellato Inoyoſa, ad ſuos redijt. Si qui ab Hiſpano exercitu Aſtium viſendæ Ciuitatis ſtudio profecti ſunt, amicè excepti; monſtrata munimenta, & Vrbs omnis videri permiſſa. Cumque ædium ruinam, & murorum ingentem ſtragem præſumerent; tot dierum continuâ ſucceſſione, & indefeſſis tormentorum ictibus, perſuaſi, minora damna & minorem opinione iacturam inuenerunt; ſiue in vanum ferrei globi inciderant, ſiue è ſummo, in depreſſa malè collineauerant. Dictu mirum quâ fecturi ſecuritate populi hoſtilem concordiam admiſerint; præſumpſerintque. Prudentiores tamen ſecuturæ diſcordiæ metum retinebant; quòd nulla Mantuano, nulla Sabaudio ſatisfactione dicta, etiam parum honeſta Hiſpani Regis conditione; & contrà Gallo hoſtilem cauſam protegente, intuta pax crederetur. Sed eloqui periculoſum erat, ne aut acquieuiſſe dedecori, aut amare turbas quas Inoyoſa compoſuiſſe videbatur, crederentur. Cum enim plerique quibus altius animi ferebantur, & quibus arcana negotiorum ſecretioráque conſilia innotuerant, parum futuro fiderent, exitum ſuſpenſi circumibant, vt volentibus nolentibúſque iuxta congruerent.

Inter has ambages forte euenit, vt nobilis Hiſpanus, nullo licet belli munere defunctus,

turnæ Italorum immixtus quorum familiaritate gaudebat, Aſtium proficiſceretur. Itaque à Sabaudiorum copiarum ductorum amicè exceptus deliteſcentis formidinis ſuſpicionem olim conceptam adauxit. Quippe cum ſermone amico res compoſitas gratularetur,& inter cætera amore gentis,ſatis gloriæ nationi partum parum opportunè tempori iactaret; eoq; maximè auctam opinionem fortitudinis, quod ſuperato collium Vrbi imminentium iugo, & obſidione ciuitate arctatâ,dediſſe quàm recepiſſe conditiones pacis Inoyoſa videretur. Ad hæc renidens Sabaudius ſubiecit, parùm intus opinionem victoriæ æſtimatam; nec enim hactenus vllo æuo auditum,à Duce,cui maiores Sabaudio vires non eſſent, tot regnorum opibus fultum Regem, pacto in æquas conditiones coactum: erubeſcendam illi quidem eum Hollandis ac Zelandis aliquot ante annos pacem credi; ſed fortiſſimæ genti plus hominum,immenſam pecuniam,ſitum recipiendis auxilijs opportuniorem,quàm Sabaudio eſſe. Proinde etiam ſi cætera conferantur, plus honoris addere. Metuiſſe Hiſpanos,arma,vires,fortitudinem,diſciplinam Ducis; & diſſolui militiam ideo maximè cupiuiſſe, quod numero & expectationi, parum tot armatorum domi millia reſpondiſſent. Admiſſum mutuò inter Sabaudium & Mantuanum controuerſiarum arbitrium bono iure eſſe; datumq; præcipuè amici Regis gratiæ,vt iniurijs abſtineret; cum multò ante capta reddidiſſet,quæ ſciret ſtatim repeti poſſe. Neque Britanniæ Regis Venetiq; Senatus,vniuerſis eadem orantibus obniti debuiſſe.Non ergo habere Hiſpanos quo ſe præualuiſſe iactent: vnius alteriuſve oppidi poſſeſſionem lubricam, nec duraturam eſſe; & quòd munimento valido deſtituta ſint, parum in ſummam belli conferre;tot contra Arcibus per Monferratum, vno impetu captis redditiſque; vt in aperto ſit diſſimilitudo fortunæ. Sed quòd poſt coactum in Vrbem Sabaudium,obſeſſos colles; & (quod fruſtrà iaciatur) cinctam obſidione Vrbem honeſtiſſimis Sabaudio conditionibus conueniſſent, certam vim hoſtis atteſtari, & metum proferri. Vanum enim creditu eſſe noluiſſe victoriam,receptione ciuitatum abſtinuiſſe, mitius vires oſtendiſſe, aduerſus Ducem, quem vix quatuordecim bellatorum millibus ambitum,quinquaginta ferè millibus, Italia omni Germaniaq; coactis, ingenti tormentorum bellicorum apparatu, apertè bello, clam inſidijs appetiſſent; in quem Pontificem, Cæſarem, Gallum incitaſſent, cui iuris ſpecie Aſtium vocatis ad periurium ſubditis abducere nixi forent.

Hæc inter diuerſos pluribus agitata cum vtrique acriter (vt contendentium mos eſt) rixa incaluiſſent; addidit inſuper Sabaudius, non victos ſolùm Hiſpanos,ſed & eluſos; cum enim niſi auulſo partibus Gallo ſuperati Sabaudium liceret, eò iam negotiationem proceſſiſſe vt innexus cauſæ propinquus Italiæ Rex, quoties congredi permiſiſſet, ſit victoriam Duci conceſſurus. Id altius Hiſpano hæſit,quàm priuatorum interpretationes merebantur. Itaque in Caſtra reuerſus, etiam ſi quæ acceperat, non dubia hoſtilitatis coniectura retuliſſet, fruſtra fuit. Iam enim in re tranſactum, & eorum diſſimulatio quæ corrigi non poterant, ex prudentia eſſe videbatur. Inſtabilis tamen pacis,& animi occaſiones belli proſpectantis; ſtudiiq; Gallorum in Sabaudium fidem detulit, quæ ante plures Hiſpanorum percrebuerant: Suberat quidem reputantibus pudor, non vi non negotiatione fractum Sabaudium, ſed inſuper valido vicini Regis, & populorum amicorum munimento firmatum; quibus Hiſpana amplitudo ſuſpecta, & inuiſa erat.

Explorato Sabaudij animo Inoyoſa Mediolanum reuertit,relictis Alexandriæ pluribus,per quos,ſi quæ repens vis emerſiſſet,reprimeretur: ſed grauiter animo mœrebat (quod familiarium ſacramento innotuit) quòd tot bellatorum millibus in expeditionem deductis (quamquam reſtituendum fuiſſet) Aſtium non cœpiſſet. Parum quippe gloriæ caſus Oneliæ contulerat, abſente à loco Sabaudio, & *Inoyſa redit Mediolanũ parum læ-tus.*

pauculis eo in præſidio repertis. Iuſtum illum triumphum futurum fuiſſe, ſi in Vrbe hoſtili eam pacem conceſſiſſet, quam integra poſſeſſione abnuere poruerat. Fluctuantem quoque inter dedecoris & honoris opinionem animum, continuis monitis publicè amici, ſummiſſis clam literis inuidi cruciabant, faſtum Sabaudiorum, iactantiam, efferos animos refricantium. Seu vera, ſeu falſa, apud ſuſpicacem facilè credita, eoque amariſſima. Dubium agendorum, & communis exiſtimationis anxium die quodam Aſculanus conuenit, ſublatis à meridie menſis, vt congreſſu tempus falleret, & ſolicitum colloquio leuaret. Multa ibi longo ſermone iactata aduerſus famam, & vulgatam populi opinionem: ſed quia obumbratus curâ animus ægrè alienis acquieſcit, & promptius in ea labitur quibus agitatur, oratio ab Inoioſa cæpta eſt, metus, ſolicitudinis, faſtidij index: ſe diuturni operis, & ingentis conatus pudendum finem retuliſſe; hauſiſſe collationibus ſubditos, abſumpſiſſe Monferratenſes hoſpitio, laſſaſſe accitis auxilijs amicos; nec Tranſalpinos ipſos immunes publici laboris fuiſſe. Dediſſetne hoſti, an accepiſſet pacem ideo in dubio habere, quod ea vtilior Sabaudio quàm ſuis credatur. Paucos quidem ſuorum in acie cæſos; ſed plures aut in morbi aut fugâ elapſos deſiderari. Cœptum cum triginta millibus bellum (ſtudio forſan numerum tenuabat) vix ſecutâ pace quindecim millia ſub ſignis habere. Et quamquam caram omnibus pacem, ſaltem ſororis Regiæ deſiderio facillimis conditionibus ſanciuiſſet, vtilitatem tamen quamcunque cum honore vix credere. Certè eos ſe fælices cenſere quorum auſpicio tam ardua tentenrur. Præcipitem eſſe bene agendæ rei occaſionem; amiſſamq; fruſtra nominari, aut requiri. Sin nouare ſit animus, violari Regiam fidem. Non eadem quæ primo belli motu ſubſidia in armis; vacuis iam Centurijs, & bona pacis honorato bello præferentibus. Si vetera cum dedecore placeant, manſuram memoriam, & detractioni æmulorum perennem materiam. Quando aperta expeditio placeat, parùm in ſuis ſpei habere; contemptu imperij, militari licentiâ, ſui cauſâ. Accedere parata pro Sabaudio auxilia; & plura, & irritato Rege Gallo fortiora. Iam non ignorare fortes viros, & præliorum caſibus exercitos; ſe priuatum, non opibus, non honore non famâ paucos ante annos conſpicuū nouiſſe. Hos iuſſa omnia interpretaturos ſecunda fortunæ ſuorū, aduerſa inſcitiæ imputaturos. Iam ſiniſtros de ſe apud Aulam maliuolentium ſermones excepiſſe; quos, quò longius abſit, eò difficilius poſſe diluere. Porro licet parem ſe negotio cognoſcat, non ideo tamen fronte tenus obſequium æſtimare; cum nouerit ſubditos propriæ vtilitatis intuitu tam diu adulatione vti, donec votis expleantur. Inglorium quoque Aſtenſis obſidionis exitum, vel infimæ plebis reuerentiam imminuiſſe, recepto apud mortales vſu, exitum potius quàm cauſas reputare; parumque in maioribus fortunæ, etiam minora coniungere. Vbi in hunc ſenſum multa graui expoſtulatione ſingulorum proſecutus eſt, conſilium Aſculani requiſiuit quod tale fuit.

Conſilium Aſculani poſcit. Præteritum bellum multa habere, quæ virtuti, fortunæ, precibus, conſilijſque ſuorum & exterorum adſcribi poſſint. Proinde non eam ignominiam aut dedecùs ſubeſſe; quod ſummum exiſtimet; ſed pleraque excuſare, nonnulla etiam commendare; ſiue enim proprius honos examinetur, pulſum Caſtris, quæ præceperat Sabaudium, deturbatum collibus, anguſto Ciuitatis ſitu, cum victoria ad manus eſſet pacem datam; Captum Caſtilionum, cæſas Gallorum copias, ductoreſq;, penetratas perruptaſq; inſidias; domi Oneliam Marrumq; eſſe. Si actioribus aſperioribuſq; temperatam conſtet; ſi captæ Vrbis dedecus Regio ſanguini, & indefeſſæ Regiæ ſororis obteſtationi condonatum ſit, iam certam ſpecioſamq; cauſam eſſe, cur opulentiora neglexerit. An non coactum Sabaudium diſſoluere militiam, exarmare domeſtica præſidia, locis decedere; & omiſsâ in Mantuanum vi, apud Cæſarem quæ circumferat iura, experiri? Non ciuitatum receptione

receptione potius, quàm legibus inimicum arctari, & cogi arbitrio alieno vti, victoriam appellandam. Si quid apud Sabaudium ſpeciem fortitudinis habuerit, non propriam illius, ſed externam & fuiſſe & ſciri: neque vno documento probatam generi humano moderationem ſuam; vtq; integrâ re Sabaudia, non per acies componere diſcordias noluerit. Imminutionem legionum fortunæ imputandam, non hoſtium virtuti; raros conflictu amiſſos; frequentiam morbis tantùm & fuga manipularium inſecutam. Quod ardore belli, inter ardua, & fortes conatus aliqui ceciderint, vt non diſſoluere centurias, ſic argumentum fortitudinis eſſe. Sepoſitos & formidoloſos ſine diſcrimine; ſtrenuos inter pericula agere. Supereſſe nihilominus tantùm virium vt ſi denuò pugnandum ſit, habeat Sabaudius quos metuat. Accedere Mediolanenſem tractum, ditem pecunia, frequentem incolis; vnde numeri & annona ſtatim comparetur. Hæc æſtimantibus decora; etiam apud Regem honeſti ſpeciem habitura. Neque tamen obtrectatorum delationibus conſtantiâ excidere debere. Quæ enim virtus, quæ rerum ſecuritas, quæ vnquam victoria inuidiâ caruit? Perſpectum id Regi atque Aulæ; vbi ſi quis præteritis ſucceſſibus detrahat, non deeſſe qui Miniſtri dignitatem tueantur, conſiliorum adminiſtros, affines, amicos, Infantem ipſam Belgij, & (quod rerum caput eſt) Lermæ Ducem, præualidum & obnoxium. Porrò id optatiſſimum eueniſſe, quo cæteris tacentibus excuſetur, indignationem Sabaudij ac querelas, non iam ſemel aut cum ſimulatione exceptas; haud dubiè alienati animi præſagia. Audiuiſſe Regem non per literas ſolùm & Oratores, ſed iis quos Pedemontanus Princeps detuliſſet: neque vllum tantâ ſtultitiâ eſſe, vt lamenta apud victorem putet. Nullâ gubernatoris operâ ſuſpicionem auaritiæ euacuatam; quâ abſente non aliud copiarum Duci quod cutim tollat objici poſſe. Iam verò dictis factiſq; retinendum conſilium, ne ob improſperum exitum mutare propoſitum dicatur; aut præſentium præteritorumq; diuerſam conditionem fuiſſe. Pro virili damnanda arma; & conatu omni promouendam inter Sabaudium & Mantuanum concordiam, quorum cauſâ patratum bellum ſit. Id vel ipſi Gallo perſuadendum; vt palam ſit eum qui ſtudio omni pacem ſectatur, victoriam ſanguine accelerandam noluiſſe. Aduocandos Sabaudij ac Mantuani Oratores cum plenis ab vtroque mandatis; & qua maximè licet feſtinatione, tollendas noui odij occaſiones. Rem haud dubiè arduam (niſi coniugium cum Vidua Sabaudia & Mantuano ſequatur) quæ tamen ſtudium pacis, vel inuitis approbet. Vrgendum Mantuanum, miſcendas precibus minas; vt magnis nuptijs, venia rebellium, obliuione damnorum, ſecuritati ſuæ cautum velit. Honeſtam aduerſus Mantuanum hoſtibus & amicis acceptam vim fore; nec ingratam ſorori Regiæ Aulicoq; conſilio, quibus Mantuani animus parum Hiſpanis fidus pro exploratо habeatur.

Hæc Aſculanus Inoyoſæ non infenſus, cauſæq; nexus reſpondit. Et licet quæ ſecuta ſunt deliberationi fidem adſtruant, ſummam nihilominus colloquij, & quæ conſenſu decreuêre, nobilis Aulici fide didicimus: qui eadem ſcripto ab Aſculano Inoyoſæ oblato, & aperuit, & Mantuam miſit. Hunc multa pecunia quidam corruperant, non vt Mantuano conſulerent (auerſos enim fuiſſe ſcimus) ſed Inoyoſæ odio, & curioſitate. Mox (quod vſu venit) ſecretum in plures vulgatum, ne Mantuanum quidem cætera ſimilium incurioſum feſellêre. Negare non auſim Aſculanum prudenter Inoyoſæ reſpondiſſe; & niſi ſecreta huius cum Sabaudio pacta obſtitiſſent, cautum honori Hiſpano, & conſilijs ſuis erat. Sed decipi neſcia conſcientia vrgebat; quâ ſe nonnulla Sabaudio ſpopondiſſe, vix apud Mantuanum obtinenda ſciebat. Apertè Regi obtemperandum, & conditionibus Aſtij ſancitis ſtandum erat: ſed niſi datam fidem Sabaudio liberaſſet, eadem belli ſemina, & inanem ſpem duraturæ pacis eſſe nouerat. Quamquam enim

plures ante menſes Sabaudio quibuſdam conditionibus conueniſſe putaretur; & mox mutata rerum facie difficultates & hinc diſcrimina excepiſſet, in eo tamen deliquiſſe maximè videbatur, quòd conſtantiam Sabaudij expertus iiſdem inani ſpe ſubleuatus, non abſtinuiſſet. Imò vbi præcedentem caritatem ſecutum odium eſt, nouæ reconciliationi plus iuſto credidiſſe dicebatur; in metus, ſuſpiciones, aut fauorem verſus, prout occaſio inuitauerat.

Cum Sabaudius propoſiti inconcuſſus, non aliud quàm quod initio promiſſum fuerat requireret, hinc pacta parum ſucceſſura coniectans (nec enim dimiſſurus arma, aut offenſis temperaturus, niſi recepta nepti, obliterata damnorum per Monferratum memoria, & receptis in gratiam rebellibus ſubditis credebatur. Id apud Inoyoſam medij conſiliorum refricabant; nec aliam concordiæ ac veræ pacis viam, niſi præſtitis quæ olim promiſiſſet, & ſublatis quibus reſcindi concordia poſſet. Et licet quæ ſæpius Mantuanus abnuerat, inani ſpe præſumeret requireretque, vtilitati tamen imperioq́; locum aliquem putauit, quo cogeretur. Imminutam auctoritatem ſuam apud Ducem videbat, rebus parum decorè apud Aſtium compoſitis; quamquam enim rumorem vulgi firmatus ab Aſculano iam contemnere videretur, Mantuani tamen acerbas notas ferre non poterat; ſiue ignominia in Duce auctoritatem ferret, ſiue ipſi detraheret; ne priori licentiâ conſulere & imperare auderet. Cupiuerat Mantuanus exui Sabaudium parte magna Pedemontanæ, & id conſilij non vnis literis Inoyoſæ dederat; additis cauſis, pompoſum in modum figuratis. Nempe qua facilitate ſimilia dicuntur, executioni ab Hiſpanis mandari poſſe crediderat: ſed quia plures parum æqui Inoyoſæ, eadem diſſeminauerant, auſus eſt Mantuanus alienæ ſe cauſæ acrius ingerere; & viri gloriam manifeſtis conuicijs eleuare. Id quoque ſimulandum Inoyoſæ erat; vt ſaltem ſpecie amicitiæ reſumere negotiationem poſſet, & à Mantuano ea exprimere, quibus negatis certum erat, concordiæ ſancitæ Sabaudium non acquieturum. Sciebat id maximè Mantuanum auerſari; proinde in illius Oratorem Mediolani agentem conuertit, blandimentis primùm mox pauoribus vſus, vt Dominum propriæ vtilitatis admoneret: nec abſtinuit promiſſis ſi flexiſſet iuuenem, conſilio ſuorum, & amore opum quas rebellibus detraxerat, conditiones auerſantem. Orator quoque quæ admittenda, quæ reijcienda doctus, non ea ſe ſui Ducis mandata habere; nec nouis pactis ſanciendis permiſſam auctoritatem; eòque petendum à Duce rerum arbitrium, & noua pacta quibus Sabaudio concordetur. Pleraque prorſus nolle, dominij ceſſionem, permiſſionem Arcium, aut neptis: quædam eſſe incerta, Veniam rebellium, damnorum obliuionem, quæ ab ipſo Duce peti fas ſit; non iure tantùm ſuo, ſed & Cæſaris Imperio vſum. Id tamen pari nixu Inoyoſa procurabat, non inculcatis ſolùm literis, ſed perſuaſis potentioribus, vt priuato ſtudio eadem monerent conſulueréntque. Hinc Galliâ, Româ, Germaniâ, Hiſpaniâ eadem deferebantur, quæ tamen ſtabilem ſententiæ Mantuanum haudquaquàm mouebant. Nec enim illi parum decori referre videbatur; ſi inter pacem & res ſecuras ea concederentur, quorum causâ bellum maluiſſet.

Inoyoſa iterū procurat Sabaudium Mantuano componere.

Cauſæ Mantuanus fidere videbatur, cum iam conſenſu generis humani cecidiſſet. Ad extremùm cum vniuerſa Hiſpanorum conſilia id vnum ſpectarent, vt quies Ducibus decertantibus eſſet; & publicæ vtilitati ob datam Sabaudio fidem propria Inoyoſæ exiſtimatio accederet, tamquàm beneficium ex tempore quæreretur, iuſſus eſt Orator Mantuanus vniuerſa ſcripto complecti; non tantùm vt æſtimatione noteſceret quid bono iure negari, quid communis commodi gratiâ concedi poſſet, ſed etiam vt ambagibus (ſi fieri poſſet) circumuentus aliquid promitteret, quod Dux poſt factum retractare non poſſet. Nil intentatum Inoyoſæ fuit quo forma aliqua ſpei ſuæ ac cupitis induceretur; neq; tamen adeo

facilem

facilem (ac rebatur) Oratorem Mantuanum reperit. Proinde niſi aſperitates conditionum, mutuâ Ducum facilitate mollirentur, bellum ſecuturum fatebatur; quod & decertantibus, & in cauſam deſcenſuris perniciofum foret. Iam verò, licet dictorum ſcriptorúmque eadem fides & obligatio ſit, ne tamen rerum præcipua, niſi maturè decernerentur, Mantuano placuit Comitem Chieppium Mediolanum properare; vt cum Oratore ſuo, ſummam rerum voce & ſcripto exciperet. Species illi ſuperbiæ videbatur, ſi colloquio Hiſpanorum abſtinuiſſet. Cum obfirmatis in ſententiâ res erat. Itaque examinatis hinc inde rationibus; & in diſputationem vocatis ijs quæ maximè controuertebatur (quando eadem pertinaciter Inoyoſa vellet) diligentia omnis irrita fuit. Fixum enim Mantuano erat pactis Aſtenſibus non decedere, nec cum Cæſarem litis iudicem recepiſſet, nouis ſe denuò legibus quæ priora abolerent, illigare; quæ nec ſanciri, nec admitti integrâ exiſtimatione poſſent. Addiderant pariter firmitudinem Hiſpani Regis ad Inoyoſam miſſæ literæ; quarum ipſe exemplar Mantuano tranſmiſſum non crediderat: continebant; non conceſſionis, non mutationis finium rationem inter Sabaudium & Mantuanum habendam; ius partium Cæſari permittendum; Infantis pupillæ cauſam eodem legandam; cum Viduâ Duce, nec iubendas nuptias nec improbandas, dummodo ditionum tranſactio non ſequeretur: quæ vtrinque bello capta forent, redderentur: Sabaudius ab armis diſcederet: cum nihilominus vrgeret Inoyoſa, & preces ſuas magno auctoritatis munimine roboraret, denique non potius imperium Regis ſui quàm proprium deſiderium objiceret, coactus Comes Chieppius eſt afferre ſectetum, palàmque profiteri: ſcire Mantuanum quid poſtremis literis, illi in mandatis à Rege datum ſit, nec diuerſa poſſe ab ijs quæ acceperit imperare.

Com. Chieppius à Mantuano Mediolanum mittitur.

Deprehenſum ſe iniquiſſimè tulit Inoyoſa, ſiue gnara exteris præcepta quæ accepiſſet impatienter haberet; ſiue perditam ſpem omnem concordiæ metueret, quam tot menſium votis ſectatus fuerat; vt eo ſaltem decore extrema ſuæ adminiſtrationis honeſtaret. Iam enim de ſucceſſore neſcio quid incertus rumor detulerat; cum inſuper obitum munus parum Aulæ placuiſſe accepiſſet; & fortè id ipſum literis didicerat. Dies aliquot Comes Chieppius immoratus, re infectâ Mantuam redijt, eóque aucta Inoyoſæ ſolicitudo præſentium futurorúmque. Quippe ab amicis acceperat, Ioannem Octauium Gonzagam ſui Ducis nomine, liberi coniugij arbitrium, & eorum quæ maximè Sabaudius cuperet repulſam à Rege obtinuiſſe; non vt cum Regijs hoſtibus nuptias aut inſidam amicitiam contraheret, foueretque redituri belli ſemina, quod mergeret Hiſpanas opes (non enim niſi eam potentiam arbitram ſingulorum ſe velle poſt diuerſa profeſſus fuerat) ſed ne Viduæ magnâ cum rerum ſuarum iacturâ iungeretur. Inſtillatum enim à Ferrarienſi Mantuano fuerat, quod eo præcipuè connubio Sabaudius augere res ſuas, & partem illi nobiliſſimam Monferrati detrahere cogitaret. Id ante alia publicis queſtibus docuiſſe: cum obfirmato in nuptias Regi id maximè obiecerit, non abnuere ſe illius familiæ conſanguinitatem, cui ante conuenerit, ſed filiâ in domum inimici denubere nolle, niſi expeditis iuribus, & ſublatis cauſis odiorum. Neque tamen niſi ditionis parte conceſſa rediturum illi caritatem ſæpius apud Aulam & Mediolani teſtatum pro ſecuro reputantem, decem aut quindecim oppidorum iacturam in vili Mantuanum habiturum; ſi in poſterum cætera ſeruauiſſet; & ſalutari matrimonio ſibi ac poſteris cauiſſet. Contra Mantuanus ſuperbè reſponderat, contrahere ſe, non emere nuptias velle. Non abnuere cauſæ iuſtitiam apud Cæſarem, & quoſcunque veri æſtimatores experiri; nec ſororem ſuam Pedemontano vt minori collocaturum. Inter hæc geminatæ quas diximus ab Rege literæ Inoyoſam agendorum anxium inuenêre; Sabaudio dimittere militiam (quod pacto Aſtenſi facturum ſe receperat) & cætera executioni mandari imperantes.

Inoyoſa iubet Sabaudum militē dimittere.

Adhuc Sabaudij Orator Mediolani erat. Itaque quando tot hactenus curæ, & diu tentata concordia fruſtra fuit, accerſitum Inoyoſam monuit Regij imperij, & pactorum Aſtenſium. Proinde Ducem ſuum miſſo Curſore faceret certiorem; ne longiori morâ patientiam ſuam ludificaretur, ſed ſtatim militi daret miſſionem, & quæ apud Aſtium ſpopondiſſet, bonâ fide executioni mandaret. Nimis diu ſe in tractanda partium concordiâ operam triuiſſe; adieciſſe ſuperos euentui congruens Regis arbitrium; quippe vel annuente cupitis ſuis Mantuano, nolle Regem accedere: Et ante alia nullam quantumuis exiguam locorum ceſſionem aut mutationem admittere: Pacem immotis finibus Monferrati iubere. Paruit Sabaudius Orator; & quia pluribus in eam rem opus erat, profectus ipſe Taurinum, detulit arcta ab Inoyoſa mandata. Ille licet ſemper imperruptus audito nuncio ſtatim incanduit; Inoyoſæ inuidiam; & auerſum honeſtis vtilitatibus ſuis Regis animum lamentatus. Et ne ſine ſenſu crederetur, ſtatim regredi Mediolanum Oratorem imperauit; conquerique: Cur quæ ingentia paucos ante menſes ſpopondiſſet in irritum cadere voluiſſet. Promiſſam neptim; veniam rebellium, damnorum ceſſionem cur in dubium vocauerit: ſcilicet dona ac munificientiam ſuam fruſtra fuiſſe; deceptum ſe ſpecie amicitiæ; & ideo contemni quod libens voléntque credidiſſet. Non minoris aduerſus Regia iuſſa indignatione exarſerat; ſui ſanguinis modicam illinc caritatem, profectus ſui per bonas artes inuidiam, fauorem Mantuanæ domus licet aduerſæ deteſtabatur. Neque miniſtri ſilebant inanes ſpes Mediolanenſis Ducatus olim oſtentatione fictâ inſtillatas, & dotales vxoris Hiſpanæ reditus plures iam annos Neapolis ac Mediolani non ſolutos criminantes. Accendebant offenſum animum Onelia Marrumq; nondum reddita, & valido præſidio ab Hiſpanis ſeruata: licet vbi militem dimiſiſſet Sabaudius, redditurum ſingula Regem Inoyoſa ſacramento promitteret. Domeſticas & vulgatas Mediolani querelas ſatis eſſe haud quaquam ratus Sabaudius in manifeſtam ſcripturam conſenſit; quâ auctor operis, ſua in Hiſpanum Regem obſequia proſecutus, quibus acerbitatibus exercitus in præmium pietatis fuerit recenſebat. Cui cum eodem themate à Mediolanenſi quodam reſponſum foret; vt comparatione vtriuſque, odia, merita, cauſæ, ſuſpiciones innoteſcant (nec enim inania proſequuntur) iuuandæ memoriæ latinè reddidimus. Perrò ita Sabaudius.

Manifeſtum Sabaudij ob ſinens Ducis aduerſus Hiſpanum Regem obſequium.

Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis erga Hiſpanum Regem eam reuerentiam, id obſequium fuiſſe, certiſſimis documentis & magnis officijs approbata, vt genus humanum ſingulorum æſtimatione ſuſpenſum admirationis habuerint. Quæ licet magnitudine ſuâ ſine modo fuerint (nam Prouinciarum quæ recto iure poſcebantur reſtitutionem continebant, in quarum ſecuritatem Hiſpanus Rex Mediolanenſis Ducatus nomine Sabaudio aſſiſtere tenebatur) non tamen aut acceptam fuiſſe modeſtiam, aut moderationem profuiſſe; ſed inaudito deſpicientiæ exemplo, Sororio ac Nepotibus bellum in Italiâ intuliſſe. Non minori admiratione fuiſſe optimū ac iuſtiſſimum Regem ſuum ſanguinem armis adortum, leuiſſimis occaſionibus in cauſam vocatis: quod nempe Mantuano Duci inimico Sabaudius noluerit Viduam filiam ante deſpondere, quàm mutuæ controuerſiæ componerentur; & tollerentur è medio cauſæ odiorum, nec deſcriptum militem duorum ferè millium numero, ſupra ſolitam pridem militiam dimittere; ne Monferrato palmari prouinciæ ſuſpectus foret. Neque enim eas tum vires Sabaudio fuiſſe, quæ metum vicinis facerent; cum è contra triginta peditum tribus equitum millibus in id bellum motis, Italiam atque adeo Europam omnem excitauerit: Quaſi tam ingens apparatus, non aliud quàm duo hominum millia proſpiceret, quæ ſupra ſolitum Sabaudio militabant. Et quamquàm acceſſio hæc Heluetiorum Mediolanenſi Ducatui & Regi Gallo fœdere obſtricta,

Digitized by Google

obſtricta, pactiſque acceptis abſtinere oppugnatione Monferrati iuſſa, ſecuritatique Pedemontanæ tantùm aduocata eſſet; nil tamen veritatem facti, aut nexam ſacramento profeſſionem iuuiſſe. Quippe non aliam quàm rerum ſuarum curam Sabaudio incubuiſſe, non ſemel oſtendiſſe ipſum, quòd cum ad manus victoriam haberet, Nizâ abſceſſiſſet, quod Trinum, quod Moncaluium, quod Albam; præcipua Monferrati munimenta cum iam maiorem partem ſuæ poſſeſſionis feciſſet, reddidiſſet: denique quòd ſatisfactioni ſuæ non aliam quàm Inoyoſæ fidem voluerit; qui filiam matri viduæ, veniam rebellium damnorum abolitionem; & feſtinatum ſuorum iurium examen ſpoponderat tam irritè quàm falsò.

Denique præſtando coram obſequio miſſum in Hiſpanias Pedemontanum Principem filium, regijs copijs Pedemontanum agrum teſte Sancio Salina Caſtelli Mediolanenſis Præfecto obtuliſſe. Studia tamen ſua ſemper ſine fructu fuiſſe. Cum enim parem facilitati ſuæ animum Regis opperiretur, & ijs quæ miniſtri Regij per Italiam & ab Aulâ præſcribebant congruentiâ ſperaret, Principem Pedemontanum aſperè & inciuiliter habitum; nec minus Filibertum filium ſecundo loco natum, in Portum Sanctæ Mariæ, cœli grauiſſimi, nõ diſſimilem exuli relegatum: Ne apud Regem Patruum miniſterio, in ſuam cauſam ſtudiumq; proficeret; & conſiliorum communione vnâ cum fratre Principe iniurias ſuas exponeret; tutelam domus ſuæ, & eorum quæ promiſſa parenti fuerant, cum Monferratum Mantuano redditum, ſexaginta aureorum millia, quæ fœlicis memoriæ Philippus Rex parens filiæ ſuæ Sabaudij coniugi, in Mediolanenſibus reditibus ſingulis annis legauerat; quorum ſolutio octauum iam annum fefellerat; & alia quadraginta octo millia, quæ dotalis prouentus eiuſdem ſponſæ, ſuper reditibus Foggiæ in Neapolitano pendebantur; quæq; quinquennium iam ſuppreſſa fuerant procuraret. Cum nihilominus creditorum cæteri per Italiam & Germaniam ſolutionibus, clientes & amici, ingentibus donis, nullâ Sabaudij mentione explerentur. Neque tamen inurbanitatem erga filios ſuos, & præpoſterum ſeruorum in Italiâ miniſterium eo fine ſtetiſſe, ſed auſos mouere per Italiam arma, concire accolas Principes; Europámque omnem ſuſpicionibus adnectere; ne modici exercitus dimittendi ſpecie Hiſpani miniſtri, liberum & ſui iuris Principem dominio deijcerent, & alienas Prouincias in ſua commoda referrent. Immemores certè veteris cum Sabaudijs Ducibus ſocietatis & miniſterij fuiſſe: Cum Auus pro Regiâ familiâ, Dux ipſe plures annos in Gentis obſequium diſpendioſum bellum tolerauerit; multo ſuorum ſanguine vtriq; communem cauſam tutati ſint; & quò pax ſecuritáſque Mediolano eſſet, ingentem Sabaudiæ portionem Regi Gallo à ſe conceſſam. Nempe Regios Nepotes innocentes, & immeritos apud Patruum paternâ caritate eductos, & perpetuâ reuerentiâ probatos, pro iure ſanguinis, conceſſione bonorum, ampliatione finium, exui à miniſtris per Italiam iuriſdictionibus vetuſtis debuiſſe. Et tamen in aperto erat, auaritiam & tyrannidem toti Chriſtiani Orbi inuiſa crimina, nouas apud Italos turbas concitatura; & Mediolanum ipſum periculo expoſiturum. Prætextuum vanitatem pluribus argumentis detectam, qui vbi fruſtra fuerint (ne colores deſiderarentur) abſurdiora commentari: Contumaciam nempe Sabaudij bello perſequendam, quod dicto Regio audiens non fuerit: Neminem tamen adeò ignarum rerum eſſe, qui neſciat ſummi Pontificis, Galli Regis, Venetæq; Reipublicæ officijs multo ante Sabaudium ceſſiſſe; & Monferrati poſſeſſionem, quam armis aduerſus armatos recepiſſet, neglectâ vtilitate ſuâ, & Regis Hiſpani obſequio prælato, reſtituiſſe. Quod ſi contempla Regia imperia exequenda ſint, ignorare neminem, Mantuanum Ducem minus Regi obtemperantem fuiſſe, quamuis conditioni Sabaudij inferiorem. Tot enim legationes quibus Marchio Croſeus, & Alonſus Pimentellus Hiſpanorum nomine defuncti ſunt. vt Pupillam Mantuani neptim Mediola-

num, in Matris auiq; ſinum deueherent, conſtantiſſimè obſtitiſſe: licet & iure gentium poſceretur, & id multò ante facturum ſe Inoyoſa ſacramento promiſiſſet. Neque tamen in Mantuanum dicto aut facto Regios miniſtros inuectos, aut eius dominio comminatos; non obedientiam; non ſummiſſionem, non ſatisfactionem hactenus quæſiuiſſe. Iam nemini dubium eſſe, non duo militum millia vltra conſuetam militiam retenta, aut negatam Mantuani coniugio filiam, niſi præſtitis ab Inoyoſa, quibus pacto bonæ fidei conuenerat Hiſpanorum arma prouocauiſſe, ſed cupidinem prouinciarum, & proferendi imperij libidinem inexhauſtam.

Porrò non ſemel Sabaudij Ducis moderationem, & erga Regiam ditionem reuerentiam patuiſſe; vel generis humani inſectatione, & populorum ſuorum quetelâ: cum enim alleuare ſubditos, & in hoſtilem agrum copias deducere potuerit iniuriâ abſtinuiſſe; nec niſi propulſandi belli cauſâ per Mediolanenſem agrum inceſſiſſe. Nouariam quam minimo negotio capere potuerit, omiſiſſe; Caſtra in Regio ſolo noluiſſe, tolerasse erigi pro finibus Hiſpana munimenta; copias ſuas vindictæ deſiderio ardentes, populatione & incolarum collationibus prohibuiſſe: cum Hiſpani contra in Pedemontanam vaſtationibus ac rapinis ſæuierint, datam deditis fidem feſellerint; quod apud Monbaldonum vſu venit; & contermino Vercellis agro: vnde abducta pecora, dirutæ domus, & inducta campis dira vaſtitas: imo & ruinarum reliquias in nouam Arcem cum ſtrueretur importatas. Semper priores Hiſpanos Sabaudium agrum incurſauiſſe, fœdaſſe incendijs (cuius immanitatis documentum Cereſana retinet) Templa quoque ſacrorumque miniſtros direptionibus & prædâ violatos. Ea vt Dux, piiſſimo Rege neſcio, eueniſſe credit, & miniſtrorum flagitio imputat; ſic ſperare excepturum olim ſordes, & ſingula pro modo iniquitatis executurum. Quantum enim decoris Regi, reſtitutione Monferrati, legatione Principis filij, oblatione agri quo regius exercitus aleretur; nec minus nauium ac triremium in externas expeditiones à Sabaudio quæſitum fit; tantum à miniſtris iniuſtum infamiæ, quod Hiſpano milite, Neapolitanum ac Siculum Regnum exuerint, quod cogendis ad bellum Sabaudium populis, damnatis flagitiorum immanium veniam conceſſerint, tamquàm in Chriſtiani nominis hoſtes pro religione certaturis: quòd Ducis miniſtros Arciumq; præfectos ad perfidiam auro pellexerint; quod inanibus & conuictis falſitatis ſcripturis, exſibilata conſenſu generis humani iura vulgauerint; vt ſubditi Pedemontani ſubirent Hiſpanum ſacramentum; tum maximè cum pacem & pacta concordiæ obſtreperent, ſummiq; Pontificis arbitrium profiterentur. Tum incuſaſſe Sabaudium belli & turbarum, cum Oneliam infeſtis exercitibus circumuenirent; & hoſtilia tamquàm nullâ concordiæ mentione exercerent. Quod ſcripto conſignatis conditionibus pacis poſtquàm Sabaudius acceſſerit, detractum ſibi tranſigendi ius retulerint; quòd ſancitâ apud Aſtium pace Marrum nihilominus occupauerint. Et quidem per ea tempora integrum Sabaudio fuiſſe, Candiam & vicina ab Hiſpanis auertere; id tamen reuerentiâ ac religione vitaſſe ſuoſq; monuiſſe, vt iniuriâ abſtinerent.

Porrò non eo fine vim Hiſpanam ſtetiſſe, ſed pleraq; Cæſarei iuris oppida eo tracta inuaſiſſe, quorum curam ad Sabaudium pertinere ſcirent: ſiue vt procul ceruicibus ſuorum infenſum hoſtem depelleret, ſiue officio veteri inſiſtens Cæſarei Vicarij iure vteretur. Secutum quidem & Sabaudium in nonnullis exemplum; quæ tamen occupauerit vbi cœpti motus conſediſſent; & nullus in poſterum ab Hiſpanis metus fuerit, bonâ fide priſtinæ conditioni reſtituturum; teſtandæ non minus animi rectitudini, quàm aduerſus Cæſaream maieſtatem obſequij. Scriptura hæc primùm Mediolani, mox per Italiam vulgata, diuerſis animorum motibus excepta eſt: prout præoccupata opinio in fauorem auerſionemque flectebat.

ctebat. Medij non amore,non odio obnoxij,iudicium ſuſpendebant;donec veritas compoſitione iurium noteſceret. Sed vt intemperantes ſunt,quibus ambitio aut pronus adulationi animus in diuerſa torquetur, repertus eſt qui reſponderit, quamquam fallere cuperet offenſionis formidine,eoq; typo abſtinuerit;pluribus tamen exemplaribus ſenſa animi ſui detegit, quæ vt ferè nouitatem cura ſollicitar, exſcripta & plures per manus diſſeminata ſunt. Authorem vanitate & ſimilitudine argumenti, facilè vnuſquiſq; coniecit, qui impudentiam & rerum ignorationem æſtimauit. Damnatum ab ipſo parente fœtum,publici iuris facere iniquum eſſet, ſileri tamen non debuit, ne manifeſtæ iniuriæ neſcirentur; quas Sabaudius in tempore magnis cladibus vltus eſt. Id enim ſententiæ loco addere licet; quod cùm in Sabaudium quædam ingererentur, plura tamen miniſtris Regijs imputarentur; cum Rex ipſe nulli culpæ affinis, imo magnâ in extremùm commendatione dignus fuerit: Hanc illi gloriam ne hoſtes quidem inuiderunt. Eadem familiari inter amicos ſermone, & cum exteris per literas tractabantur. Nec alia colloquiorum materia inter cœtus nobilium, & fora erat. Vt mirum non ſit Italiâ, Hiſpaniâ,Galliâ, Germaniâ ſimilia fuiſſe vulgata, quibus & offenſum Sabaudium,& læſum Inoyoſam didicimus. Sed erga hunc maior detractionum licentia; cum illum magnitudo propria,& cauſæ conditio protegerent.Nec minus ipſe Dux conuiciorum inſolens, acrius grauiúſque lamentabatur ſpe, non irritas aduerſus tantam petulantiam preces fore, quæ ne ſceleratis quidem, modo,tempore,occaſione,ſatis placebat.Iam verò hoc præcipuè initio imminui Inoyoſæ exiſtimatio, apud præfectos Conſilij Regij, & alijs alia criminantibus, augentibuſq; flagitia,cunctatio eius accuſari publicè cœpit. Summiſerant teſtes criminum qui ſe læſos iactabant: Hi neglectam ſæpius benè agendæ rei occaſionem, proditam victoriam, auaritiam, ſordéſque objiciebant: & eò vſque odiorum libertas prouecta eſt,vt inter epulas Regias repertus ſit, qui miſſum Mediolano ab vxore eius in caſtra Pedemontana poculum vitreum, per feſtinatum nobilemq; Curſorem fateretur, quo pars nobilium fœminarum domi ſuæ compotauerat, quadam cœnæ feſtiuitate in ſalutis Inoyoſæ præſagium; reddidiſſéque operam Inoyoſam celebritate matutini conuiuij; quâ Proceres ſaluti vxoris Inoyoſæ eodem poculo incolumitatem ominati fuerant. Sexaginta aurei, vanâ eâ miſſione inſumpti dicebantur. Celebri eo verò conuiuio octingentos; cum maximè rei familiaris anguſtiam, & pecuniæ in militum ſtipendia inopiam per literas Regi accuſaſſet. Nec tamen nobili viro patrocinia deerant,ab Lermæ Duce ac neceſſarijs,quorum calore ſupra propriam auctoritatem fouebatur,& conſilio firmabatur. Horum quoque gratiæ auidi gratitudinem & ex eo obſequium rati,ſingula Mediolanum Inoyoſæ præſcribebant; quæ Regi expoſita,quæ credita,quæ pronis auribus, aut indignantibus accepta. Plura hæc & grauiora erant, quàm vt ab Inoyoſa deſpicerentur, non ignaro magnam fortunam æmulatione exerceri, nec ex animo vniuerſos ea auerſari, quibus in potentioris gratiam inuehuntur.

Inoyoſa apud Aulam Hiſpanam malè audit.

Ante alia illum querelis intendere Marchio Septem Eccleſiarum miſſis ab Hiſpania literis impulit;quibus docebat,nó ſolùm cunctationes eius,ſecreta,aperta, proſpera,aduerſa in culpam trahi;ſed præcipuè offendiſſe ſilentium:quòd Rex & Proceres ſtudioſè ſingulorum admonêdi,alienâ ferè curâ,non ſolùm ſumma,ſed & minima didiciſſent. Addebat,conſenſu Ducum militiæ vniuerſa eius conſilia reprobari;apud quam tot ſibi hoſtes quot ſtrenuos,& lógo imperij vſu probatos, eſſe. Duraturam quidem apud ſe pro amico fidem, ſed euentui metuere,paucis eam cauſam fouentibus,pluribus implacabiliter indignatis;nec credere volentibus,tot Procerum congruentes inuicem criminationes,cum dolo eſſe. Spem vnam regerendis in accuſatores flagitijs,ex bono euentu pendere; quo prætereita

Marchio Septem Eccleſiarum Inoyoſam criminationum admonet.

ignauiæ nota detergeatur,& obfirmatos in calumniâ animos, nouo affectu retineat. Ductum in vincula Ioannem Vrbinam Inoyoſæ familiarem,nec alia quàm amici cauſa; vt ab arcanorum cōſorte,fidiſſima conſiliorum quæſtionibus eruantur. Neglectum Sandamianum, quod ſponte Mantuani permittebatur, & mollius tractatum Sabaudium incuſari,parum videri,niſi fides quoque Regia in crimen vocaretur. Hac origine proceſſiſſe diffidentiam ; & rerum Italiæ ſolicitudinem ingentem ad ſucceſſoris vſque deſtinationem. Id ſuo pretio ab Inoyoſâ æſtimatum. Neque enim morum Aulæ rudis erat, apud quam conſilia poſt deliberationes vulgantur. Incertus quoque rumor idem detulerat,quo minus nullo certo auctore,eò licentius auditus creditúſque.Vaneſcere Regiæ indignationis formido ; & nominati ſucceſſoris expectatio poterat, caritate ſui inuiſa abnuentis, & ſolatiis amicorum addentium fidem conſtantiæ ; niſi ab Diego de Leyua literæ ad Vargas Secretorum Mediolani adminiſtrum datæ,nouos metus incuſſiſſent; & recentioribus inditijs odium ſui,ſucceſſorémque in vicino detexiſſent. Siquidem continebant ; difficile dictu eſſe quàm aduerſa fama ipſe in Aula eſſet; ſecordiam, opportunitatum neglectum, etiam perfidiam objici, & quamquam Lermæ & Viedæ Duces,dignitati vtilitatiq; hominis ſtuderent,inanem tamen operam ludere aduerſus conſenſum Procerum,& firmatas nouis indicibus ſuſpiciones.

Ergò Inoyoſa ſecurus iam odij,ſeq; ac res ſuas futuro diſponere,cogere pecunias, veteres neceſſitudines & amicitias acrius ſolicitare, fatigare literis Europam omnem ; & iam non dubia delationum ſcientia, eorum quibus vrgeretur apud Regem,copiam orare cœpit,quo dilueret obiecta. Sed apud Lermæ Ducem validius nixus,& honori ſuo,& rei familiari patrocinium flagitabat. Licet variis artibus eludere accuſatores Lerma poſſet; aut (quod minimum) apud Regem vniuerſa mollius interpretari; ne tamen publicâ inuidiâ potentiam ſuam ne amico quidem profuturam infringeret, multis annuere, quibuſdam conniuere, nonnulla excuſare:ſpe ceſſuri tempore odij,& valituræ aduerſus æmulos conſtantiæ. Vxor quoq; Inoyoſæ magnis affinitatibus nexa,quod maximè maritus deliquiſſe dicebatur,prætextu Belgicæ Infantis velabat (cuius gratia multa ſecus quàm Cōſilium Regium voluerat,admiſerat)poſcebatq; ſubſidium Principis fœminæ,quá potentiſſimâ nouerat premendis rumoribus. Miſiſſe etiam Inoyoſam ipſum Bruxellas Curſores dicebatur,breuem adminiſtrationi moram flagitātes;quò dimiſſus non depulſus videretur.Annuum imperium popoſcerat;& forſan obtinuiſſet; ſi Sabaudius minus in ſummam indignatus, querelis honeſtiſſimis abſtinuiſſet. Mantuanus quoque cum nutantem Inoyoſæ apud Regem gratiam audiret, tum maximè lamentabatur:nō quod perſuadere poſſe crederet,ſi clariora Regem non mouiſſent;ſed vt exutus gubernatione ſuis queſtibus videretur. Difficile porrò Sabaudio erat,& Regi & Inoyoſæ conuenire. Huic quidem ob eluſa toties promiſſa Neptis,damnorum,rebellium; illi deſiderij Mōferrati ſpe,quod iure deberi ſibi iactabat,filiorum ac ſui cauſa. Sed illud præcipuè generoſum Ducis animum lacerabat,quòd non conſanguinitas,non opportunitas non reuerentia honeſtiſſimæ cauſæ profuiſſent apud eum quem natutâ fautorem rebus ſuis nemo nō ſperauerat. Ipſa Regis in Inoyoſam indignatio acrior indies & pluribus argumentis conſpicua,vniuerſos(licet auxilium aliquod ſpes oſtēdiſſet)retinuerat;ne irritum officium aggrederentur,tegeréntve hominem, quem vulgi rumor perfidiæ iam, & profligatæ exiſtimationis Regiæ reum arceſſebat.Donec tracto in diſceptationem negotio,altero damnum menſe criminum copia permiſſa,in hęc ferè capita.

Capita accuſationum Inoyoſa. Cur ſi Aſtium validius erat, quàm vt caperetur, tot dierum obſidionem luſiſſet;aut ſi debilius famâ cur non obſederit,prefferitque ; cur conceſſerit etiam per ignominiam locorum commoditates,quas prior occupauerat ? Cur educta Arce

Sando-

Sandoual, cum vniuerſa metu Hiſpani nominis compleuiſſet, magno dedecore ſuo ſe Nouariam receperit, ab eo loco mouens, quem exiſtimatio retineri perſuadebat; non belli Ducibus, non Regi ipſi communicato conſilio? cur perruptis impedimentis, & deducto in Pedemontanam exercitu nouo, in ſolo hoſtili caſtra non poſuiſſet, quod toties Regiæ literæ monuerant; vt ante alia id vexationis genus Sabaudium corrigeret? Cur orta inter Gallos & Pedemõtanos diſcordiã; cum nulla Ductoribus reuerẽtia, nulla militibus diſciplinæ cura eſſet, effuſam in ſinum victoriam reieciſſet? Cur manifeſto Regij mandati contemptu, victrices & formidatas legiones in Mediolanenſem agrum, media agendorum opportunitate præmaturè reduxerit, trahendo bello in ſequentem annum, quod eodem impetu patrari potuerat? Etiam ſi hiberna petenda erant, & pars copiarum in quietem deducenda, cur maritimam expeditionem, paratis in eam curam vniuerſis, omiſerit, certo inde rerum exitu: ſiue gentis ſuæ gloriam nouis expeditionibus protuliſſet, ſiue longioribus intentum Sabaudium, ab iis quæ prælio deſtinaſſet, diuertiſſet? Cur Pontificio Nuncio, & Galli Regis Oratore inſtante, vt quadraginta dierum induciæ ſancirentur, media in negotiatione Principem Thomam aggredi Candiam, & toties impunè interna Mediolanẽſis Ducatus irrumpere, expedito equitatu tolerauerit: Non Alonſum Pimentellum cum ſuis, non turmas poſcentes diſcrimina, inſultanti puero oppoſuerit; non hoſtiles motus per exploratores diſpoſitos obſeruaſſet? Cur denique rem decori Regio indignam, toties ſilentio inuoluerit, cum alij irrequiſitã ſolicitudine perſcriberent? Cur ante alios auctoritate, ſed militari ſcientia pluribus inferior, & quorũ ſententias requirere in mandatis habuerat, arrogantia ac faſtu abſtinuerit; nec ſingulorum cõſilia ad Regem miſerit; vt inter diuerſos conuenire, & tempori opportuna deligere liceret? Certum enim eſſe, receptui toti militiæ inhonoro, quodq; gloriam gentis macularet, non ſemel intonaſſe; inſtillatamq; ſibi prudẽtiam fuiſſe ne ab hoſtico caſtra moueret; cum interim & ſuorum vitæ parceret, & ſolâ morâ frãgeret aduerſos. Cur negatis paucorum dierum indutijs magnâ Hiſpanæ exiſtimationis vibice, tacitè longioribus cõſenſerit, tractabili adhuc cœlo ductis in hiberna legionibus, cum aduerſus fractũ & numero imparẽ; quiq; externis auxilijs iuuari, ob inſtantis hiemis ſæuitiã non poterat, proficere liceret? Cur diuidere militem, & in diuerſa diſtrahere præſumpſerit, nõ Regis imperio, nõ opportunitati obſecutus; fractis eo præcepto ſuorum animis, & cõceſſo inimicis tempore vires exhauſtas reficiendi. Cur tot vltrò citroq; commeantibus nunciis, numerũ militum Ducumq; nõ retulerit; quibuſq; viribus hoſtis eſſet, non perſcripſerit; facili ſingulorum ſcientia, & proprio ſupremi Ductoris officio? Cur plures ante menſes capto Marchione Caluſij; & lætionibus eo tractu Hiſpanorum rebus, victoriæ moderari voluerit; fracto iam Sabaudio, & fugam potius quàm receptum proſpectante? Cur Curſore Pontificio in Hiſpanias properante, aut (ſi expeditior proprio miſſu erat) Legato in Aulam internuncio, pacta quæ Sabaudius propoſuerat non tranſmiſerit; aut Pontificis in rem eandem ſtudia (quæ tamen ſciri ſummoperè expediebat, quæq; experimẽto innotuerit, toto quod aiunt cœlo ab iis quos ipſe miſiſſet diſcrepare) non obſeruauerit? Hæc maximè vulgata; & quò certior fides eſſet typis commiſſa: nec ea tamen prorſus credita; aut ſatis perſuaſum, non alia exoſo iam Gubernatori obijci, quem tot Procerum lamentationes impetebant. Eum Inoyoſæ amicorũ aſtum fuiſſe æmuli eius fatebantur; quod inania & quæ promptè diluerentur vulgauiſſent, auertendo à grauioribus Rege, & retinendis iis qui grauiora fuerãt delaturi; quaſi illi eandem cauſam proſequerentur, cætera inania forent, aut maiora quàm vt crederentur. Ergò vt præcedentium querelarum fama magnâ ſecuritate ab Inoyoſa excepta eſt, ſic grauius concidiſſe ferebatur, vbi immaniora accuſari, & ſecretos delatores ſibi eſſe deprehendit. Eo genere erant: Non obtemperatum ab

eo Regijs mandatis,quibus Sabaudij peruicacia frænanda iubebatur: & hinc aduerſa rebus & honori Gentis eueniſſe. Externas interceſſiones, ne paratas vires omnes in cauſam conferret,& ne repentino incurſu victoriam occuparet;admiſiſſe: Ab his excuſationes negligentiæ petijſſe, & dolo prætextus: Recipiſſe munera in pretium ignauiæ, & accepto auro gemmiſq; profectus hoſtium adornaſſe: non re, ſed nomine bellatorum numerum auxiſſe, vt nullâ in vſum famâ ſibi in menſes ſingulos plura aureorum millia adderentur: Rerum ſummam non conſilij bellici per Italiam arbitrio, ſed ductu proprio(vt facilius imponeret)tractauiſſe. Flagitioſè ac clandeſtinè Comite Guido Sangeorgio vſum, cæteriſq; à Sabaudio miſſis;vt ſpecie honeſti tempora benè agendæ rei perderentur. Vænalia omnia apud exercitum habuiſſe. Strenuos belli Duces quorum virtuti infeſtus eſſet,& Oroſcum præcipuè ad Beſtagnum dolo & caſibus obiectauiſſe. Et vt alienâ quoq; culpâ premeretur, multa in vxorem illius ingerebantur, auſam venundare pretio partium fortunam,& potentiam ſordido quæſtu æſtimare. Vix publicè accepta comperta ſunt; eò minus abdita, & ſecretis maximè accuſationibus delata pro certis recipere animus eſt. Id tantùm ſcimus priora obiecta Inoyoſam renidentem excepiſſe; poſterioribus iratum intentumq; conſcientiæ ſuſpicionem quibuſdam præbuiſſe. Animum certè magnitudine dignitatis oblatum, repentinâ morum mutatione in comitatem vrbanitatemq; mutatum præbuit. Haud dubiè prudentia facilius ſermone ac præceptis, quàm vſu probatur: nec enim vllus adeo ſecuri animi eſt, quem ſimilia repentino & magno occurſu firmitudine non deijciant. Quo minus mirum internas animi turbas, Inoyoſam tegere & diſſimulare non potuiſſe: & fronte licet hilari, nouæ vitæ inſtitutis ſolicitudinem detexiſſe. His angi Inoyoſam quamquàm recordatione iniuriæ Sabaudius lætari debere videretur; non tamen in eo expletæ lætitiæ locus erat; quod ſucceſſoris deſtinata, ſuis iuribus aduerſa timere poſſet; & aduerſus proprium profectum contumaciam. Itaq; actius iura ſua inculcare; & licet inter arma ageret; vimq; ſi per occaſiones licuiſſet, proſpectaret; quæ tamen ſcriptis per Italiam paucos ante annos vulgatis complexus fuerat,iterum in publicum dedit; Philippi Mariæ nempe Mediolani Ducis promiſſa, Sabaudio ac filio Ducibus facta,rata cum illis Marchionis Monferrati pacta fore; & ſi abnuiſſet, conditiones armis vindicaturum. Nec id fruſtra; quaſi mutatione fortunæ nacti dominationem Hiſpani, non alio iure, quàm quod præceſſores ſtatuerant niterentur. Cauſæ iuſtitiam approbare in animo erat; vt vel Regis arma in ſuam cauſam flecteret,aut (quod minimum) aduerſum non experiretur, dum interim ſibi ipſi intentus exequi iura ſua ſatagit. Sed inania ac noua, faſtu ac neglectu eo apud Hiſpanos credita; nec potuiſſe Mediolanenſes Duces obſtingere, quæ inuitis aut ignaris Cæſaribus,& contra feudi auiti ac nobilis naturam,partes ſe facturas recepiſſent: & eò minus Hiſpanum Regem; ſed ſententiâ Cæſaris liberatum, qui conceſſiones Marchionum Monferrati irritauerit. Non adeo Sabaudius in Hiſpanum flexerat,vt Cæſarum obliuiſceretur. Acceperat enim aliquot ante dies à Marchione Imperij, & Principe Caſtilioneo, ſcriptum quoddam minis refertum,in hæc verba.

Sabaudius obligatione Ducum Mediolanenſium ſcripto vulgat.

Cum Sacræ Cæſareæ Maieſtati;&c.Domino noſtro clementiſſimo,& relationem & inſtrumenta authentiqua liquidò demonſtratum ſit, mandatum Imperiale de exauctorando & dimittendo milite,omnibuſq; ijs abolendis, quibus vel Monferratenſis ditio infeſtari, vel pax in Italia & tranquillitas publica quouis modo turbari poſſit,contra Illuſtriſſimum Dominum,Carolum Emanuelem Ducem Sabaudiæ & Pedemontium &c. die octauâ Menſis Iulij, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto, decretum ritè & legitimè publicatum eſſe: adeo quod eiuſdem mandati tenor & contenta, ad plenam memorati Domini Ducis

Decretum commatoryum contra Sabaudium à Cæſare.

Digitized by Google

Ducis notitiam deuenerint: Hactenus verò nulla paritionis debitæ fides, vel coram Maieſtate Suâ Cæſareâ, vel eiuſdem Commiſſario Imperiali facta ſit; Hinc Maieſtas Sua Cæſarea, eidem Domino Duci iteratò ſerioq; iniungit, vt dicto mandato confeſtim, & ſine vllà vlteriore exceptione, vel tergiuerſatione, in omnibus & per omnia ſatisfaciat; militem ſuum quamprimùm, citra cuiuſuis damnum deducat, & miſſum faciat; & ab omni deinceps actu hoſtili, contra Dominum Cardinalem Mantuæ & Mõferrati Ducem, eiuſq; ditiones, aut alium quemcunque abſtineat & intra menſem inſinuationem huius proximè ſecuturum qui illi pro termino, & omni prorogatione ex officio præfigitur, in Aulâ Cæſareâ plenè doceat, ſeſe eidem mandato, & ſententiæ huic Cæſareæ ſufficienter, & per omnia paruiſſe. Idq; ſub adiectâ comminatione, ſi intra prædictum terminum idipſum facilè neglexerit; quod ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc in pœnam mandato inſertam declaratus, & arctiores contra illum proceſſus decreti intelligantur. Decretum per Imperatorem, die vigeſimâ quintâ menſis Decembris, anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto. Subſcriptio, Cancellarius Baruitius.

Hoc accepto decreto Sabaudius non ſtatim reſpondit, bello, negotiatione, curis ingentibus diſtractus. Ne tamen Imperator ſilentium illius in crimen verteret, dedit literas obſequij pleniſſimas, quas poſteritatis memoriâ dignas, inſeruimus. Serius fortaſſe quàm res ipſa poſtulaſſet, quàm Maieſtas veſtra expetiiſſet, mihiq; propoſuiſſem meæ hæ literæ Maieſtati Veſtræ reddentur: ſed nimirum non eſt in noſtrâ poteſtate ſemper conceptis votis ſatisfacere, & enaſcentia indies negotia propenſam plerumque cogunt differre voluntatem. Cogitanti enim mihi rerum mearum ſtatum Maieſtati Veſtræ per Oratores aperire, & clementiam æquitatemq; veſtram, in nouâ hac meâ cum Hiſpaniarum Rege controuerſiâ, non conſulere modò, ſed ad mei etiam iuris præſidium implorare, Cæſareum à Principe Caſtilioni decretum, cuius hoc eſt exemplum mittitur. Quare eo accepto non potui non mediocriter commoueri, cum illud contra legum functiones, contra maiorum inſtituta, contraq; communem conſuetudinem, in eâ re quę grauiſſima eſſet; vtpote in quâ ageretur de inurendâ Imperatorij Banni nota Sabaudiæ Duci, Sacri Imperij Principi, Vicarioq; in Italiâ perpetuo, niſi coactam militum manum dimiſiſſem, nullâ loci diſtinctione ratum, nullâ Cæſareæ manus ſubſcriptione ſignarum animaduerterem. Quid illud item, quàm graue lectu, quamq; acerbum auditu fuit, quo ignarum præcedentium decretorum, inſcium omnium minarum ac denunciationum à Veſtra Maieſtate profectarum; tamquam minus Cæſareis monitionibus obſequentem ſeuerius increpare videtur: cumq; Mediolani Gubernatorem Italiæ ſtatum tranquillum, iam multis ab hinc menſibus ingentibus armatorum copijs perturbantem; ditioniſq; meæ fines non inuadentem modò, ſed funeſto conatu diſſipare conantem coercere debuiſſet; perinde ac ſi ea quæ Orbi manifeſta ſunt vniuerſo ignoraret, nimios illius auſus diſſimulans, mihi ſoli iura mea æquiſſimè repetenti; vt ab armis ad mearum ditionum tutelam paratis diſcedam, pro ſummâ imperat poteſtate. Quid eſt autem (oro) iubere, militum contra quemcunque alium dimiſſionem; quàm ſi his verbis Mediolani Gubernatorem intelligat, omnem omninò mihi in iuſtiſſimâ causâ defenſionis, quam non humana iura modò, ſed etiam diuina concedunt aditum intercludere; quam in tanto rerum mearum diſcrimine, repoſitam in æquitate Veſtrâ, ipſam fraudare, quàm hoſtium mearum manus vltrò ad meam meæq; Prouinciæ perniciem armare. Quæ quidem omnia Inuictiſſime Cæſar acrius fateor animum pupugiſſent meum, niſi medelam aliquam inflicto vulneri ea tuliſſet cogitatio, decretum nimirum illud aut Veſtrâ ignorante Maieſtate fuiſſe promulgatum; aut callidorum maleuolorumq; hominum inſidijs ac fraudibus, ex

Sabaudij literæ ad Cæſarem.

veſtris manibus excidiſſe: Quibus difficile eſſe non potuit,fallacijs ignoram huiuſce negotij Maieſtatem veſtram circumuenire. Quare opportunè ſapienterq; me facturum cenſeo, ſi inde vſque ab initio repetens totius controuerſiæ ſtatum Maieſtati veſtræ breuiter expoſuero; quò facilius cauſæ non dicam meæ, ſed veſtræ æquitate perſpecta,integrum abſolutumq; poſſit ferre iudicium.

Quæ me res ad arma in Mantuæ Ducem ſuſcipienda fuerit adhortata, & meorum ſcriptorum promulgatione, & totius Orbis ſermone facilè cognoſcere Maieſtas voſtra potuit:Nec dubito quin ad eiuſdem aures peruenerit, mea in ſecundandis Veſtræ Catholicæq; Maieſtatis votis celeritas;cum ad earundem nutum oppida quæ mihi iure debentur, à me Montisferratenſi ditione expugnata, reſtitui. Quo quidem tempore, habeat ad memoriam reuocare, quàm multa, quàm magna, quàm varia Mediolani Gubernator, nutanti quamquàm fide, promiſerit. Nam dum præſtiti obſequij præmium, quaſi aliquam promiſſorum ſolutionem præſtolatur animus, fidem quam plurium teſtium approbatione obſtrinxiſſet, fronte non ſatis verecundâ inuertit, pollicitationes magnâ ex parte negat; quas verò infirmare nullo modo poteſt, diſſimulando & procraſtinando implere, nihil planè laborat. Nec eo contentus non multò poſt Hiſpaniarum Regis nomine duo mihi præcipere non veretur;primum nempe,vt bis mille Heluetijs ad neceſſariam ſtatus mei defenſionem diu vocatis, cum ipſo fœdere iunctis,mihiq; iam pridem ære caſtrenſi obligatis, nullam ſuſpicionem ſuâ paucitate proximis, Regiæq; præſertim Maieſtati incutientibus, nuncium remittam: Alterum, ne filiam meam Infantem, olim Mantuæ Duciſſam, nuperrimè Mantuæ Duci, connubio copulare cuncter: tum denique ſe facturum ſpondet vt de controueſijs meis cum D. Mantuæ Duce, quæ tunc expediti non poſſent, ageretur. Quibus quidem petitionibus quòd rectæ rationi aduerſari viderentur, cum non niſi ſedatis controuerſijs facere me poſſe, ſatis per literas, Oratoreſq; meos ſignificaſſem; iámque Regiæ voluntati cumulatè mihi reſpondiſſe perſuaſiſſem; nouum quiddam Mediolani Gubernator comminiſcitur; placere nimirum ſibi, ſi non ſummo iure res agatur, ſed amicè controuerſiæ componantur. Proinde certos meos homines Mediolanum allegarem, quò iam delecti totidem à D. Mantuæ Duce conueniſſent, qui de totâ re meo nomine diſceptarent. Acquieſcendum igitur Gubernatoris deſiderio exiſtimaui, non vt peruicaciæ ſolùm notam effugerem;ſed etiam vt quàm meæ publicæq; totius Italiæ quieti ſtuderem,certiſſimo teſtimonio comprobarem. Tres viros iuris prudentiæ ſatis gnaros Mediolanum mitto, qui diu ibidem commorati, conciliandæ tandem controuerſiæ cauſa, capita quædam ſæpius, atque diuerſa quamquam iuribus meis iniqua, & cauſæ bonitati longè inferiora propoſuerunt. Quid hic Gubernator, homo nimirum conciliandæ pacis ſtudioſus, & in fide conſtans; ingentem peditum & equitum exercitum in agro Mediolanenſi finitimiſq; ditionibus cogi,& conſcribi clanculum imperat: tum meos homines re infectâ diſcedere, mihiq; renunciare iubet, actum eſſe ex Regis præſcripto de controuerſiarum compoſitione, niſi prius arma de meâ prouinciâ ſuſtulero, filiamq; Matrimonio iunxero. Quinimo eam ſibi à Rege curam eſſe demandatam, ad ea quæ iuſſiſſet, non inclinandi me modo; ſed etiam vi armiſq; cogendi. In hac autem tam acerba ſeueraq; denunciatione, quid conſilij cœperim, quid egerim, non modo publicè promulgata mea ſcripta teſtantur;ſed etiam fidem faciet,qui non multò poſt venit teſtis locupletiſſimus D. Sauellus ſanctiſſimi Domini N. Nuncius;qui cùm me non renuentem, ſed volentem vltrò ad armorum depoſitionem, quod à potentiori prius requirebatur inuitaſſet, ad id repetit paratiſſimum,eâ duntaxat conditione contentum, quâ Mediolani Gebernatorem, apud Sanctiſſimum D. Noſtrum, Chriſtianiſſimum Regem, Sereniſſimamq; Veneto-

rum

rum Rempublicam fidem obligare poſtulabam: nihil ſe in poſterum, contra meas ditiones moliturum, & contra me conflatam armorum manum dimiſſurum. Horum tamen omnium recepturum ſe nihil affirmauit; ſed ad Prouinciæ meæ excidium, quàm ad Italiæ quietem promptior eodem tempore exercitum, ſanè ingentem, in agrum Vercellenſem deducens, nonnulla illius oppida ſpoliat, euertit flammiſq; miſerandum in modum abſumit. Itaque vt laboranti ditioni quoquomodo opem afferrem aliquam; & furentium hoſtium vehementiores impetus aliò diuerterem, ad Nouariam Mediolanenſis ſtatus Vrbem, copias meas produxi; vlciſcendarumq; offenſarum opportunitatem mihi haudquaquàm defuiſſe ſatis oſtendi. Potui, non inficior, Nouariam nullo negotio, non ſatis tuto munitam præſidio expugnare; totamq; Mediolanenſem regionem in vltimum ſi voluiſſem diſcrimen adducere. Verùm vt ſtudium publicæ quietis, & obſeruantiam meam Catholica Maieſtas experiretur, non modò dolori parcendum exiſtimaui, ſed etiam reuertens, ne quis militum Nouarienſes fines incolaſq; lædere audaret, edicto caui ſeueriſſimo.

Quid plura, cum Vercellis mihi commoranti, Reuerendiſſimus Sauellus Nuncius Apoſtolicus, & Illuſtriſſimus Marchio Rambolietus, Chriſtianiſſimi Regis Orator; ad meam totiuſq; Italiæ quietem ſeruandam incolumem, pacis capita quędam, meis quamuis ſatis obnoxia commodis propoſuiſſent, approbaui; & manu propria conſignaui. Quinimo iidem certa ſpe ducti, futurum vt quemadmodum ſibi perſuadebant à Gubernatore rata haberentur, & propriæ manus nota inſignirentur; atque adeo meo me muneri ſatisfeciſſe exiſtimantes, nihilq; amplius in hoc negotio oportère requiri, confirmatam iam pacem ore proprio promulgauerunt. Fefellit nihilominus vt in cæteris, non modò expectationem, ſed etiam fidem inopinatus euentus: ſiquidem cum Gubernator ſubſcribere recuſauit; tum Rex ipſe reſponſione, quam intra certos dies præſtolabamur, neglectâ, vt imparatum me & nihil tale cogitantem opprimeret, clam Gubernatori per literas committit, vt quàm citiſſimè meos in fines irrumpat; cœptumq; contra me bellum acerrimè proſequatur. Nec vereor quin de meo iam ſtatu conclamatum eſſet, niſi me hæ ipſæ literæ diuinitus vt credere mihi fas eſt oblatæ; quarúmque exemplum Maieſtati veſtræ mittendum curauimus, de ſummâ rei certiorem reddidiſſent. Quare quis mihi tandem iure ſuccenſeat; ſi toties fracta fide laceſſitus; ſi ad meam, filiorum, ditionumq; mearum ſalutem, famamq; in tuto collocandam; ſi ad Italiæ imo Sacri Imperij libertatem dignitatémque, ab infenſiſſimis mihi hoſtibus vindicandam, ad arma confugio. Quàm enim alienum illud à Maieſtate veſtra eſſet, quàm turpe haberetur, ſi Italicum Imperium Imperatori & Romanorum Regi commiſſum, te vno Imperatore, ad Hiſpanicum Regem quod à te Ducatum Mediolanenſem, & vtriuſque Siciliæ regnum à Summo Pontifice recognoſcit, adumbrata quadam falſæ religionis, & publicæ pacis ſpecie tranſlatum fuiſſe Chriſtianus Orbis quæratur vniuerſus. Quid deinde dicturum cenſemus, cùm eò progreſſos impunè Hiſpanorum conatus intelliget, vt Sabaudiæ Ducem maioribus celeberrimum, Europæorum Regum affinitate & ſanguine clariſſimum, Sacri Imperij Principem, Vicariumq; in Italia perpetuum, à Saxonica ſtirpe ducentem originem, amplè ditionis in Italiâ diu ante Hiſpanorum aduentum clauum adminiſtrantem, ſua æquiſſimo iure repoſcentem, nihilque contra eos molientem, non modò minis terrere, ſed etiam armata manu aggredi & ad bellum nolentem prouocare non dubitarint. Iam verò quo animo Germanicos, ſacriq; Imperij Principes id laturos eſſe; cum eos Aſtenſis ciuitatis totiuſq; Comitatus iura, quæ à ſacro Imperio recognoſco, affixo ad id in proximo ciuitati loco adiecto, cum in ea variorum Principum ſtipatus Oratoribus degerem, ſibi vindicare, & ciuitatem Comitatumq; omnem, perinde ac ſi eum à Re-

Digitized by Google

gis Hiſpaniæ directo dominio, aſſumptis contra ipſum armis ſemouiſſem, ad eius Cameram deuolutum, ſubditoſq; ac vaſſallos à præſtitâ Sabaudiæ Duci fide ſolutos omninò contendere certior fama vulgarit. Non enim non poterunt ſummi illi Principes ad huius rei nuncium non commoueri, quam & publico meo ſcripto pluribus in locis regionis Mediolanenſis promulgato, inanem eſſe conſtat; & vel ipſis Magiſtratibus Mediolanenſibus ridiculam ineptamq; eſſe viſam certò ſcimus. Quid cum inaudierint eodem tempore à Marchione ſanctæ Crucis in litore Liguſtico, implorato Ianuenſium auxilio, ingenti claſſe inermia meæ Oneliæ, Marri, Peleæq; latæ oppida, quæ Sereniſſimus Dux Emanuel Pater meus à liberis hominibus coëmpta, ſacri Imperij ſubiecerat poteſtati; & in inueſtiturâ vnâ cum alijs ſuis ditionibus nominari voluerat, fuiſſe occupata, & hac ipſa tempeſtate teneri: Quam vereor ne conceptam, de Hiſpanorum nimiâ fortaſſe habendi cupiditate confirment opinionem. Hinc etiam Maieſtas Veſtra conijcere poterit, quo conſilio quædam oppidula ad Sacrum quidem Imperium pertinentia, ſed in meatum dictionum viſceribus ſita præoccupanda iudicarim: ſcilicet vt & ab Hiſpanorum armatorum irruptione & expilatione ſeruarem, meaſq; regiones minori periculo ab eorundem conatibus tuerer. Ego enim ſic exiſtimabam, horum oppidorum occupationem ad eum pertinere, qui ea integrè pacatis reb. reſtituturum ſe Maieſtati Veſtræ reſcripſerit publicoq; actu fuerit profeſſus; qui perpetuus in Italiâ Sacri Imperij Vicarius nominetur, qui denique ſolus hac tempeſtate in Italiâ relictus ſit Imperij Princeps, & Maieſtatis Veſtræ Vaſſallus; à quo in eam, vel Imperatoriæ Coronæ capiendæ, vel aliâ de cauſâ daſcendens, ſacra Veſtra Perſona deduceretur & exornaretur. Num enim Hiſpaniæ Regem qui ſe in Italia Cæſarem gerit, Maieſtatis Veſtræ pompam proſecuturum putamus? num Venetorum Rempublicam, num Ianuenſem, num Hetruriæ Ducem veſtrum aduentum comitatu ſuo celebraturos ex officio cenſemus? At ij ſe ab Imperio liberos eſſe gloriantur. Quid ipſe Mantuæ Dux, ab Hiſpaniæ eum Rege pendere, eius obſcruare nutus, eius ſe Patrocinio commiſiſſe, ſe denique ſuáque omnia eidem proximè deuouiſſe, quis ignorat? Quid reliqui Duces, nonne fermè omnes Apoſtolicam Sedem recognoſcunt, & ab eadem in dignitatem aſſumuntur, Me ergo ſolum ad Veſtræ Maieſtatis ſplendorem dignitatemq; reſeruatum, me Germanicum Principem, me ditiones meas maiorúmque meorum Imperatorum liberalitati referentem acceptas, Hiſpani Veſtra ſciente Maieſtate bello laceſſere, & oppugnare audeant? Romanorum Regis titulum quam Maieſtas Veſtra gerit ad anguſtiſſimos ditionum mearum fines redactum; in ſubditi vaſſaliq; perſonâ violari excindiq; patietur? Quem Maieſtas Veſtra omni ope iuuare, ac viribus omnibus etiam, contra gentiles ſuos (ſi res poſtularet) tueri deberet, hunc Hiſpanorum armis opprimendum, & tamquam Mancipium à Mediolani Gubernatore peſſimè habendum, non iudicabit modò, ſed etiam ſeuerâ Imperatorij Banni denunciatione, quod ſe ſuoſq; imò potius Veſtræ Maieſtatis ditiones defenderit, puniendum exiſtimabit? Quid enim erit illud tandem tam graue, támque acerbum, quod Hiſpanos ad arma contra meas regiones capeſcenda, quod Maieſtatem Veſtram ad Imperatorium edictum, contra me promulgandum impulerit? An quia iubenti mihi Regi arma deponere ſtatim non parui? At vnde hæc noua Hiſpanorum Regum in Sacri Imperij Principes auctoritas? vnde noua hæc omninò poteſtas? quo tandem ſigno eandem cumprobabunt? Certè dignus eſt Rex cui cum præſtitam à Principibus Italiæ, & præſertim à Me, non ex officio, aut iure, ſed ex beneuolentiâ, & ſanguinis coniunctione voluntariam obſeruantiam non cognouerit, ea in poſterum iure meritò non amplius exibeatur.

Deinde

Deinde cum Illuſtriſſimis Oratoribus ab armis diſceſſurum me ſpopondiſſem, cur vt expetieram, me metu, ne quid contra me moliretur, periculoq; non liberauit? An quia armata manu ditionem Mediolanenſem inuaſi? at prior ille meos in fines non irrupit modo, ſed etiam nefariè per ſuum militem eſt debachatus. Quod porrò detrimentum, quam illatam ditioni iacturam enumerabit? Habeo tamen ego quæ ab ipſius militibus flagitioſè patrata proferam; domorum expilationes, armentorum rapinas, oppidorum demum incendia. An quia Vellus Aureum reſtitui, at (ſi ſapiunt Hiſpani) id obſeruantiæ potius in Regem meæ tribuendum exiſtimabunt, cum neque me armis defendere contra ipſum, niſi reſtituto Velleris Aurei Torque auſus fuerim. Indignum planè futurum cenſens, ſi Torquatus Regis Eques contra ipſius Regis arma, qnanquam meâ tutando pugnaſſem. An poſtremò quia malè actum ſit poſt mariti diſceſſum cum Oratoris Hiſpaniæ vxore; quæ non prius Taurino diſcedere permiſſa eſt, quàm æs alienum vniuerſum, in quotidianâ annonâ victuq; contractum, diſſolueret? At quam ridiculnm eſt & ineptum crimini mihi aſſignare, quod omninò inſcio me factum eſt, cum Vercellis in Caſtris commorarer, quiq; ſi adfuiſſem, ſummam hanc ære proprio perſoluiſſem. Iam verò Magiſtratus in quo peccauit? iuréne ſuum æs depoſcentibus negaret? quàm ſæpè eandem Dominam humaniter monuit, vt iuſtam pecuniæ magnitudinem miſeris hominibus ſolueret, & ab ſe hanc infamiæ notam auerteret? Recuſante tandem illa crediti pretij ſolutionem (inuitus quamquam) paruæ ſupellectilis ſequeſtrationem indulſit, eandemq; paulò poſt relaxauit. Sed demus offenderit in aliquo, armáve ideo ſuſcipienda? acritérve adeo leuis iniuria vindicanda? Imperatorióve ob id Banno notandus Dux? Hiſpanis potius armorum erat præſcribenda dimiſſio; qui eadem nulla cauſa, ſed falſa quadam publicæ quietis ſpecie ſumpſerunt. In eos erat Banni fulmen intorquendum, non in me; quem toties illi fracta fide decepiſſent; cuius ſubditos à præſtita fide conari fuiſſent auocare; cuius ditiones per vim ingreſſi fuiſſent, occupaſſéntque. Arma cœpi (non nego) ſed coactus; Mediolanenſem ditionem inuaſi, ſed laceſſitus. Quid illi Duces glorioſiſſimi maiores mei? quamdiù in Italia ſexcentorum ſcilicet fermè annorum ſpatio bella geſſerunt? quot ditiones armis in ſuam poteſtatem redegerunt; quot vicinos Principes ad fidei ſacramentum ipſis præſtandum impulerunt? Nuſquàm tamen ab Imperatore vllo in eos Imperatorio Banno animaduerſum fuiſſe reperiemus. Me vnum ergo ex tot Ducibus Caſtilioni Princeps non tam Veſtræ Maieſtatis, quàm Hiſpaniæ Regis miniſter, à quo Vellus Aureum, & redditus annuos accepit, ſuo illo Edicto in crimen vocabit? In me Imperatorij Banni acceptam (vt cenſeo) à Gubernatore Mediolani ſententiam ferre non erubeſcet? Nunquam enim adducar vt credam tantum Diploma, nullo loci argumento comprobatum, & Imperatoria nequaquàm manu (vt par erat) conſignatum, à Veſtra Maieſtate profectum; ſed vel omninò falſum eſſe, vel ab ipſo Gubernatore, à Veſtræ Maieſtatis miniſtris ſubreptum fuiſſe conſtantiſſimè ſemper affirmabo. Quæ cum ita ſint, Inuictiſſime Cæſar, nihil iam aliud reliquum eſſe videtur, quàm vt cauſæ meæ æquitate cognitâ ſupremâ auctoritate Veſtrâ, à qua tamquàm ab oraculo non ipſe ſolùm, ſed Orbis pendet vniuerſus, contra me promulgatum edictum (quippe quod Veſtra ignorante, nec annuente Maieſtate ſit editum) nullum ac planè irritum eſſe decernat; & omnibus innocentiam declaret meam; miniſtroſq; qui ſubſcripſerunt ſeueriore pœna coerceat. Partes etiam Maieſtatis Veſtræ erunt, Hiſpanorum Regi, vtpote Duci Mediolani, ac Sacri Imperij vaſſallo pro ſumma poteſtate imperare, vt coactas ſine cauſa in meam perniciem copias, quàm celerrimè dimittat; à me ſubſcripta pacis capita, propriæ manus nota confirmet, & Italiam circumſonantium Hiſpa-

nicorum armorum ſtrepitu turbatam metu liberet vniuerſam. At verò Mediolani Gubernatorem furentibus animis vltrò faces ſubdentem; vt inde pecuniæ vim extrahat ingentem,& Regis auribus multa de me falsò iſuſurrantem obiurgatum qua par eſt mulcta caſtiget. Sic enim futurum ſpero, vt Maieſtas Veſtra ſuam & Sacri Imperij authoritatem in Italia, quæ alioqui in Hiſpanicam tranſfertur, maiori cum laude tueatur. Quod autẽ ad me attinet non modo ad ſuſcepta pro mea incolumitate arma; ſed ad mea omnia, vitamq́; ipſam ad illius nutum, maiorum meorum exemplo profundendam Maieſtas Veſtra experietur paratiſſimum. Interim dum Maieſtatis Veſtræ clementiam æquitatemq́; ſingularem mihi in arduis hiſce contra Hiſpanos controuerſijs præſentem ſecundiſſimamq́; futuram ſpero, vt eandem quàm diutiſſimè ſeruet incolumen, obnixè à ſummo rerum largitore Deo comprecabor.

His Sabaudius Cæſarem rerum ſuarum tutorem,& Generis humani iudicium cauſæ ſuæ ſuffragaturum inuocauit. Iugulaſſe quorundam opinionem eo ſcripto viſus eſt,qui conſtantiam eius aduerſus Hiſpanos contumaciam; & cum Cæſare querelas refractarij nominibus appellauerant: cum tamen cauſæ tantùm niteretur,& grauibus ab Hiſpanis acceptis iniurijs lamentaretur. Sed & præcipua offenſionem capita contra Inoyoſam erant; eo maximè credita, quod is nemini colluctantium placuiſſet, ſinguli ſe læſos faſſi forent: & Hiſpani belli adminiſtri vniuerſa illius ſtudia apud Aulam criminati ſcirentur. Tot ſimul querentibus & dolentibus apud Gubernatorem innocentia credi non poterat; cum ne Rex quidem vllam adminiſtrationis partem probaret. Quinimo Sabaudij modeſtia Regij animi,& maturæ prudentiæ argumentum fuit:cùm enim indiuiſâ cauſâ de Hiſpano conqueri liceret,& Cæſarem erroris accuſare,in adminiſtros culpam flexit;aut non innoxios,aut honori ſuorum Principum minus fideliter operatos. Tardior quidem Sabaudij ſcriptura ad Cæſarem fuit,ſed vbi Taurini vulgata eſt,ſtatim in Mantuani manus venit, & quaſi Imperatoris cauſam ſuam faceret,ab eo Ioanni Mangno intimo ſecretorum data, vt Italo idiomate confutaretur,eiuſq́; exemplar Viennam mitteretur. Quam tamen nec Inoyoſa Mediolani, nec Mantuanus apud ſuos typo mandari voluerunt; nouis offenſis abſtinentes; & credentes in validum hoſtem profecturam temperantiam. Vt tamen apud curioſos vſu venit, pluribus exemplaribus tranſcripta,& vltrò citroq́; miſſa,nobis quoq́; amicorum indagine communis fuit. Frequentes etiam Mantuæ erant, qui rem hanc petulentiâ & irreuerentiâ damnarent, quíque auctorem contumelijs inſectarentur; ille tamen potentiorum patrocinio libertatem ſuam dicendi tutatus eſt. Cæterum apud Hiſpaniſs, non Inoyoſæ ſolum (vt dicebatur) prauè admiſſa, ſed & conditionum Aſtenſium iniquitas continuis Procerum querelis proſcindebantur; pluribus & potentioribus, tam abſurda ſine dedecore admitti non poſſe teſtantibus.

Aſtenſis pacta Hiſpani iniqua cenſent.

Duo erant quæ præcipuè bonæ famæ ſtudioſos aduerterant; & exarmari Regem debere (qui ſemper ex arbitrio legiones eo tractu alere conſueuerat) poſtquam Sabaudius ſuas copias diſſoluiſſet: & eò vilitatis Regem proceſſiſſe, vt qui cæteris dare leges ſolitus erat, commmuni cum Sabaudio iure, quanto minus precariò vteretur. Non hactenus Hiſpanos prohibitos Mediolani ac Neapolis, quas libuiſſet armare copias, claſſes inſtruere, augere munimentorum præſidia, & quidem ſuâ cauſâ. Nunc publico beneficio Italiæ tranquillitati, & tutelæ Mantuani Ducis,ſumpta arma deponere,(ſi pacem velit) debere; quæ formidata olim, nunc ſub minoris imperio habeat. Vbi nunc eam maieſtatem, quæ Italis venerenda,exteris terrori erat? Cum Pontifex, Hetruſcus cæteriq́; à nutu ſuo pendecent;trans Alpes ſiti ad famam exercitus Hiſpani trepidarent. Nunc Ducem

cem vnicum, non ſubditorum numero, non pecuniâ ditem; quiſque diu liberos Regiâ munificentiâ aluerit, audere conſtantiam, nec in pacem quam contra ius, & magnâ Hiſpani nominis offenſâ violauerit, niſi æquis conditionibus conſentire. Eam deſpicientiam Regiæ dignitatis manifeſtum caſum reſpicere, deperire exiſtimationem, qua tot annos vniuerſa continuerit. Nec vnus hæc (vt apud pauidos) ſed potiores & nobiliores, eóque audentes, Regias aures flagellabant; nitebantúrque vt vniuerſa quæ Inoyoſa concluſerat, tamquam inhoneſta & certo flagitio recepta, abunerentur: pax niſi datis Sabaudio legibus reciperetur, ſpecioſius cum virtute amitti vniuerſa, quàm cum prouincijs ſcelere & ignauiâ mergi exiſtimationem. Qui ſecreta aduerſus Inoyoſam indignatione incaluerant, non infamiam magis quàm perfidiam, & prauas viri cupidines conuiciô inſectabantur. Iamq; eo venrum erat, vt quæ indigna videbantur, miniſtri dedecori imputata, pro irritis haberentur, vulgarenturq; ; denique ad arma properaretur; quibus Sabaudius corriperetur; & niſi ſummiſſione reſpondiſſet, coërceretur.

Alij arduam ſumi prouinciam fatebantur: non enim factis adeo promptè ac verbis Sabaudium in ordinem cogi poſſe: Principis illius magnitudinem, & natum gloriæ pectus, humanitati ſolummodò ceſſurum: tracturum in præceps omnia, & Mediolanenſem Ducatum certum in diſcrimen adducturum. Quinimo firmatam ſacramento ſponſionem, ſui reuerentiam poſcere dicebant; & obligari ad ea Regem, quæ illius miniſtri decreuiſſent: Non cum Sabaudio ſolùm, ſed cum Pontifice, Gallis, Venetis, & bonis omnibus rem eſſe; fereq; cum fide dilabi fortunam partium, exiſtimationem intermori, quâ certum ſit Imperij Maieſtatem maximè ſeruari. Et licet honeſti æquiq; ſtudio, ſi ambiguè differerent, quidam tamen magnâ in Sabaudium inuidiâ ſtimulabantur; tamquam ſuſtentati belli gloriam, honeſtiſſimo cum fine retuliſſet. Publicam tamen quietem præferebant; conſulebantq; in aliud tempus iras reijci; & reddendæ inimiæ cupidinem, in futuras opportunitates differri. Eſſe quippe Sabaudio conſilia, militem, pecuniam, & ad manus Gallos prorumpere geſtientes. Anre alia Ductores, quibus Hiſpanus ſocietate Imperij, graui cum Venetis bello diſtractus poſſit in diſcrimen adduci. Compertum nobis eſt Petro Toletano in Mediolanenſem adminiſtrationem, reuocato Inoyoſa miſſo, Principem virum ſacramento aſſeruiſſe; cupiuiſſe Sabaudium cœptum bellum proſequi; non inani ſpe victoriæ & probabili rerum ſuarum incremento. Nec enim opinioni vulgi (inania tantum æſtimantis) acquieſcere volebat: ſed ampliationem finium ſuorum laborum ac bellorum pretium) meditari: Gallos ipſos pericula inter voluptates reputantes, & paulò ante nouâ ſpe Mediolanenſium opum illectos, accitoſq; inſuper odio Hiſpanorum, generoſos ſpiritus ſtimulaſſe; ne tot ſtrenuas cohortes, & plures ad expeditionem properaturas, parato iam decori abſtraheret, aut (cui maximè ſtuderet) paratam gloriam negligeret.

Veneti certè eodem ferebant, ſpe fore, ſi militem Hiſpanus dimiſiſſet, minuturas Auſtriacorum cis Alpes vires; & conatus Reipublicæ præualituros. Sabaudius quoque cognito, quàm indecora Hiſpanis pax eſſet & quo faſtu minores florentibus fermè rebus eam magnitudinem admirari ſoliti forent, promptè in concordiam (licet admiſiſſe preces videretur) venerat: quod credidiſſet apud Regium Conſilium Regemq; ipſum, tam obſurda, fœditate, ac vilitate rata non futura. Sed ſors Ducis farumq; vt Hiſpanam gloriam conuulſit, ſic ipſum eluſit, vt tandem Hiſpani præter ſpem pactis annuerent. Iulio ferè extremo cum tot ſimul Procerum querelis delaſſatum ſe Rex ſentiret; & niſi alienam culpam in ſuum dedecus trahere vellet, eadem adhuc Sabaudij peruicaciâ, pauciſſimis militum ſepoſitis potius quàm dimiſſis, & coactum de ſucceſſore cogitare, vocatum

Sabaudius creditur recepiſſe cōditiones pacis nō quod eā præferret, ſed quod crederet eas Hiſpanos non recepturos.

Conſilium Aulicum, præſentium & imminentium admonuit; ſic ferè (vt accepimus) proſecutus: Aliquot iam annorum vſu didiciſſe facilitatatem ſuam fidemque erga miniſtros, gloriæ ſuæ plurimùm obfuiſſe. Quippe cum eradicandæ auaritiæ (quæ potiſſima ſcelerum cauſa ſit) ſtudio ſuorum neceſſitatibus largâ manu ſubueniſſet; non imminuiſſe cupidinem, ſed habendi deſiderium auxiſſe. Hoc fonte dedecus ſuum, ignominiam gentis vulgatam; & veterem exiſtimationem, famæq; magnitudinem in opprobrium abiuiſſe. Regem ſe quidem, ſed vnum Principum: & licet omnibus incumbat, ſingulis tamen proſpicere non poſſe. Hinc ferè prouincias Regij Conſilij commendatione, & alieno placito Gubernatoribus permittere. Si quid ab his flagitio admittatur, eorum culpâ qui prætulerint fouerintq; euenire. Sibi Inoyoſam nobilitate cuicunque honori parem creditum; non tamen virtutem, niſi eorum qui commendauerint relatione præſumpſiſſe. Rerum vſu proficere prudentiam; & ſtrenuum ſtatim exercitatione valeſcere. Nonnullos etiam humilem ſui famam adhuc, occaſione agendorum ſuſtuliſſe, ſubitoq; deliteſcentiâ virtutum ſemina apptobaſſe. Experimento tantummodo egere, vt quæ creduntur, etiam ſciantur; laſſatum iam ſe querelis populorum, expoſtulatione ſingulorum aduerſus Inoyoſam, cætera quidem ſuſpectum, indecora tamen pace, infamibus conditionibus de ſe & Regno peſſimè meritum. Et ſibi quidem integras offenſiones reſeruare; ne tamen quod reliquum exiſtimationis in præceps det, de ſucceſſore mittendo deliberaſſe. Et Petrum Villæfranchæ Marchionem, ætate, integritate, conſtantiâ, bellicæ gloriæ ſuorum hæredem, reddendæq; dignitati iam laceræ ac proſtitutæ delegiſſe. Id ſingulos apud animum ſuum æſtimare velle, & ſequenti votum electioni dare; quando non ſemel alieno conſilio deceptus, hac quoque in re eodem vti decreuerit; indicetq; maximè decere, publicum honorem communi conſilio iuuari. Magno id ſilentio actum, nec tamen Inoyoſam Mediolani agentem feſellit; monitum per literas ab amicis, quo ſtatu gratiæ res eius apud Regem; quâ deſtinatione ſucceſſoris viluiſſet. Poſtero certis animis vniuerſi ad Regem reuerſi obliquâ Inoyoſæ inſectatione, Villæ-franchæ Marchionem, aggeſtis opinioni Regiæ laudibus cumulant: Veterem militiæ, antiquæ virtutis, inuicti aduerſus auaritiam pectoris appellantes. Nec deërat ipſi apud Regem, in Sabaudium comminationibus, & Venetos queſtibus conceptam de ſe ſpem fouêre; etiam certiora promittere, quamquàm nullis certis in prælium mandatis, & occaſione tantùm vti, vitato quantum per honorem liceret bello, afflictis rebus conſulere iuſſus foret. Nonnulli nihilominus præferocem, callidum ſuſcitandis opportunitatibus armorum circumferebant, metuebántque. Sed aliam apud Belgas, Sabaudiumq; conditionem; & hunc tum maximè lætari, cum ad pugnam inuitatur.

Petrus Toletanus electus Mediolani Gubernatorem.

Inter hæc Inoyoſa inculcatis ad Regem & Proceres literis ſiniſtram ſui famam deplorabat; & tamquàm iniquiſſimo nomine accuſaretur, de fortunâ & amicis iuxta querebatur. Quæ vbi fruſtra expertus eſt; nec eam ſibi apud Regem gratiam quam meruiſſe crediderat; Secretarium Vergas in Hiſpaniam miſit, additis vxoris nobiliſſimæ fœminæ literis, & ad conſanguineos precibus, quibus mariti deſpectum, & Regiam indignationem deprecabatur. Hæc ſi alterum ante menſem feſtinatâ miſſione maturauiſſet, Regiam fortè deliberationem, Aulicíq; Conſilij aſſenſum retinuiſſet: quod tum in diffamatum commiſeratio, recens electi inuidia creuiſſet. Sed eò res proceſſerat, vt niſi Petri Toletani iniuriâ pœnitere liceret; & qui eadem ſtudia fouebant pro nouo aduerſus veterem Gubernatorem nitebantur. Tum Vargas (id quoque ab illo in mandatis acceperat) vbi ludere ſe operam, & in caſſum officio laborare vidit, depromptam Epiſtolam, quam in eum euentum tulerat, medio Lermâ Regi offert; eâ continebatur: ſum-

Inoyoſa ſibi ſuccedi à Rege poſcit.

batur. Summâ in Regem ac gentis gloriam pietate,commodis quidem ſuis nuncium remiſiſſe; ſéque reſque ſuas manifeſto diſcrimini commiſiſſe; at enim pro virtute ac conſtantiâ, calumnijs inuidorum petitum, & ante damnatum quàm auditum. Excepiſſe quibus publicè diffamaretur; & quia vana deprehenſa maleuolis ſint, non deeſſe ſecreta, quæ tamen dilui non poſſint, quòd neſciantur. Ab honeſto in tempore patrocinium opperiri. Viſurum Regem quanto facilius ſit alienam virtutem carpere,quàm propriam perſuadere. Interim ne poſſeſſam prouinciam, longiori morâ perdere videatur, miſſionem tam peruicacis vexationis orare.Non auſuros æmulos præſentis conſtantiam lacerare,cui abſenti detraxerint.Cæterùm inconcuſſam ſemper ſibi aduerſus Regem ſuum fidem manſuram. Opportunæ tempori ac neceſſitati preces vnicuique viſæ: & nobili viro pro dignitate eueniſſe, vt Mediolano abiret,non expelleretur. Itaque Rex reſpondit,vt in Aulam properaret;ibi integra omnia, & locum innocentiæ reperturum:ſe niſi per manifeſta ac probata iudicium laturum. Crediderant aliqui,in eam diem ſuppreſſam electionis famam; vt petitâ ab Inoyoſa licentiâ partem verecundiæ detergeret.

Hæc vbi Vargas executus eſt,honeſtiori titulo res vulgata; requirenti nempe Inoyoſæ Toletanum ſucceſſorem deſtinatum. Et ſatis mitis ſuis adminiſtris Rex credebatur; ſimulq́; Proceribus (licet accuſatis) pro dignitate conſulturus. Nec enim ideo aboleri flagitia, aut pro purgatis recipi; quæ ante habitam licentiam admiſſa in tempus ſileantur. Statim per Hiſpanas ditiones Regiæ literæ miſſæ; & non Oratores ſolùm, ſed & Proreges conſilij certiores eitis curſoribus redditi. Ex his in noſtras manus venit epiſtola, quam Rex Oſſunæ Duci Literæ R ad Oſſ Proregi Siculo,in hæc verba miſit. Eo fine Longobardi belli ſcenam terminaſſe, quem ipſe aliorum literis accepiſſet. Et licet conditiones pacis ſine modo fuerint,earumq́; formam exceſſerint,quæ Regiæ Galliæ Oratori debebantur; ſummi tamen Pontificis interceſſioni,& Regiæ Galliæ deſiderio,quo eum vero animo eſſet,placuiſſe nonnulla condonari. Id ſcire Oſſunam voluiſſe; vt apud obloquentes,pro dignitate Regiâ,cauſas concordandi explicaret.Sed enim Villæfranchæ Marchionem Petrum Toletanum,Mediolanenſis Ducatus gubernationi deſtinaſſe; hominem tanto negotio parem; & prudentiâ probatum,iuſſumq́; Italo itineri ſtatim accingi.Ad has Oſſuna reſpondit:Didiciſſe quâ pietate ac publicæ Oſſuna reſpondet. quietis ſtudio vniuerſa Rex compoſuiſſet,idq́; laudare. Nec ſi duo ſaltem Pedemontanæ oppida Sabaudio detracta forent, aut ager illius populatus, habituras fuiſſe Regias copias inſuper quod optarent. Si tamen ſibi liberè eloqui liceat,vix negari poſſe,Gallos,Sabaudium,& Venetos toti ſe Italiæ rerum arbitros offerre, modicâ Hiſpani nominis exiſtimatione. Placuiſſe quidem pietatem Regis; eſſe tamen cur interdum expediat ſolitâ facilitate decedere; nec ſi quando ſimilia acrius exequantur,ſupereſſe certius remedium turbarum.Non recentem hanc,ſed veterem apud ſe fuiſſe ſententiam,pluresq́; ante annos Regem meminiſſe,per literas procuratam à Conteſtabili Sabaudij reconciliationem,non modeſtiæ illius, ſed ſuperbiæ additurum. Præteriſſe hæc,indies tamen peiora ſperaſſe,ob peruicaciam Ducis,& Hiſpanæ militiæ deſpectum. Et tamen honori nominis,vniuerſos quibus in Regem certum obſequium eſt,dare animas debere; eoq́; ſibi decretum eſſe,non labori,non periculis,non ſanguini parcere. Pro ſummâ tamen fide, quâ Regi munificentiſſimò teneatur;& quam amantis ſubditi conditio requirat, hæc ſilere non potuiſſe. In poſterum ſi quo proficere Villafrancam aduerſus hoſtes Regios nouiſſet, paratum ſe communicare conſilia vireſque. Nec his contentus, longiores à Neapolitano addidit, conſilia modóſque proſecutus, quibus reſumi bellum cupiebat; feſtinato curſore vſus, ne cunctatio cupidini

obeſſet; ſi ferox in turbas animus, excitato Rege valuiſſet. Earum ſenſum reddere libet; ſiue vt armorum Regis conditio, teſtimonio miniſtrorum Regis noteſceret, ſiue vt Oſſunæ ingenium detegatur, modica auerſantis. Sic habebat:

Alia litera Oſſunæ ad Regem. Regijs literis paulò ante acceptis didiciſſe, quibus conditionibus bellum Longobardum Rex compoſuiſſet: vtque alienis precibus arbitrium Pontifici permiſerit. Quam nihilominus expoſiturus ſit veritatem, feſtinationem mereri, negotio licet integrè abſoluto. Et quidem pro certo habere, Regem in pacis conditiones prius conſenſiſſe, quàm de Sancij Lunæ exitu didiciſſet: quamq; Regis ignominia arma ſua in Pedemontana procidiſſent. Nam in primis perditam exiſtimationem apud Vrbem, cæterorum literis intellecturum; & plena fora ac cauponas, infamibus eâ de re colloquijs; auſuro iam nemine metu dedecoris, Regium ſe ſubditum fateri. Pium Pontificis animum probari, certámque apud eum caritatem, eoq; amorem concordiæ: vt tamen promptius mortales eos fauoribus proſequuntur, quorum magna virtutis opinio, vel propriæ famæ ſtudio tamquam ſimilitudine morum iunguntur; ſic hodie neminem in Vrbe eſſe, qui non anteferat Sabaudium, prius in Pontificem quàm Regem iniurium, auſumq; Eccleſiaſtica oppida ſibi ſeponere. De Rege Gallo anceps iudicium eſſe, & quòd neceſſitudine connexus, praui in ſocerum animi credi vix poſſit; nec expediat liceatq; erumpentes in Sabaudij ſecuritatem, auctoritate nondum adulta retinete. Britannum longius ſitum, conſilia fineſve agendorum opportunitatibus accommodaturum. Sic Vrbem Romam, Gallum, Britannum pro Sabaudio fore credive. Simul celebratam ſucceſſu famam proferte exiſtimationem illius, omni potentia validiorem. Orare Regem vt velit certiori indagine examinare, quâ famâ res ſuæ ſint, apud eos maximè, qui dignitati Regiæ, Italiæ quietem prælatam, deterſa verecundia fateantur; cui retinendæ non Italiam ſolùm, ſed & Hiſpanias negligere expedierit. In re maxima cuius ſtatu vniuerſa innituntur, ſupinam negligentiam admiſſam; cum tamen circa caput rerum vel leuiſſimè delinquere, ſit omninò exitioſum. Non deeſſe qui plus iuſto credant Regem concordiæ ſtuduiſſe; alios inconcuſſam quam accepiſſent pacem ſpondere; præcipuè quòd cæteræ prouinciæ modeſtè agant, poſſintq; Pedemontanos motus collatâ in vnum operâ coercere. Sibi tamen vniuerſa profundius æſtimanti, rem omnem ſuſpicionibus implicatam videri; non præteritorum potius cauſa quàm præſentium & futurorum. Supra quam credi poſſit, poſt prouocata & laceſſita Regia arma Sabaudium intumuiſſe; eoq; ſecuritatem hauſiſſe, quòd certus ſit, ea quæ ipſe inquietudine & contumacia amiſiſſet, filios olim tanquam innoxios à Patruo recepturos. Ipſum nomen pacis, ſubditorum Regis opes animúmque frangere; æmulorum conatus & inſolentiam prouocare; quaſi potentiſſimo Regi (cui prouincias ſuas numerare arduum multitudine ſit) non ingenium non vires exequendi belli ſuppetant, quod olim ſuſcepiſſet. Cum minoribus copijs non ſemel Hiſpaniæ Reges maiora patrauerint. Regium Imperium voluntatémque requiri; paratas Regi & honori ſuo Hiſpanias, & benè agendæ rei occaſionem, detergendíque dedecoris: habituros non hoſtes ſolùm, ſed & amicos documentum, quo genere fidei & obſequij tam magno Regi teneantur. Decem hominum millia Hiſpanias facilè daturas; nec aliud aduerſus Regem ſuum decus patriæ, nobilium animum futurum; ſponte Ductorum militem affuturum, & populorum expenſa ad claſſem properaturum. Neminem alium Regem certiorem apud ſubditos caritatem, & proniorem bello animum habere; cum maximè de totius gentis gloria, magna retinendæ exiſtimationis conſtantia certatur. Quod ſi etiam præmia laborum æſtimentur, nulli

Principum

Principum, plures commendas, opulentiores reditus, frequentiores ditioreſque adminiſtrationes eſſe; quibus in ſubditis annorum aliquot operam remuneretur. Animos cætera pronos iſta ſtimulabunt, aperientq; victoriæ facilitatem, bellatorum numerum, expenſarum commoditatem. Daturos exteros cum ſubditis nomina, ſilente præſertim Belgio, non Gallo, non Britanno ſuſpectis; & Turco internis ſuorum diſcordijs, propriâ ignauiâ corrupto. E Belgio quatuor militum millia, mille quingentos equites, quos Luiſius de Valaſco deducat, haberi poſſe. Ab Neapolitano regno mille quingentos equites, cum Principe Auellini, & Duce Matalonis octo peditum millia. Inſuper mille alios equites Illyrios, & decem externorum peditum millia ſub ſigna ad id bellum ventura, Regis Imperio intra octauum diem decem millia peditum Hiſpaniâ deduci poſſe, eámque operam ſibi poſcere. Nec minus ducenta aureorum millia relaturum, intacto ærario Regio in neceſſarias expenſas: reperturum quoque collatores; qui fidei ſuæ eam pecuniam repræſentent. Viſurum Regem qua facilitate vniuerſa executurus ſit, munito prius claſſe mari Thyrreno, aduerſus quaſcunque Turcæ minas: & Regijs nauibus, additis Fegniæ prædonibus Adriatico inſultaturis. Scire ſe non defuturos, qui conſilio diffidant, metuántque commeatus difficultates tot millibus hominum per Longobardiam præliaturis; ſed eos parùm callidos, & neceſſitatum bellique moris ignaros. Nam vbi tormenta bellica addantur, & libera ductorum imperia ſint, iam abundè annonam ſuffecturam; & opinioni præualentis potentiæ omnia ſeruitura. Nulla quidem ſua ſcientia bellum aduerſus Sabaudium ſuſceptum, patrandum tamen censêre; non Ducis ſolùm, ſed & Regiæ exiſtimationis cauſa ſperare ſe, conſilia ſua Aulico Senatui placitura, in quo pleroſque nouerit eodem in Patriæ dignitatem ſtudio; nec minus ingentibus beneficijs Regi deuinctos. Eos tantùm excipere, quos ſolitos nouit Regiam magnitudinem ſuo pede metiri. Poſtremò addebat, ſe vnum & infimum ſeruientium eſſe; virtutem tamen ſuam, Regiæ gloriæ non vno documento probauiſſe; cum iunctis fœderatis vrgere primùm Turcam; mox nullis externis præſidijs adiutum, perſequi Venetos auſus ſit. Plus vitium magnos conatus quàm pecuniæ requirere; eoq; cogitaſſe, ab amicis caritate, ab hoſtibus ferro, à vicinis neceſſitate conductarum legionum alimenta ac ſtipendia exprimere.

Acceptæ à Rege literæ diuerſis animorum motibus Aulam ac Conſilij Proceres aduertêre: iam enim mitioribus inſtandum aliqui conſuluerant; & Oſſunæ ingenium acrioribus pronius interpretabantur. Fuêre nihilominus ſenum plerique, qui exiſtimationi nominis bellum, & Oſſunæ placita commendarent. Quod ſtatim innotuit; literis ad Inoyoſam miſſis, quibus ſententiæ concordes aut aduerſi perſcribebantur. Id cauſæ fuit cur Oſſuna nôuis epiſtolis Regi in eandem ſententiam reſponderit; ſiue ſocietate eadem ſentientium elatus, ſiue repugnantium opinione prouocatus. Idem enim ſe Cardinali Borgiæ (hic in Vrbe eâ tempeſtate Regium miniſtrum agebat) nunciaſſe teſtatus: Honeſtius nempe bello amitti Italiam, quàm cognitâ inſultanti petulantiâ poſſideri. Nullam in poſterum Principum reuerentiam aut fidem fore. Imò imminentium ſecuritati expedire, ſi turbator magno ſemel conatu frangatur, quàm perpetuo in metu minoris, ſuſpicionibus nouitatum agitari. Non enim poſſeſſione prouinciarum Regem eſſe; ſed in hominies Imperio, valida apud amicos beneficiorum, apud hoſtes vindictæ opinione. Et quidem non Oſſuna ſolùm, ſed & plures Italorum Procerum eandem ſententiam præſcribebant. Deſpicientiam Regis, pertinaciam Sabaudij, grauiſſimo læſæ Maieſtatis nomine appellantes; cum interim plures & rerum vſu firmati, ſeruiendum tempori, & in futuras

opportunitates futuras vindictas reiici perſuaderent: non arcanis dominationis admoniti, ſed gnari plus ſibi potētiæ Oſſunam figuraſſe, quàm intus eſſet. Regnum enim Neapolitanum frequētibus delectibus, & Tributis imminutum hauſtumq́; quod illi virium eſſet, in ea vna Ciuitate reperiri; cætera locorum inania & vacua cultoribus; quos immanis Hoſpitalitas ſedibus patrijs depulerit, & Tributorum magnitudo, ad extremam inopiam deduxerit. Belgium poſcere militem, non offerre. Belgas enim ſemper armatos, tum etiam occaſionem capturos; & plurium annorum documento oſtendiſſe, plus ſanguinis Hiſpanos eo bello impendiſſe, quàm victoriæ mererentur. Prouinciam tamen apud hoſtem adhuc eſſe, terrâ mariq́; inſultantem. Hiſpanias vaſtitatem ac deſertum potius quàm militiæ ſeminarium eſſe. Dies ſolidos itinere abſumi, quibus nemo mortalium occurrat. Quod ſi inde decem iuuentutis millia detrahantur, ſecuturam Ciuitatum deſolationem, & eum delectum poſtremum fore.

Inoyoſa ſe diſceſſui parat. Iam noui Gubernatoris Mediolanenſis accelcratus aduentus audiebatur; & Inoyoſa aliquot aureorum millia Cremonenſis collationis, ſingulari munificentiâ ſibi in ſubſidium à Rege dono data, præcipitata exactione cogebat: non auri cupidine potius quàm metu, ne Toletanus cunctantem adhuc Mediolani deprehenderet. Fixum in animo habuerat vitare congreſſum; quòd apud Aulam parum fauorabilem; & pleraque in ſuum neglectum liberius egiſſe accepiſſet. Recepto etiam apud ſucceſſores more ne loco mori aduentantem venerari viderentur. Neque tamen Toletanus vllo proprio in Inoyoſam odio apud Regem proruperat; licet concitatiori oratione vilitati Hiſpanæ gloriæ inclamaſſet; quam fortibus auſis confutari, & elui ſuſpiciones formidinis apud frequens conſilium orauerat. Didicerat iam Sabaudius Toletani deſtinationem & conſilij Regij, nec ideo tamen fortitudinem animi remiſit, quacunq́; belli vi vrgeretur, obniti paratus, quamuis pacem honoratam non abnueret. Et quò plus ſecuritatis hoſti monſtraret, Gallos pedites Equiteſq́; (& pauculæ cohortes erant) datâ miſſione diſſoluerat. Vtque bonam fidem documento ſolidaret, publicè ſingulos laudatos donatoſq́;, ad ſua ſe dimittere profeſſus eſt. Secutus exemplum Inoyoſa fuerat, Vrbinatibus, Luccenſibus, Parmenſibus, Etruſcis, & Hiſpanis in Neapolitanum ac Siculū Regnum vnde accerſiti fuerāt reuertere iuſſis. Adhuc Galli à Sabaudio dimiſſi in via erant, ſarcinis & prauitate itinerum tardius procedentes, cùm exauctorationis fides criminari à nonnullis Mediolanenſibus cœpta eſt: qui iactabant non dimiſſas ab eo Gallicas copias, ſed tantùm loco motas, & tamquàm in futurum bellum ſepoſitas; quibus Dux reficeret vires, animoſq́; reſumeret ſi bellandum foret, per opportuna Vallium Sabaudiæ digeſtas. Nos veram miſſionem propriâ Gallorum fide fuiſſe didicimus, ſed comitati ac beneficio nexam: Iuſſos enim commodè progredi, & hoſpitalitate Sabaudiorum vti. Nec illi beneficium remiſerant, ſed totos dies commorati præteritos labores quiete & copiâ penſabant; ſiue illicò ſiue rardè ad ſuos redirent parum diſtinguentes. Acceperat etiam ab Aulâ Hiſpanâ literas, quibus certior reddebatur in tuto res eius eſſe, & delato in Italiam Toletano Oneliam Marrumq́; receptùrum: Diſtuliſſe enim ſanctæ Crucis Marchio reſtitutionem ferebatur; ſiue parum Inoyoſæ conueniſſet, ſiue eo decore ornare Toletani initia meditaretur, ſiue prò Hiſpanis poſſeſſionem commendaret: nam id quoque traditur. Non enim Genti ſolùm honorificam, ſed ſpecioſam ſibi vtilemq́; crediderat, ſuperſtite virtutis memoriâ, & ſtabili recordatione gloriæ meritiq́;. Captorum enim redditorumq́; oppidorum recordationem dilabi; procliuiori ſemper obliuione meritorum, quàm repræſentatione beneficij ſi quando virtus fruſtra fuit.

Sabaudius dimittit partem exercitus.

Diſcedens

Inoyoſa Mediolano diſcedit.

Diſcedens Mediolano Inoyoſa quamquam iniquas Mantuani apud Regem, aduerſum ſe querelas ſæpius audiuiſſet, & amore eius Sabaudium acriter offendiſſet, retuliſſetq́; parum gratiæ ſtudiíque, ſolita ſibi tamen morum dulcedine ſcripſit Mantuano literas plenas effuſiſſimæ caritatis. Nam & eorum quæ feciſſet dixiſſérque, tamquam apud Iudicem cauſas reddebat; & addebat futurorum conſilia, ſi domui ſuæ, ſi quieti ſucceſſorum Mantuanus conſultum voluiſſet: Poſtremò ſedulum ſe amicum apud Regem fore ſpondebat; ſi quando Dux eius operâ eguiſſet. Metum ſui interpretatus officium Mantuanus eſt; & quaſi magni animi argumentum daret, tranſmiſit epiſtolam ad Regem, quâ Inoyoſæ aduerſum ſe ſtudia, & bono publico datam operam laudibus in cœlum ferebat: parum memor quibus criminationibus viri famam olim in Aulâ lacetaſſet, & quoties fraudem apud Regem accuſaſſet. Aſtu id Inoyoſam procutaſſe, & nouas Mantuani querelas formidaſſe vix crediderim: Iam enim bellum abſceſſerat; & in virum loco motum ſera nimis vltio fuiſſet. Creſcebat interim aduentantis Toletani fama; & expeditus Curſor detulerat illum Barcellona ſoluiſſe, rectáq́; in Italiam properare. Orator Mantuanus diu Toletani familiaritate notus fuerat: cum itaque is à Duce ſuo literis moneretur Toletani aduentum ſpeculari, & Finalem quò appulſurus dicebatur, proficiſci; vt erga nouum Gubernatorem ſolito Proceribus Italiæ obſequio fungeretur; paucos poſt dies affuturum accepit. Ergò delecto nobilium comitatu, ſextâ Nouembris illuc delatus eſt. Sed Toletanum properantem dies aliquot Auſtri & aduerſa maris retinuêre: tandemq́; viceſima menſis procul in alto claſſis quâ vehebatur, apparuit. Magno itaque Pelagi ſpatio, vnà cum Ioanne Viua, Regio apud Genuenſes Oratore obuiam proceſſit. Vt coram fuit, multâ humanitate exceptus eſt, iuſſuſq́; ſi quid dicturus adueniſſet eloqui: Ille Mantuani Domini ſui obſequio Mediolano Finalem vſque proficiſci iuſſum ſe dixit; vt paratum hoſpitalitati Monferratum, & deſiderijs Regijs fortunas omnes Ducis offerret. Principis viri nobilitatem, Imperij magnitudinem, etiam conſanguinitatem mereri, vt vniuerſa, illius honori impenderet. Toletanus, laudatâ affabilitate, quò opinionem veri animi faceret, magnificis titulis in Ducem, & neceſſitudinis recordatione vſus eſt, Dominum, nepotemq́; addito Celſitudinis cognomine (quod Regijs per Italiam miniſtris inſolens erga Duces eſt) appellando. Nec auerſari ſe potentis & amici Principis hoſpitium, reſpondit; cuius ſecuritati & dignitati proſpecturus ante alia miſſus foret. Plura per ſecretum, & grauiora; ſed (vt accepimus) pleraque altiſſimis ſenſibus inuoluta, ambigua; & quæ niſi exitu interpretationibuſq́; ſatisfacerent. Biduum Finali hæſit. Eâ cauſâ Orator Mantuanus in Monferratum reuerſus fuerat; vt fines ingreſſo obuius procederet; & Domini ſui iuſſis congruentia amico hoſpiti pararet. Progredientem itaque & iam Prouinciæ limites ingreſſum, nobilium virorum, equitatuſq́; demonſtratione exceptus eſt, & Aichium (ciuitas Monferrati eſt) deductus; non recentis ſolùm curæ, ſed iam feſtinationis manifeſtum. Hîc Regij apparatus nihil deſideratum, vt certum fuerit, vix maiori ſplendore, Regem ipſum excipi potuiſſe. Acceperat ab Aulâ literas, quibus properare iubebatur; ne deſtitutam rectore Prouinciam, viuæ adhuc ſeditiones ſuſpicioneſq́; turbarent. Itaque ſequenti Alexandriam profectus eſt, mox Mediolanum.

Et Mantuano reconciliari ſtudet.

Orator Mantuanus obuius Toletano.

Toletanus ingreditur Monferratum.

Inoyoſa Genuæ.

Inoyoſa conſilij certus Genuam venerat, hinc in Hiſpanias vitato ſucceſſore traiecturus; præmiſerátque ſarcinas & longum impedimentorum ordinem, ne quid ſui remaneret. Præpotentium offenſionum rimatores vulgauerunt principia Toletani Inoyoſam dedecoraſſe; relicto antequam diſcederet prauo conſilio, ne Sabaudius & Etruſcus Finalem vſque Oratores mitterent, in noui (vt dicebant) & ambitioſi ſucceſſoris manifeſtam imminutionem. Sed vtriſque ſuæ ra-

tiones ſuberant, ne extra fines ſuos progrederentur, & ſatis ſe officio agere crediderant, ſi coram, & in ſuo debitum perſoluiſſent. Plus magnitudinis & Conſilij in Sabaudio, qui procul ab omni vilitate, etiam eius dedecoris ſuſpiciones metuebat. Nec enim indecoro obſequio præuenire ſe Gubernatoris gratiam velle, inuitatione Mantuani docere voluit; aut eandem ſibi quæ Mantuano reuerentiæ cauſam humilitate teſtari. Quod tamen Regius cultus à magno Principe requirit, cum Toletanus Mediolanum tenuit, abunde ab vtroque honori ſuo ſatis actum vidit, & officium ſingulorum obſequio probatum. Meminerat Sabaudius, oſtentationem mutui amoris cum Inoyosâ initio rumorum, crimini ſibi à maleuolentibus datam: Et quamquam ridere commenta otioſorum poſſet, diſcutere tamen vmbras voluit; & quæ ſemel offenderant, vitare. Nullo proprio in Toletanum odio Sabaudius ferebatur, ſancitaq; Aſtij pace obliteraſſe præteritorum memoriam; & inſuper famam ſui pactis honeſtiſſimis protuliſſe ferebatur. Apud Etruſcum eò minora deſpectus inditia, & remotiores occaſiones erant; quod ſanguine nexus, & veteri amicitiâ ſciretur. Miſiſſe Parmenſem quoque Ducem accepimus, vt cauſæ, ſic adulationis expertem; Hiſpano Regi longo Parentis miniſterio, & geminatis in Belgio victorijs deuinctum. Et niſi Monferratum recto itinere tranſeundum Toletano fuiſſet, forſan Mantuani Orator aduentum illius Mediolani expectaſſet. Sed humanitas & officij reputatio præcipuè cultum expreſſerunt. Incertâ pace, ſuſpecto Sabaudio, Toletano ingentia animo voluente, Mantuanus ſibi in tuto eſſe videbatur. Proiecerat curam ſui; & apud virum nobilem, famâ virtutum commendatum, ſolicitudinem nutantis Monferrati depoſuerat. Credebant ſubditi Camillæ amores negotia depuliſſe (& quidem in puellam ardentiſſimè ferebatur) ſed iam mores iuuenis docuerant, illum promptiſſimè ſecuritatem imbibiſſe; & vt quocunque auerſo concidebat, ſic cuiuſcunque ſpei imagine erigebatur. Quia tamen domi habita prouocare multorum ſuſpiciones poterat, non procul Aulâ, Romano more Domum extruxit, auro ac picturis ornatam, & quæ ſecretis itineribus adibatur. Hæc abditos amorum receptus, hæc voluptates tegebat, conſcio nemine, nec quærere auſo, quâ parte Dux & Camilla exceſſiſſent. Neque tamen in hanc diem præter iocos & colloquia aliud virgini imputari poterat, ſed feſtiuè eblandita, cupidini iuuenis, honorem, decus domus, famam ſuam objiciebat. Ille impatientiâ amoris, & conſtantiâ puellæ victus, cum preces, munera, promiſſa fruſtra vſurpari cerneret, ſpem matrimonij obtulit, non inuitæ, & eo prætextu hactenus nutritæ. Proinde nec fortunam in ſe verſam rejecit, & paratam ſe coniugio obtulit, quamquam per modeſtiam eâ ſe ſorte indignam fateretur. Conſilio in id parentis vſam quidam putant: Nos compertum habemus, non minus prudentiæ ac conſtantiæ in virgine quàm in Patre fuiſſe.

Cur Sabaudius Fenalis obuiam Toletano non miſerit.

Vergente iam in finem anno cum externæ curæ depoſuiſſe viderentur, Comes Rouiliaſchi Taurini in carcerem coniectus eſt. Quod licet extra ſuſceptum munus videatur; quia tamen vetus opinio hoc documento innititur, & hinc ſecreta Principum virorum alienatio detegitur, facti huius ſeriem referre libuit, prout ab eius amicis accepimus. Ferè enim vt abdita ſunt arcana regnantium, ſic longius petitis coniecturis argumentiſq; deteguntur. Et quidem Rouiliaſcus florenti ætate, & militaribus politioribúſque ſtudijs ornatus apud Pedemontanum Principem honeſto loco erat; nec minus certâ parentis gratiâ, vt in iuuenem nobilitatis virtutiſque ſpectatæ. Huic cum Marchione Eſtenſi arcta olim familiaritas interceſſerat, conſuetudine & ſimilitudine inſtituti, licet ſecutum inter Hiſpanos & Sabaudios bellum, veterem familiaritatem, & literarum commercium reſcidiſſet.

Comes Rouiliaſcus.

Poſt

Poſt compoſitam apud Aſtium pacem, & militiæ dimiſſionem, amotaſq; ſuſpiciones rediture diſcordiæ, vetus Rouiliaſco in animum caritas redijt, & reſumendæ amicitiæ deſiderium. Itaque ſcripſiſſe ad Eſtenſem Marchionem literas ferebatur, fraterni affectus pleniſſimas; quibus intermiſſam conſuetudinem deteſtabatur, orabatq; rediret ad inſtitutum; ne conciliatis Principum animis ipſi priuatis inimicitijs præcedenti bello ſtuduiſſe viderentur. Securum commercium, & omni ſolicitudine formidinem ſolutam; cum inſuper quæ conferre deceat, vulgari poſſint, nec liceat præteritas ſuſpiciones admittere. Acceptis literis reſpondit Eſtenſis, idem ſe apud animum ſuum ſtatuiſſe prorſuſq; decreuiſſe nouis officijs præteritam ſarcire iacturam, datis acceptiſq; ab amico Epiſtolis, quem charum olim, & arcanorum communione fidem expertus foret. Placuit Monachus Cappuccinus internuncius; tamquam certiori medio tranſmitterentur. Hic Taurinum ad Præpoſitum ſui Monaſterij (quia aliò ipſi flectendum erat) legauit. Sed Præpoſitus cum ſigillum Eſtenſe, & quædam olim ſuſpicionibus iactata; nec integram omninò Sabaudij (vt rebatur) cum Eſtenſi amicitiam crederet, metu ſui, an odio Rouiliaſci, ſiue vt potentioris gratiam iniret (nec enim ſatis ſcitur) pergit ad Sabaudium, promit literas; cauſaſq; quibus reddere Rouiliaſco abſtinuerit, exponit. Hæſitatio Monachi Sabaudij ſuſpiciones intendit: non voce tamen, non vultu mutatus, redditurum ſe illas iuueni promiſit; dimiſſo ſtatim Monacho ne Rouiliaſco colloqueretur. Nouum Sabaudio non erat premere apud ſuſpectos ſenſus ſuos, & inter colluctantes meditationes, infractum indetectumq; agere. Vocari intra ſecretum cubiculum Rouiliaſcum iubet, & tribus omninò nobilibus præſentibus, tamquam aliâ ſociaturus, iuuenem ſereno obtutu exceptum interrogat, quæ ipſi & Eſtenſi Marchioni ſecretorum conſuetudo, quæ ſuſpiciones ſecutâ pace abolitæ, quæ arcana olim communicata fuerint. Rouiliaſcus improuiſa interrogatione perculſus, hinc facti conſcientiâ, illinc metu hærens (nam certam Domini indignationem, nec perfunctoriam ſuſpicionem deprehenderat) quod tutiſſimum inter ambigua credidit, nullas ſibi ad Eſtenſem Marchionem literas datas, reſpondit, nec habuiſſe ſecreta quæ conferret. Neque tamen vererem olim amicitiam abnuere; cum tamen nullo recentiori literarum commercio reduxiſſe. Non eâ firmitudine negaſſe quod quærebatur, viſus Sabaudio Rouiliaſcus, eóque credidit oſtentatis Eſtenſis literis conceſſionem amplexurum. Promptas ergo ſinu obtulit; & ſeuerè increpitum (iam enim facti ſuſpicionem negatione intenderat) ingenitæ nobilitatis admonuit. Cæterùm Comes non aliam ſecuritati viam, quam in conſtantiâ putans, neſcire ſe quibus cauſis Eſtenſis, quà occaſione ſcripſerit; nec miſiſſe ſe, nec accepiſſe literas, ſcenam ſibi criminis à quopiam paratam. Tum Sabaudius fateri veritatem honeſtæ rei potuiſſe, reſpondit, nec enim inter amicos literarum commercium prohiberi, nec omnia arcana cum flagitio aut crimine eſſe. Multa priuatis negotijs, & ludicris interdum circumſcribi. Ad hoc exarſit, & malo ſuo redditurum dictorum rationem comminatus, cubiculo exceſſit, iuſſitq; Comitem ſecretâ cuſtodiâ haberi: neque enim inania aut vana crediderat, quæ fateri Comes metuiſſet. Defeciſſe Comitem animo ad hæc accepimus; referunt alij impauidum ſe cuicunq; euentui præſtitiſſe. Id certum habemus plurium Annorum carcere maceratum, & iteratis quæſtionibus per tormenta interrogatum, conſtantiam quam prætulerat, retinuiſſe; cum olim agnoſcere quod quærebatur, nullâ aut culpâ ſuâ, aut pœnâ licuiſſet. Sed ingentem pauorum obſtitiſſe didicimus, ne prompte faterentur, quod Sabaudius æmulive in grauiora flexiſſent. Facti memoriâ libens abſtinuiſſem, niſi clarorum virorum teſtimonia impuliſſent; maximè quod ſuſpendere cuique iudicium li-

Sſ 4

ceat, ſuſpicionum nullo hactenus adminiculo probatorum. De Principibus tarò vulgaria creduntur; & leuia interdum magnis commentationibus tolluntur.

Monferratenſis motus ſtatim initio, abhorruiſſe Victoris Principis animum à Conſilijs belli (vt ſuo loco meminimus) nonnulli vulgauerunt; in Mantuanum humanitate, & in Hiſpanum Regem Patruum reuerentia. Id apud Parentem iniurijs & bono iure ſtimulatum, parum fauorabile videbatur. Ea cauſa ſecretæ Principis amicitiæ, & ſuis deſtinatis auerſa voluntas, in ſuſpicionem veniſſe dicebatur; tanquam Marchione Eſtenſi, & Rouiliaſco conſultoribus, Parentis imperio ſubtrahere ſeſe, & ad Patruum Regem fuga proripere cogitaret. Id ſecretos interpretatores Patri detuliſſe quidam volunt; ſed coniurationis conſilijq; argumenta defuiſſe; nec voluiſſe Patrem pro compertis, incerta de obtemperantiſſimo & piiſſimo filio credere: manſiſſe tamen vmbras ſuſpicionum ſpecie veri, compoſitione morum Principis, arcta Rouiliaſci amicitia fotas: obſeruatum interim filium Comitémque, & appoſitos Eſtenſi exploratores fuiſſe, fama diſtulit; licet non dicto, non facto dolus innotuerit. Rei examen prudenter in fururum Sabaudium reieciſſe dicebant, quòd immania rarò duraturo ſilentio inuoluantur. Sed quæ ſecuta ſunt tempora ſatis diluiſſe ſuſpiciones videbantur; non Rouiliaſco ſolùm, ſed & filio ſtrenuè nauantibus, Ducíſque deſtinatis optimè congruentibus; niſi Eſtenſis pro Hiſpano nixus metum veri inanibus feciſſet; & interceptæ illius literæ, ſopitas fortè ſuſpiciones reuocaſſent. Quò difficilius hic iudicium eſt, eò nos promptius abſtinemus. Nec enim obſequentiſſimi Principis filij aduerſus Patrem amantiſſimum animus culpam, aut Sabaudij prudentia vanitatem admittere perſuadent.

Inter hæc Mediolanum Toletanus venerat, arrectis omnium animis, pacémne apud Aſtium ſancitam, an bellum foret proſecututus. Anxij futuri ante alia conſortes armorum erant. Nec Sabaudius certus factorum erat, quóve cœpti motus fine clauderentur. Multos Toletani ætas pacem ſperare ſuadebat; quod æuo grauis quietem promitteret, & conſiliorum maturitatem. Alij magnitudinem animi, ſolitum adhuc pectoris impetum, faſtum Hiſpanum in ſuſpicionem noui belli trahebant. Ipſe tectis ad plures dies conſilijs, audite Oratores Principum nouo muneri gratantes; & futuræ adminiſtrationis (vnde morum certa coniectura) formam præſcribere ſatagebat; in concordiam facilitate ac comitate ſatis compoſitus, ſi altiores ſenſus reſpondiſſent. Infractum aduerſus auaritiam animum attuliſſe dicebatur: conſtantiſſimus contra cupidinem, & opes malis artibus quæſitas. Id præcipuè continere fœlicitatem populorum videbatur; quos longa miniſtrorum ſeries docuerat, non adeo illos publico ſtudère, vt priuata commoda negligerent. Futuræ moderationis ſpecimen ſtatim, arctata ſeueriſſimis legibus domo ſua dederat; & quod in juſtitiæ venales quoſdam publicè inuectus foret; ſeuera omnibus comminatus, ſi quando votum gratiæ potius quàm honeſto accommodaſſent. Et quidem recepta de Toletano ea ſententia erat, tamquam nulla ſui ſolicitudine, fortiſſimè aliena aſpernaretur, ſuo parcè vteretur. Optimum Regij miniſtri temperamentum; quoties virtus bono publico famulatur. Secreta Toletani ſuſpicionibus turbarum malè audiebant; quaſi bellum & inquietudinem ſpectarent. Certè poſtremò Conſilio quod in Aula coram Rege habitum fuerat, licet indecora pax Aſtenſis viſa foret, cuperentq; Proceres honori gentis aliquid à Sabaudio concedi, & de pactorum fœditate nonnihil in dignitatem remitti, præceptum tamen acceperat, vt pro virili ſancitam pacem foueret, neque Sabaudio quieſcenti, nouas belli occaſiones offerret. Si quid honeſtius conditionibus antiquis appinxiſſet, ſi quid pro Maieſtate honorificentius & in pace obtinuiſſet, ſi quo Regiam exiſtimationem ſuſtentaſſet, id omne curæ

Toletani mores.

eius &

eius & induſtriæ, nec non magni meriti opus fore. Spoponderat (vt accepimus) ſpecioſiſſima; eadem qua olim Sabaudium inſectatus fuerat, deſpicientia; opinione virium quas affuturas ſibi credebat, & conſcientia virtutis.

Qui tamen hominem longo vſu ex moribus nouerant, præferocem animum ſenectâ immutabilem ſuſpectabant; tamquam non propriam magis, quàm Regis gloriam per vim & arma foret proſecuturus; veteremq; Toletanæ familiæ militaris decoris famam in Italiâ reducturus. Etiam ex ijs metus erat, quos præpoſtera ambitio, aut inopia ſtimulabat; ne paratum iam pronumq; diſcordiæ fouerent: Ea enim certiſſima cogendæ pecuniæ via credebatur, vt inter turbas euaderet inobſeruata rapacitas. Neque tamen illi adeo arctis limitibus definita potentia permiſſa fuerat; vt ex arbitrio ſumere aut ponere arma non poſſet: cum tamen Rex paci annueret, Belgij cogitationes, & Venetorum per Illyrium tumultus abſtinere nouo bello in Italiâ conſulebant. Vis illa animi Toletano frænanda erat, modeſtia ac quies ſimulanda; vt ſi quando bellum appetaſſet, inuitus coactusq; tractaſſe arma videretur: Eò maximè, quòd cum Sabaudius definitis ſemel conditionibus pacis compoſuiſſe ex dignitate motum videretur; exercitamq; cum Mantuano litem paucorum dierum morâ terminaturus; certum erat, niſi nouis iniurijs reſcindi pacta potuiſſe. Apud Mantuanum eadem præſentium ac imminentium ſecuritas videbatur. Nec enim prouocare Sabaudium ex vſu erat, prono in pacem Rege, & bellum auerſante, nec aliena aggrediendi vires ſuberant. Non vnâ coniecturâ didicerat Hiſpanos ſuâ cauſâ bellum nolle; maximè quòd humanis diuiniſq; legibus reclamantibus, in ea cogere Mantuanum conſilio viderentur, vnde ipſis ſecuritas, Duci rerum, & exiſtimationis iactura immineret. Ignoſci enim rebellibus, & damna pluribus æris Millionibus æſtimata condonari ſuadebant: non perfunctoriè additâ conteſtatione; non eam temporum conditionem, aut regiam vtilitatem eſſe; vt quoties Sabaudius eà cauſâ vim Monferrato intuliſſet, armatos pro Mantuano exercitus pòtentiori opponerent. Nulli vtiliorem quàm ipſi pacem eſſe, debereq; eâ iactura ſecuritatem reliquorum procurari. Id non ſemel, aut ſecretò dictum, ſed palàm vulgatum, vt iam non vno auctore Mantuanus erudiretur. Et vt plus fidei eſſet, Inoyoſa, Aſculanus, cæteriq; eiuſdem ordinis proceres teſtati fuerant; cum interim ius, ſacramentum, dignitatem, & quæ Regibus protectoribus in ore famæ honora ſunt Mantuanus incaſſum recoleret.

Regium id imperium erat, & mutato nomine conſilium (quod tamen neceſſitatem afferret) appellabatur. Quod vbi Mantuanus agnouit, quamquàm obniti ſe fingeret; & in extremum ſpiritum eandem voluntatem iactaret, eâ tamen causâ denuò Prouincijs exui nolebat; & laſſatum ſe iam fatebatur multitudine & onere beneficiorum; quæ ab Hiſpanis quotidie ſibi improperari audiebat: fœlix ſi quod coactus, & exutus, certâ magnitudinis animi notâ, pridem integer & ſponte conceſſiſſet. Itaq; ſilente Sabaudio, cui non rebus, non honori quidquam pacta detraxerant, nec tamen ſine obſeruatione Toletanæ ſimulationis agente, quieſcenteq; Mantuano, & fruſtra promiſſam protectionem appellante, turbari compoſita ſine perfidiæ aut iniquitatis nota à Mediolanenſi Gubernatore non poterant. Simulatione opus illi & aſtutiâ erat, vt ſecreto in concordiam conſentientes varijs artibus ſcinderentur, vt Sabaudium intolerabilibus imperijs, Mantuanum blandimentis, nepotem ac Dominum appellando in cauſam traheret. Huic inſuper amicè perſuaderet, vt ſi quando Sabaudius æmulus illi erupiſſet, arma, victum, arces, hoſpitium Hiſpano militi protegenti concederet. Id licet nonnulli præuiderant, & Sabaudius adhuc militem lentè dimittere videretur, intimiſq; Pedemontanæ vallibus tamquàm ſubſidio mox futurum ab-

Mantuanus cogitur ab Hiſpanis aſſentiri Sabaudio.

dere diceretur;Mantuanus tamen fato quodem & ineuitabili pereundi neceſſitate trahebatur. Cui enim in proprijs viribus nihil firmitudinis erat, à potentiori pendere, vniuerſa arbitrio alieno facere ac promittere, pacis ac belli leges accipere cogebatur. Toletanus quoque ne mutatione conſilij ſibi è manibus iuuenis elaberetut, ingentia in Monferrati tutelam ſpoponderat, & poſſeſſionis indubitatam ſecuritatem: Id pet Nuncios & literas caritatis ac pietatis pleniſſimas teſtatus. Quod in cauſa fuit, cut Mantuanus nulla decoris ſui cura, frequentatum ſibi aliàs Mediolanenſe iter denuò ingrederetur. Fatebatur Toletanus pro incolumitate quidem Ducis vitam, viréſque inſumpturum, nec vnum (vel inermem) Sabaudium, niſi permiſſu Mantuani per Monferratum incedere paſſurum; ſe tamen quod coram exponeret habere, decus vtilitatemq́; iuuenis ſpe-

Mantuanus Mediolanũ ad Toletanum. ctantia. Credebant nonnulli etiam nuptiarum negotiationem reuocandam iri, & ſecretis epiſtolis quò Regis animus inclinaret præſcriptum fuiſſe. Vbi Mantuanus Mediolani fuit, nullâ titulorum (quos anxiè præteriti Gubernatores vitauerant) parſimoniâ (quippe Celſidutinis & Sereniſſimi cognomine vſus eſt) tantam in ſpeciem comitatem vſurpauit, vt vel aſtutiſſimo imponete, fidémque & amorem perſuadere poſſet.

Sed ante alia digna recordatione eius oratio viſa eſt, quà altero aduentus die ſecreto cubiculo, & duobus familiaribus adſtantibus Ducem aggreſſus eſt. Nos

Toletani ſermo cũ Mantuano. tum Mediolani agebamus, & à Mantuano accepimus. Vergentem in extremum ætatem ſuam, longitudinem itineris, rei familiatis diſpendia, ſuorum caritatem, magnis æmulationibus nixam, contumaciam, diſcrimina honoris cui ſemper vixerit, facilè ſibi, pridem in quietem compoſito, & alienam inſcitiam aſtimanti, commiſſam ſibi à Rege prouinciam diſuadere potuiſſe, niſi Regium obſequium, pacis, & honeſti amor, arctaq́; Mantuani neceſſitudo, deſuetum iam laboribus animum excitaſſent ad pericula. Sibi pleraque viridi adhuc æuo honora apud militiam contigiſſe; & ſufficere præteritam exiſtimationem potuiſſe; ne aduerſæ fortunæ (quæ nonnunquam etiam virtutis probatæ viros excepit) ipſe volens ſciensq́; incurreret. Accedere à domeſticis rebus, & negotij moleſtiâ difficultates, ne nullo quæſtu ſuo commiſſum munus, facultatum ingenti parte profuſa aggrederetur. Porro non alia ſibi ſenectæ oblectamenta ſupereſſe, quàm ſuorum conſuetudinem, liberotum, conſanguineorumq́; aſpectum. His, cum maximè frueretur, abſtractum, & alio cœlo vti iuſſum, tum cum aëris mutatio exitiabilis graueſcenti crederetur. Inſtare quoque Sabaudij inuictum animum nonnullis victotiarum imaginibus, & indecora Hiſpano nomini pace Aſtenſi, nec minus colluuie gentium; hinc Heluetijs mercenarijs, illinc Gallis affluentibus elatum; vt arduum munus, periculoſa negotiatio cenſeri poſſit, ſi Hiſpanæ potentiæ exiſtimatio, conſenſu ſeruientis Italie recepta, ſuæ ſit dignitati reſtituenda. Et quamquam ſtudendum virtuti ſit, fortiq́; conatu inſiſtendum honori puter; idipſum tamen facilè auerſari, imagine honeſti, aut æmulatu. Non enim apud præceſſorem ſuum aliud quàm ſordes & miniſtrantium ignauiam præſumi, ſi quando ipſe fortiſſimè non egiſſet eadem de Regiâ voluntate diſcrimina, & Maieſtatis æſtimationem eſſe: neque enim inſultantem Ducem tolerari, pro dignitate credi, & pacem nihilominus prçferri, quam certus ſit, vt inhonoram ſic parum duratutam. Nulli enim arcanorum regnandi erudito ignotum eſſe, ſubditos, vires, pecunias, arma, famæ Regiæ vouere. Hac imperia, incolas, vicinos, longius ſitos in officio contineri; deſpici ab omnibus potentiam quæ elanguerit, aut ſordeſcere cœperit. Vt ſuo nitori exiſtimationem redderet, & mutuo conſilio virtutem ſuam teſtaretur, tot incommodis, tot periculis implicatam, obuiam adminiſtrationem ſubijſſe; nec minus vt conſanguineo Duci, cui Me-

dicæo

Digitized by Google

dicæo ſanguine iugeretur, ſpontaneus tutor accederet; non prædarum cupidine, non muneribus Sabaudij corruptus, orare itaque vt in amici ſinum ſua deſideria & iniurias, tamquàm in ſecuro deponeret; tutiſſimum & ſecretiſſimum auſcultatorem, rerumq; executorem illi obligiſſe. Vnum monere quod inſtar omnium eſſet, ne debitam pijſſimo Regi, ob depulſos ceruicibus hoſtes, & redditam inexpectanti Prouinciam, gratitudinis obliuiſceretur, aut externam fidem exitio futuram induceret. Quinimo retineret conſtantiam Principe viro dignam, & communione conſilij, eandem ſibi ac Regi voluntatem teſtaretur. Abſurdum eſſe de eo diffidere, quem rerum ſuarum anxium toties ſit expertus.

Ad hæc Mantuanus gratâ beneficiorum Regis recordatione, & deuoti animi fide præmiſſa, in ea præcipuè intendens, quorum recens flagrabat inuidia, veniam rebellium, damnorum obliuionem: quibus cum omnia iura refragari diceret, nil conſceleratorum peruicaciam magis ſuſtentare teſtabatur. Vbi ad coniugium ventum eſt, vt Regiæ reuerentiæ ſatisfactum crederet, orauit, ſi nō alteri quàm quæ Regi probaretur, nupſiſſet, duram conditionem ſibi videri; ſi viduæ matrimonium tanta rerum & ſuæ exiſtimationis iacturâ prætuliſſet. In eo regiam vtilitatem non eſſe; cuius honori plurimum accedat, ſi iuſtitiæ ſectator, vim omnem ab eo quem tutandum ſumpſiſſet auertiſſet. Tum potentiam vireſq; producturum, vbi præter ius fáſque nihil in hoſtis gratiam admiſiſſet. Nil horum perduellibus Regis concedi poſſe, quod cauſæ honeſtatem apud illos non appingat. Multa Toletani attentione iſta excepta ſunt, promiſitq; in futurum operam, vt forti animo duraret iuſſit, nec iam in protectionem recepti curam vllam defuturam. Fuêre qui crederent (quæ enim ſecuta ſunt coniecturam prioribus addiderunt) à Toletano firmatum conſilio Mantuanum, ne Viduam relictam coniugio induceret, ne rebellibus veniam largiretur, ne damnorum ſatisfactionem petere deſiſteret; belli fortè ſemina, quod tum ſenex concoquebat. Nempe vt his aſperitatibus irritatus Sabaudius contumax propoſiti in ſententiâ perſiſteret, cóque crederetur prior bellum prouocatis Hiſpanis armis ſuſcitaſſe; pactiſq; Aſtenſibus ſacramento firmatis eluctari. Neque enim aliud viro ſtudium erat, quàm modeſtiam & quietem præferre, cauſas diſcordiæ quærere, fouere; denique vniuerſa quæ criminari poſſent, hoſtibus & amicis imputare.

Ferrarienſis Mantuani Amita Toletanum olim occaſione coniugis ſui defuncti, literis & honore proſecuta fuerat; & vbi aduentare Mediolanum audiuit, tamquam voti ſecura, ſe ſperauerat Viduam Matrimonio nepotis excluſuram. Oratorem quoque Mantuanum eò mittendum propoſuerat amicum ſibi, & eadem conſilia fouentem: vt pluribus ſimul adminiculis, infeſtam & inuiſam ſibi loco depelleret. Nauauerat ſtrenuam operam Orator; quo accidit, vt crederetur Toletanus (quod nos durum auditu à fide tamen dignis Mediolani accepimus; licet fidem veritati non obſtringamus, magnitudine dedecoris, & ſimulationis fœditate exterriti) pernicioſum Mantuano conſilium inſtillaſſe. Iuuenis aduerſus Hiſpanos cōſtantiam olim, & tum Toletano ſuſpectam fuiſſe cognouimus; cum tamen irrita deſideria ſua; & fruſtra bellum cogitare, niſi cauſam eo dante ſciret; ne qua Ducis externa ſecuritas, aut è recentiori conſanguinitate ſubſidium eſſet, ſuaſiſſe Camillæ nuptias, in quas pronum Mantuanum impatientiâ amoris crediderat. Deſtitutum quippe vicinorum auxilio, permiſſurum ſe Hiſpanorum arbitrio crediderat; nec alia rerum aut ſalutis proſpectaturum. Dati à Toletano conſilij ex eo coniectura fuit; quòd & callidus arcanorum imperij ſciretur, & id maximè deſtinatis ſuis congruere, quæ in bellum & occaſiones armorum intenderat. Id immanius quàm vt credamus pro comperto admittere noluimus. Neque tamen abnuimus quæſitam oratámque à

Toletanus creditus ſuaſiſſe Mantuano nuptias Camillæ.

Mantuano facti veritatem; ſed illum alto id ſecreto abdidiſſe, nec aliud quod cauſam iuuaret, reſpondiſſe; pietati Regiæ ſeq; ac ſua debere; potuiſſe adminiſtros maiori fide ac caritate, tanti Regis humanitati,& certo amico ſuo reſpondere. Non habere quod accuſet præter fortunam ſuam; acriores enim de ſeruo querelas aduerſus Dominum ſpeciem indignationis præ ſe ferre. Equidem meminimus reuerſum Mediolano Ducem quamquàm acriter Camillæ deuinctum, rarius tamen de Matrimonio locutum; & tamquam magnitudini ſuæ reſtitutum, nobilium familiarum quarum origine gaudebat memoriam publicè ac frequenter recoluiſſe; acri adſtantium contentione oblectatus; Bauaráne an Auſtriaca,Brandeburgáne,an Palæologa, Medicæáne an Eſtenſis principem fortunam magis præferret. Quinimo non ſemel, velut præteritis cogitationibus infenſus eſſet, prorupiſſe audiuimus,non eâ ſe animi vilitate eſſe, vt poſteros ſuos impari maioribus nobilitate fœdare vellet. Neque Toletani conſilium hoc,ſed generoſæ mentis impetus fuit, quem natales, & reducta nonnunquam ſuæ conditionis æſtimatio ingerebant. Oratorem Mantuani quidam Ferrarienſi velificatum putant: Alij diuerſa Toletano ſuaſiſſe; non odio coniugij cum Camillâ, ſed æmulatione Comitis Ardizini parentis; cui vt minori deſeruire ſe debere ſecuto Matrimonio ſciebat.

Sabaudius ſuſpectum habet Toletanum.

Sabaudio quanquam non Inoyoſa, non Toletanus, non quantum militum Hiſpano erat formidinem incuterent (vt quem impauidum vis maior potius oppreſſiſſet) occurſus tamen Oratoris Mantuani, hoſpitalitas Aichij exibita, & congreſſus Mediolanenſis, multum ſolicitudinis addiderant: non quòd quem ſeria non mouebant,inania & vmbræ terrefacerent; ſed quod ſciret à Toletano cauſam ſuam paci compoſitam parum probari; illumq; bellum potius, quàm procurandam Italiæ quietem aduenisse. Suſpenſa quoque illius oratio ſuſpiciones intenderat: Nam & exploratores deſiderio armorum æſtuare monebant;& augeri ſenſim apud Mediolanenſes copias, nouoſq; delectus indies acciri certi Nuncij detulerant. Cogitationes quoque aperuerat illius maior quàm paci ſolicitum ſit pecuniæ cura,ijs enim non alius vſus eſſe poterat, quàm in nouas expeditiones. Accinctum iam vniuerſarum cohortium miſſioni Sabaudium, iſta aliaq; retinuerunt, ne armatum hoſtem ipſe inermis proſpectaret, cogereturq; quas validiori placuiſſet leges pacis accipere. Amici quoque Ducis, apud Hiſpanos, præferoces Toletani ſpiritus cauendos docuerant; quippe correcturus Inoyoſæ opprobria venire dicebatur. Itaque plures centurias, amœnitate locorum Pedemontanæ cunctantes,& illecebris locorum in Gallias lentè properantes,miſſis curſoribus retinuit; perſcriptis ad Aldigherium cauſis, quibus maioribus inſuper copijs egere ſe docebat; ſuadebatq; vt cauſæ ſuæ quæ ſemel placuerat ſtrenuè adeſſet.

Cur lentè Sabaudius exercitum ſuum dimitteret.

Paulò ante Dominus de Bertunes à Galliæ Reginâ Orator extra ordinem in Italiam venerat; vir clarus militiæ, & prudentiâ ac nobilitate Regi ſuo probatus. Hinc iunctâ Cardinali Ludouiſio (quem poſtmodum Gregorij Decimiquinti cognomine Pontificem vidimus) operâ nil intentatum omittebat, quò pacem Italiæ promoueret. Sæpius itaque Sabaudio ac Ludouiſio collocutus,tandem Mediolani Toletanum conuenit. Feſtinatione opus erat;nam niſi Hiſpani vmbris ſuſpicionibuſq; abſtinuiſſent,priorem Sabaudium erupturum, & arma in Mediolanenſes illaturum ſciebat. Aut enim pacem ſe totam velle, aut certum bellum teſtatus fuerat. Sed præter ſolitam Hiſpanis cunctationem, reſpondere ſe ſtatim non poſſe Toletanus dixit; opperiendam ſibi prius Proregis Neapolitani,oratorumq; Pontificij ac Veneti ſententiam: His quippe Regium Italiæ conſilium niti fama vulgauerat. Nec contentus Bettunes vrgere Toletanum, literas

quoque

quoque ad ſingulos dedit, quibus Reginæ flexum in concordiam animum, & communia partibus bona pacis differebat. Cunctabatur nihilominus Toletanus; ſiue Protegis & Oratorum eadem mens eſſet, ſiue ab Aula noua mandata expectaret; ſiue deniq; temporis beneficio vti meditaretur. Hoc maximè creditum; quòd nec eæ illi ad manus vires eſſent, quibus cum dignitate meditaretur, & nouos delectus à Neapolitanis ſpetaret. Sed id ante alia Sabaudij commodis proſpiciebat: Ventura enim ſibi auxilia; & propediem multa Gallorum millia affutura ſciebat; niſi Hiſpani in Aſtenſis concordiæ formam conſenſiſſent. Anxiè tum Pontifex pacem promouebat; cui vis Sabaudia, & Toletani ferocia perſpecta erant: quippe ſciret non alijs fortioribus Ducibus lacerari ſubalpina, & valeſcere per totam Italiam belli incendia poſſe. Nemini vtilior pax quam Mantuano erat; qui cuiuſcunque fortioris præda, victrices copias alere, & hoſpitio excipere cogebatur; iam enim bellaturi Monferratum ſedem delegerant, annonámque prouinciæ vſui ſuorum deſtinauerant. Id licet intimi ſecretorum inuicem obtruderent, apud Toletanum nihilominus bellum ſuadebat, quaſi ex hoſte vindictam ſumeret.

Poſtquam illatum eſt, ſæpè iactare auditus, cum inermi & inexperto militiæ non fore bellum Sabaudio, ſed cum ſene ac valido, & eaſdem artes in prælium laturo. Gaudebat Toletanus ferociæ opinione; & volenti maximè erat repperiſſe conſilij ſui commendatores; quibus conatus ſui honeſtate ac iuſtitiâ probarentur. Deprehenderat raros eâ tempeſtate bellum cupere, laudare rariores; niſi quibus loco ſuo mens excidiſſet; nec aliud quàm in ſpei turbis ſpei eſſet. Proinde obnoxium ſuis Mantuani deſiderijs apertè fouebat; in omnes blanditias verſatilis, vt mutari facilem retineret. Intima caritas non erat; quin (ſi ſors tuliſſet) huic quoque imponere non meditaretur, gloriámque ſuam vel amici damno promouere. Peruicax ad arma ingenium viro erat, & docuit exitus. Quoties enim de conditionibus pacis, & mutuâ Sabaudij amicitiâ Betturies aut Ludouiſius agebant, primò non aliud ſtudium ſuum teſtabatur, vt compoſiti animi ſpeciem offerret: mox tot difficultatibus negotiationem implicabat, vt certum eſſet, aut concludi non poſſe, aut in tempus rejici cauſas diſcordiæ. Et quò vlteriora prioribus nectamus probandæ veritati; cum aliquot poſt menſes à Sabaudio ad Regem ſuum epiſtolam mitti ſuaderet; iis humilitatis (ne dixerim vilitatis) nominibus componi illam volebat, quæ non Sabaudius, virtute, origine, potentiâ, ante pleroſque Principum; ſed ne profugus quidem, & humanâ ope omni deſtitutus admiſiſſet. Nec alium in finem, quam vt neceſſitatem illi indignationis faceret; cogeretq; armis inſiſtere, & cupidinem belli ipſi imputari. Et his quidem appingi honeſti imago aliqua poterat; niſi prauis conſilijs Mantuano datis, dubijs licet coniecturis certitudinem feciſſet.

Toletanus omnino belli volebat: eiusq; cum Sabaudio & Mantuano artes.

Ipſo renaſcentis belli initio Mantuano (qui ſi in meliorum conſilijs conſtans animo fuiſſet, tutus ab omni hoſtilitate, armorum tempeſtatem aliò verſam illæſus ſpectare potuiſſet) ſubdolâ affinitate perſuaſit, vt ſe Sabaudio hoſtem, dicto ac facto profiteretur; addidítque cauſas adeo vanitatis manifeſtas, vt vel à puero deprehendi ineptia potuerit: Nempe non mereri Sabaudium innocentis caritatem; ſecuras Mantuani res ipſo tutore fore; approbaturum Hiſpano Regi ſocietate diſcriminum fidem ſuam; expleturum vindictam; conſanguinei Gubernatoris placito gratam operam impenſurum. Profeſſionem hanc non ſine lachrymis quidam Mantuani adminiſtri inſectati ſunt; orato Duce ne ſe partem belli faceret; aut abolitas ferè cauſas irarum potentis inimici reuocaret. Inſolerans Mantuani ingenium alieni conſilij ſemper fuit, cui ipſe

Toletanus Mantuano perſuadet vt ſe Sabaudio hoſtem profiteatur.

Id multi damnant.

prior non hæſiſſet; eoq; velut Toletano certa indemnitas niteretur; & hoſtem ſe Sabaudio profiteri non metuit, & Hiſpanum exercitum annonâ iuuit; pontibúſque Pado inſtratis eorum progreſſus per Pedemontanam accelerauit. Aſtutiſſimus Ductorum Toletanus erat; & ſatis callidus huc illuc Mantuanum ſimulatione agitare. Nouerat ægrè laturum Sabaudium iuuenis profeſſionem; & tamquam in fractæ fidei reum totis viribus incurſurum: Hinc belli neceſſitatem ſibi futuram, & ſpecioſi tituli excuſationem. Commoda quoque ſua proſpectabat: Nam ſi Sabaudius (quod ſtatim experti ſumus) Monferratenſis fines irrupiſſet, bono iure Mantuanum, hoſpitalitate, alimentis, commeatu bellico Hiſpanum exercitum excepturum; & ſi maiora Sabaudij incrementa forent, Caſalenſem Arcem communi neceſſitati permiſſurum: quæ poſtmodum Regio arbitrio, retineretur, redderetúrve. Tum facile ſibi fore, non Sabaudium ſolùm, ſed & Mantuanum opprimere; & expugnatis Pedemontanæ ciuitatibus, Mediolanenſis ditionis fines, & domus ſuæ gloriam promouere.

Partem conſiliorum viri Venetus apud Mantuanum internuncius præuiderat, Ducémque periculi admonuerat; & ne ſe nouis difficultatibus implicaret orauerat. Idem & Bettunes per literas queſtus fuerat, quas Mantuam nobilis eius à cubiculo detulit: Earum hoc exemplar eſt; Magno dolore ſuo, & Galli Regis indignatione, quæ aduerſus propriam vtilitatem, publicámque incautus ac prauis conſiliis circumuentus admiſerit, accepta. Certum hactenus Gallicis centurijs imperium datum, ne per Monferratum armatæ inerméſve incederent; non Sabaudio infeſtanti eos fines, adeſſent. Sed iam quando cauſam diuidere non voluerit, nec ſciuerit, ne Gallos quidem diſtincturos, iureq; Sabaudium inimicos ſuos preſſurum. Vbi enim Regiæ copiæ, tormenta moſchettoſq; in acie collineaſſent, nequaquam Mantuanos ab Hiſpanis diſceturas. Eas literas Mantuanus, modica Bettunes reuerentiâ Toletano miſit; quaſi fiduciâ ſecuritatem pararet. Hæc in plures menſes egreſſa ideo retulimus, vt documento certiſſimo ſciatur, Toletanum bélli tantùm, non pacis in Italiam ſtudium attuliſſe. Inſtantem vrgentémque officijs Bettunes diutius Toletanus ludificari non potuit, quod acerrimè pro officio ageret; & Ludouiſius concordi ſtudio niteretur, tandemq; ſcripto reſpondit: Pacis conditionibus præcedenti anno Aſtij ſancitis Regem ſuum non obligari, quod prior Sabaudius pacta violauerit, non eo militum numero dimiſſo, in quem conuenerat. Dedecere magnum & præpotentem Regem cupidini Ducis aſſentiri; quem Maieſtati Suæ nec eomem, nec reuerentem fuerit expertus. Coram plura addidit, quibus ſuſpenſis verbis credi volebat, Regis tantùm exiſtimationem officio à ſe quæſitam; & conceſſurum ſe Sabaudio pacem, quotieſcunque modeſtiâ meruiſſet: Id enim & Reginam probare nouerat, quæ contemptum minoris, cuiuſcunque dominantis magnitudinem imminuere regnando didicerat. Has ambages & ſermonum laruas, enodare Bettunes non poterat; quia tamen negotio pacis aliquid conferre deſiderabat, & compoſiti gloriam in ſe deriuare, rurſus Toletanum aggreſſus eſt: ſi enim certa Hiſpani Regis mens eſſet Galliæ Reginæ literis teſtata; nec Mediolani Gubernatorem diſtantis conſilio egêre, nec ſine notâ poſſe abnuere, quæ vtrinque ſemel placuiſſent. Non ſe vires ſuæ gentis, aut noui delectus affuturi augere; ſcire tamen Toletanum cupere, futuras Sabaudio vires, & cunctas Regni opes militaturas, quoties diſcordiæ occaſionem apud æmulum eſſe docuiſſet. Graues & incorrigibiles eſſe caſus præliorum nec vtrinque adeo virtuti fidendum, vt fortunæ vis omnis excludatur. Probaturam Reginam per Sabaudium non ſtetiſſe, quò minus in pacem coiretur. Id vbi Hiſpano innotuiſſet, belli aduerſa omnia Gubernatori imputanda. Neque tamen ſtatim ſcire ſe an Belgicis diſcordijs arctè illigato

Toletanus reſpondet Bettunes.

Bettunes inſtat.

illigato Regi expediat & bellum ſpargere, & vires nouis conatibus imminuere. Plures iam Principes hoſtes Hiſpanum, quàm prouincias ſuas numerare; inuideri potentiam, artes, faſtumq; odio haberi; eoq; illi tutius eſſe, frænare hoſtes quàm vlciſci.

His pauca, & in eandem ſententiam Toletanus reſpondit; neque tamen rem omnem, niſi accepto à Rege imperio, omninò ſui iuris eſſe: iret proinde Taurinum, & Ducem interim à meditatione belli abſtraheret: & ne nouis iniurijs veteres reuocaret; aut operoſior concordia recentibus offenſis redderetur, in menſem vnum inducias paciſceretur. Sperauerat Toletanus id cauſæ ſuæ, non item Sabaudio conducere; quòd ingenti feſtinatione, ab Italiâ & Germaniâ auxilia acciret; & vim pecuniæ corraderet in belli vſus. Sabaudius haudquaquam morâ offendebatur: licet enim diei partem audiendis conditionibus pacis inſumeret, ſolidas nihilominus noctes curæ armorum dabat, vt florentiſſimo cum exercitu, ſeſe Toletano honeſta abnuenti offerret. Contra Orator Venetus deteſtari cunctationem, artes dolúmque criminari, debilitatem Toletani arguere; ne Sabaudius inducijs petitis annueret, aut paratam in limine victoriam reſpueret. Pecuniam quoque ſui Senatus nomine ſatis ingentem promittebat; quâ non deſcriptum ſolùm militem retineret, ſed nouum ad ſtipendia conuocaret. Conſilij Veneti non alia ratio, quàm quod verſipellis Toletanus audiret; metueretque Senatus, ne ſancitâ ſtatim cum Sabaudio pace, quâ ipſi excluderentur, vires omnes Hiſpani in ditiones Reipublicæ verterent, acri tum bello aduerſus Auſtriacos per Iſtriam grauatæ. Prouiſu periculi facilè Sabaudio fuit deſiderio Bettunes gratificari, cum honeſtam pacem ſectatetur; prædicto tamen, ne diem quidem ſine prælio ſibi cupere; niſi Toletanus offenſâ in Venetas ditiones abſtinuiſſet. Nec præter ſpem Toletano euenit Venetos à Sabaudio ſuſtentari, quorum opibus ipſe, in partem expenſarum belli, vſus fuerat; ſciebatûrque conſtantiſſimè amicitiam & gratitudinem retenturus. A gnaro conſilij didicimus oblatas à Toletano conditiones pacis Sabaudio, & in ſummam vtiles, & honoris confertiſſimas fuiſſe; ſi illaceſſito Mantuano, cauſam à Venetis dimiſiſſet, interim ipſe quietè egiſſet. Nempe laborantes in Iſtriâ Auſtriacos iuuare decreuerat; promotis aduerſus Veronam copijs, quâ Cremonenſis ager vicinio excurrit. Sed Sabaudium pari fortitudine ac fide flagitium crediditſe, ſine cauſa ab amico diſcedere, & medio in periculo ſocios deſtituere. Conſilium Toletani reſciuerat Mantuanus, & quantum de ſuo eâ deſtinatione peteretur admonitus, rem omnem Venetis aperuerat. Nec enim eo tractu bellum haberi poſſe nouerat, niſi extrema Mantuanæ ditionis Caſtilionum ac Medolum verſus carperentur. Nouis ſe anguſtijs irretiri videbat, non adhuc tuto Monſerrato, & armato minitanteq; Sabaudio.

Toletanus petit inducias vnius menſis à Bettunes.

Id Orator Venetus diſſuadet.

Hic vbi cogitationes Toletani accepit, varios conatus irriſit, & generoſæ frontis manifeſtâ auerſione reſpondit; non ſibi potius quàm amicis ſecuritatem velle. Sic coactus Hiſpanus eſt ipſo adminiſtrationis ſuæ initio Sabaudij gloriam intendere; & pro arbitrio minoris inducias accipere. Neminem hactenus Regem didicimus, tractatum diu cum Principe inferiori bellum, tam æquis vtrique conditionibus poſuiſſe. Et quidem certum eſt Inoyoſæ amicos ſtatim Toletani famam eleuaſſe; dediſſéque in Hiſpaniam literas, quibus paria Sabaudio feciſſe dicebatur, & quam redempturus veniſſet exiſtimationem gentis pudendo initio merſiſſe. Cæterùm inanis negotiatio erat; & Ludouiſij ac Bettunes perdita opera, niſi Mantuanus ſententiæ ſupra opinionem mortalium tenax, & rebellibus ſuis ignouiſſet, & accepta per Monſerratum damna condonaſſet. Hæc ineuitabilis belli cauſa futura erat,

Recipit tamen vt ſibi honoras ita Venetis ſecuras.

Tt 2

Hæc ineuitabilis belli cauſa fuiſſet; quo vel Hiſpani Italicum imperium in diſcrimen dediſſent, vel Sabaudius vniuerſa cum ſanguine prodegiſſet. Fixum Duci erat pro eorum qui miniſterio affuerant impunitate agere ac pati omnia; nec niſi voto ſuo datis conditionibus pacis conſentire. Id Galli & Hiſpani proſpexerant, nec Pontificem ipſum latebat; quibus aut cauſa, aut vis Sabaudij, ferociſſimum bellum perſuadere videbatur. Placuit ad Regem Gallum, ab iis qui pacis medij erant preces vertere, vt conſilio ac blanditijs, quod rerum concordiam continebat, à Mantuano exprimeretur. Miſſi itaque ab Aulâ curſores, literæ Oratores, quibus Mantuani aſperitas molliretur, & à prauis Toletani conſilijs abſtraheretur. Hanc quippe peruicaciam bello quod meditabatur, ſuffectuaram nouerat. Proinde perſuadebat, ne rerum Mantuani damno tam ingentia condonarentur. Et Mantuanus bona rebellium iam ſibi addixerat, partémque donationibus interuerterat, partem venundederat. Imò apud quoſdam tantum facilitatis inuenerat, vt pecuniam lubricæ nec duraturæ poſſeſſioni obtulerint. Poſtremæ Galliæ Regis literæ acriter Mantuanum turbauêre, quibus vt annueret deſiderio, monitis haud imperio diſſimilibus ſuadebat, boni publici, conſuetudinis ſanciendæ pacis, & datæ à ſuis Sabaudio fidei cauſâ. Rambolietus enim eâ in re placita Inoyoſæ æmulatus ceſſurum Mantuanum iuſſis ſui Regis Sabaudio promiſerat; non contemptu, ſed opinione tantùm in iuuene duritiei aduerſus propria commoda non futurum. Magna Regis auctoritas erat; nec Mantuano perfunctoriè negare, aut non datâ cauſa contradicere licebat. Vanuiſſe ſpes omnis incolumitatis illius credebatur, quotieſcunque Gallus aut hoſtem ſe, aut non amicum profeſſus foret. Itaque ſequenti ſcripto Betrunes Oratori reſponſum eſt; quod nos à Mantuano habitum latinè reddidimus.

Gallus Mantuanum vrget vt rebellibus ignoſcat, & damna condonet.

Regium conſilium tribus potiſſimum nititur, æſtimatione boni publici, conſuetidine ſanciendæ pacis, & promiſſione, quam Sabaudius à Galliæ Regis miniſtris accepiſſet. Ea minora fundamenta eſſe, quàm vt commoueant; imò ſuis ponderib. æſtimata, contrarium potius perſuadere. Nec ideo tamen Regiâ tutelâ deiici Mantuanum debere, vbi docuerit rebellium veniam, non bono publico, non conſuetudini, non promiſſis Oratoris Regij congruere. Bonum publicum maiora reſpicit, quàm quatuor aut quinque rebellium impunitatem, qui paratâ facinoris licentiâ, eò acrius perduellionem admittent, quò certiorem rerum ſuarum ſecuritatem proſpexerint: ſociaturos enim deliberantes, incautos decepturos, integros nullo reliquo pœnæ metu tracturos. Ignoſcendi rebellibus conſuetudo, non adeo apud Principes recepta eſt, quemadmodum iactatur, & creditur. Infirmitatis dominantium argumentum eſſe, & eorum quibus Imperium precariò confertur. Mitiſſimos certè Romanos, paucis admodum deſertoribus ſacrilegium condonaſſe; ſed modò Caſtra ac Legiones turbatrices decumaſſe, modò ſubditos ad internecionem cecidiſſe, modò fortunis, aut mutatione ſedium mulctauiſſe. Fidem rei adſtruere Germanica ſub Tiberio bella, Perſicos motus, Carthaginem; & quæ eius imagines pleraq; Hiſtorici ſuggerunt; denique eos tantùm in gratiam recepiſſe, qui impetus trahentium ſecuti, non auctores, non conſultores fuiſſe ſciebantur. Ab his ad recentia reuoluti, Gallia primùm occurrit. Secuta enim cum Hiſpanis pace milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nouo; & milleſimo quingenteſimo nonageſimo octauo, Neapolitani, quique pro Gallo Rege arma tulerant concordiæ beneficio exempti ſunt: Nec Hiſpanorum aliqui Gallorum fortunam ſecuti, ſui Domini clementia recepti. Non ſecus poſtremis conditionibus pacis, inter Gallos & Anglos ſeruatum ſcriptorum Regni Annales referunt. Multi adhuc Britanni patriâ eiecti, & bonis exuti

Regi Mantuanus ſcripto reſpōdet.

per

per Gallias & Germaniam vagi, natale ſolum, & veteres opes ſuas fruſtra ſuſpirant. Eandem Germanorum ſeditioſorum aduerſus Carolum Quintum conditionem fuiſſe nouimus. Ex his alij dignitatibus deiecti, alij reditibus nudati, plures totâ vitâ exulare coacti ſunt. Turca Europeorum regnantium dominationis ſtudioſiſſimus, rebellium liberos, etiam imò & affines perdidit; nec ſecutâ cum Cæſare pace obtineri precibus potuit, vt Pannonij Tyranno olim ſubditi, mox profugi in gratiam reciperentur. Rebellionem Maieſtatis ſummum flagitium eſſe: Nil eâ imperantibus pernicioſius, nil legibus iniquius, nil ſecuritati Regnorum peſtilentius accidere: obrui innocentes, inteſtabiles valeſcere, ſacrilegos omnia ſus déque ferre: Denique potentiam ac ius Principatus hoc præcipuè veneno infici. Itaque nec receptam ignoſcendi conſuetudinem eſſe; nec ſi qui Principes eò facilitatis venere, regulam reliquiſſe, ſed abuſum, ipſis præcipuè pernicioſum. Promiſſionem Regiam (quod inſcio Mantuano, cuius intererat Sabaudio facta ſit) Maieſtatem illam eo tantùm obſtringere vt officijs ſtudiíſque innitatur, nè fruſtra à ſuis promiſſum videatur. Neq; tamen Mantuanum ideo ad ea quæ ſine iurium ſuorum graui læſione concedere non poteſt, obligare. Ei rei non ſemel Chriſtianiſſimum Regem precibus & literis ſatisfeciſſe; & in præſentem cognouiſſe Ducis neceſſitatem. Manere proinde illi integram Regis voluntatem, quâ aduerſus inimici violentiam tutus ſit; idque neceſſitudine, caritate, miniſterio pridem demeruiſſe; & à potenti Rege innocentem certumq; veri animi ſperare poſſe. His accedere, Mantuanum olim habuiſſe certam Regis promiſſionem vix ſancitâ Aſtij pace. Cum enim premi ſe Dux, Pontificis, Imperatoris, ac Hiſpani Regis officijs pertinaciter quereretur, miniſtro ſuo Pariſijs agenti Regem ſpopondiſſe, haudquaquàm permiſſurum cogi illum ad rebellium veniam, aut ea quæ bono illius iuri detraherent, ſed calore ſuo fotum aduerſus obſtantes protectum. Certè cum Aſtij in pacis conditiones Sabaudium Hiſpano conueniſſe Mantuanus audiuiſſet, ad Regios miniſtros miſiſſe, qui ſuo nomine lamentarentur; quòd nonnulla alieni arbitrij promiſiſſent, nec ſciente ſe, nec annuente: Et reſpondiſſe illos, ne Regis quidem iuſſu in ea fidem datam; Proinde ſufficere audaciam miniſtrorum allenandæ Regis neceſſitati; vt qui tueri potius conſanguineum ab alienâ iniuriâ teneatur, quàm miniſtrum datum illi imperium ſupergreſſum ſuſtentare. Equidem Mantuanum, Pontifici, Cæſari, Catholico id ipſum auxiè requirentibus negauiſſe; & conſcium Regem Gallum eſſe, cuius auctoritate Hiſpanus retentus ſit, ne diutius inſtaret. Relictum ſibi arbitrium in rebelles, honeſtati cauſæ primùm, mox Catholici pietati, demùm Galli Regis officijs imputare; nec credere ad ea extorquenda nouos ſtimulos ſubditurum, cuius fauore precibus poſcentium fuerit exſolutus. Inter cætera id petenti Chriſtianiſſimo negare, ne ſe Mantuanus indiſſolubili neceſſitate obſtringat, cogaturq; vniuerſa (quamquàm grauiſſimè iuribus ſuis aduerſa) recipere. Nec enim ſumpta in rem ſuam arma, & redditam prouinciam poſſe obliuiſci. Scire Regem non alio fortiori argumento cupidines ſuas apud Hiſpanum Sabaudium protuliſſe, quàm vetus Mantuani aduerſus Gallos obſequium, & arctiſſimum ſanguinis vinculum; vt ſuſpicionibus Hiſpanorum expoſitum, tutelâ eorum excluderet. Id quemadmodum fatetur, ſic cuiuis notum eſſe præcipua malorum quæ Monſerrato illata ſint, à Gallis & eorum ductoribus illata. Quòd quamuis nullo Regis iuſſu patratum credat, ſperare tamen noua illum damna (quæ rebellium veniâ accepturus ſit) præteritis non additurum: ſed pro Maieſtate curaturum, ne quo honoris ac beneficij genere fraudetur. Æſtimare Regiam Maieſtatem debere, quàm demiſsè ac reuerenter Mantuanus illius gratiam ambiuerit: Cum enim propriæ ſecuritatis & honeſti intuitu, veniam

ſe rebellium negare ſciret,audiſſetq; pro Sabaudio Regem ad interceſſionem accingi, præuenire Oratore ac literis officium voluit, ne quod iure abnuebat,Regi, quem penitus coleret, negatum audiretur. Nemini hactenus potentiorum à ſe tantum obſequij præſtitum. His proinde confici, non bonum publicum, non conſuetudinem, non promiſſa miniſtri Regij perditiſſimorum rebellium impunitatem perſuadere. Sed eſto bonum publicum, conſuetudo ſanciendæ pacis, Regium promiſſum tantum facilitatis exigant; non ea tamen præſens conditio eſt,vt ſuperioribus aptari debeat: nec enim Mantuano ac Sabaudio pax eſt; huiuſq; prætextus, quibus intuliſſe ſe Monferrato arma iactat, adhuc ſuperſunt; vt concluſa pax dici non mereatur. Licet enim remiſſum Cæſari cauſæ arbitrium ſit,& Gallo ac Hiſpano Regibus fidem Sabaudius dederit,quæ iniquè arma tractauerit ſe depoſiturum, idem nihilominus milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono promiſſum fuiſſe;cum apud Cæſarem vterque litigantium ius ſuum ciuiliter experiretur. Non itaque ſolidam Mantuano pacem eſſe; & bono iure ſuſpicari poſſe, non alium in finem Sabaudium adeò enixè veniam rebellium procurare,quàm vt turbandæ iterum quieti, habita indulgentia deſeruiat. Perduelles enim, beneficium Sabaudij ſtudio imputaturos, & viſo impunitatis aſilo, nullo in poſterum honeſti reſpectu, nullo pœnæ metu, proditiones, & innocentium corruptelas meditaturos. Sangeorgium ſeditioſorum principem non ſolùm arma Sabaudia ſecutum; ſed traxiſſe in ſententiam alios, ducem ſe rebellantibus obtuliſſe,Arces Monferrati expugnaſſe; denique eò flagitiorum proceſſiſſe,vt ſe dignum veniâ non crediderit, & cuius impunitati Rex optimus intendat. Porrò his immorari non oportere; Regiam auctoritatem ſufficere depellendæ prauæ cupidini Sabaudij. Habere Mantuanum Regias literas vndecimâ Auguſti præcedentis anni datas, poſt Aſtenſem concordiam, poſt præſtitum ſuæ Maieſtatis conſenſum; quibus nullâ rebellium mentione; eorum tantùm veniam requirit, qui licet vaſſalli Mantuano forent, ſubditi tamen Sabaudio ſciebantur, & aduerſus Monferratum arma conuerterant. Id graue in primis ac diſpendioſum (quingentis enim aureorum millibus eam ſibi veniam ſtare,quam ſummam neceſſariæ defenſioni Prouinciæ Monferrati impendere coactus ſit;Regis tamen deſiderio & Oratori Bettunes obnixè oranti (quamuis nulla ſibi & Sabaudio pax intercederet) conceſſiſſe. Teſtatum Mantuanum, id ſe reuerentiæ ac cultui Regio dare; vt eo ſaltem nomine; ſi rebellibus ſuis aſperiorem ſe præſtitiſſet,apud Maieſtatem illam excuſetur,prompteq; miniſterio,tanti Regis protectionem gratiamq; iniret.

Hoc ſe ſcripto Mantuanus liberum credidit,ne nouis precibus denuò vrgeretur. Sed quantum indignationis admiſerat in rebelles, tantum conſtantiæ Sabaudius in eorum tutelam retinebat; cuius vt conſilium iuuaretur, domeſticus nec deprehenſus famulus elam cubiculo inijcit codicillos; quibus & docebat vanam eſſe ſine viribus iram; & ſapienter id Galli Regis deſiderio permittere, quod alioqui Sabaudius vi ſua erat expreſſurus. Id continebat; Eorum impunitatem quorum ſibi Rex curam ſumpſerit, adeo bonum publicum ſpectare, vt pax Italiæ aliter haberi non poſſit. Et tamen certum eſſe obfirmatum in ſententia Sabaudium, Europam omnem tumultu concitaturum. Quod ſi Mantuanus Regis Galli dicto auſcultauerit,non eos ſolùm ſed & Sabaudium repreſſurum;quando occurrere malo cogatur,quod eius interceſſione inferatur. Ignoſcere rebellibus ſecurâ pace, ferè eius proprium eſſe qui minor ſit; nec in ſua aduerſus contumaces niti poſſit. Proinde expedire Regum gratiæ concedere, quod obtineri non poſſit. Sæpe Romanos, Germanos, Gallos, Hiſpanos, Britannos ſeditioſis ignouiſſe, & tum præcipuè crimina executos, cum ſe ſuperiores viderunt. Quam

Superiori ſcripturæ reſpondetur & exemplar cubiculo Mantuani à domeſtico famulo inijcitur.

eam

eam Mantuani conditionem, aut potentiam eſſe? qui niſi alienis armis ſeruare ſua,& de rebellibus ſumere vindictam poteſt? Quamquam nullo Mantuani conſenſu Bettunes Sabaudio ſpoponderit veniam, debere tamen Mantuanum ſi rebus ſuis conſultum velit,aliena promiſſa rata habere; nec minus præteritam Regis voluntatem obliuiſci: ſecuta enim bella, & imminentia mala Regem monuiſſe,hoc vno medio ſtare pacem Italiæ poſſe. Plura & grauiora, quæ miſerius Monferratum exercitatura ſunt,Regiam tutelam auerruncaturam. Condonandum aliquid quod maiorum comparatione poſſit pro vili haberi: Dandum denique optimo Regi documentum amoris ac reuerentiæ. Arctiſſima ea fore vincula protectionis; quibus & Sabaudius retineatur, & rebelles beneficio confundantur. Obſequium illud non Sabaudio, ſed Gallo Regi Mantuanum præſtare; cum quo certus animus,ſecuriſſimam ſit Sabaudij pacem redditurus. Quieuiſſe hactenus illum,& tot annos ciuiliter coram Cæſare egiſſe; nec erupturum nouo bello fuiſſe, niſi Viduam filiam acerbitatibus, ſe verò grauiſſimis iniurijs prouocaſſet. Recolandam Mantuano violatam Pedemontano fidem,detractam velut neglectu Viduæ potentiam, vt in Ferrarienſem rejiceretur, abſtractam Matri filiam,dotes non ſolutas,conuicia & calumnias Principe viro indignas; ſic ſubtractis rationibus viſurum,prudenter ſe modicâ in rebelles facilitate, ſuum exitium redimere. Nec enim decere Gallum Regem Mantuani Ducis errores luere. Poſtremò quando ius contra ſit,eius id generis eſſe, vt iudicem vindicemq́; non habeat; Sabaudium,quod iure velit,etiam poſſe.

Cum Mantuanus labentes ſibi malas à miniſtro corrigi faceret,codicillos hos, ſcrinio ſuo ſuperpoſitos vidit, petiitque; nec vlterius ſciſcitatus, quis ſcripſerit detuleritque,perlegit. Aſpectu primo in eam oris deformitatem palluit, vt certum eſſet veritatem illam oſſa illius ac medullas pertentaſſe;mox exilijt, ſyndone adhuc collum inuolutus,nec plenè comptus: & vocatis Conſiliarijs in conuicia auctoris, & comminationes prorupit, teſtatus eam ſcribendi licentiam acriter ſe vindicaturum. Sed vix in meridiem ſeruauit odium, nulla factorum aut dictorum ſolicitudine anxius. Aut confuderat veritas,aut ea quæſtionibus vulgari non placuit,quæ niſi cum verecundia audirentur. Quia tamen apud Aulam raro ſimilium obliuio incidit, fuère qui ſummiſſos à Principe Vincentio Mantuani fratre codicillos aſſererent; non Ducis irreuerentiâ, ſed amore pacis ac ſuorum, quos diutius fraternâ duritie lacerari,& refractario animo, ſcite queriq́; dicebatur. Hinc facti ſuſpicio in iuuene, quem prudentia ante annos commendatum, & neceſſitatum callidum prouidúmque nouerant obturbare Toletani conſilia concordiæ aduerſa; & vnum illud inſatiabiliter ingerere, quomodo rebellium impunitati, magno propriæ vtilitatis bono conſuleretur. Quoties enim in Sangeorgium dicto ſcriptóve Mantuanus inuehebatur; igne,cædibus,& oppidorum direptionibus virum nobilem vltum ſuas iniurias fuiſſe deprehenderat. Ea vulgi mens quamquam Vincentij animum aperuerit, falsò tamen ſcitu eius datum Mantuano ſcriptum vulgauit.Paucos enim poſt annos,& auctor innotuit,& eius conſtantiam dicendi quæ vſui crederet,Mantuanus eſt admiratus.

Mantuanus indignatur.

Princeps Vin centius concilius Toletani aduerſus.

Pars maxima peruicaciæ Mantuani Toletanus erat; qui cum bellum & ex eo oppreſſi Sabaudij gloriam ambiret,certiſſimam in conſtantia Mantuani occaſionem quæ ad arma cogeret,videbat;vt ſpe rerum ingentium deluſus, ſic audaciæ Sabaudij benè fidens. Et quidem probroſam Inoyoſæ ſub Aſtio pacem, inhonotam ab eâ Vrbe diſceſſionem, parta Regi ac genti erubeſcenda, non ſemel inter domeſticos Toletanus lamentationibus proſecutus fuerat; vt ſpecie aliquâ victoriæ,præteritum dedecus elueret,anxius. Nec quamquam ille tacuiſſet,ſiluiſſet fama: Ductores enim odijs & æmulatu infenſi ex poſtulatione non abſtine-

Digitized by Google

bant; impetitiam,cunctationem,metum,auaritiam, etiam perfidiam,cauſæq; ac gloriæ proditionem mutuò obijcientes. Horum quæ vera non erant, tamen credebantur; & res ipſa iactantiam confundebat; quòd eâ in obſidione tutati ſua potius Hiſpani, quàm aliena oppugnaſſe dicerentur; quod exiſtimationem Regiam merſiſſent,quod multa bellatorum millia,fugâ,morbis prælijs perdidiſſent; quòd nulla Mantuani vtilitate (cuius cauſa procurrerant) rumorem illum expediuiſſent; quòd integras noui belli auſas Sabaudio reliquiſſent; quod illum Regum Galliæ ac Britanniæ, nec non Senatus Veneti tutelâ, muniuiſſent; quod ſe denique ijs difficultatibus à minori implicari permiſiſſent; quas non pace, non bello promptè forent expedituri. Hinc aſperitas negotiationis, & obiectæ frequentes concordiæ difficultates;vt quod Toletano volenti erat, Sabaudij duritie eueniſſe crederetur. Non audito hactenus petitionis genere, quæſitam diſcordiarum occaſionem patuit: Cum enim dimitti à Sabaudio militem (quod Aſtenſi concordiâ ſe facturum receperat) omnem vellet;addidit,ne quem Gallicæ originis in exercitu aut domi haberet; exacturus Europâ omni nationem, ſi quâ facilitate imperabat,cæteri patuiſſent. Id Sabaudium ſupra quàm credi poſſet,accendit. Quamuis enim legiones integras trans Alpes amandaſſet, nobilium tamen pleroſque, conſuetudine ac miniſterio aſſiduos, tecto ac Prouinciâ, alieno iuſſu pellere nolebat: non ſolùm ne ſub Pædagogo dictata reddere videretur; ſed & amore gentis fortiſſimæ,quâ cum ingentia bella tolerauerat: cúmque apud Ludouiſium & frequentes amicos id deteſtatione proſequeretur, prorupere Galli qui præſentes aderant: Quin tu Dux Sereniſſime, vel hoc noſtro deſpectu nutantem tamdiu pacem redime;& vtilitati Italiæ,arbitrij Regij honorem adiunge:ne malignitas quidem rectum Gallorum animum inficiabitur; aut quod bonis legibus concordia non coaluerit culpam nobis appinget. Sint hæc apud Hiſpanos argumenta pauoris,apud noſtros boni animi.

Toletanus petit à Sabaudio vt Oratores Gallos à ſe dimittat.

Diu Sabaudius diuerſitate conſiliorum actus defixuſq; ſtetit;tandem collecto ſpiritu;& ducto altè ſuſpirio,reſpondit: Dimitti quidem tot nobiles,tot ſtrenuos viros ipſis volentibus poſſe,ſed fortiorem ſibi aduerſus illos caritatem eſſe;quàm vt abſentiâ Alpiúmve interiectu dirimatur. Et quamquam omnibus aduerſis durius id putet,auctorum tamen gratitudinem,& pondus meritorum;quòd & belli mala, & ſeparationis moleſtiam ſuis commodis condonent. Et illi quidem antequàm iuberentur,patrium iter cum ſuis ingreſſi ſunt; & certâ Sabaudij amicitiâ,& honorarijs,gloriæ incremento conſpicui. Vt tamen non omnium idem animus,nec factorum eadem commentatio eſt;plerique apud ſuos Hiſpanas ſuſpiciones ingentibus conuicijs inceſſere; cum alij metum ſui exprobrarent; faterenturq; cladium atrociores Hiſpanis Gallos inflixiſſe. Porrò vbi cupitis Toletani diſceſſu Gallorum ſatisfactum, monitus per literas eſt factum quod cupiuiſſet, cætera iam ipſi pactis Aſtenſibus ſancitâ, exequenda; quod ille pridem negare decreuerat fateri nolebat. Itaque à Gallo Oratore fidem miſſionis ſibi ſcripto tranſmitti voluit; quaſi teſtem neglectus, ſuæ gentis miniſtrum aduocaret. Non hactenus tantum patientiæ apud Gallos auditum: Quippe Orator miſſo chirographo teſtatus eſt, nullos amplius Gallos Sabaudio apud exercitum, nullos domi eius eſſe;niſi qui publicæ curæ impoſiti, idem cum illo negotium tractabant. Deprehenſum ſe Toletanus eâ promptitudine vidit; nec quò minus ſtatim concordiæ annueret,aut quod excuſaret,occurrere. Proinde ad ſolitas ſibi artes verſus,fidem literarum eleuare aggreſſus eſt. Opinionis color ac ſpecies,ex habitu, ſtudijs, ſermone quæſita: non erubeſcentibus quibuſdam, eos apud Sabaudium Gallos teſtari, quos ipſi Sabaudios aut Heluetios nouerant. Sed prætextui Toletani ſatis erat id in culpam flectere, quod tractu temporis egebat,

Toletanus fidem ab Oratore Gallo petit Sabaudium militem dimiſiſſe.

Toletanus non credit.

vt eua-

Digitized by Google

vt euacuaretur; cum poſſint interim noui belli primordia delibari. Certum eſt tantum facilitatis Sabaudio aduerſus Hiſpanos futurum non fuiſſe, niſi inermem iam, & ſolutis ſacramento militibus nudatum ſe vidiſſent; ſimul fruſtra proferre conſtantiam, Hiſpanos non adhuc multa bellatorum millia habere ſub ſignis, vt ijs liceret impunè minitari.

Toletani ſagacitatem approbare deſtinatis congruentia conſilia ſciebantur, vt non dubiam, ſed ab hoſte circumuento certam victoriam referret. Cum interim Sabaudius non in ſummam ferox, vt ſuſpicantium vmbras manifeſtis inditijs diſcuteret; modeſtimè ageret. Non ſemel aut apud paucos auditus eſt, manſuetudinem ſuam prætextu boni publici excuſare, culpare cauſas quæ in bellum impuliſſent; denique ſecretis delatorum relationibus detectas Hiſpanas artes declinare: ne fœminili impotentia proſequi iniurias inutili quæſtu videretur. Certiſſimo Regij animi caractere ſuam prudentiam inſigniuiſſe viſus eſt, die quodam feſto, cum inter Proceres tempus ſermonibus traheret, & præterita mala imminentium præſagio componeret. Artes quippe Hiſpanas, & calliditatem Toletani ſcurrili licentiâ exagitantem domeſticum famulum publicè obiurgauit; in viro nobili nullum dolo aut fallaciæ locum; & hoc vno maximè datam ſibi fidem ſecuram fore aſſerens. Crediderim ſuo modulo à magno Principe reliquos dimenſos; vt ferè connatos nobis mores communes eſſe credimus, laudamuſq;. Naturæ dulcedinem, fortitudo & futurorum præuiſus adornabant. Quamuis enim probitas Toletani, non apud ſuos probabilior, quàm Sabaudium eſſet, agendorum tamen ſeriem (ac ſi cum verſipelle res eſſet) ita diſpoſuerat, vt frans omnis dedecori inſidiantis, ſibi gloriæ cæderet. Dabat & famæ vt Galli Regis honori commodare pericula ſua videretur; à quo quadrageſimum intra diem Rambolietrus, miſſurum ſe Regiam pactorum Aſtenſium comprobationem ſpoponderat. Quæſtuoſum rebus ſuis obſequium nouerat; & quocunq; damno ſuo, certiorem ab eâ Maieſtate tutelam, cuius placita (non anxius ſui) prætuliſſe cognoſcebatur. Dubium adhuc Toletanum, an Galli propinqua Thaurino, valleſq; circumpoſitas inſiderent, Cardinalis Ludouiſius abſoluit, ſacramento profeſſus, non ſimulatam eam Sabaudij ſuorum miſſionem, ſed ex vero fuiſſe. Huic fidem abunere religio credita: quamuis Gallicam caritatem in eo Cardinali, multò ante, vt Bononienſis originis præſumpſiſſet. Sed vir integræ fidei ac ſimplicitatis medio in negotio, nec Hiſpano imponere potuiſſet, nec cogitaſſet. Vbi Toletano Gallicus metus abſceſſit, quis prior capta reddéret in diſputationem vocatum eſt. Quam apud alios fidem ipſi criminabatur, haberi ſibi volebat, Maieſtatis Regiæ obtentu. Sed eo quoque bellum ſpectabat, certus arte omni Sabaudiam potentiam lædere, ne pacem admitteret. Sabaudius licet paratum ſe reſtitutioni fateretur; quo modo militem, ſic & oppida ex hoſte capta redditurum ſe, non perturbato ordine agendorum profeſſus eſt. Eaſdem armorum cauſas, ſecutâ pace eaſdem ad concordiam leges eſſe.

Sabaudius diſſimulat.

Toletanus exercitibus ambitus Ludouiſium vrgebat, Sabaudium vti ſtimularet, quò prior oppidis excederet. Fidem quoque ab eo ſuo nomine Sabaudio dari nolebat, ſe quod promiſiſſet promptè executurum. Certa vtrinque voluntas putabatur: ſed moras nectere Hiſpanus ſatagebat, quò ſuperuenientibus nouis ſuſpicionum cauſis, tranquillitatis ſpes turbaretur. In pacem tamen Regum Galliæ & Hiſpaniæ animi conſentiebant; nec præter debitam magnitudini cuiuſq; reuerentiam, ſupererat quod à miniſtris requireretur. Datum certè mutuæ pietatis documentum, quod per hæc ferè tempora Regis Galliæ ſoror à Duce Guiſio deducta ad Hiſpanum; huius filia ab Vcedæ Duce ad Gallum fuerint. Credi non poterat inter nuptialia ſacra diſcordiæ & ſimulationi locum eſſe; aut poſſe

Sponſæ Regum Galliæ & Hiſpaniæ deductæ.

Toletanum Domini ſui iuſſa infringere. Equidem licet pronus amicitiæ animus, in Hiſpano Rege ac Regina Galliæ foret, vſu tamen receptum ſciebatur, matrimonij vinculum inter æmulos emplaſtrum eſſe odiorum. Ergo prout quiſque amore aut auerſione ducebatur, quamuis mutuas Regum nuptias laudarent improbarentue, omnes tamen tuendum Sabaudium; & niſi Hiſpani vi ac comminationibus abſtinuiſſent, arma aduerſus ferenda perſtrepebant. Quidquid olim & tum Dux gratiæ aut officijs Regijs dediſſet, inter merita cenſebatur: nec vllâ tantâ ſecuritate vallari poſſe dicebatur, quæ debitum gratitudinemq; impleret. Priuatorum voces hæ in publicum & Rempublicam eualuere, vt iam non vnâ expoſtulatione Regina quataretur; vrgereturq; incolumitatem Sabaudij, decus Regium, famam gentis continere. Guiſij ante alios cuicumq; dilationi intonabant; quamuis congruentia Hiſpanis & Reginæ deſtinatis olim profeſſi forent. Humena & Niuernienſis, quique conſanguinitate fortunam illam ſequebantur, foueri Sabaudium indignabantur; tamquam vis omnis non Hiſpanorum, ſed Mantuani damno impendenda foret.

Regina fœminili trepidatione vſa, vbi niſi pace arceri bellum poſſe, & Proceres in eam curam verſos agnouit, concordiam Ducum apud Hiſpanum & Pontificem, inculcatis literis promouebat. Nec Mantuano abſtinebat; quem Hiſpanorum conſilijs auſcultare hortabatur: gnara Regem ipſum nouas per Italiam turbas deteſtari. Itaque pridem omiſſa nuptiarum tractatio reſumpta: ac ſi penes Mantuanum eſſet, quò minus in re tranſigeretur: Nec ſatisfaciendum ante Sabaudio eſſet, quàm de conditionibus ageretur. Id ipſum Princeps Vincentius orabat; quamuis Ferrarienſis vtriuſq; Amita, deſideria Regum, meditationes nepotis, vt ſummum malorum exciperet, auerſareturq;. Non hactenus Pontifex ac Cæſar acrius toties decantatum coniugium proſecuti ſunt: idem Sacerdotes, Monachi, Aula omnis teſtari, Cardinales ab Vrbe literis perſuadere, veteres famuli orare. Vileſcere Vidua Princeps (Regium potius matrimonio primo ortu nata) tot precibus, tot oblationibus, vt à Mantuano acciretur, videbatur. Licet forſan peruicacia monitorum Mantuanum retinuiſſet, niſi domi propinquiora conſilia, impotentem ſui iuuenem, melioribus auertiſſent. Camilla quippe irretito multò ante illius amore Duce, regiam nacta potentiam, & ſuperior animi illius affectibus; ne ſpes ſuas (quas duo treſve famuli priuatis vtilitatibus corrupti ſuggerebant) peſſumdaret; modò viduitatem, modò formam (quæ tamen Matrimonij vota æquabat, modò acceptas à Sabaudio iniurias improperabat exaggerebatq;. Addebat quando ſui illum coniugij ac promiſſorum (quæ non ſemel ſacramento firmauiſſet) pœniteret; ne ſe ad minus æmulationi potentioris Dominæ obijceret, aut coram eâ verecundiâ ſuffunderet.

Regia Galliæ denuo promouet nuptias Viduæ relictæ cum Mantuano.

Hi acres ſtimuli, & ictus certiſſimi iuuenem conſtantiâ propoſiti detrudebant. Cum inſuper Mantuæ ac per Monferratum, licentiâ vulgantium diſſereretur, nuptias illius in propinquo eſſe; ſiue id neſcij caſu tradiderint, ſiue proficere ſpes puellæ indignatâ æmulatu Viduâ crederent; quam ſeruam riualem non laturam, & rejecturam preces exiſtimabant. Augebat ſuſpiciones Mantuanus cælibem vitam inſectatus; quaſi differre in paucos menſes nuptias non poſſet, iuuenis validus, & fratre in ſubſidium poſteritatis munitus. Intempeſtiuum deſiderium ſine riſu ferri non poterat: cum enim Sabaudius prouincias illius per Monferratum victricibus armis tranſcurreret, ferro iniurias ſuas, ſua iura proſequeretur, trepidatione omnia, & Caſalenſes ipſos impleret; ille non direptiones ac belli mala lamentabatur; ſed tantùm eâ ſe vexatione retineri, quò minus poſteros haberet. Scilicet imperione prius an ſucceſſioni conſulendum ſibi eſſet parum æſtimabat; & vnius menſis dilatæ nuptiæ nil in ſummam vtilitatis aut damni conferrent.

Nondum

Nondum quadrageſimus dies exierat; & Gallus Rex miſſo celeri curſore Aſtenſem concordiam proprio chirographo firmauit: egit & grates Sabaudio quod paratis auxilijs bello abſtinuiſſet, vt publicæ vtilitati & Regio arbitrio reſponderet. Vana tamen, & Toletani aſtu irrita futura diligentia erat: Nam ille vt belli gloriam reuocaret, tot ambagibus negotiationem ambibat, tot difficultatibus vniuerſa præpediebat, vt certum eſſet eo ſuperſtite, & apud Mediolanum adminiſtro, ſeram nec niſi poſt arma pacem ſecuturam. Cæterùm ſilente licet Sabaudio, non deerant qui haud quaquam ſatisfactum honori Regio faterentur: Nec enim pelli vniuerſos Gallos Pedemontanâ, tot vanis miſſionibus fatigari Legatos, tot deſpectus ex dignitate Gentis eſſe dicebant. Imperari nondum armatis Hiſpanis pacem potuiſſe; nunc eos impunè minitari; & diſſolutâ Sabaudij militiâ, tamquam apud captos leges dare. Hæc vel non deprehenſa, vel vt inania Regina tramiſerat; eorum conſilio vſa, quibus ſuſpecta Procerum voluntas, ſi ad arma vocarentur erat. Sed nobiliores & exiſtimationi ſeriùs intenti quantum dedecoris turpi conceſſione aditum foret exponebant. Fax potiſſima Aldigherius pacem omnem auerſatus, conſilium regni appellabat: ne adoleſcentis Regis initia Hiſpanis terriculamentis fœdarentur.

Gallus firmat pacta Aſtenſia.

Februarij initio coram Rege ac Reginâ frequentes Proceres affuerunt, vt tandem ſumpto temperamento, agendorum cum Hiſpanis forma ſtatueretur. Venetus Orator Sabaudiam cauſam ſuam putans; & famæ Regiæ & vtilitatis diſpendium apud ſingulos expoſuerat; oraueratq; ne adeo viliter potentiſſima natio arbitrium Italiæ prodigeret; ſed Sabaudium libertatis aſſertorem, aduerſus Hiſpanos iam Orbem votis complexos tutarentur. Illi iuuentute opus; pecuniam Senatum ſuum promptè collaturum. Et quia graui cum Auſtriacis bello certabatur, Senatui quoque ſuo duodecim millium ſubſidium flagitauit, qui perrupto aditu Gradiſcam vſque deducerentur. Ad hæc pro Sabaudio Adigherius, pro Venetis Humena diſſeruerunt: Ille Mediolanenſem tractum omnem, octingentorum millium aureorum Regiæ expenſæ intra paucos menſes recepturum ſe promiſit: & addidit conſilij cauſas, occaſionéſque: Feſſos nempe oneribus ſubditos, hoſpitalitate militari hauſtos; iniurijs infenſos: Toletano non pecuniam, non militem ſuppetere: ſi hinc Belgæ incubuiſſent, illinc Veneti actum de Imperio Italiæ eſſe. Sed ſpei ſummam in Sabaudio, qui laxo prouinciarum ambitu, & complecti Mediolanenſes armis poſſit, & auxilia Gallorum annonâ iuuare. Hic duodecim Moſchettariorum millibus inſtructum ſe, comite inſuper Aldigherio diſiecturum obſtantia ſpondebat, & inuito Toletano Venetas in ditiones euaſurum. Acre id conſilium erat, quod Humena, Nemurſius, Longauilla, Soiſonus, Condæus, Roanus, & Momotantius fouebant.

Conſilium Gallicum ſuper rebus Italiæ

Captum iam Mediolanum videbatur, niſi eam vim fatum Hiſpanorum, & Regina bello infenſa auertiſſent. Quibus Aldigherius conditionibus eâ expeditione Sabaudio conuenerit, parum compertum eſt: quod hic inter cætera bonæ dominationis præcepta, ſecreti reuerentiam adoraret. Illud tamen certum eſt, potuiſſe Sabaudium præmium operæ, aut Gennenſium, aut denique Mediolanenſis prouinciæ partem (quæ ſeſe in ſinum Pedemontanum fundit) ſibi deſtinate; deplorato Hiſpanorum receptu, quamdiu fœdus ictum, & concordia, Gallos ac Venetos ſibi colligaſſet. Ambigentibus Gallorum Proceribus, quò maximè Hiſpani Pedemontano tractu arcerentur; incerta quoque Senatorum Venetorum ſententia erat. Primo quippe belli motu, alij aduocandos in ſubſidium Gallos, illigandum fœdere Sabaudium alij, plures pacem honeſtis vtrinque conditionibus præferebant: nam victorum Gallorum impotentiam, Sabaudij virtutem, & ex vtriſque non plenam ſecuritatem metuebant. Melius credebant

Venetorum varia ſententia de pace aut bello.

qualicunque honore Reipublicæ amicè componi diſcordias,& veteres odiorum cauſas obliterari; nec aduocari in Italiam feras gentes,quas vbi receptæ ſint, ex arbitrio dimittere non liceat. Profici quidem aduerſus Hiſpanos eâ conditione temporum poſſe; ſed & incertos eſſe belli exitus; & Galli Hiſpanine præualeant, vtilitati Senatus parum referre. Eius gentis induendam ſeruitutem, cuius virtute partes cecidiſſent. Placuit ſenilibus animis bonum pacis; dederéque oratoribus per Germaniam & Hiſpaniam mandata, vti pactis concordiæ (ſi honeſta proponerentur) annuerent; & ſponte Hiſpani decoram pacem acciperent. Id Rex ſecretis exploratorum literis diceratſ; & vbi vtilitati familiæ, honorem componi vidit, miſſo ad Toletanum curſore imperauit, ne quo hoſtilitatis genere quieſcentes Veneti irritarentur. Sibi cum eo Senatu placere concordiam; nec iura ſua armis proſequi in animum induxiſſe.

Veneti cum Auſtriacis cupiunt controuerſiam amicè componi.

Toletanum rei nouitas confudit, qui iam armatas cohortes finibus Cremonenſibus induxerat, & Aſolam contra diſpoſuerat, tamquam ad bellum. Ergo Acerbo Ciuitatis Gubernatori imperauit, vt reuocatos Duces, cum ſuis Nouariam, mox in fines Pedemontanos tranſmitteret. Minus ſibi negotij futurum putans; ſi Sabaudij cauſæ Venetos abſtraxiſſet. Sed de Auſtriaco bello ſermo erat: certaturo enim Sabaudio cum Hiſpanis, partem ſe curarum fecerant, arctiſſimo fœdere. Nec ille recepturus pacem erat, quæ Venetos expeditionis ſocios non complecteretur. Imo illi vel ſecretè promoturi conatus Ducis ſciebantur, vt Toletanus Sabaudio odijs implicatus nec iuuare Auſtriacos poſſet; nec Venetos quominus Gradiſiâ potirentur, impedire. Miſerat Mantuam Toletanus literas, quibus ſocietatem Ducis requirebat, aduerſus Hiſpani nominis oſores. Et ille quidem ſtatim congruentia reſponderat; nec Venetos exceperat excuſauerátve, immemor auxilij quod egenti vix creditâ liberalitate primo tumultus initio ſenatus ille contulerat. Id quæſti per literas ſunt; quamvis tutos ſe iam ab Hiſpano metu cognoſcerent. Nec enim quod Hiſpanos contra Sabaudium hoſtem ſuum prætuliſſet ægrè tulerant; ſed quod illi ſe Senatui inimicum profeſſus eſſet; cuius beneficio, & ipſe & maiores eius frequentibus per Italiam ſeditionibus exerciti, auitum decus, & potentiam principem retinuiſſent. Certiori Sabaudium fide Veneti fouebant; quem valere fortitudine, & propoſiti conſtantem experti fuerant; nec communem iam cauſam, per proſpera, per aduerſa deſerturum. Aldigherio conſilium Venetum placuiſſe,& propria & Sabaudij vtilitate didicimus; vt cui certum eſſet,non poſſe plura ſimul in loca Senatum vires ſpargere;nec diu Gallos ſub ſignis haberi;niſi ab ipſo collatâ pecuniâ retenti forent. Eadem Sabaudij mens erat, qui licet ære ſuo plura militum millia alere ſolitus eſſet, nouas tamen Legiones deſcribere abſque Veneto ſubſidio non poterat, Tribus quippe legionibus bellum id patrari; nec paucioribus copijs Hiſpanos coërceri poſſe nouerat: idque vt ſeruaret ſua, & tutas Venetorum res faceret. Vtriq; numerum militum præſcribebant,quem Veneti menſtruo ſtipendio retinerent. Nec vana fiducia erat;nam & cum Veneto oratore conuenerant,& Senatus obtulerat; minori ſuo detrimento putans,hoſtem quem formidabat, aliò armis diuertere, quàm tempeſtatem belli in proprios fines deriuare: ſimul certum erat apud illum belli paciſq; arbitrium futurum, qui exercitus procul ſuſtentaſſet.

Hiſpani copiae à finibus Venetis ad fines Pedemontanos vertunt.

Sabaudius Venetâ pecuniâ bellum parat.

Ridebat Mantuanus facilitatem largitionis; cui imparem ditem Rempublicam opinabatur: qui tamen vires eius, annuoſq; reditus æſtimabant, & non ſemel conſilium id ſalutem illi tuliſſe nouerant,dignam tanto ſenatui prudentiam commendabant. Cum enim multam auri vim in cenſibus annuis numerarent, claſſem, Arces, militiam domeſticam, etiam externam ſuſtinere poſſe ſciebantur:cum

Digitized by Google

tur: cum inſuper nec alieno ære grauarentur; nec tributa ciuitatum prouinciarumq́; creditoribus adhuc oppignoraſſent; quo ferè malo cæteri Europæ Principes laborant. Inter hæc cum Aldigherius ſupra quàm neceſſitas & Sabaudius requirere videbantur iuuentutis numerum ingentem cogeret, aliumq́; ſequi iuſſum, Pedemontanæ paucos intra dies inferre deſtinaſſet, nec ſe paucioribus Sabaudius ambiret, fama obtinuit, non propulſandi hoſtes, ſed inuadendi & inferendi belli vtriſq; voluntatem inceſſiſſe. Generoſum nempe ſenem meditatum Mediolanenſi ditione omni Hiſpanos exigere, & Sabaudium minorem Principem Thomam ei dominationi imponere, collocata illi in matrimonium filia ſua, in præmium ſtrenuè nauatæ operæ. Id vt improbabilius vero ſapientiores non crediderant; quod nec prompta Mediolanenſium occupatio; & niſi ſuperatis ingentibus præſidiis futura eſſet. Galli quoque Proceres ſub Aldigherio inferiora ſuæ fortunæ auſpicia ſecuturi non credebantur. Nec fortiſſimus ſenex præter nunc bellantium conſuetudinem; fructu belli vti deſtitiſſet; ſed ſi magnis auſis ſors affuiſſet, ſibi gloriam vtilitatemq́; retinuiſſet. Id Sabaudium cogitaſſe pro comperto non habemus: quamquam vix crediderim ſtirpem Cæſarum Regúmque, quæ ferè eiuſdem Maieſtatis ſponſas acceperit, dederitque, quæ Chriſtianum Orbem nobilitate ac conſanguinitate complexa ſit; quæ regales titulos ſua magnitudine confuderit, tantum vilitatis in domum inducturum fuiſſe; vt ſeſe priuato ac recentis decoris componeret, quamuis dotales prouinciæ oſtenderentur. Iam ipſe Sabaudius vxoriam dotem, quæ Belgicæ Principis Iſabellæ dotem æquaret, bono iure poſſe repetere videbatur; & prima nuptiarum illius celebritas ea ſpe lactata ſciebatur; vt credi non poſſit, quod ſibi iuſtè ac ſanctè deberetur, velle mortales Aldigherij donum appellare.

Cæterùm Toletanus in omnes proſequendi belli occaſiones intentus, rumores, metus, vera, aut falſa, quibus auctor aut coniectura erat, ad Regem ſuum præſcribebat, ſtabili apud ſe ſententia, niſi cum dedecore Regio, & ignominia gentis Aſtenſem concordiam admitti poſſe. Hanc rationibus quibus Sabaudij inhonoram Hiſpanorum ab Aſtio diſceſſionem appellabant, onerabat, oſtentata certæ victoriæ ſpe; & quia Regem indignatum Duci, liberis eius æquum nouerat, non ciuitatum detractionem, aut prouinciarum retentionem proponebat; ſed vexationes, quibus (vt ferebat) ſaniora conſilia admitteret. Perſpectum aſtuto viro erat, generoſum Sabaudij animum ſimilibus irritatum, arma conſtantiſſimè prælaturum; Hinc occaſiones præliorum, & ciuitatum oppugnationes ſecuturas; ſibi prolatis finibus Mediolanenſibus, nouam gloriam acceſſuram. Sed nutantem infirmi conſilij apud Aulam voluntatem, eo fortiſſimè commouit, quod publicæ famæ congruerent; eáque in Sabaudij odium ingerebat; Iuratum ab eo fœdus Gallicum, Venetæ ſecuritati aduerſus Auſtriacos vires omnes deuouiſſe, denique Mediolanum ambire; ne minori nomine quàm Albertus Auſtriacus, dotali honore diceretur.

Toletanus Sabaudium apud Regem ſuum accuſat, & belli apparat.

Profecêre hæc in perniciem Italiæ, vt Aſtenſis concordia in extremum rejiceretur, & maiori conatu Sabaudius premeretur. Proinde peditatum equitatumq́; Pedemontanæ limitibus admouit, nouos delectus tota Italia conciuit, & expeditioni maturè accingi imperauit. Segnius hæc tum à Sabaudio agebantur; qui licet imminens bellum præſagiret, ſeq; multis hominum millibus firmaret; quia tamen non Ludouiſius, non Bettunes cœptum pacis negotium omittebant, & Galliæ Regina indefeſſè poni arma flagitabat, moderationem, & ſpeciem pacis præferebat. Datis tamen ad Reginam literis Hiſpanum apparatum, & concluſionem pacis queſtus eſt; non quod eam prorſus ambiret, ſed recordatione debiti, quo ſe illi non quieſcentibus Hiſpanis auxilio affuturam promiſerat. Et bello

Vu

& pace ſtrenuus Aldigherius ſcribatur: Hunc ergo Taurinum mitti placuit, vt vias omnes pacis tentaret; irrita negotiatione parata iam ſubſidio Sabaudio deduceret. Diu & inter multos res exercita. Ludouiſius ac Bettunes ſæpius Toletanum conſilio ac precibus fruſtra adierant. Sed Aldigherius vbi ambigua diſſerere; & tectum cuſtoditumq; Toletanum, futuram deliberationem occulere deprehendit, rem vt erat ad Reginam detulit. Nec dubitatum de bello; & quia tractabilius cœlum mollito frigore videbatur; ne opportuniſſima rebus agendis anni pars perderetur, ſtatim in Italiam nouem armatorum millia induxit, pedites ferè omnes, Comite de Saut, Domino de Saniux, & de Blaccon impoſitis, viris nobilibus, & fortitudinis ſpectatæ. Et quia vires Hiſpanorum plures requirere videbantur, à Sciarrilione Sabaudius alios conduxit; quos ille pridem non rogatus obtulerat. In vſum militarem, & mutuum præſtari ſolitum, miſerat Dux vim pecuniæ, quâ octo hominum millia deſcriberentur. Nec ille tamen promiſſis ſtetit diuerſa cauſatus, quòd accepto licet auro, quo vniuerſi obligarentur, quatuor ſolummodo millia tranſmiſiſſet.

Aldigherius mittit in Italiam nouē millia Gallorum.

Et Sciattilionus quatuor millia.

Diu iam Toletanus conſilia agendorum concoxerat, & cum non omninò viribus ſuis fideret, niſi domeſtica ſeditione Sabaudium imminuiſſet, ad Ducem Nemurſium conuertit. Qui Sabaudiæ originis, & per Gallias potens, quatuor millia militum Sabaudio deducere conuenerat. Viſus eſt profugo rebelli internuncio, & pactorum deſcitionis firmatore; vt occupato per Pedemontanam Duce, ipſe Sabaudiam ingrederetur, facilem captu, nec (vt rebatur) mutationem auerſaturam, quoties procul familiâ Dominus non pereretur. Turgidum vereri odio Nemurſium Toletanus didicerat; quòd promiſſam illi filiam, collocare matrimonio diſtuliſſet abnuiſſétque. Et quidem à Nemurſio ſpecies indignationis data; quamuis pridem acceptâ pecuniâ, & fauoribus delinitus, prætextui renunciaſſe crederetur. Multo nihilominus auro, & ingentibus Hiſpani promiſſis ſuperatum accepimus, vt ſuæ generis deſertor, apud omnes turpiter audiret. Expeditionis ordo erat, vt prima ſtatim ereptione Aniſio & Romilio poriretur; mox in propinqua excurreret; donec ſolidata præcedentium poſſeſſione, etiam vlteriora aggrederetur. Paranti iam bellum Nemurſio (vt ferè ſpes res difficillimas componit) videbatur negotium tranſactum: ſed euentu deprehendit, plerumque vota perfunctoriè æſtimata indecorè vaneſcere. Iam enim in Vicina Sabaudiæ delaro, Marchio Lanzi, valida popularium manu occurrit; coactuſq; eſt ne tentato quidem prælio regredi. Id tantùm nactus, vt Sabaudij aduerſus redirurum frequentes aggeres, & munimenta erigerent, breuem ſaltem impetum retentura; donec vis maior in tutelam accurriſſet. Regreſſum ad ſuos Comitatus Burgundiæ excepit; vbi Hiſpanorum fotu, maiorem priori exercitum deſcribere aggreſſus eſt: quo oppoſita perrumperet, Lanziumq; trans Alpes in Taurinenſes fugaret.

Nemurſius conſultore Toletano Sabaudio conſanguineo bellum molitur.

Marchionē Lanziolum habet, à quo fugatur.

Paucos poſt dies conſilij certior Sabaudius, motuq; conſanguinei accepto, ne leue incendium neglectu maiora incremēta acciperet, aut prærogatiuâ Sabaudij ſanguinis plures popularium illiceret, Pedemōtanum Principem filium in Sabaudiam miſit, datis virib. quibus redeuntem ſuſtineret, & inſuper Aldigherio commēdatum: qui iam Nemurſium eâ cauſâ exoſum habuerat. Aldigherius literis ac legationibus procurrentē, à ſeditione auertere conatus eſt; minaſq; Regias interiecit, ſi Sabaudiam Gallicæ tutelę commiſſam intrauiſſet. Literarum ea ſeries fuit.

Aldigherij literæ ad Nemurſium.

Audiuiſſe ſe quo portento flagitij, domum ſuam, ſuum ſanguinem, Sabaudiam infeſtaturus irrupiſſet: nec vllum adeo expertem fore pietatis, qui deſcitionem illam non ſit execraturus. Auctores ipſos vtilitatem propriam infamiâ illius procurare. Sperari potuiſſe promoturum illum honeſtos Sabaudij conatus, & deſcriptâ iuuentute, obuiam conſanguinei diſcrimini proceſſurum: quando implacabilibus

bilibus odiis fratres agitati,conſenſu ferè in communem hoſtem ferantur.Sabaudiam à Rege in tutelam receptam;nec Gallum Principem ſine Regis iniuriâ inimicè cum eâ agere poſſe. Quin vicinarum prouinciarum arma exercituſq; eò aduolaturos, neque ſe cunctaturum ; non vt Galliæ gentis Principem armis perſequatur, ſed vt fidei commiſſi Ducis ceruicibus, Hiſpani ſacramenti mancipia detraheret. Tam fruſtra illum Hiſpanis conſultoribus fidere poſſe, quàm irritè arma tractauerit. Aut Sabaudium veteri in dominatione manſurum ; aut ab Hiſpanis Pedemontanâ deiectum,conſanguinei fortunam ſuo lapſu in exitium tracturum. Neque enim Aſtium,Vercellas, & quæ eius tractus vrbes Hiſpanos accepiſſent,etiam ipſo Sabaudiâ potito,ad Sabaudios Duces reditura. Indecoram potentiam eam fore,quæ Pedemontanâ non fulciatur,& cuiuſcunque arbitrij futuram,niſi opulentiſſimâ Italiæ parte ſolidetur. Tacere opprobrium,& pudendam in poſteris memoriam, quæ parricidium illius, ac proditionem ſuorum, ſit poſteritati ſacratura. Si quid à Sabaudio requirat; ſi quo læſum ſe putet,medium pacis Aldigherium,& precibus ferendis accinctum crederet;nec irritos conatus ſuos futuros,ſi reuerenter ipſe ſua deſideria expoſuiſſet.Militaris viri ſenſus validi Nemurſium retinere poterant, niſi Hiſpani acrius inſtitiſſent, & in perduellione gloriam putantem vanâ ſpe erexiſſent.

Toletanus exercitum auget. Iam Toletanus præter Hiſpanos & Italos, quorum robur ad ſigna concurrerat,duodecim Germanorum,ſex Heluetiorum millibus increuerat; & vno velut ictu Pedemontanam omnem preſſurus videbatur.Quippe cum adhuc Mediolani ageret, & de numero bellatorum in Conſilium referretur; pluresq; decem & octo millia expeditioni ſufficere teſtarentur, poſſe reliquis laborem condonari; & minori expensâ cum victoriâ, parſimoniæ gloriam referri, fertur reſpondiſſe: Tarcicè ſe more cum Sabaudio certare velle ; & ad inſtar torrentis validiſſimi, aut cœlo miſſi fulminis,vniuerſa illius in præceps rapere. Hoc eſſe expenſarum compendium ; & ſic tutum militarem numerum ſeruari, & inferiori hoſte certam victoriam expectari: Modicas copias tempore, pugnâ, labore,fugâ,diſſolui, nullâ in ſummam vtilitate. Ex diſciplina mihi egiſſe viſus eſt; ſi ita agendorum formam diſpoſuiſſet, vt multitudini ac viribus ſuorum, pares exitus habuiſſet. Sed cum Italiam omnem & partem Germaniæ florentiſſimâ iuuentute ſpoliaſſet,pecuniam ingentem prodegiſſet,Monferratum hauſit potius quàm defendit: & pro captiuis apud Vercellas, & toto bello, multò maiorem cæſorum copiam rependit,vt ſuo loco habebimus.

Toletanus ponte iungit Padum & Seſiam. Non iam dubia illius deſtinatio erat,Pedemontanam,& quod in eâ opulentiſſimum erat meditari,ſed Padus ac Seſia amnes obſiſtere conatib. videbantur;quod ille nullâ ſui parte vado ſuperaretur; hic Vercellas prætergreſſus,niſi ponte iacto tranſiretur:Cum inſuper pluuio cœlo ſuperſtagnaret,& frequenter ſedibus exiliret. Prohiberi non potuit Toletanus,quin prope Villatam,fluuium ponte iungeret.Mantuanus quoque partem infœlicis operæ ſubierat,impoſito alio ad Ponteſturam; vt quâ facilitate Hiſpani vltrò citroq; permeabant,miſeri Monferratenſes abſumerentur. Prouinciam malo fato miſerabilem multò ante Hiſpani ſedem bello delegerant ; opeſq; domeſticas,& commeatum ditis agri,ſibi deſtinauerant ; non ſilentio ſolùm, ſed & annuente Mantuano ; quaſi alieni progreſſus illi forent additurі ; & hoſtili ſuorum direptione vindictam à Sabaudio repetiturus. *Sangeorgius Pado.* Præuisâ locorum opportunitate Sangeorgius altiori Ponteſturæ ſitu,haud procul Verruâ, pontem & ipſe Pado impoſuerat, vt tranſmitti in Monferratum copiæ,nullâ ambitus,aut longioris itineris moleſtiâ poſſent. Præſens tum Aldigherius deſtinata Toletani excepit (Taurini enim agebat) vt iam apud Reginam bellum contra Hiſpanos abnuentem probationis non egeret ; & Mantuanum

in partes Hiſpanas abiuiſſe; & hos Pedemontanam votis concepiſſe. Datæ ab eo ad Aulam in eundem ſenſum literæ, hoſtiles copias, ordinem, cogitationes proſecutus eſt; & qua ſuæ gentis iniuria Mantuanus partem ſe belli feciſſet; nulla vi ſua ſecurus, & alienæ tutelæ mancipatus. Nec iam bellum perſuadebat; ſed cauſis in aperto poſitis ſummam neceſſitatem oſtendebat. Regiam exiſtimationem duplici diſcrimine conflictari; & quod recepto ſacramento auxilium Sabaudio ſpopondiſſet; & quod ſemel arbitrio, belliq; initiis delibatis ſine dedecore ſeſe ſubtrahere non liceret.

Aldigherius monet Reg. ſuum metus Hiſpanici.

His haud dubiè eorum ſententia caſtigata, qui turbarum principio, nullum belli ab Hiſpanis metum aſſeuerabant; Reginamq; induxerant ea cauſa Sabaudij tutelæ abſtinere. Ea occaſio fuit, vt communi apud populos Principum calamitate Regina quoque interpretationibus infamaretur; quaſi in coniugium Hiſpani intenta, Regis filij, ſuæ gentis, amicorumq; honorem prodidiſſet. Id vt aſſerere turpe eſt, ſic & credere: rumorem tamen eo tempore maiorem quàm vt ſine nota ſileretur, non omiſimus. Hiſpani Seſiæ pontem ad Vallaras munimento ſepſerant, aduerſus inſultus Sabaudios; quos illius excidio affuturos nouerant; æſtimatione periculi, ſi apud ſuos manſiſſet. Certatum interim ſententiis apud Ducem præſenti Aldigherio, quid facto præcipuè opus; quid prius, quid poſterius aggrediendum eſſet. Hic enim non expectandos Hiſpanos progreſſus dicebat, ſed minitantibus & accinctis, Arcem aliquam Mediolanenſis ditionis occupandam: vt damno rerum ſuarum Pedemontana abſtinere docerentur. Rogatus, quam maximè præferret; id ſe iudicio peritorum prouinciæ permittere reſpondit. Tum alij eiuſdem gentis Arcem Sandoual, aſſultu aut obſidione capi perſuadebant; nondum ad ſummam eductam; & tenente agrum omnem circum amico exercitu, ſegnius cuſtoditam. Id ſtatim Sabaudius improbauit; vtq; coram rejicere conſilium ſuperſedit, ſic gratum illi accidit, Sangeorgium ſuæ ſententiæ aſſertorem firmiſſimis rationibus inueniſſe: Nec enim impetu ſcandentium capi locum poſſe, foſſa & aggeribus ad ſecuritatem munitum; nec vi oppugnantium; qui plurium dierum operam requirant. In vicino enim Toletanum ſtatim ſuos ſubſidio firmaturum; & deluſos opinione Sabaudios, domi formidinem, apud exteros vilipendium cōtracturos. Quodq; caput rerum erat, metui poſſe, ne hinc oppugnatoribus, illinc auxilijs affluentibus, totis viribus vniuerſi congrederentur; & Sabaudius eo diſcrimine, rerum ſummam, & Pedemontanam omnem in caſum daret, ſi fortuna virtuti ſuorum minus reſpondiſſet.

Conſilium cui Sabaudius aſſentiebatur Sangeorgij erat; vt deducto haud procul Motta exercitu, impoſitus ab Hiſpanis Seſiæ pons, conatu omni diſſolueretur. Caueri Pedemōtanæ ſecuritati eâ parte videbatur, ſi præcluſo aditu, magno per profluentem periculo, adeunda Hiſpanis Pedemōtana foret. Sic hoſtiles conatus diſtineri; fauore inſuper hiemis & violentiâ imbrium, in futurā æſtatem poſſe credebantur: Nec minus intercipi commeatus, vt laſſitudine ac pænuria tanta vis ſpōte ſua diſſolueretur. Arduum quidem ſed effectu promptius id erat, ſi certiores Sabaudij Hiſpanæ deſtinationis celerius accurriſſent. Cum in propinquo prelium eſſet, Aldigherius trans Alpes in Delfinatum profectus eſt. Seditionem ſuorū quidam, alij curam Italici belli prætēdebant; vt præſens plura millia deſcriberet; iuſſuq; & auctoritate in Taurinenſes mitteret. Solicitudinem quoq; Nemurſius per Burgundiam Hiſpanicam increſcens fecerat; vt is iudicio & conſilio retineretur. Equidem Sabaudio externo ad id bellū Duce opus nō erat, ſed tantùm milite, ne ſubditos ſuos (quamquā in arma geſtiētes) fatigaret delectibus. Is ſequēti Creſcētinum profectus eſt, vt exercitū ibi tendentē viſeret, & futuræ expeditioni componeret. Hinc Vercellas petijt, adeo pacem præferēs, vt Hiſpanas iniurias, & Pōtis

Sabaudius Vercellis.

Villatæ

Villatæ prorſus oblitus videretur. Compoſitionem illam animi pauci interpretabantur. Cum enim de eo Principe præter ignauiam, omnia crederentur, occultas cogitationes, & nemini communicata conſilia excuſabant; tantùm quò, & quibus viribus ambitus verteret, intenti. Sed illum iam in pontis oppugnationem abeuntem Bettunes literæ deprehenderant. Pauiam ſe ad Toletanum profectum, & reſumptam pacis negotiationem ſcribebat: orabátque breuem negotio moram concedi; ne prouocatione armorum, compoſita ferè diſcordia, rurſum accenderetur. Curſor eandem ſecuritatem fatebatur; vt ferè id genus hominibus, licentia mentiendi impunè eſt. Sequenti, reſponſa Toletani eodem faſtu turgida bellum ſpectare didicit. Proinde cum Aſculanus validâ cum manu Candiæ ageret, vicinio pontis; & oppugnatio tentata cunctarum virium congreſſum (quem tum Sabaudius numero inferior prudenter vitabat) minaretur; Ductorum belli ſententias requiri placuit, etiam Oratore Veneto in deliberationem adſcito, vt conſulto res ageretur; Senatus verò potiſſimam ſe curæ partem agnoſceret. Eâ in re viſum, non cominus prælio, ſed iniecto artificioſo igne pontem corrumpere; mox ab euentu ſumpto conſilio; vbi priora ex voto eueniſſent de futuro deliberare. Neque tamen Gallis omnibus opinioni Sabaudij aduerſis, eadem ſententia erat: quod aliqui nullum ignis vſum crederent; cuperéntque obiecto valido aliquo munimento, & virtute, pontis tranſitum hoſtibus adimere: Alij retineri Hiſpanos diffiderent; quòd illis promptum eſſet exercitus partem traiicere Catinaram iuxta, vadabili alueo, & nemine eo loco tranſitum prohibente. Eam deliberationem cogere Sabaudios poſſe ab incepto deſiſtere, & caſtra ingenti hactenus labore munita deſerere. Proinde vtilius credebant, ingreſſos iam pontem hoſtes aggredi; tenui acie ob loci anguſtias offerendos, nec calore reliquorum adiuros: pauci enim non conferti in prælium locus admittebat. Quin imo ſi prohiberi primus impetus non poſſit, & Hiſpani vi vlteriora tenuiſſent, poſſe illos toto agro Vercellenſi exagitari, vexaríque; & infeſtatis frumentatoribus fatigari. Iam enim, ne frumentum, vinum, pabulum, auenam contrahere poſſent prouiſum fuerat; fonteſq; aquarum macerie humoq; fœdati ſitim hominibus ac iumentis minitabantur.

Ingentibus hæc difficultatibus implicabantur; quas ante alios præuiderat Sangeorgius; ſed præſenti Sabaudio, rem vniuerſam permiſerat. Hic verò ne Gallica auxilia diuerſitate opinionis offenderet, trahi ſe in id quod illis libuiſſet facilitate ſinebat. Non equidem decrant, qui hoſti tranſituro ſe opponere cuperent, nec probabile crederent Toletanum iuſto exercitu inſtructum, auſurum vires diuidere; & quos confertos periclitari videbat, ſeparatos ac diſiunctos Sabaudijs obiectum: quando Galli Linguadocâ deducti, & tum Taurinum delati, illorum partem retinere poſſent, integris Sabaudij copiis quas Mottæ habuiſſet; & certius in obſtantes auſuris, ſi imminutum hoſtem diuiſione accepiſſent, aut ſociorum virtute preſſum. Fixum Sabaudio erat, ſiue in aperto certandum illi, ſiue pons oppugnandus eſſet, Bettunes negotiationem opperiri; qui iam totis diebus quindecim, non aliud aſſecutus à Toletano fuerat, quàm vt cognoſceret nullâ Sabaudij culpâ bellum produci: Idq; literis in Gallias miſſis teſtatus eſt; quibus Ludouiſij quoque fidem obſtringebat. Magno enim documento Reginæ opus erat vt crederet: quod nemo mortalium pacem acrius ac frequentius Toletano perſtreperet. Aggreſſi pontem Sabaudij, valido illum præſidio infeſſum inuenêre; diuiſis vtraque ripâ cohortibus, quæ munimento defenſæ in detectos prælíabantur. Et facilis præuiſus fuit. Vbi tamen frequentia apud ſuos vulnera viderunt, nec ſpem detrudi loco hoſtem poſſe (niſi magno diſcrimine de ſummâ rerum tranſigeretur) paulum hæsêre, deliberaturi quid eo rerum articulo magis

expediret. Plerique locum Caſtris præcipi ac muniri, quòd obiectum flumen latera ac rergum tutarentur, conſulebant. Sed id Gallis non placuit, tot contra millibus hoſtium, temerè tranſitum impediri fatentibus. Alij tamen denſo aggere educto locum retineri poſſe dicebant; ſe verò quamquam numero impares, ſufficere tamen aduerſus plures; qui nec frontem prælio explicare, nec eon ferti accurrere potuiſſent. Non rarò ea auxiliorum peruicacia Sabaudij conatus irritos fecit: Nam & apud Aſtium, & quoties ambigua tractanda erant, fœlicius illum pugnaturum fuiſſe conſtat; ſi Gallos & Heluetios obſequentiores habuiſſet. Illo tamen mirâ dexteritate, diuerſitatem nationum placido imperio continuit, & victoriarum potius partem Hiſpanis conceſſit, quàm ſocios duritie offenderet; licet minus perſpicaces. Prudentiâ imperandi, & habendi ſub diſciplinâ colluuiem nationum Hannibalem expreſſerat: quamquam ille potentioribus bellum intulerit; Sabaudius tamen vt maior genere, ſic (ſi perfidiam ac ſæuitiam demas) non alias artes eâ expeditione retulit. Hiſpani interim primos ſuorum ordines ſecu ti coiuetant; & retento ponte ad vlteriora proceſſuri cognoſcebantur. Luſiſſe operam Sabaudij credebantur, ſi nullâ ſatis decorâ victoriâ, tentaſſe pontis oppugnationem, & irritè receſſiſſe dicerentur.

Sabaudij portem irritò tentant.

Primum id omnino cum Toletano bellum erat, & cum re opinio ſectanda. Proinde fœni ac paleæ egeſtate laborantem Hiſpanum, & annonam trans Seſiam in Paganorum vſus collectam ſibi deſtinantem, occupare placuit. Vis ingens erat: quæ eâ rerum trepidatione cum vniuerſa aſportari non poſſet, concremata eſt. Et quia Villanouam Monſerratenſis ditionis municipium pedites equiteſq; Hiſpanos obſediſſe Sabaudius acceperat, ſummâ feſtinatione in inexpectantes irrupit. Vix crediderant ſocio exercitu per vicina diſpoſito, tantum vitium animorumq; hoſti futurum, vt oppugnationem aggrederetur. Sed vbi detectus Sabaudius, & eò confertus propetare viſus eſt, qui eam ſedem tenuerant poſtico elapſi, turpi fugâ ſeſe ad exercitum receperunt. Ingreſſi victores, Hiſpanos mores in vſum retulêre; commeatu enim, armis, opibuſq; ex arbitrio vſi ſunt; licet propè Hiſpani, infœlicis Mantuani rem perdi, nil mutatâ compoſitione vultus, ac grauitate ſpectarent; cognoſcerentq; Sabaudium reſumpti belli nobile principium ſtatuiſſe. Famâ quoque captæ Villanouæ Monferratenſis, futura præſagiebant: quod præſens Toletanus amicorum exitium propulſare neglexiſſet, aut nequiuiſſet.

Sabaudij capiunt Villanouam.

Feſtinatio Sabaudij pleraque expediebat; cum Hiſpani cunctatione vſi, non rarò negligentiam prudentiam appellarent. Res itaque amiſſas & raptatos ſubditos, cito Curſore delatum Mantuam eſt; repertuſq; Dux, tranſlatâ iam in Hiſpanos cura, velut negotijs vacuus, inter carbones ac folles, fallacibus impoſtorum promiſſis circumuentus, quibus fortiſſimè credebat occupatus. Quod verè proprium illius negotium erat Toletani credebat: & tamquam capta a Sabaudio oppida, illi mutui vice concederentur, nulla fortunarum aut agreſtium opum ſequente iactura; redditurum hoſtem quæcunque cœpiſſet, reſpondit; mira frontis ſerenitate cœptum iam opus promouens, & plures dies eidem vanitati mancipatus. Poſtero cum frequentes Conſiliarij aduenilſent: Sciтiſne ait, Villanouâ Sabaudium potitum? & illis compoſito in mœſtitiam ore annuentibus, addidit: Ego verò peruicaci ſtudio rem domeſticam adaugeo; at propediem medicinam paraturus ſum, quæ auri vim ingentem promat: rubeſcit iam maſſa, & non obſcura obriſi auri inditia oſtendit. Mox tamquam partis opibus de bello agere cœpit: Contracturum ſe viginti peditum quatuor equitum millia, duos in eam expeditionem milliones annuos deſtinare; eius quam facturus ſit pecuniæ vix dimidium dicens; & ſuperaturis opibus, ſi maiore vi opus foret.

Mantuanus ſtudet Alchimiæ.

Curam

Caram tutelæ Monferrati Hiſpanis detrahere velle; quos expertus ſit aut malignitate, aut ſecordia fortunis ſuorum illudere. Et vt ſeriò agere videretur, domum quam ſecreto receſſui ſuo, extremo palatij angulo Romanæ Architecturæ more extructam diximus, aulæis & picturâ mirè adornauerat, tropæúmque Alchimiæ appellauerat, quod amorum fuerat. Maiori cameræ fornici Mercurium inter flammas, aureaq; cathenâ pedes vinctum, pingi voluerat, quaſi tremulum argentum auro iam mutaſſet. Sed ſecreti famuli, ſtructuram olim amori Camillæ datam ſciebant, vt abditas nec ſuſpectas voluptates, ipſe fallens vſurparet. Licet enim plures menſes ei negotio intentus & pecuniæ ſummam perdidiſſet, præter nugas & diſpendia nil nactus eſt, quod ſuum numeraret. Oliuetus quidam viliſſimus philoſophorum (in hos enim titulos vanitas turgeſcit) non vt imponeret, aut pecuniam Principis mergeret, ſed quod prorſus ſentiret, tantâ ſpe Mantuanum extulerat; vt iam pro certo numeraret, quod nullo vnquam tempore erat habiturus.

Iam Candiam venerat Toletanus, prædicto Alemannis die, quo ſe cætero exercitui iungerent. Paruerant, licet poſtremi aduenîſſent. Eo præſidio auctus, reiectis à Ponte Sabaudijs, nullâ Villænouæ ſolicitudine, maiora animo concepit. Cum enim Sabaudium cum maiori exercitus ſui parte ad Mottam conſediſſe, exploratorum relatione didiciſſet, vallare oppidum, & primo ſtatim conatu intercipere meditatus eſt. Nec præter Aſculanum alij communicauit ne quo relatore hoſtis admoneretur, aut conſilij ſocium habuiſſe diceretur. Fauere deſtinatis hominis, eadem nocte fortuna viſa eſt: quippe nulla hactenus obſcurior quietem feſſis, aut ſecuritatem inſidijs promiſerat. Primâ vigiliâ dedit peditatui ſignum itineris; iuſſitq; ſilenti agmine amnem ſuperare. Quatuor tormenta bellica campeſtria trahebantur, vt obuium hoſtem ictibus ac terrore confunderent. Octo millia fuerunt qui primi Pontem ingreſſi ſunt: Et quia tuta circum omnia nec itineri ſimul & prælio inſtandum erat, cæteri addito equitatu ſecuti. Relictum tamen ponti præſidium, vt amnis in poteſtate haberetur.

Saubaudius iam inter ſuos munia diuiſerat; & quâ parte quiſque hoſtem retineret, vrgeretq; monuerat; non neſcius ſuperato ponte, ab octo peditum millibus, reliquos nemine præualituro ſecuturos; & vbi campum tenuiſſent, occaſiones prælij capturos. Tranſiſſe tamen vniuerſos non nouerat; nec exploratorum induſtria vſui fuerat; frequentibus Hiſpanorum equitibus vltrò citroq; vagantibus, & ad omnes opportunitates diſpoſitis. Qui primi euaſerant, nacti populares viæ duces longo ambitu, detecta a Sabaudijs vitauerunt. Die orto progreſſi medio fermè die, à Sabaudijs viſi ſunt: obiecti colles, & confertæ arboribus valles properantes plures horas cælauerant. Rectâ Mottam petebant, vbi agere Sabaudium à Monferratenſibus didicerant; quem vnum toto belli tempore malo fato ſuo Hiſpani conſectati ſunt. Prior Sangeorgius (quod illi familiare inter pericula erat) cum paucis equitibus corporis ſui Ducis cuſtodibus, aduentantibus inimicis obuius proceſſit: quem mox aliquot Gallorum centuriæ peditum equitumq; ſecutæ ſunt. Parte dexterâ Heluetij ac Pedemontani cum equitatu, quem Commendator Manta ductabat, in Hiſpanos inuecti; eoſq; primo ferè occurſu ceciderunt fugaueríntque. Eo conflictu (qui iuſti prælij ſpeciem habuit) Gambaloita ſtrenuus partium Imperator moſchetti ictu exceptus concidit, & paulo poſt exanimatus eſt. Is inter ductores Hiſpanos eam ſibi diem certæ gloriæ fore prædixerat. Ita vir fortiſſimus, dum Sabaudium ſui decoris acceſſionem facit, omen impleuit. Altitudine & denſitate ſegetis vernantis tectus, moſchettariorum manum obliquè in prælium ducebat, foſſam quandam illius agri occupaturus, ſi ſegniores Sabaudij incubuiſſent; vt eâ in hoſtem tutò vteretur.

Hiſpani pontem ſuperant.

Sabaudius obuius Hiſpanis.

Gambaloita cadit.

Equites quoque centum quinquagenta properanti ſeſe iuxerant; qui paulò ante Villanouâ profugi locum Sabaudio reliquerant. Siniſtriore viâ Honofrius Mutus equitatus Sabaudij Commiſſarius Generalis, cum equitibus Gallis in foueam vſque magni aquæductus proceſſit, quàm prior Aſculanus occupauerat, magnâ peditum manu. In hunc delatus, licet ſtrenuè Moſchettis rem ageret, duorum tamen tormentorum bellicorum (quæ extremæ foſſæ ripæ Aſculanus erexerat) ictibus grauius offendebatur; quàm vt Sabaudij certo ictui expoſiti poſſent tolerare. Non enim eâ armorum conditione inſtructi erant, vt paria hoſti facerent. Canere receptui Galli ac Sabaudij commilitones coacti. Eâ tamen fiduciâ regreſſi ſunt, vt Hiſpani nec proſequi offenſas, nec inſequi abeuntes auſi ſint: ſatis ſe egiſſe rati, ſi locum quem virtute cœperant retinuiſſent.

Sabaudij Mottam deſerunt. Tuta iam Hiſpanis à tergo omnia fortuna reddiderat, totiſq; iam viribus Seſiæ tranſitum poſſidebant, vt dubium Sabaudio non eſſet, ſequenti nocte, quidquid militum ad Vallatas habebant, ſeſe prioribus additurum. Mottam deſeri, & Creſcentinum verſus copias omnes deduci, Sangeorgij ſententia fuit: Nec enim retineri Motta, non ſitu, non arte tutum municipium; quodq; feſtinatam operam non admitteret, poterat. Et ſi Hiſpani decimo quarto milliario à Taurino diſtantem præcepiſſent, campus omnis legionibus hoſtilibus peruius fuiſſet; ipſiſq; Taurinum vſque impunè excurrere ac mediâ prouinciâ prædas agere licuiſſet. Doræ quoque fluuij ratio habebatur: quo velut longo obice, hoſtiles conatus infirmabantur; & plus aquæ influebat, quàm vt arbitrium vado eſſet. Non alio magis quàm intercepto commeatu frangi inuectum hoſtem poſſe Sabaudius nouerat; tenui iam Monferrati annoua, quam militaris prodigentia reliquam fecerat; & longè diſſito Mediolanenſi agro; vnde ingenti labore conuectandum erat. Proinde medio inter Vercellas ſitu locum delegit, qui hinc inde ſita deſpiceret, & ſitu non minus quàm arte tutum foret. Placuit Aſilianum munitum naturâ, Vercellarum propinquitate, quod à tergo Santiam ſpectabat, aliaq; eius tractus oppida, mutuam iuuicem operam auxiliumq; promittentia.

Quam Hiſpani occupant. Abſceſſu Sabaudij Hiſpani Mottam ingreſſi ſunt, tantâ alacritate Ductorum, vt vi eieciſſe hoſtem viderentur. Nec aliâ in ciues pietate quàm aduerſus Monferratenſes conſueuerant, vſi ſunt; veteri gentis conſuetudine; cui haurire ſubditos & prædari pars imperij creditur, pretiumq; tutelæ. Plures erant quàm vt tectis exciperentur: ſed vt multis conſuleretur, arctiſſimè diſpoſiti; quibuſq; lecti deerant, populares largitione blanditi ſunt. Cunctatione Hiſpanorum vſus Sabaudius Aſilianum muninerat, deductis in operam militibus, vt maiori feſtinatione humus verteretur, muri in altitudinem tollerentur. Non omnes tamen copiæ labori admotæ; ſed Sangeorgium cum trecentis equitibus miſit, infeſtaturum hoſtes, & leuibus velitationibus diſtracturum. Totum Hiſpanum exercitum in paculos eruptum nemo crediderat. Neque tamen Sabaudius trecentos equites, certo periculo obiecit, ſed inuitare tantùm hoſtem iuſſit; Certâ ſpe immittendatum amicarum cohortium; ſi neceſſitas monuiſſet; quòd in propinquo Aſilianum eſſet. Vix mille paſſus Sangeorgius proceſſerat, & in plures Hiſpanorum turmas incidit, quas notus proditor Stropianam, vt ad certam prædam ducebat: Vbi nonnullos paganos agere præſidium, & auſuros propugnationem audierant. Centum ferè Equites præcurſores obuios ſe Sangeorgio præbuerunt; cum quis rem ſclopetis eminus cœpit. Illi fugâ dilapſi trahere hoſtem in inſidias nitebantur; ſi eorum qui occurerant numero æſtimato proſequi fugientes voluiſſent. Cum artium belli gnaro negotium fuit. Quippe Hiſpanorum conſilium aſſecutus, palantes tot agro agitare ſatis habuit, pertinacius

Sangeorgius Hiſpanos carpit.

inſiſtere

inſiſtere ſuperſedit; ne (quod res erat) totum in exercitum impar laberetur. Haud procul enim vniuerſæ copiæ comparuerunt. Triginta (quod minimum) peditum, quatuor equitum millia, diſpoſiti in frontem & cornua, & loco ad prælium ante capto. Sangeorgij primos conatus animo ac deſtinatione ſecuti Sabaudij; vbi Moſchettorum fragore iuiſſe in certamen ſuos audiuerunt, cum peditatu & equitatu accurêre, maiori alacritate, quàm vt prouocati viderentur. Cœpta ergò inter vtroſq; pugna, ſolidum in veſperam diem abſumpſit, pertinaci partium virtute; & nec cædere Sabaudijs, nec deſerere quem cœperant locum Hiſpanis volentibus. Hi tamen Stroppianam verſus flexêre, caſtra in loco poſituri; quocunque auxilio aduerſus inſultaturos ſatis tuti. Iam enim ruſticis raris & parum fidis armis, quæ trepidatio obtulerat, ſeſe potentioribus dedideant, impares cuicumq; fortitudini aduerſus vim ingentem oppugnantium. Secuta nox certamen diremit. Pauciores quam pro numero deſiderati; quod Sabaudij à longe Moſchettis, Hiſpani tecti vepretis & arbuſtis (quorum copia in loco erat) dimicarent. Toletanus quoque id pugnæ tempus non elegerat, qui totis viribus aggredi Sabaudium; nec niſi Ducibus & parte exercitus imminutum circumuenire cogitauerat. Fruſtra id fuit: cum inſuper non vno experimento didicerit, rariori milite Sabaudium ſæpius plurium hoſtilium legionum vim, aut fregiſſe aut tuliſſe.

Hiſpanorum & Sabaudiorum pugna.

Tres hic dies Toletanus ſuos attinuit: non metu (nam copiarum multitudine prorupturus vniuerſa videbatur) ſed ambiguitate agendorum. Nec enim adhuc quâ parte ſigna conuerteret, quâ bellum inferret, quam maximè ciuitatem aggrederetur elegerat; vt gloriæ cupidus, ſic anxius & incertus agendorum. Vtque inter Gallos Duces apud Sabaudium frequens in ſententijs, ſic apud illum inter Proceres obuia diſcordia erat. Moram ſibi proficere Sabaudius nouerat; eaq; ſapienter vſus, caſtra quæ cœperat magnâ mole communiuit. Conſilij ſecreto maximè Toleranus valebat; contra tot Galli Ductores in deliberationes à Sabaudio vocati, infidum Ducis ſilentium reddiderant. Itaque exploratorum pro Sabaudio vana diligentia fuit: nec enim Toletani animum aperire potuerunt. Venturum illum quidam putabant, & caſtra hoſtilia oppugnaturum; Alij ad vlteriora proceſſurum, plures Vercellas petiturum credebant; prout cuiq; ex ſe certior coniectura, & euentibus maturior prudentia erat. Mantuani Orator qui Toletano aderat, vt Vercellæ inuaderentur perſuadebat, aut certè Aſtium repeteretur, irritè ab Inoyosâ tentatum: opportunè ac decorè illinc gloriam repeti, nuda Hiſpana exiſtimatio viribus in caſſum iactis exciderat. Sed Toletanus Creſcentino inhiabat, vt perrupto Prouinciæ aditu Thaurinum vſque illaceſſitus progrederetur. Dezanam primùm miles deductus, vt eâ viâ in Creſcentinenſes properaret: ſed Padum iuxta viam delegaret, ſtirpibus incommodam, & vdo paludum imperuiam, non pediti, non equiti expeditam. Placuerat ſiniſtrum latus amne tegere, & ſubditis nauibus annonam ac tormenta conuectari, quæ tamen rariora erant. Primo Toletani diſceſſu Sabaudius Aſiliano Montanaram verſus profectus eſt, mox Tronzanam flexit, quod ſexto milliario à Creſcentino diſtat: ſed Hiſpani viæ quam ingreſſi fuerant, iniquitate fatigati Liuornum rectà progreſſi ſunt, vt altiori ſitu per amica Monferratenſium oppida, inter popularium annonam, & Mantuanas opes Creſcentinum venirent.

Toletanus Stroppianæ.

Toletani conſilia ſecreta Sabaudij aperta erant.

Toletanus cogitat de capiendo Creſcentino.

Inter hæc futuro præcipuè intentum Sabaudium falſus explorator admonuit, Toletanum iam Vercellas proſpectare: & eo cum vniuerſis copijs propediem acceſſurum. Doli cauſa fuit, vt metu vrbis nobiliſſimæ plura illuc ſuorum millia tranſmitteret, & ſe robore validiorum nudaret. Imminutum numero De-

cem facilius opprimi poſſe crediderat. Siue fideret, ſiue ſperneret, periculoſa tamen Sabaudio fides viſa: quia tamen vtilia plerumq; conſilia hoſtes inuiti licet ſuggerunt, eum militum numerum miſit, qui & ciuitati ſecuritatem ferret, & abſentia vires totius exercitus non frangeret. Caluſij Marchionem delegit; qui cum mille quingentis peditibus, & ducentis equitibus profectus eſt. Hos additis popularibus ſufficere credidit; ſi quid inopinati hoſtes mouiſſent. Ipſe cum reliquis Creſcentinum venit; ne deſtitutum parrono oppidum Hiſpanam ſolicitudinem inuitaret. Eâ incertitudine agendorum plerique Toleranum arguebant; quòd in tot euentuum ſpem diſtractus, non eum tormentorum numerum ſecum deduceret, quem validioris loci oppugnatio requirebat; quíque Sabaudios metu defigeret. Apud hos enim pro comperto habetur, expugnationem Vrbium Arciumq; eo apparatu tentari non poſſe; & in eo ſtare partium victoriam, ſi congreſſu vniuerſarum copiarum abſtinuiſſent; ſed ſenſim & per vices opportunè inſultarent. Labi enim militiam Hiſpanam, & plures ad ſua ſine commeatu regredi ſciebant; poſſeq; gloriæ confecti belli partem tempori imputari. Cum vtrique exercitus in deſtinata loca commearent, ne mutuo ſibi occurrent pluuia ingens obſtitit; quæ eo anno immenſum dies noctesq; fundebatur. Sabaudius ſub veſperam Creſcentinum ingreſſus eſt. Hiſpani madidi ac fame confecti, ſub dio noctem egere. Idque (vt ſolitum genti) decoro cum titulo; quaſi ſequenti oppugnationem loci deſtinaſſent. Præter expectationem illis accidit, quod adeſſe Sabaudium, & Ductorum potiores audiuerunt. Eo loci munimine parum ſibi ſecuritatis figurabant; experti ſæpius quid vis hoſtium auderet, quoties Principem ſuum præſentem habuiſſent. Duos dies immoratus Toletanus Liuornum regreſſus eſt, vt ſuos pluuia & labore fractos hoſpitalitate Monferratenſium recrearet. Vbi cædere loco viſus eſt, prompti ad occaſiones Sabaudij extrema abeuntium carpere adorti ſunt. Tantum conſternationis auditus hoſtis intulit, vt inter trepidationem, & imperiorum incerta, ſarcinas & impedimenta proiecerint. Nec enim Commendaror Motta trecentis equitibus illum comitantibus, vexare progredientes, & frequentibus ictibus laceſſere deſtiterat; vt cunctationem moramq; iuuaret, & cogitationes hoſtis exploraret. Hiſpani tamen eminus ictibus graſſati, & emenſis auguſtijs, tandem in aperta haud procul Liuorno dilati ſunt. Hic æquior Hiſpanis Mars eſt viſus; quod multitudine explicare ordines, & pluribus ſimul locis pugnare poſſent. Eo prelio nonnulli cecidêre; quos inter Comes Serrauallæ, cum recens inuectum hoſtem modicâ ſuorum manu ſuſtinere nititur ad cuiuſdam exilis pontis initia, moſchetti ictu ſummum humerum ſaucius, paucas poſt horas exceſſit. Manipularis Hiſpanus facti gloriam retulit, inter equites præliari ſolitus, cum pleriſque ſuæ gentis. Eâ quidem parte, nobilis viri caſus, aliquid conſtantiæ ſuorum detraxit: nec tamen certamen omisêre, aut liberum hoſti iter permiſerunt. Iacturam amiſſi Serrauallæ Comitis æquaſſe nonnulli Hiſpani viſi ſunt, quos globorum nimbus inrer ſuos ſtrauerat; & Franciſcus Viues Meltenſis Eques, inter Ductores nobilitate ac virtute celebris; qui cum foueas aliquot toto agro ſuperaſſet vt Serrauallem circumuenirer, à circumfuſis Sabaudijs captus eſt. Creſcebant interim Hiſpanæ turbæ, periclitantium laboribus & clamore ſociorum aduocatæ, & in Sabaudios confertæ totâ vi ferebantur. Recipere ſe proinde Sabaudij numero preſſi coacti ſunt; & ardentes adhuc prælio animos tempori neceſſitatiq; ſeponere. Pauſa hæc ne Hiſpano quidem diſplicuit, cui inuictum Sabaudij pectus, & peruicax fortitudo, inter pericula amare pacem docuerant. Sic Toletanus cum Equitatu Liuorni, Bianzani cum ſuis Ducibus peditatus concedit; regiâ quidem expenſa (vt videbatur) excepti, ſed verè popularium largitione ſuſtentati; ne captorum oppidorum more raptarentur.

March. Caluſij mittitur Vercellas cum ped. 1500. & Equit. 200.

Sed regreditur Liuornum, & à Sabaudijs carpitur.

Comitis Serraualle mors.

Plus

Plus curæ Sabaudio in denudandis Toletani conſilijs, quam ſumma belli erat. Non vano quippe relatore didicerat, callido hoſti Doram flumen præcipuè obſtare, quominus aut Chiuaſcum aggrederetur, aut Canaueſum Monferrati Prouinciam ingreſſus, Vulpianum, aliudve opportunum ad tutelam oppidum muniret; Taurino vicinum, & continuam formidinem incuſſurum. Hinc cum Hiſpanus modò tranſitum amnis, modò Chiuaſſum, modò Vercellas cogitaret, non ante mandata in expeditionem dabat, quàm diſceret, & Sabaudium impoſitum à ſe fluuio pontem ſolido præſidio firmauiſſe; & Chiuaſſum temporario munimento ſolidaſſe, Vercellaſq; à pluribus millibus teneri. Citius Toletani deſtinatis Sabaudius occurrebat, quàm hic deliberaret. Præcipua tamen pontis à ſe iacti ſolicitudo Ducem attinebat; ne in illius tutelam deputati formidine aut perfidià dilaberentur. Bellum enim ab Hiſpanis non ferro potius quàm auro patrari, peritus artium ſui temporis nouerat. Itaque vocatum Sangeorgium (cuius iam virtutem ſupra documenta eſſe nouerat) in id munus deligit. Nec ille abnuit periculum; quamuis quod maximè arduum tum ſciret, ſibi delegari cognoſceret. Iuratus fortitudini & conſtantiæ animus ea maximè ſectabatur, quæ plus diſcriminis oſtendebant.

Iurea ſupererat vetus ciuitas, & Pedemontanæ non infima. Miſerat eò Sabaudius Comitem Sanfrontem cum præſidio, vt locum tumultuario munimento inſtrueret. Nec enim pari cum cæteris in metu erat: quòd aperto ac ſeuero itinere; ſuccurrere neceſſitati ſocij poſſent, quotieſcunque locus proprijs viribus diffidiſſet. Eâ quoque diligentiâ Toletanum Sabaudius præuertit: qui cum munimentis ac præſidio firmata occupare non poſſet, in municipia, ac vicos apertos vertit, ne tot hominum legiones, nullo honore aut profectu, circumducere videretur; eâdemq; quâ Inoyoſa querelâ peteretur. In propinquo Sangermanum erat; non ſtudio, non propugnantium fide ſatis tutum. Inerat Capitaneus quidam pronior in pauorem; niſi Hiſpanam fidem, aurumq; honori militiæ antetulerat. Nec dubiam flagitij coniecturam paulò ante dederat; quòd & imminutas numero Centurias ſub ſignis haberet; licet integra frequentium manipulorum ſtipendia penderentur; & Euangeliſtam Toſtum virum ſtrenuum, & belli peritum, cum auxilio recipere recuſauit, ſpecie fidentis, & prætextu ſecuritatis. Multò ante illi ac Toletano conueniſſe dicebatur: vt acceptâ pecuniâ in præmium perfidiæ loco cederet, vireſq; hoſtium, infirmitatem ſuam, præſidiariorum ſeditionem cauſaretur. Vtcunque res ceſſerit; certum eſt non fide, non perfidiâ aliter apud vulgum hominem audiuiſſe. Deſperatione auxilij impulſum Hiſpani dicebant; ſiue ex vero; ſiue vt hominem tegerent commentarentur.

Comes Sanfrontus.

Vbi cum Capitaneo Sangermani Hiſpani deditionem pacti ſunt, Toletanus Liuorno progreſſus, municipium obſidione vallauit. Duo peditum millia aduerſæ parti diſpoſuit; vt neſcijs ſpeciem intercepti auxilij præberet. Sed & decem Germanorum millia Santiæ reliquit; vt ſibi tuta omnia circum, Sabaudio infeſta redderent. Proditioni color quærendus erat: plures quippe conſcientiæ acceſſuros nouerat; vt quod dolus erat in vim flecteretur, & deſertores ſecretò fouerentur. Sabaudius vix loco motum itinerum compendijs inſecutus eſt, extremumq; progredientis agmen præcurſoribus fatigauit; non vt toto exercitu congrederetur (nec enim dimidium Hiſpanorum ipſe toto delectu ſuo explebat) ſed vt properantem moraretur, cœptoq; abſtraheret. Poſſe interim credebat quatuor militum millia Sangermano induci; ſi aduerſus inſequentes adiutam ſitu pugnam inijſſet. Quod artis & induſtriæ municipio deerat, id propugnatorum copiâ ſuppleri poſſe nouerat; ſi longè à mœnibus hoſtem diſtinuiſſet. Tormenta quoque bellica quatuor omninò, eaq; minora Toletano eſſe ſciebat.

Capitaneus Sangermano permittit oppidum Hiſpano.

quorum vis leuior erat; quàm vt aſſultu primo cuncta munimenta perrumperet. Quem integrâ honorati Capitanei fide timere poterat Toletanus tranſactâ negotiatione ob perfidiam irridebat. Non enim ad prælium ſe, ſed victoriam feſtinare;& nullos Sabaudios maiores in loco controuerſo hoſtes, quàm proprios eſſe ſciebat. Arctâ ſemitâ inſequi Dars volebat;ne plures Hiſpani in ampliorem aciem explicarentur, quàm ipſe ſuos eduxiſſet: vtque longior congreſſus propugnatores ſtimularet,latera inimicorum impetere, certo vtrinq; cadentium, & confligentium malo. Vix Sangermanum in proſpectu erat, & ſuorum relatu didicit indecoram deditionem à Capitaneo hoſti factam:non aſſultanti, non minitanti, non ſuggreſſo, ſed perfidiæ manifeſto documento ſtatim dato. Itaque conuertit agmen, flexitq; Venariam, altâ palude tutum locum, ſex millibus à Vercellis,paucioribus à Creſcentino diſtantem. Ratio conſilij fuit,vt motus Hiſpanorum obſeruaret, & ſitu impedito tam diu ſeſe contineret, quoad benè agendi occaſio ſeſe obtuliſſet.

Sabaudius ſe recipit Venariam.

Cum adhuc iuxta S. Germanum Toletanus ageret, accepit Sabaudius annonæ penuriâ hoſtem laborare: & fides dicto erat, adiacentia quippe municipio loca, commeatum omnem in editiora conuexerant; & vno reliquo Trino tot hominum millia ſuſtentabantur:longiori enim tractu alimenta tardè & cum periculo ducebantur. Vt olim,ſic tum apud Sabaudium Proceres ſententijs digladiabantur: Quidam famelicum & longè à ſuis diſſitum inuadi; Alij lentâ vexatione frangi debere conſulebant: & ante alia Trinum repetendum, ſecuriſſimo deliberationis exitu; ſiue municipium cum alimentis hoſti auferretur,ſiue à Sangermano retraheretur promptam acceſſionem futuram; & tam ingentes Hiſpanorum conatus, ſine ſanguine partium irritè caſuros. Contra alij diſſerebant, res Sabaudias tarditatem non ferre, moram Hiſpanis vtilem (tempore enim nouam alimoniam corraſuros) eo illos numero eſſe, vt relicto exercitu copioſo, multa millia frumentatum legare poſſint. Etiam Trinenſem expeditionem nonnulli damnabant; quaſi admotis à Sabaudio Trinum verſus caſtris, inuaſurus Toletanus Creſcentinum foret, Duce ſuo, ac ſecuritate deſtitutum. Sed pluribus & prudentioribus Trinum ſub oculis erat: id enim citius auelli victoribus, quàm illi Creſcentinum veniſſent, poterat: & ſi huc flexiſſent, maioribus ſe quàm apud Sangermanum difficultatibus implicaſſent. Licere interim Sabaudio parte aliquâ ſuorum miſsâ, & Sangermanum recuperare, & Creſcentino aſſidentes Hiſpanos ſtatim carpere, & ad ſoluendam obſidionem impellere.

Iam annona Toletanum defecerat, & à Trinenſibus minori copiâ deducebatur, quàm vt viginti quinque millia eſurientium, & rapientium expleret. Nos quoque à rei militaris perito, quique iiſdem caſtris tendebat didicimus; potuiſſe tum Hiſpanos intercepto commeatu frangi; ſi Sabaudius cogitationibus ac deſtinatis ſuis addictior,conſilia Gallorum diuerſa laudantium reiecisset. Certè eo ferè malo(ſi quando potiora Hiſpani nacti ſunt) profecerunt. Quæ apud Sabaudium opinionum diſcordia eſſet Toletanus agnouit cunctationemq; inimicorum in ſuam ſalutem vſus, retentis ordinibus Lucedium profectus eſt. Vt frumentum ditis agri ſibi ſumeret; locoq; tamquàm hoſpitio vteretur. Deducere hoſtiles copias in certamen fortuna videbatur; vt nobili decertatione partium fortitudinem probaret. Abeuntem & militariter progredientem, Sabaudius extremo adortus eſt; maiori conſtantiâ quàm vt auſurus crederetur duraturus. Quartam in horam ea pugna tracta eſt; cum hinc Hiſpani itineri & prælio intenti eſſent,illinc ab hoſte continuis ictibus lacerarentur. Nox ſecuta quietem dedit. Caſtra Hiſpani ſub dio communiuerunt. Sabaudij pugnæ auidi medio

Toletanus ſe Lucedij recipit.

& carpitur à Sabaudijs.

ſe campo

ſe campo collegerant; & tanquam certatum ſeſe ex diſciplinâ diſpoſuerant: vt certum eſſet, vtroſque obſcuro tantum tenebrarum cohiberi, quò minus in aciem deſcenderent. Quod pro tempore licuit, frequenter à partibus ad arma conclamatum: ſiue vt quietem mutuam turbarent; ſiue vt paratos ſuos aduerſus nocturnos inſultus haberent.

Cæterùm Sabaudius vt bello ſtrenuus, ſic non fallentis prudentiæ; vbi vires ſitas, & numerum Hiſpanorum duplo maiorem æſtimauit, honoris & incolumitatis ſuorum anxius, breuiorem ſaluti viam receptu proſpectabat: nec amplius quod anguſtiis itinerum fretus egerat, poſſe in aperto tentare ſciebat. Sed & capto tumultuariè loco inſiſtere, paucitas ſuorum diſſuadebat: paucioribus enim ambiebatur, quàm vt ſimul & caſtra munire poſſet, & oblatâ ab hoſte pugnæ copiâ, ſpe aliquâ victoriæ congredi; diurnum receptum vt plus audaciæ, ſic & periculi habere. Cingi quippe ſuos toto Hiſpano exercitu poſſe; quibus paucis obſiſti negabatur: & credebantur Alemanni in id certamen à Toletano feſtinato imperio aduocati. Nocturnus horror vniuerſa confuſione replebat; vnde viarum incertitudo, & tardus impedimentorum motus metuebatur. Quinimo nec ſatis decoris eo diſceſſu parari videbatur, quem nox & ſilentium iuuiſſent. Galli operiri lucem, & dari ſibi pugnæ ſignum geſtiebant; medio in diſcrimine minus conſtantiæ, quàm cum prudenter conſulendum erat habituri. Et quamquam à nulla re magis Sabaudius, quàm à trepidatione diſtaret, mixtum tamen fortitudini conſilium ſuberat; vt die, nocte, cum frequentibus, cum pauculis, aperto, ac impedito in ſua commoda vteretur.

Tertiâ ferè vigiliâ præmiſſi currus impedimentorum viam tenuerant, & tormenta bellica anguſtias euaſerant: ſed peditatum equitatumq; ſeruatis ordinibus ad vlteriora progredi impoſſibile erat; quin vrgentibus Hiſpanis ſeſe fodiendos ictibus præberent. Et iam Pimentellus hoſtilium copiarum ductor ſtrenuiſſimus, qui primam Hiſpanorum aciem ducebat, Equitatum Sabaudium infeſtare cœperat. Huic Comes Saut, Blaccon, & Saniux, ſexcenti inſuper equites Pedemontani, robur exercitus, ſub Commendatore Mantæ, ſeſe fortiter oppoſuerant. Ardente pugnâ, & multis vtrinque ſauciis, Pimentellus prouincialibus monitoribus læuâ cum pleriſque ſuorum equitum verſus, denuò Sabaudios incurrit; qui locum illum præceperant, vt pontis tranſitum contra Hiſpanos tutarentur. Sed cum fronte ac lateribus ſimul numero impares offenderentur, omittere pontem coacti, & in propinqua vicini nemoris conuertere, quod dorſum ac latera protegeret. Hic iterum conglobati, & in turmas diſpoſiti, tamdiu infeſtum hoſtem fruſtrati ſunt, donec Sangeorgius præuiſu periculi (qui tum poſtremam aciem ducebat) accurrens, locum peditatui definiuiſſet; quà ſilua in planiciem patentem deſinit, & laxiorem aciem admittit. Tum reuerſus ad equitatum vniuerſos ad fortitudinem animabat; illud tempus certandi cum ſpe victoriæ teſtatus; quod & ſilua latus tegeret; & hoſtilis equitatus modico diſcrimine Sabaudium numero ſuperaret; quodq; nondum Hiſpani omnes in vnum coiuiſſent: poſſe vnius horæ forti conatu, temerè in pugnam inuectos deleri, & Toletanum diſcriminis ſuorum fortè neſcium præueniri. Addebat conſilio preces, & quò maximè erumperent docebat; ſeq; Ducem communi decori offerebat. Sed præcedentis noctis conſtans vigilia, & ſecutæ diei labor continuatus, infregerat equitum animos, equoſq; laſſauerat; vt vix gradui inſiſtentes nouo periculo committi poſſent: Quia tamen certam ſpem victoriæ Sangeorgius, & miniſtrorum belli præcipui, leui quocunque conatu præuidebant; abnuentes prælium magnâ vi vrgebant, vt tantummodo auderent: eâ quippe oſtentatione conſtantiæ cæſuros oculos Hiſpanorum, ſemper primam victoriam præſumentes.

Pugna Hiſpanorum & Sabaudiorũ ad Lucedill.

Sangeorgius ſuos animat.

Sed fruſtra.

Vbi Sangeorgius exhortationes & tot promiſſa fruſtra vidit, ſimul vanas Hiſpanorum copias prioribus aggregari, quod ſecuriſſimum in tempore fuit, denſæ ſiluæ beneficio vſus, in aperta euaſit; diſpoſuitq; ſuos loco ſatis tuto; ſi non vrgendo, ſaltem propulſando hoſti opportuno. Frequentibus enim riuis ager interſectus, & ad orizæ ſationem maceratus, anguſtas ſemitas, & raros aditus concedebat. Ea tamen peruadere Hiſpanus nitebatur; & latera Sabaudiorum quà Creſcentinum ſpectatur, infeſtare: niſi Sangeorgius ſummiſſas moſchettorum centurias progredientibus in prælium oppoſuiſſet: ne ſuorum cohortes actius vrgerentur. Præcipuus ſiniſtræ frontis labor erat: cum enim pauciores propugnatores ſitus admitteret, & Sabaudij aduerſus triplò plures dimicarent, diu tamen pontis tranſitum tutati ſunt, quem hoſtis nixu ingenti ſuperare aggreſſus fuerat; vt vniuerſis legionibus pauculos & anguſtiis arctatos circumuenirent. Alios enim aditus diu conſectati, denſis vepretis ac ſepibus agreſtium præpediti fuerant, ne in deſtinatum locum euaderent. Saut cum ſuis ſupra vires ac numerum pugnabat; cum iam & plures ſuorum ſaucios numeraret, & alios prælium ſuſtuliſſet. Itaque ne ſociorum reliquias temerè perderet, omiſſâ intempeſtiuâ fortitudine neceſſitati ceſſit; collectis quibus fortuna belli pepercerat, & in vlteriora retractis. Iam Hiſpani labore improbo pontem, iam planiciem obiectam cœperant; cum Sangeorgius vniuerſis intentus ei ſe tumultuè intulit; eum mox ſecuta Sabaudiorum nobilium cohors, quam Marchio Villæ in certamen ducebat. Incaluit nouo acceſſu Sabaudiorum acies; nec vllibi fortius, aut maiori partium conſtantiâ certatum. Sangeorgius haud procul ponte cum paucis hæſit, vel locum victor retenturus, vel toto corpore (ſi oppetendum foret) tecturus. Villam tamen fortiter in aduerſos inuehi imperauit, nobilitatis & honoris admonitum; non quod ſtrenuo viro ſtimulis opus ad virtutem eſſet, ſed conſuetudine Ductorum. Ille cum ſuis quà denſiſſima acies, & fortiores hoſtium vrgebant inuectus, fulminaſſe iam præualidos viſus eſt; & vbi remittere animos vidit, magis inſtitit, coëgitq; & pontem & captam planiciem deſerere; ſeſeq; munimento ſiluæ, aduerſus eam tempeſtatem tegere. Moſchettarij quoque Sabaudij eâ parte diſpoſiti à Sangeorgio, tanquam è ſpeculâ, latera hoſtium collineatis ictibus feriebant; cadebantq; eorum vulneribus, quos in Villam obuerſi infeſtari deſtiterant. Magna hæc clades fuit; & quamuis vtrinque multi ceciderint; apud eos tamen formido credita, qui priores prælio exceſsêre, nec hoſtem vlterius prouocare auſi ſunt.

Sabaudius & Toletanus prudentia certant.

Certè Toletanus plura ſuorum millia, quæ iam per orizæ campum ad vlteriora peruaſerant, dato ſigno receptus reuocauerat; parum decoram ſibi victoriam ratus, ſi par pari retuliſſet, & à ſuis accuſaretur, quod tantò copioſiori exercitu cæſorum apud Sabaudios numerum æquauiſſet. Inerat viro prudentia; vt facere ad victoriam crederet, ſi aperto loco congreſſus Sabaudio fuiſſet. Contrà Sabaudius minori militiâ opportuna tantum loca deligebat, incertis itineribus, anguſtis faucibus, modicâ planicie ad explicandas copias, ne cingi ab hoſte poſſet, & vt pari tantùm numero acies concurrerent. Quod ſi Sabaudius Equitatus ante Toletani aduentum, laborantes anhelantéſque Hiſpanos præſente Duce ſuo incurriſſet; & turma nobilium Sabaudiorum citius in certamen deſcendiſſet, pelli loco Toletanus, & ingenti clade fœdari poterat. Sed ſua eſt in bello pars fortunæ; & pleraque vel prudentiſſimis inexpectatò occurrunt; quæ nec prouideri ſatis, nec vbi euenerint corrigi poſſunt. Neque tamen quamquam hinc Sabaudij, illinc Hiſpani receptui ſuorum proſpicerent pugna deſierat: quæ iam in ſextam horam tracta fuerat: & poſtremi copiarum Sabaudiorum, adeo fatigati continuo labore erant, vt inutiles nouo certamini viderentur.

Digitized by Google

tur. Proinde Sangeorgius accepto à Duce ſuo mandato, vti ſe cum ſuis maturè conueniret, ne certo in diſcrimine ſuos deſtitueret; quatuor Gallorum millia pridem è Linguadoca deducta, cedentibus iam prioribus prælio ſubſtituit: vt nouis viribus hoſtem retinerent; ſecurumq; ſuis receptum facerent. Hos ſub Ducibus Frettone, Bimart, & Chiambaut, Sciattilionus in Pedemontanam miſerat, octo millium quos ſpoponderat, & vniuerſæ pecuniæ quam acceperat vices obituros. Ab his eminus duabus horis res acta. Frequentia apud partes vulnera, & cædes, certamen intenderant potius quàm ſedauerant, inſigni militum firmitudine aduerſus hoſtem: Sabaudij interim nemoris anguſtias euaſerant, & ponte ſuperato in aperto conſtiterant, formatâ denuò acie, ſi quid amplius Hiſpani auſi forent.

Vbi ſatis tuta omnia Sangeorgius vidit, vergente iam in noctem die, canere ſigna, & diſceſſui inſtare omnes iuſſit. Intermiſerant quippe Hiſpani bellum, nec Sabaudijs noua acies ex vſu erat. Abeundi ordo fuit, vt plura peditum millia viam inirent; ſexcenti moſchettarij agmen cogerent, equitatus per aperta procederet; quem alij moſchettarij à tergo tutarentur: ne inuectus hoſtis turbaret ordines, aut receptum fugâ confunderet. Sed vt in tumultu incerta mādata ſunt, & in trepidatione ſingula gregarius interpretari ſolet, moſchettarij hærêre cœperunt. Hi enim primi locum deſeruêre, haſtatos prætergreſſi, ſine bellico puluere ac plumbo ſe eſſe dicentes; nec tot horarum laborem nouo diſcrimine poſſe continuare. Falſa erant, eoq; ſtatim dolus patuit, ſummiſſis deſertoribus cum fallaci rumore; quaſi denuò primam ante aciem aduerſus inſequentes ſiſtendi eſſent, eoq; eſſent vniuerſi perituri. Excepere confuſionem Hiſpani, poſtquam turbari ordines, & abſtinere Sabaudios iaculatione viderunt. Horum quoque receptus addidit animos, veluti non conſilio, ſed metu acie exceſſiſſent. Et ante alios Germanorum decem millia, quos paulò ante Sabaudij locos deſeruerant, confeſti occupare aggreſſi ſunt. Suſtineri hic à Sabaudijs impetus potuiſſet, niſi ante moſchettarij compoſitos ordines confudiſſent. Ita cum cohortes Sabaudiorum inſignibus potius quàm milite conſerentur, duodecim vexilla amiſerunt. Frettonus Fianus, aliiq; non vili nomine venerunt in hoſtium poteſtatem. Qui ſolo veritatis intuitu copias Hiſpanas & Sabaudias præſentes æſtimarunt, ſacramento aſſeruerunt; quemlibet Sabaudium aduerſus quatuor Hiſpanos hoſtes eâ dimicatione laboraſſe. Vbi tamen cenſus militaris habitus eſt, ex Hiſpano exercitu ſexcenti, è Sabaudijs circiter ſeptingenti deſiderati. Eo in numero probroſa Hiſpanorum iactura fuit; quod tam paucos quaſi pari cæde pepuliſſent. Moſchettarij certè Sabaudij, quod data loca fortiter non tenuerint, fortunam ſuorum corruperunt. Nec enim progredi hoſtis, aut nemore ſe tegere (vnde vexilla detraxit) potuiſſet; ſi moſchettorum ictibus impetitus, multo ſuo ſanguine iter expedire coactus fuiſſet. Miles Linguadochæ præ cæteris apud Duces excuſabatur: quod plures horas præliatus, aſſiduâ iaculatione, moſchettos longiori prælio inutiles reddidiſſet. Nec enim in eo numero deſiderata conſtantia; aut hi priores locum deſeruerunt. Vt tamen in bello ſolitum, cum vniuerſi confuſionem ordinum accuſarent, quiſque in ſocium quod victores non rediiſſent culpam rejiciebat; ita ſeſe abſoluentes. Maſieres cum laude fuit, eum enim laſſatos bello ſocios, & ab Hiſpanis vrgeri accepiſſet, in pontem de quo acre certamen erat, cum quingentis ſcloperariis accurrit. Nec procul viſæ poſtremi agminis copiæ, equitatúſque, qui receptum illum ex diſciplinâ proſecuti fuerant. Feſtinauerant hactenus Hiſpani, vt occaſione vterentur; ſed vbi iunctos iam Sabaudios; & non itineri magis quàm prælio diſpoſitos viderunt, iuxta pontem ſubſtiterunt: & in loco caſtra metati, noctem illam egerunt innoxij & illaceſſiti.

Sabaudij ſe recipiunt.

Hiſpani inſequuntur.

Cæſorum numerus.

Porrò Sabaudij, cum nec bellum nocturnum Hiſpanos velle, nec ſub dio agere præteritus labor ac vulnera paterentur, cœptum iter proſecuti ſunt, ſocios qui præiuerant primùm aſſecuti, & ſecundâ noctis horâ Creſcentinum delati. Hic Sabaudium ſuorum caritate æſtuantem grauis cura agitabat; non honore fortiter actæ rei, non ſpe meliorum delinitus, priuſquam quot ille acies ſuorum abſtuliſſet, acto cenſu didiciſſet. Vocatos Duces numerum Centurionum, & in manipulis gregariorum viſere ac referre imperauit: non hactenus ſimilia exactiori ſtudio perſcrutatus. Illi ſequenti affuerunt, & ſeptingentos deſiderari teſtati ſunt; imò ex his nonnullos diuerſa ab exercitu itinera eſſe ſecutos. Cum Dux adhuc in acie ageret, viſâ hoſtium fortitudine ac numero, diuturnóque ſuorum labore æſtimato, fertur dixiſſe: Eius diei caſum mille ſuorum amiſſis æquo animo laturum. Prudenter ominari viſus eſt: quod enim prædicto numero defuit, & militum virtus vix credita, & Ducum prudentia ſeruauit.

Sabaudius cenſum ſuorum agit, & reperit deſiderari 700.

Toletanus fortitudinis hoſtium gnarus, ne publico examine, gloriam quam præſumebat, imminueret, ſecretò de ſingulis quæri iuſſit, & auditâ veritate erubuit; nec in Hiſpanias aut Mediolanum prælij exitum, datis pompoſis literis adornauit, metu dedecoris; quod tot millibus hoſti ſuperior, iacturam tamen æquauiſſet. Ductores cæteri nullo affectu corrupti publicè fateri non erubuerunt, ſimiles victorias, parum genti vtiles, aut glorioſas eſſe. Vexillorum nihilominus hoſtilium oſtentatio ſpeciem victoriæ fecit: & licet damnum illud modicâ ſerici expenſâ Sabaudio ſtaret, ſuperatus & fugatus Lucedio tamen ab Hiſpanis dicebatur; licentâ mentiendi; cum iactabundi acernos cæſorum ſuæ gentis præ oculis haberent.

Mantuani leuitas.

Maior in Mantuano leuitas fuit: Cum enim ſpecioſam lauream, intus inanem miſſo curſore Monferratenſes deſcripſent; publicè cæſum, fugatum, exutumq; vniuerſis inſignibus Sabaudium apud ſuos vulgauit; & ingenti celebritate publicas choræas ac tripudia, aduocatis eadem die nobilibus fœminis inſtituit. Nec toto lætitiæ tempore alia ſermonum materia fuit, quàm exactum omni Monferraro Sabaudium, ad ſordidas preces deſcenſurum; redditurum cum fœnore ingenti quæ cœpiſſet; & ne ſupplici quidem pacem Hiſpanos conceſſuros. Quinimo iam Monferratenſe iter meditatus deligebat comites; vt ijs locis præſens oculos paſceret, quæ credebat Sabaudium ingenti ſuorum ſtrage contexiſſe. Et longior quidem lætitia futura erat, niſi certiores literæ monuiſſent, multos Hiſpanorum eo conflictu cecidiſſe, Sabaudij res in integro eſſe; & luere Monferratum quæ ipſe malis conſultoribus peſſumdatus admiſiſſet. Mores Mantuani æſtimantibus, mirum id videri poterat, quod triſtitiâ ac iucunditate pariter non afficeretur. In lætis enim euagata mens ſupra quàm credi poſſet exultabat; in aduerſis nulla triſtitia, nulla futuri ſolicitudo incumbebat, ſpe tantum meliorum ſuſtentata. Cæterum mihi diſcrimen & conflictum hunc examinanti, deſtituti indicio ij videntur, qui hoc ad Lucedium prælium, leuem pugnam, velitationem, & vernaculo nomine ſcaramucciam appellabant; cum bellum formidabile, & multorum millium ferox conflictus, aptius dici mereatur: ſiue magnitudo Hiſpani exercitus, ſiue ſitus in quo pugnatum, ſiue prudentia Ducum, ſiue conſtantia militum, ſiue duratio recolantur. Nec quod mille & trecentos ſolummodo acies abſtulerit, magnitudinem facti eleuat: peritis enim certum eſt pauciores milites hodierna prælia, quàm præterita abſumere, & quantum horrifico fragore tormenta bellica terrent, tantum diſtrictos enſes & pila latius campos cædibus impleuiſſe.

Vbi Sa-

Digitized by Google

Vbi Sabaudius Creſcentini fuit, nouis curis diſtractus inter Vercellas, Aſtium, & Creſcentinum ambigebat; cui nempe præſens, cui prius conſuleret: Nam Aſtium ab Oroſco proſpectari, Vercellas à Toletano, Bialeſum ab Aſculano didicerat; nec locorum diſtantia adeſſe omnibus patiebatur. Vercellarum tamen maior ſolicitudo angebat, quòd Mediolanenſis tractus obſidionem certiorem vicinio inuitaret; & Tricerum profectus hoſtis propinquo inhiare videbatur. Etiam Creſcentini cura proficere credebatur: quòd medio ſitu retinere Hiſpanos poſſet, & commonſtrata difficultate aliò vertere. Nullus adeo improbus labor erat, qui generoſum animum frangeret; aut prohiberet, quin certâ deſtinatione vniuerſis obuiam procederet. Plures ante dies (vt diximus) Venariâ peditem equitemq́; Vercellas miſerat; quos ob magnum vrbis ambitum haudquaquam ſufficere putaret, duo inſuper millia tranſmiſit Chiſeo, & Maſierſio Ducibus, à Comite Vmeroni cum quingentis equitibus in ſecurum deducta. Plures vulgus credidit, quàm vt importatus vbi commeatus paſceret vniuerſos. Profectis Vercellas militibus, ſtatim Creſcentinum munimento firmare aggreſſus eſt: Quippe ante oculos Bialeſum erat; cui Hiſpani apertius quàm vt fallerent, minitabantur. Stupuêre nihilominus, tot ſimul loca à Sabaudio aggeribus ſolidari, & præſidiis impoſitis muniri: citiuſq́; operas in ſummum tolli, quàm inchoatæ ſcirentur.

Sabaudius duo millia Vercellas mittit,

Et Creſcentinũ munit.

Cum adhuc Sangermanum à Toletano ambiretur; nec præſidiarius debitam ſuo Domino fidem exuiſſet; ne qua pars Pedemontanæ ſine offenſa eſſet; Oroſcus cum quatuor peditum millibus & equitibus quingentis in Langas inuectus fuerat; quæ propugnatoribus vacuas didicerat. Et quidem militem externum Sabaudius eo mittere neglexerat; quòd maioris gloriæ deſiderio æſtuare Hiſpanos crederet, quàm vt villas & tenuiſſima municipia proſpectarent. Arces illi & Vrbes curæ fuerant; vnde facilis pagorum receptus, & villarum reciperatio erat. Sed illi cuicunque quæſtui parati, victoriam quamcunque dummodo prompta eſſet, præferebant; & prælij imagine, paganorum collationibus nutrire militiam nitebantur. Oroſcus acceſſu primo, & popularibus impræuiſo Cannellum, Cortemiliam, quæq́; eo tractu loca ſunt, ſui iuris fecit, & inualida & inermia. Alianum ſitu, & fortitudine incolarum progreſſus hominis fœdauit; aduerſus tot hoſtium millia patriam fidem profeſſum tutatúmque. Coſtiolum nullis proprijs viribus ſecurum Aſtio auxilium prece orauerat; miſſuſq́; Colonellus Bolius, cum pauculis fuerat, qui properantem ad vlteriora victorem morarentur. Alterum iam diem mœnia, nullo euentu tormentis concuſſerat; cumq́; totius regionis auxilia audiuiſſet, Cannellum reuerſus eſt: licet diſtuliſſe bellum profiteretur.

Oroſcus in Langas.

Quædam loca capit.

Arx Cortemiliæ ſupererat, quam Capitaneus Balzianus dies octo ſtrenuè defenderat; cumq́; propugnatores alimenta deſtituerent, Benedicto Gigliano ſeſe dediderunt: nobili fortitudinis documento; quòd iuratam fidem ad extremam vſque neceſſitatem retinuiſſent. Itaque velut Oroſcus ad vlteriora eo tractu capienda, ſibi viam aperuiſſet, & ne ex prætetitis vniuerſa præſumeret, aut cæteri coniectarentur; leuiora à Sabaudio negligi, vocatum Sangeorgium diſcriminis locorum admonuit; iuſſitq́; eò quàm maturrimè properare. Cum perito bellandi res erat: nec facilè frænari potuiſſet, niſi compertam virtutem oppoſuiſſet: Duo peditum millia è popularibus, è Mondoui, Heluetiis, Galliſq́; tria millia; ſuetas inſuper ſibi cohortes, nec non Taſſini, Moneſterolique, in vnum cogi imperauit. Et ex his aliqui turmas equeſtres compoſuerant. Ille ſtatim profectus, famam tamen non præuenit. A fidis enim Oroſcus certior eſt redditus, cum perito & armato ſibi propediem negotium futurum. Ea præcipua cauſa Oroſcum receptus admonuit, ne certæ virtutis, magno ſuo malo periculum faceret.

Huic occurrit Sangeorgius

Et quidem crediderat, ſoluendæ tantùm obſidioni eas vires fuiſſe coactas. Sed maiora Sangeorgius animo verſabat; nempe primo ſtatim congreſſu clade aliquâ graui Hiſpanum imminuere; quod cætera,vno velut filo proſperitatis viderentur ſecutura. Experiri conſtantiam Oroſci geſtiebat; & copiarum Ductores, quos in partem gloriæ ſecum habebat, deſiderij ſui erudijt, additis ſtimulis, vt parato decori fortiter inſiſterent. Et quia incerta belli mutare plerumque conſilia,& in diuerſa flectere cogunt; ne tanta vis,ſi pugnæ copiam Oroſcus negauiſſet, fruſtra impenderetur, Sandamianum obſidioni deſtinatum: aut quod minimum, dominium tranſitus Tanari amnis, quem priores Hiſpani occupauerant. Vniuerſis ſapienter prouiſum erat; nam & ſcalæ Taurino decretæ fuerant; & Ghiſilierum Villanouæ reliquerat, vt ex præſcripto, vnà cum loci Gubernatore Sandamiano ſuccederet; quo die ipſe Aſtio cum trecentis equitibus & duobus tormentis bellicis in eam expeditionem proceſſiſſet. Ghiſiliero maximè in votis fuiſſe accepimus, vt nobili aliquo facinore virtutem ſuam omnibus; & ante alios Mantuano approbaret; à quo vt ſegnis & parum gnarus reiectus fuerat, cum belli initio operam ſuam Duci irrequiſitus obtuliſſet. Equidem in partes Sabaudij tranſlatus honoram militiam non vno documento diu profeſſus eſt.

Sangeorgius Sandamianum oppugnare parat.

Ghiſilieri in Mantuanū odium.

Aſtij Fabius quidam ſordidis mercibus operatus, agebat; Sandamiani amicitiis innexus,& Monferratenſis caritatis. Hic ſilenti nocte & tenebris denſiſſimis tectus, Sandamianum profectus eſt, Gubernatorique oppidi Sangeorgij conſilia, Ghiſilieri apparatum, aduectas Taurino ſcalas, Pettardos, cæteráque belli machinamenta detexit. Creditum à ciuibus deſertori (quòd fides etiam affecta ex vſu eſſet) & quod militum ciuiúmque intra mœnia erat ad arma vocatum. Ambitus omnis murorum excubiis cuſtoditus, portæq; trabibus, & globo militum firmatæ. Sic tum fruſtra Sangeorgij diligentia fuit; ipſeque Ghiſilierum re infectâ cum ſuis Aſtium remiſit. Ipſe die eodem Inſulam contendit (locus eſt Monferrati) vt nullo intus præuiſu opprimeret incautos. Locus medio Coſtioli & Aſtij ſitu Tanari tranſitum ſeruat, quâ Cannellum iter eſt. Et eo tractu Oroſcus certum equitum numerum diſpoſuerat; qui motus hoſtiles obſeruarent, deferréntque. Pettardo tentata expugnatio eſt: Id tamen irritè appenſum. Nam Inſolani præuiſu periculi valuas oppidi magno molimine ſepſerant; adeòntq; indiuidui, quaſi ſitu ipſo, primi ad offenſas Sabaudijs offenderentur. Dilata oppugnatio fuerat, in tempus, quo Hiſpani per diuerſa occupati, ſuppetias ferre non poterant. Iam Mantuanum tutelæ Hiſpanæ pœnituerat; & iteratis literis Toletanum orauerat,vt ſi bellum illi in Sabaudium placeret, Monferrato ad minus amicæ prouinciæ parceret, per quem ferebatur eques pedéſque vaſtationibus ſæuire. Tardè Toletano Mantuanus ſapere viſus eſt; & quò decentior excuſationi ſpecies eſſet, reſpondit, Retracto in Mediolanenſes exercitu, Caſtella & Vrbes illius illicò in Sabaudium ceſſura. Neque tamen coactè conferre beneficium, ſed orato Rege ſuo,illi ſe diſcrimini miſcuiſſe, ingentiq; labore ac diſpendio ſecuritatem amici Principis procurare. Quâ facilitate querelas miſerat, excuſationem recepit; vt qui impetu ferè & alieno dictatu,non re maturatâ ferretur: quiq; bona ac mala ea tantùm crederet,quæ Amita Ferrarienſis eo nomine appellauiſſet.

Cum Oroſcus Langas ingreſſus eſſet Hiſpani Nicne cœperant, tenebántque; ſed aſperitate morum & intemperantia popularibus inuiſi erant. Itaque vbi haud procul Sangeorgium, & poſſe ſe iugum excutere opinati ſunt, certiorem illum ſuarum miſeriarum fecerunt; & vt paratas centurias libertati ſuorum deducerer orarunt. Quòd municipium Tanaro immineret; & ne amici in calamitate neglecti viderentur,Michaelem de Virle miſit; qui ſilentio noctis profectus, & receptus

receptus intra muros eſt, & vexilliferum cum Hiſpanis qnibus parebat, in vincula conieceit. Ducentorum præſidium, cum Capitaneo Goueano relictum; non quod longiori propugnationi ſufficerent; ſed vt ad breue tempus oppidum tuerentur, dum Sangeorgius ſubſidio accurreret, pariterq; vel Inſulam interciperet, nec Oroſco congrederetur; ſi ille inferre auxilium cogitaſſet. Ad famam amiſſi municipij grauiter Oreſcus incanduit: præcipue quòd pedibus æger; *Sangeorgius Nieno recepit.* victoriam illam qualemcunque, alienæ gloriæ addere videret. Forſan & metu ne proſperis excitati Sabaudij, abſente eo vlteriora adorirentur. Honorem tamen illum concedere, quàm augere fortunam hoſtium maluit, miſitq; Aluarum de Luna, peditatu & equitatu valido ambitum, vt eo munere fungeretur. Tardè Sangeorgius aduentum Aluari didicit; ne tamen audacia impunita foret, cum delectis itineri ſe dedit, vt aduentantem infeſtus exciperet. Eadem nocte Coſtiolum venit, ſequenti obuius hoſtibus futurus; & ſi benè agendæ rei occaſio ſeſe obtuliſſet, congreſſurus. Hic certo nuncio cognouit, territos famâ Aluari Pedemontanos deditioni conſentiſſe, huncq; cum victoriâ Cannellum regreſſum: licet ſuos diem integrum Villarum amœnitates & compotationes detinuiſſent. Sangeorgius tamen ipſo in regreſſu Arcem Inſulæ oſtentatâ ſolummodo vi cepit: permiſſa corporum impunitate, & centum ſclopetarijs relictis, qui popularium ambiguam fidem ſeruarent.

Cum interim hinc Hiſpani, illinc Sabaudij prælijs ac victorijs per vices inſiſterent, de ſuo illos ludere Mantuanus aduertit; ſiue Monferratenſes apud hos, ſiue apud illos forent. Vtiliſſimum ſubditis videbatur, ſi nullo deforis bello, externo licet milite protegerentur. Dedit itaque ad Toletanum literas plenas acris expoſtulationis, quibus mille ſclopetariorum præſidium flagitabat; vt Montilium & quæ eo tractu oppida ſunt, in tuto haberentur. Paruit Toletanus, *Toletanus* miſitq; mille & quingentos Alemannos (alij duo millia fuiſſe dicunt) quibus *1500. Germanos Præſidiarios Mantuano concedit.* Eques Octauius Valperga, è Riuaræ Comitibus, contra morem gentis imperaret. Haud longè ditio Aſtenſis erat; & ea vis metum viciniæ fecerat, ne Pedemontana cis Tanarum, & Chierium in primis eorum arbitrio raptarentur. Iam enim qualicunq; profectu Hiſpano, ſuſtulerant animos Monferratenſes; & leui equitatu ad portas vſque Ciuitatis inſultantes procurrerant, per ſecunda partem ſe belli facientes; vt amiſſis rebus deiecti, ſic lætioribus audentes. Moneuecei præcipuè incolæ eminenti ſitu, & ducentorum ferè militum præſidio freti, ſub Capitaneo Bontalento, opinione ac viribus maiora auſi fuerant, agere prædas, iumenta abducere, agrum omnem infeſtare. Nemo mortalium tantùm auda- *Moneuecum* ciæ tenuiſſimo oppido credidiſſet: quò minus mirum, ne Saubaudium quidem, *capitur à Gubernatore Villænouæ.* aut Sangeorgium aduerſus tantam vilitatem ſecuritati ac quieti Chierenſium ſtuduiſſe. Chierio quidem quatuor Gallorum millia induxit, vt locum fortiter retineret. Sed Sangeorgius Villænouæ Gubernatorem, peditatu equitatuq; inſtructum in Moncuecenſes miſit. Ille hactenus ferocientes, paucis tormentorum ictibus conſternatione repleuit, & loco potitus Sabaudijs victoribus famam pietatis circumdedit, permiſſa rerum omnium impunitate. Mens ea Sangeorgij fuerat; vt cui ſatis eſſet magnis euentibus clareſcere, ſæuitiæ nomine non accuſari. Calamitates quæ ſecutæ ſunt obſeſſi fortunæ imputarunt. Cum enim colligendis ſarcinis vltrò citroq; commearent; & per obſcuras oppidi cameras facibus vſi rem domeſticam & ſarcinas colligerent, bellico qui ſupererat pulueri ignem neſcij iniecêre; ſtatim ingenti fragore, & munimenti pars diſiecta eſt, & obuij quique militum concremati. Et niſi Gubernator Villænouæ caſum agnouiſſet, ſuperſtites omnes vt doli conſcios perdidiſſet. Scriptum nihilominus *Moneuecum puluis bellicus diſijcit.* Sabaudio, quo euentu Moneuecum concidiſſet, & ille demoliri quod ſupererat,

iuſſit;ne eo præſidio hoſtes in Pedemontanæ perniciem vterentur. Quod ſi Eques Riuara Montilium inſidens diſcrimen ſuorum excepiſſet, poterat irrita oppugnatio Moneueci eſſe: ſed Sãgeorgius militari ſtratagemate Ghiſilierum cum mille peditibus, equitibus ducentis miſit, vt Riuaram clauſum munimento detineret, nec in auxilium obſeſſorum aduolare fineret. Et Ghiſilierius modò aciem oſtentauit, modò oppugnationem minitatus eſt, modò ſpeciem diſceſſus obtulit, certus deſtinationis, niſi ſuperior congredi; nec tranſitum verſus Moneuecum ſponte concedere.

Vbi redeundum fuit Gnæreum fruſtra Sabaudij tentarunt, moniti quippe ciues arma cæperant, & præcluſis portis circum mœnia diſpoſiti, obſidionem ſe audere teſtati ſunt. Fractæ tantum molatrinæ ſunt, quæ Tanaro agebantur, ne clauſi nullo ſuo damno inanem lætitiam vſurparent. Id quoque vt cætera Monferratenſes Mantuano præſcripſerant. Nil vt credebat opportunius euenerat, quod eo ferè tempore, rationes dotis Viduæ relictæ retraheret, & vſuras componeret, quæ parenti ſoluendæ erant. Itaque tamquam de alieno lis eſſet, nec cum honore ſubditorum res ab hoſte mergerentur, quantum Moneueci damnum fuiſſet, quæſiuit. Reſpondêre periti, muros ipſos ſolo æquatos trecentis millibus æſtimari. Tum ille: Atqui à me maiorem ſummam Bianchæ ac Viduæ dodibus repetit, qui iniquè damnum intulit. Vel hoc vno detrimento prætextus Sabaudij componi poſſunt: Cætera vt fortem ſuperant, ſic iudicio damnatum hoſtem reproducturum; qui adeo immaniter aduerſus ſua commoda tot vaſtationibus laborat. Siluêre qui adſtiterant; ſed indoluére iudicij prauitatem; quod nimio fiduciæ prætextu tranſuetſum actus, & manſura ſibi onera debitorum, & Sabaudium non placatum impunè prædas & excidia patraturum, non agnoſceret. Fidebat nempe Toletano; qui cum bellum ſolummodo ſpectaret; nec ignoſci rebellibus, nec damna condonari, nec admitti coniungio Viduam conſulebat. Eas quippe odiorum cauſas nouerat, & perpetuò duraturas.

Mantuanus exculcat tanquam Sabaudius ea damna foret ſoluturus.

Gubernator Monferrati, & qui qui pro Mantuano erant, notato Sabaudij præuiſu, diu Pedemontæ minitantes, Albæ Monferratenſi ciuitati ſeriò metuere cœperunt: quod robore mœnium inferior opinione eſſet; & vicinus hoſtis eò flexurus videretur. Proinde cohortes Hieronymi Roo eò deductæ ſunt; quando non vrbis ſolùm ſecuritatem, ſed & adiacentium oppidorum ſpectarent. Apud amicos enim & Monialium clauſtra pretioſa quæque depoſuerant, velut in tuto. Mille quingenti erant (ſi in paganos Pedemontanos prœliandum illis eſſet) numerus ſuffecturus; ſi in auxilia, exilis & prædæ hauddubie futurus. Primo horum acceſſu vicina hoſtium municipia conferre pecunias, & erogationibus bellum redimere iuſſa. Quod niſi prompte executi forent, cædes ignesq; minitabantur. Et licet illis ſuperandus Tanarus eſſet, cuius tranſitum Sabaudij præceperant; id tamen vt non difficile effectu ſperauerant, & tamquàm paratâ victoriâ inſultabant. Ipſi accolæ Sabaudium ſui periculi monuerant, & quo imperio Hiſpani leges non ſuis darent, ſcripſerant. Hic feſtinato ſubſidio, ſuorum immunitati conſuluit, miſitq; Dominos de Trinier, de Sanmarco, & de Marcellino, cum ijs militibus quibus præerant, Prouinciæ Galliæ vniuerſos; eóſque Sangeorgius Caſtellinaldi, Caſtagnoli, & Corneliani impoſuit. Oppidum hoc nec ſatis virium, nec munimenti habebat. Inuectum tamen Roo per nocturnas inſidias repulerant; & notabili ſuorum cæde abſtinere dolo coegerant. Iuſſerat inſuper Sangeorgius armari populares, & promptos ad iuſſa eſſe vt iam tractus is omnis ſecurè poſſet Hiſpanas minas contemnere. Continuæ tamen hoſtium ſuſpiciones, militem in armis habebant; & leuibus velitationibus, in hos aut illos variante fortunâ, virtutis experimentum ſumebatur quamquam nec victoria

Roo præſidio Albæ inductus.

nec

Digitized by Google

nec cædes in ſummam proficerent; & iteratæ inter æmulos iniuriæ, militatem diſciplinam intenderent.

Sandamianum nihilominus ſtringebatur: quod Sabaudij hinc peditatu illinc equitatu cinxerant; & licet tormentis non adhuc quateretur, obſideretur tamen, nec Ciues agri potentes eſſent. Et quia frequentes circum villæ dite municipium ambiebant; ne futuro bello impedimento eſſent, vniuerſæ ferè concrematæ. Pulcherrimæ ædes, & colonorum pecoriſque receptacula, cum ſupellectili ruſticâ conflagrarunt. Iuſſum à Ducibus incendium videbatur; vt ciues rerum ſuarum amore mutarentur, & vt in cætera metus ſpargeretur: ſed vindicta fuit, vt vices rependerentur hoſtibus; qui Aſtenſi oppugnatione, nullo belli vſu agrum omnem fœdè vſſerant corruperántque. Prouocaſſe etiam iniurias Sandamianenſes dicebantur, iactantiâ & conuicij nimij in validiores, & pœnas repetituros. Aſtenſes qui eo bello merebant, condonari dolori ſuo ſæuitiam præſumebant; cui prælij neceſſitatem congruere teſtabantur. Neque Ductores ſui Principis commodo, profuturámque militum licentiam repreſſerant; vt fortiter nauantes eo documento diſcerent, quid capto Sandamiano ſperandum haberent. *Sādamiani oppugnatio continuata.*

Nullo vnquàm tempore magis intempeſtiua pax videbatur; quam iam tot pugnæ cædeſq; aſpexauerant. Ludouiſius tamen Mediolano profectus Creſcentini Sabaudium conuenit, vt à belli ſtudijs auerteret, & honeſta concordiæ pacta admitteret. Cæterum ſiue conſcio Ludouiſio, ſiue Regiæ Galliæ conſilio, Gallorum quidam ſecretâ negotiatione, vincire Sabaudio Mantuanum amicitiâ nitebantur; excluſo à tractatione Toletano; tamquam bello Sabaudio, pace Mantuano grauis eſſet. Et quidem plura Mantuanus quàm Sabaudius de Hiſpanis querebatur; ſed inter alia impatientiſſimè ferebat, quòd præſidia arbitrio deligerent, populares haurirent, nec aliter quàm Domini minitarentur. Sed & vulgatæ per Monferratum famæ crediderat; quaſi retenturi arces quas inſederant, & ſpecioſiſſima Prouinciæ occupaturi forent. Id Galli apud Mantuanum increpabant, arguebántque: quod æquiſſimis conditionibus conuenire Sabaudio nollet; & aſperiora ab Hiſpanis, quàm hoſte Sabaudio experiretur: non egere dicebant Hiſpanos quadruplò maioribus copijs quàm Sabaudium in munimentum Prouinciæ; ſed aperto conſequi hoſtem poſſe, ſi bellum placeat; & quas hi per Monferratum Arces poſſideant, occupare. Inanem Caſalis poſſeſſionem fore; ſi Trinum, Alba, Sandamianum, Moncaluium, Ponteſtura apud eos ſiut; qui retinendi vires habeant; & vniuerſam Prouinciam compedibus maniciſq; coerceant. Facile Mantuano fuit vero ſimilia perſuadere; iam pœnitentiâ conceſſæ tutelæ, & permiſſione arcium indignato. Itaque pacis medijs, quod ipſe preſſurus ſilentio non erat, imperauit vt tegerent: eóq; res proceſſerat, vt certa ſpes pacis ſpectaretur: ſed vbi damnorum (quæ indies à Sabaudijs accipiebat) rationem non habendam, ignoſcendum rebellibus, & reuocandam ſibi coniugio Viduam audiuit, executioni cunctationem interpoſuit. Simul Amita Ferrarienſis ſemper infenſa, tum & publicè hoſtis, conſilia precibus miſcuerat, ne inuiſum ſibi Viduæ nomen reduceretur. Ad hæc pellere munimentis Hiſpanos iubebatur; quod non vi, non ſimulatione licuiſſet; & ſi quo dolo in poſſidentes vſus foret, certam aduerſum ſe perniciem aduocabat. *Galli ſecretè cum Mantuano pacem tractāt.* *Mantuanus auerſatur conditiones.*

Hæc Mantuanus cum nullâ temporis aut loci differentiâ, ſilentij impatientiâ cum Proceribus examinaret; & ijs abſcentibus, mediaſtinis quoque communicaret, etiam nolentibus aperuit; vnde paucos poſt dies negotiationis ſumma ad Toletanum delata eſt. Reſciuit ſtatim Mantuanus euulgatum arcanum; & miſſis ad Toletanum literis, culpam tractationis in Gallos reiecit; eamq; condi-

tionum iniquitate reſciſſam teſtatus. Præſertim quod niſi volentibus Hiſpanis pacem ſibi ac Sabaudio voluiſſet. Surdo fabulam canebar; cui mores Ducis perſpecti,& nulli affectui penitus deuinctus iuuenis animus. Inſtabilitate quoque fidem omnem conſumpſerat; vt ne tranſacta quidem ab eo pro compertis acciperentur. Certum eſt nec reſpondiſſe literis Toletanum, nec oratori coram agenti quid in animo haberet, aperuiſſe; ſed ad calliditatem verſum, ijſdem, quibus peritus fuerat artibus cum Mantuano vſum. Præterquam Oroſci, Nicolai Cid, & Veadoris amicitiâ Toletanus vtebatur: nec abſurda Dominationis inſtrumenta vtrique erant: quod non omnia palam expedire ratio imperij permittat, pleraq; & potiora ſilentio tranſigantur. His medijs Toletanus Sabaudium aggreſſus eſt, gnarum tamen quibus deſtinationibus quo fine peteretur; nec niſi totâ re abſolutâ plenam fidem præſtiturum. Vtrique Toletani iuſſu Monferratum diuidebant in partes; prout cogitaſſe Inoyoſam primo belli motu vulgatum fuerat: ſpondebantq; apud Cæſarem & Hiſpanum Regem ratam fore tranſactionem. Gallorum quoque metus obturbabat; vt Gentis infidæ (ſic enim tum appellabantur) non conſtantiâ, non mutuo amore validæ. Apertè fidem abnuere Sabaudio ex vſu non erat; ſiue ſimulatio detectura dolum eſſet, ſiue conſilia agendorum ſuggeſtura.

Toletanus indignatur ſe neſcio pacem tractatam.

Quam vt reſcindat Sabaudio Monferrati diuiſionem offert:

ſed ſimulatè.

Sabaudius dolum agnoſcit, & cauet.

Toletanus vbi apud Sabaudium locum ſuis promiſſis vidit, eò acrius cœptam negotiationem proſecutus eſt: vt iam dies nocti nuncijs & curſoribus continuaretur. Quò plus imaginis eò minus rei ſuberat: neque enim aut Cæſarem, aut Regem deſtinatis auctoritatem interpoſituros nouerat; nec ipſe Sabaudij profectum ſuo dedecore procuraſſet. Diſijcere tractationem Mantuani cum Gallis in animo habuerat; & lubricum in nouitates iuuenem, nouo metu incuſſo conſtantiæ admonere. Peritus tamen ſimulandi erat; vt vel ſuis imponeret; cum iura Cæſaris Mediolano permiſſa; & obnoxium ei dominationi Monferratum veterum monimẽtorum recordatione anxiè fateretur. Et fortè Sabaudius, quocunq; modo iuribus ſuis finem inueniret honeſtum putans ludebat hominem, detinebátque; in quamcunq; ſe faciem mutaſſet conſenſu occurſurus. Sed Ludouiſius & Betrunes inchoato negotio aſſidui, Sabaudium monuerant, vt mollitus preces concordiæ admitteret, & excluſis Hiſpanis Mantuano conueniret. Id Cid & Veadorem tractatione depulit, inuiſo ferè Toletano ob aſtum & dolos, quibus vniuerſa ambire dicebatur. Cur enim diu Sabaudium ſpe concordiæ detinuiſſet, frequentibus tamen nuncijs Nemurs Ducem irrumpere Sabaudiam ſtimulabat; vt verſis eò Sabaudij viribus, ipſe Pedemontanam arbitrio popularetur? Negotiationis quoque vtilitas hominem aduerterat; ſi numero copiarum ſuperior, laſſaſſet fregiſſetq; Sabaudium; & frequentis hiemis aſperitate longaq; expensâ imminuiſſet; ipſe interim nouos delectus conciuiſſet, & tractabili poſtmodum cœlo, magnâ vi bellum feciſſet. Iam enim Boreali frigore ſub pellibus miles haberi non poterat; & Sabaudius Vercellas, Creſcentinum, Aſtium progreſſibus illius addito præſidiariorum numero oppoſuerat: Imo & delectas Equitum centurias per vicina oppida diſpoſuerat, aduerſus vim, aut inanes metus.

Equitis Riuara caſus.

Auebar animus continuatâ rerum ſerie vlteriora proſequi, niſi Eques Octauius Riuara nobilis ac ſtrenuus iuuenis præmaturo fine ſuo properantem calamum retinuiſſet inuitaſſetq;. Hic ſub Nouembris finem cum Montilij præſidium cum ſuis ageret, & Mantuanus ad Caſalenſes veniſſet; ſiue vt pacis tractatio breuiori compendio finiretur; ſiue vt lamentationibus ſuorum morem gereret (qui iteratis queſtibus præſentiam Domini ſolicitauerant) acceptâ Moncueci obſidione vocatus à Duce fuerat, vt clauſis ſubſidium maturè ferrer. Ille ingenti feſtinatione Montilium regreſſus, habitoque iuuentutis delectu (quem diuerſi

Ductores

Ductores obtulerant) duo ferè hominum millia deſcripſit; quos inter Quadringenti Alemanni ſub Comite Sutz allecti ſunt. Inerant pariter aliquot equitum turmæ, Bozzi Capitanei commilitones; pauciores tamen, quàm vt Equitatum appellares. In valle cui vulgo Pioude nomen, cenſum ſuorum egit. Aderat ſergentus Maior Spadinus, vir non vno bello, & fide aduerſus Mantuanum apud ſuos commendatus. Cum hoc agendorum rationes & conſilia belli conferebat. Vbi breui congreſſu quæ patranda forent, certâ regulâ diſpoſuerunt, datum omnibus profectionis ſignum. Iam in vallem (cui Marmora cognomentum eſt) Pedemontani agri deuenerant; id ſolum lamentati, quod pernox luna, non virtuti non dolo locum faceret, ſed procul omnes ad ictum oſtenderet. Superuenit nobilis Monferratenſis, caſu eò vectus, qui Montilium próperabat, vt Riuaram certiorem euentus Moneueci redderet; vtque precedentis diei horâ vigeſimâ ſecundâ in Sabaudios abiuiſſet. Ruſticus quoque eodem delatus acceptæ ante rei fidem approbauit: addiditq́; validius Moneueci præſidium à victoribus relictum, quàm vt tumultuariâ obſidione caperetur.

Ne itaque tantum laboris ac virium fruſtra inſumptum eſſet, in Caſtellum verti placuit; quod haud procul Paſſeranum nomine dicebatur: ſi Moneueci infauſta redditâ vice penſarentur. Sed tormenta nulla conuexerat; & pagani, quiq́; ſitum loci longo vſu nouerant, teſtabantur, ſine machinis bellicis vanam deſtinationem fore. Idcirca Bozzam ad Vincentium Guazzum Montilij Gubernatorem magnâ cum feſtinatione miſit; vt cum puluere ac globis, duo tormenta tranſmitteret; quibus vim opperientes cogeret ad deditionem; eaq́; quadringentorum peditum curæ committeret, dum in ſecurum deueniſſent. Hanc militiam Georgius Tanaglia Caſtellanus Moncalui ſecum habuerat. Et quò fides Bozzæ apud Guazzum eſſet, quando papiri defectu ſcribere non potuit, detractum digito annulum miſit. Iuſſit inſuper Alphonſum Aualos Monferrati Gubernatorem, & Mantuanum ipſum apud Caſalenſes agentum ſumpti ab eo conſilij certiores fieri. Tum militari ordine ſuis diſpoſitis iter ingreſſus eſt. Vbi in vicino fuit; quamquàm tectas centurias circum mœnia deduxiſſet ſequentes tamen manipuli, hac illac commeantes, fallere populares non potuêre; & quia vicina omnia Sabaudijs copijs habebantur, auſi ciues bellum ſuut; & frequentibus ſclopetorum ictibus Monferratenſes mœnibus arcere. Arx quoque loci fiduciam addiderat; in quam deſperatis rebus, cum familiâ omni recipere ſe poterant. Hic dum Riuara vltrò citroq́; delatus, nullo periculi metu, alios in prælium aduocat, alios ob formidinem verbis caſtigat, è ſublimi pinnâ moſchetti ictu dexterum humerum ſauciatus eſt, globuſq́; per medium thoracem egreſſus, exanguem iuuenem humi fudit. Spadinus alibi pugnans audito caſu accurrit, reperitque illum muro innixum, & mortuo quàm viuo propiorem: vim enim ſanguinis ingentem profundebat. Aſportatus hinc humeris ſociorum, & pallio militari tectus, licet mollius habere videretur, in finem tamen properabat. Hoc dolore conſternatus Spadinus, cum milite omni, valuis oppidi prius igne ſolutis impetum in oppidum fecit. Neminem mortalium inuenêre: iam enim ſeſe in arcem tutam ſitu receperant. Quod vindictæ licuit ex hoſte ſumptum; aſportatu facilia direpta, tecta cum cæteris incendio corrupta. Tum regreſſus Montilium exercitus ſaucium Riuaram ſecum detulit, qui intra viginti horas ab accepto vulnere expirauit. Tacere nobilis ac ſtrenui iuuenis caſum, commendationemq́; poteramus: niſi magnitudo virtutum eius mereri poſterorum memoriam videretur; & de eo ſileri flagitium eſſet, quem hoſtes adhuc pulchra laudum recordatione proſequuntur. Communis militi dolor fuit amiſſo Duce, quem experti fuerant nunquam iuſtitiam pietate, nunquàm facilitatem maieſtate dimouiſſe.

Paſſeranum à milite Equitis Riuara capitur.

Digitized by Google

Vix exoleuerat Monferrati diuiſio quam ſcenam fabulæ Toletanus iuuenerat, & Ducem Nemurſium in Sabaudiam inuectum, certus rumor detulit; vtque in nouis & ignotis vſu venit; auctus à conſcijs militum numerus, & Prouinciam omnem ferro & igne populari vulgatum. Et licet Toletanus inanem rumorem auctoritate ſuâ ſuſtentaret; miſiſſetq; per Monferratum, qui credita mala tollerent in maius, vt Pedemontanâ Sabaudium diſiungeret, & in eas partes pelleret. Hic tamen & factum & famam videbat; quod exiguas precarij hoſtis didiciſſet, & quà ingreſſurus Sabaudiam foret, & militem & munimenta ſciret conatibus obfutura. Nemurſius in Comitatu Burgundiæ aliquot vagorum militum millia in formam iuſti exercitus coegerat; qui pecuniam Hiſpanam ſectati; ſpe inſuper rapinarum nomina dederant; tamquam pars ea abſente Duce incuſtodita, peculatum & prædam prouocaret. Auctor motus promotorque Toletanus: cui iam certum erat, aduerſus Sabaudium præſentem proficere non poſſe, niſi vires quibus nitebatur, nouis & longè ſitis hoſtibus diuiſiſſet. Crediderat Nemurſius quæ Marchio Lanzij per vallem Siſeriam, & ad pontem Greſinum præſidia diſpoſuerat, impetu primo perrumpere, & media in Sabaudiâ victores ſuos ſiſtere. Sed quia tardius in expeditionem proceſſerat, copiam Sabaudijs fecit conuocandi auxilia, tollendi munimenta, opportunis locis arma diſponendi.

Nemurſius inuadit Sabaudiam.

Pridem in eam expeditionem Princeps Pedemontanus venerat, miſſus à Patre, vt aduentantem Nemurſium retineret; & aperto bello ſi opus foret, exciperet. Cauſa ſufficere videbatur aduerſus conſanguineum temerè inuectum, & alienæ, imo toti familiæ ſuæ aduerſæ cauſæ ſeruientem. Itaque Pedemontanus, quà irrupturus Nemurſius erat, vniuerſa diſpoſuerat; excubijs ac præſidijs, vias, ſaltus, oppida firmauerat; & ſi maior vis incurriſſet, quò ſe illi in tutum reciperent, imperauerat. Nec enim ſingula munimentis, arcibus vallari tolliq; poterant, ſiue ſitus iniquitate, ſiue ne copiæ inutiliter ſpargerentur. Validior hic prouiſus credi à vicinis poterat, quàm vt ſoli Nemurſio obſiſteretur. Proinde ne amicis confœderatiſq; gentibus, ſuſpicio nouitatum obtruderetur; & ante alia Geneuenſibus (quos non ſemel Sabaudius vexauerat) ad ſingulos mittere placuit; cauſam noui belli, & domeſtici tumultus expoſituros: In Ducatum Burgundiæ, in Lugdunenſes, in Bernenſes, in Geneuenſes nobiles viri legati. Et profuit officium; reſponſumq; ab vniuerſis, indoleſcere eos eâ conſternatione familiæ; vtque non pars belli, non conſcij forent, ſic pro virili Pedemontano aſfuturos, ſi externi ſubſidij eguiſſet. Adeo etiam Sabaudij hoſtibus, Nemurſij conatus diſplicuerant. Reddidit grates ſingulis Princeps; ſatis in ſecuro ſua putans, ſi prepotentes nationes, iniquiſſimo nomini vires ſuas non accommodauiſſent. Vocatos ſuos in cenſum, plures reperit quàm vt omnes eo bello inſtruerentur. Paucioribus itaque & fortioribus apud ſigna retentis, plures pedites equiteſq; in Pedemontanam ad Parentem miſit. Vbi maiores hoſti vires, & frequentiora prælia ſciebat. Marchio Lanzij conſilium mittendi dederat; qui ſimilium ſeditionum peritus Nemurſij motum breuem, nec validum fore prædixerat.

Bellum Pedemontani contra Ducem Nemurſium.

Princeps ijs quas retinuerat copijs Heſſio profectus flexo in Clermontem itinere, haud procul Seſſelio Merellum venit. Infirmiora præceperat; quando Valli Seſerij, & cæteris eo tractu conſtare ſecuritatem nouerat. Iam Nemurſius extrema Burgundiæ tetigerat, & Eſtrenij conſederat. Mox in Sabaudiam inuectus Nigracumbam, & Abbatiam (quò ſe Lanzius tranſtulerat, vt bello neceſſaria, Ductoreſq; præliaturis prouideret) proſpectabat. Vt populares proventum omnem igni perderent, & molatrinas diſijcerent Lanzius imperauerat, vtque ſe Man-

ſe Mantierem reciperent; ne vſui illa hoſtibus eſſent; aut tot ſimul loca præſidio inſidêre cogeretur. Tot difficultatibus laſſari frangíque Nemurſium poſſe ſciebat, per agrum annonâ vacuum incedentem; & breui quoquo momento viam ſibi inter obſtantes ferro aperire coactum. Valſerinæ amnis tranſitum multo labore ac ſanguine emercari primum neceſſe habuit, & contermina non vnâ velitatione ſuperare, vt Abbatiam & villas eo tractu frequentes ſuperaret. Sabaudij per ſaltus & abrupta ſitu tecti aduerſus expoſitos ad ictum præliabantur. Quâ re frequentes apud Nemurſium cædes & vulnera erant; eò pernicioſiora, quod ſtrenui magis & audentes primâ in acie caderent.

Vana hactenus & leuia erant quæ Nemurſius cœperat; & Sabaudij Mantieraj & Ducreti hæſerant, ſitu & arte validis; quæque modico præſidio, aduerſus multò maiores copias teneri poterant. Quod virium reliquum anguſto perdi videbatur, eóque iuſſit Pedemontanus, vt ſubiectum agrum omnem incurrerent, fiſímque rupibus hoſtem allicerent; detraherénrque belli deſiderio (quod ambire videbantur) in aperta. Sed trecentos moſchettarios vicino nemori prius abdiderat, opportunè cœptâ dimicatione erupturos; & terrore imparatos inexpectantéſque completuros. Nemurſij miles oblatâ prælij ſpe locis deſiluit; in quos Sabaudij impetu facto illati, ſtragem latè fecerunt. Sed & moſchettarij ſaltu egreſſi audentes adhuc pugnam, & proſperis hactenus quibuſdam rebus elatos, dorſo ac latere incurrerunt. Illi cui prius, cui poſterius reſiſterent, ignari; & nimbo globorum lacerati, tantùm non abiectis armis, fugâ ſe in editiora (quæ humo, vepribus, ſaxíſque munierant) proripuêre. Non munimentorum ea, ſed carceris forma erat: nec enim aut intus alimenta, aut foris ſubſidium erat; vt plurium dierum obſidionem ferrenr. Et quia eoſdem in calamitate animos retinebant; nec ſupremâ licet neceſſitate victi deditionem meditabantur; moſchettarios alios orto die Pedemontanus miſit, vt tumultuaria illa munimenta disjicerent. Pudendum clauſis fuit, diem perniciem laturum eo in loco opperiri; ſed ineptius viſum ſine cibo, & nullo viræ ſubſidio, oppugnationem expectare. Sabaudij conferti, & incommodis hoſtium alacriores, tamquam in hoſtes lætiæ, locum quem Nemurſij tenuerant ſupergreſſi ſunt; diſſipata rudi mole; & in obſtantes contis ferratis ac moſchettis graſſari. Illi quando fortunæ cedere, aut dedere ſe in animo non habebant, ad ſecuriora verſi, inſecuturos fugâ fruſtrari nitebantur, relictis armis & impedimentis quæ celerem fugam morabantur. Cecidêre eo periculo fortiores; cautiores ſeſe curſu inſequentibus ſurripuêre: & Sabaudij victores Mantierium regreſſi ſunt.

Fama proſperi euentus Pedemontanum eò quoque conciuit; & vocatos laudatóſque milites actiores futuro reddidit. Ducretum verſus quoque trecentos moſchettarios occuluit, & haſtatos ducentos vt in reliquos eadem arte præualerent. Nemurſij ſtratagemate occurrere conſilio meditati fuerant; ſi Sabaudios medios complecti, & è ſublimi arbitrio conficere poſſent. Sed Pedemontanus maiores copias, haud procul moſchettariis quos præmiſerat, deduxerat: Itaque cum hi aduerſum aciem incurriſſent; tamquam formidine dilaberentur, inſequentes in medias Pedemontanas copias traxerunt. Tum vniuerſi collineato ictu incautos aggreſſi ſunt. Nec enim trepidantes iaculabantur, ſed ſecuri, & velut in ſcopum. Cecidêre plerique partis aduerſæ, iíque fortiſſimi, & quibus plus conſtantiæ erat: reliqui ſoluto ordine, & pauore raptati, omiſſis armis campum deſeruête. Qui in Abbatia tetenderant, caſu ſuorum exciti, in auxilium accurrerunt: Duriorem

tamen Sabaudij aciem, quàm vt retinerent, pelleréntve, inuenerunt; impetúque fugientium tracti terga verterunt. Ductores tamen vt deſæuiiſſe procellam moſchettorum deprehendêre; & ſparſos ſuos conſectati ſunt, vt auderent vniuerſos cohortari, paratos iam in pericula aduerſus Sabaudios reduxête. Viſum id Pedemontano;& quia pauciores ſui pluribus hoſtibus congrediebantur,mille alios ſclopetarios ſummiſit,qui laborem belli à fatigatis in ſe verterent.Sed priores vbi accreſcere numero hoſtem, & præcipites in vindictam redire viderunt, collem eminentem læua conſpicati ſunt,reſumpsêre animos;& facto cuneo ſoluere aduerſam frontem,antequam ſuccurrerentur nixi ſunt. Nobile facinus fortuna iuuit: quippe cum pauciores hoſtes Nemurſij ferre non poſſent; eò minus recens inuectos toleraturi erant: ſenſimq; retrò verſi receptus ſpecie regrediebantur; donec vi inſequentium,& abeundi feſtinatione,fateri fugam coacti ſunt. Plures Gallorum deſiderati, multi capti: arma quæ palantes abiecerant in aceruum compoſita vt inter clitellas veherentur. Nec horæ vnius virtus plus vnquam gloriæ Sabaudijs, quàm hæc pugna tulit. Qui ſuperfuerunt, vlteriota inſederunt, ſpe affuturi ſibi è Burgundia auxilij, & locorum ſecuritate firmari. Vt tamen bellum non ſuis viribus prouectum ſtatim diffluit; ſic Nemurſius Hiſpano calore excitatus, didicit, in aduerſa fortuna conſtantiam amicitiæ non reperiri: Nec enim aut commeatus, aut bello neceſſaria ſumminiſtrabantur, & populares præuiſu hoſtilitatis in tuta aſportauerant annonam; quæque conuehere non potuerant, igne perdiderant. Id ante alia Burgundiorum fortitudinem detriuit, qui olim præuiderant; quod niſi victoriâ vno ictu haberetur,trahi bellum promiſſis Hiſpanis non poſſe.

Regredi itaque Nemurſius alterum poſt diem coactus eſt; cum Hiſpanarum ſponſionum incertitudinem accuſaret; & quæ in conſanguineum Ducem arma conuerterat, non honori ſuo, non vtilitati proficua deteſtaretur. Gnarum id Pedemontano; qui è vicinis Mantierij mille ſclopetarios, & ducentos ferè Carabinos (nomen equeſtris militiæ eſt) extremum abeuntium agmen carpere imperauit. Qui Sabaudiorum Mantierij ſubſtiterant,hoſtilium copiarum partem præcedere permiſerunt: tum Carabini imminutos numero cecidêre, & in fugam vertête. Mox qui præiuerant, vbi inſtare properantibus Sabaudios, & acriter vrgere deprehenderunt, ingenti pauore conſternati, proiectis per abrupta armis præcipites aufugerunt. Neque tamen ſubtrahere ſe infeſtis Carabinis potuerunt; quin tota Sabaudia exacti in Burgundiam vſque inſequentes non haberent. Accepta clade imminuti numero ſunt,præſagio malorum ſi rediiſſent. Pedemontanus enim cum maioribus copiis inſecutus timorem latè fecerat, ſuoſq; vicino ſubſidio animauerat. Demum reuerſus improſperæ Nemurſij pugnæ remoraria munimenta, quæ hoſtes primo aſſultu diſiecerant; reſtitui, & ſolidiori opere firmari, inducta annona, & commeatu bellico iuſſit. Nigracombæ quoque mille pedites, cæteros apud Abbatiam diſpoſuit; vt iam plus difficultatum Nemurſio, ſi nouis copiis præcedens in Sabaudiam iter ingredi cogitaſſet, ſuperaudum eſſet.

Nouus eo tempore nuncius Pedemontanum lætiorem habuit; quod decreto Prouinciæ pellere ſedibus ſuis Gallos qui Nemurſio militauerant Burgundij velle dicerêtur. Ducemq; ipſum haudquaquam futurorum prouidum in ambiguo agere; ſubſiſteretne,& præter Sabaudios hos quoq; hoſtes adſciſceret; an quieturus diſſolutis cohortibus in Patriam regrederetur. Angebant hominem nequicquam tractata arma, læſus Sabaudius conſanguineus, Hiſpani promiſſorum aut immemores,aut cunctantes: deniq; affecta exiſtimatio,& præ cæteris Burgundiæ alienatio:quæ iam ne breuem quidem moram capiendo conſilio concedere videbatur.Et

tur. Et quia Principi viro potiſſima honoris cura eſt,an nouas deſcriberet copias, Toletanum denuò fatigaret,an amicos populos in ſubſidium infauſti belli aduocaret, ambigebat. Dubitatio Nemurſij in cauſa fuit, quò minus Pedemontanus receptâ Prouinciâ,& profligato hoſte,ſtatim victor ad Patrem non regrederetur. Seneſcente tamen indies famâ Nemurſij,& dilabentibus iis quos fugæ ſocios habuerat Cloeſam venit; quo in loco illum Gubernatoris Burgundiæ Orator conuenit; datâ fide,gratam genti ac ſibi aduerſus illum victoriam fuiſſe: quamquam nondum tractatis armis cauſas diſcordiæ conciliare maluiſſet; & indignatos animos concordia mollire. Reſpondit Princeps grates ſe nobili viro ob pronum in ſe animum agere: nec ſi quid in ſummam rei præſcribere in animo haberet,abnuere. Certâ ſeſe ac Parentem Nemurſium vt ſuæ gentis caritate complecti; neque pro hoſte habiturum fuiſſe,niſi inimicorum conſilia,cauſamq; nemini bono probatam induiſſet. Potuiſſe conſanguineum pietati parentis potius,quàm turbatorum artibus fidere; ſi vinculo ſanguinis,amori ſuorum, obſequio ac reuerentiæ congruentia feciſſet. Mitius opinione reſponderat; etſi victor aſpere in debellatum inuecturus videretur. Vbi apertam reconciliationi viam,& mite Pedemontani ingenium aduertit,miſit ad Nemurſium qui præteritorum deteſtationem,& ſaniora futurorum conſilia inſtillaret. Et in illud ferè tempus legatio incidit,quo Gallus miles tumultuare cœperat, & haud procul ſeditione erat. Tranſiſſe iam ſpem occupandæ à ſe Sabaudiæ,& conſanguineo Duci multo cum honore reddi debitum obſequium, nec erubeſcendam potentioris reuerentiam videbat. Reſpondit itaq; Gubernatori,præcipuam ſibi gratiæ Pedemontani curam eſſe;quam licet certo quopiam prætextu amiſerit, quocunque tamen diſpendio redimere paratum. De vniuerſo negotio ſe cum eo acturum,ſi Eſchialonium placuiſſet.

Die dictâ Nemurſius cum Gubernatore, ac Domino de Termes fratre; necnon Domino de Laſsè Chriſtianiſſimi Regis referendario conuenerunt. Laſsè quidem paulò ante venerat à Rege miſſus, vt cauſam motus diſceret inluberetque. Hic multa Nemurſius doloris,iræ,& pœnitentiæ medius pro ſua cauſa,multa ille pro quiete populorum proſecuti ſunt. Addebat Gubernator non deponenda ſolum arma,ſed & facti memoriam(quod ſanguinem ſuum Nemurſius violaſſet) penitus obliterandam. Et quia Laſsè pronis iam in concordiam partibus,mediatore tantùm pacis rem egere cognouit,ſuam operam obtulit, vt Pedemontanum oraret, priori gratiæ ſuæ Nemurſium reddere, paternamq; indignationem detergere. Et quia non vno congreſſu tranſigi negotiatio poterat, audiriq; Gubernator debebat,Enancium Sabaudiæ prouinciæ delectum, Eò Dominus Corbozoni à Nemurſio miſſus venit; detulitq; libellum ſupplicem pleraque continentem; quæ Domino ſuo à Pedemontano condonari deſiderabat. Factorum recordatio metum incuſſerat, ne faſtu ianitorum excluſus, magno ſuo & admittentis contemptu adorare admiſſionem cogeretur. Proinde Gubernatorem concordiæ medium orauit, vti ſibi conuenire Pedemontanum & coram alloqui liceret. Apud priſtinum Principem interceſſione opus non fuit; ſtatim enim admiſſus,& comiter exceptus eſt: Tum Corbozonus; non nouam minorum in maiores irreuerentiam,& genti Gallicæ conſuetum perduellionem accuſauit;quam præſumpta & ferè vana iura commonerint. In Nemurſio feſtinatam pœnitentiam mores gentis excedere: nec ſiniſtro belli exitu magis,quam conſcientia facinoris indoleſcere. Id ſe eius nomine,oppignoratâ communi fide teſtari. Quod enim ſibi vitæ reliquum futurum credat, inconcuſſo Sabaudij Ducis obſequio & reuerentiæ inſumpturum ſpondere: nec eorum quæ ſcripto complexus ſit aliud ius aut robur quàm quod Pedemontanus,ac parens decreuiſſent, velle. Eo ſe memoriali preces ac deſideria ſua compoſuiſſe *Nemurſius ſupplex Pedemontano.*

Pronus in facilitatem Pedemontanus erat; ſed inſuper Nemurſij reuerentia motus eſt, vt nondum conſulto parente, intus annueret, velletq; deſiderio ſuo conſonam in eo reperiri voluntatem. Reſpondit itaque veterem caritatem & ius ſanguinis, recenti indignationi apud ſe ac ſuos præualitura; promptumq; conſanguinei obſequium mereri, vt ſtatim præterito ignoſcatur. Certitudinem receptæ gratiæ conſtantiam pœnitentiæ comitaturam: quæ illo ſcripto complexus ſit examinaturum; ſed & velociſſimo curſore, id ad parentem miſit; vt quid ſuper ea re ſtatuendum eſſet præciperet. Legit Sabaudius; qui vt alienæ ſuperbiæ inſolens erat, ſic cultu & reuerentiâ molliebatur. Itaque memoriale illud filio remiſit, earum rerum quæ petebantur arbitrio Principi permiſſo. Id à Pedemontano Gubernatori communicatum: Qui ad pontem Luſſeum ea cauſa proceſſerant: & inter concordes ſancitum, vt Laſſeus Nemurſium conueniret, recuperatam patris ac filij gratiam referret; ſuaq; manus chirographo fateretur, rata ſe ea habiturum quæ dato ſcripto ſpopondiſſet; quæq; toto in negotio Pedemontanus decreuiſſet. Reuerſus Laſſeus cum Gubernatore, ac Domino de Termes fratre Enancium profecti ſunt; vbi Pedemontanus cunctorum precibus euocatus, finem rei oppetiebatur. Neque longiori diſcuſſione ſingula tractare, aut vlla in parte difficultates opponere Pedemontanus voluit; ſed tanquam gratuitum & liberum beneficium conferret, ſcripto facturum ſe omnia recepit, integro tamen Parentis arbitrio. Non vt beneficio temporis in ſuam cauſam vteretur (quod inuidi interpretati ſunt) ſed certa deſtinatione fidei; & non tum primùm probata apud ipſum paterna reuerentia.

Vbi compoſita odia & vulſæ animo cauſæ ſunt diſcordiarum, Gubernator Pedemontanum orauit, vt conueniendi ſui poteſtatem Nemurſio faceret; & coram ipſe ſui reuerentiam experiretur. Id quoque conceſſum. Inter Bellagardæ & Luſsè pontes coiêre. Prior Nemurſius venerat. Itaque vbi haud procul Pedemontanum appropinquantem vidit, equo deſcendit, obuiumq; ſe detecto capite obtulit; Pedemontanus adhuc equo inſidens, redditâ ſalute ſupplicem excepit; moxq; pedes peditem, ſingulari demonſtratione pietatis obſtrinxit. Nemurſius quidem cum præterito veniam, & futuri obſequij ſui fidem oraret, ignoſcere ſe ſtatim Pedemontanus dixit; & nulla præteriti memoria, integram illi apud ſe & parentem gratiam futuram promiſit. Communes hoſtes, & fraudes maleuolentium accuſare ſatis habuit; & pleraque malorum malignitati ſeculi, & fortunæ imputare. Nil à Nemurſio quo pœnitentiam, & certum animum teſtaretur, omiſſum. Tum reuerſus Pedemontanus Enancium eſt, Marchioniq; Lanzij imperauit; vti diſpoſitas ante diuerſis in præſidiis copias reuocaret; vallemq; Siſeriam eo onere leuaret. Trecenti ſolummodo moſchettarij Meralli, & ad Greſini & Luſei pontes relicti; donec recentioribus imperiis amouerentur. Quod cohortium reliquum in Pedemontanam miſſum eſt; & diruta toto eo tractu munimenta, quæ cis & vltra Rhodanum prior neceſſitas fieri perſuaſerat.

His illico expletis Chiamberium Pedemontanus profectus eſt, vt cætera negotiorum, antequam Prouincia decederet, componeret. Diſceſſum paranti datæ literæ quibus certior reddebatur, Gubernatorem Burgundiæ & Nemurſium nouo illius inuiſendi ſtudio teneri. Gubernator Seſelli erat, Nemurſius Heſſij. Et vt Gubernatoris commodo deſeruiret, admonuit Heſſij opportunioré ſingulis congreſſum futurum, vbi ipſe decreuiſſet vtrumq; opperiri. Affuere, & iterata obſequia

Pedemontanus redit viſitur ad patrem.

certum iam Pedemõtanum fidei Nemurſij reddiderunt. Demum in Pedemontanam regreſſus eſt, reperitq; Parentem leui morbo decumbentem. Hic motus Nemurſij finis, illæ occaſiones fuerunt: & licet quidam grauibus illum iniuriis læſum dicerent, illi ipſi tamen cum cæteris intempeſtiuam deſciſſionem, & inutilem

laborem

laborem ab illo funeſtum fatebantur. Quippe certum erat, non diu illum vim Pedemontani tolerare potuiſſe;nec aduerſus Sabaudiæ Ducem à Toletano caritate promotum;ſed tantùm vt diſtractis viribus partes iuuaret,nullo profectu illius; & certâ Regis Hiſpani aduerſus nepotes voluntate: ſi quid belli vis parenti detraxiſſet,nepotibus ſuis redditurum.Præter cauſas quas retulimus,gentis ingenium quidam accuſabant,tumultuari facile,& pronum in res nouas.

Sabaudius viſo filio,proſpero quem præſagiiſſet exitu bellum patratum,& gloriæ iuuenis gratulatus eſt.Pars quoque lætitiæ fuit,duo peditum millia à Gubernatore Lugdunenſi Alincorto, quatuor à filio præmiſſa; & pleroſque Nemurſij ſatellites mutato ſacramento Pedemontani fidem ſecutos, vniuerſoſq; in caſtra Pedemontana conueniſſe.Ipſe præter frequentia præſidia Aſtij,Creſcentini,Vercellis, & per obuia hoſtibus diſpoſita decem peditum, duo fortiſſimorum equitum millia iam ad ſigna habebat, ſub ſtrenuo Ductore non ridendus exercitus. Neque tamen eo fine deſcribi vires omnes ſuas Sabaudius voluerat; ſed plenis ſubditorum prouinciis,prout occaſio ſuaſiſſet augere Legiones,& cuicunque infrequentiæ occurrere deſtinauerat.

Eo ferè tempore, Mantuanus reiectâ pridem in Hiſpanos Monferrati curâ, cum toleratum diu coniugij deſiderium vlterius ferre non poſſet(quando iam ſeceteris cum Etruſco pactis conueniſſe dicebatur) Cardinalatus inſignia deponere cogitauit. Vetus iam illum Camillæ amor ſi non laſſauerat,poſteritatis ad minus & ſucceſſorum admonuerat,vt tempeſtiuè prolem ſuſciperet. Ferrarienſis etiam Amita ingenti formidine ſtimulata, ne ſeruam olim, aut Nepos ſociam, aut ipſa Dominam haberet, aliquot ante menſibus illam in Monſerratum ſeponi peruicerat: mox vxorem aliam induci feſtinabat: quâ ſpes Camillæ, & nuptiæ Viduæ Sabaudiæ vaneſcerent. Et Camilla quidem graui vtero Mantuâ diſceſſerat, maremq; enixa fuerat (vt infœlix crediderat) in ſpem certam ſucceſſionis. Eos ſpiritus puellæ; non vanis ambitio, non regnandi cupiditas,non conſanguinei inſtillauerant; ſed Mantuani adminiſtri,& intimi ſecretorum. Cum enim importunitate & precibus amantis totos dies fatigaretur,nec ille honorem familiæ ſuæ ſtupro fœdare vellet,promiſſis & imagine matrimonij ſuperata eſt; vt annueret deſiderio,ſeq; Principem futuram crederet. Eum in finem reperta promiſſa,chirographa,quæq; coniugium in ſolido ſiſtere dicebantur: & primus miniſtrorum (quem nomine deſignare modeſtiâ ſuperſedeo)ſiue innocenti per faceriam illuderet,ſiue à Mantuano ſummiſſus dolum adornaret, Sereniſſimæ titulo pluribus audientibus illam compellauerat; vtq; cubiculo Ducis Domina ſuccederet conſulendo imperauerat.Credebant periti Aulæ virum illum iam tum muliebri amicitiâ aditum ſibi ad potentiam paraſſe:nec quantaſcunque ſordes horruiſſe,dummodò cæteros auctoritate ſupergrederetur. Camillæ adhuc virgini aliquot ante menſes nobilem Mantuanus & ditem connubio iunxerat;ſed augeſcẽte dilectione,& iuuenem loco depulerat,& illam ſibi ſepoſuerat, velut in confugium; ſtupentib. vniuerſis, quod alieno complexu imminutam in matrimonium adſciſceret;quam vix maieſtas ad furta & oblectamenta admiſiſſet. Sancita chirographo ſponſalia à Mantuano fuiſſe multi fatebantur: & Camilla cum Mantuâ in Monferratum abiret,fatebatur: gerebatq; ſui Domini codicillos,vulgi famam approbantes. Sponſionem futuri continere,& quæ nihil in ſummam matrimonij conferrent dicebantur,credebanturq;. Niſi vulgi rumor per Europam omnem,commentationem illam obturbaret,ſuaderetq; verum matrimonium creditum fuiſſe, quamuis non probaretur.Quod Medicæi pro dubio acceperant,vulgum credere, extra flagitium videbatur.Cum enim Mantuanus Florentinas nuptias anxiè procuraret,id ab illis ſtatim obiectum:& niſi contraria docerentur abſtineri negotiatione imperatum fuerat.

Camilla enixa filium Hiacinthũ.

Miſit in Monferratum Mantuanus Herculem Marlianum, virum nobilem à ſecretis, & rebus ingentibus ſuffecturum, ſimul libertatis ac fidei inconcuſſæ. Hic præſente Paſchalio Caſaleſi Epiſcopo multa virginem coram ſciſcitatus eſt; enixuſq; vt illa nihil ſibi à præſenti Mantuano promiſſum dictumq; ; quod fidem oppignoraret, fateretur. Imo & chyrographum ab eâ repetijt, ne quâ eo inditio facti memoria aut ſuſpicio reduceretur. Id Florentiam miſſum, perſuadere viſum eſt, dolo Virginem circumuentam; & eas ambages ſpeciem non rem matrimonij fuiſſe. Tum primùm Alexandro Seneſio ab Etruſcis tractationi aures accommodatæ, dos dicta, & cætera tamquàm cum ſoluto tranſacta. Seneſius certè ſibi tendens, cum nuptias vi omni promoueret, præmium nauatæ operæ à matre Virginis & Mantuano expectabat. Obtinuitq; ab hoc comitatum eo ſtudio, domui ſuæ ornamento in poſterum futurum. Cum Seneſius die quodam Mantuano fateretur Medicæos errorem facti excluſiſſe; & aſſerere ſe cum libero matrimonium tractare; quaſi acriores iuſto cenſores adueniſſent, & deprehenſa falſitate, plus cupidinis admiſiſſent, agitatas nuptias faſtu quodam excepit; & ne in ſecuro colludere crederetur opulentiorem ſibi dotem requiſiuit: ſacramento teſtatus niſi ſolutis quadringentis aureorum millibus contracturum. Etruſci tamen ſatis gnari; niſi ingenti diſpendio, aut Sabaudiam aut Eſtenſem induci; & durante in inimicitiâ Sabaudio, plurimùm in vxoriæ domus ſubſidio fiduciæ collocare poſſe, ne obulo quidem dictam Virgini à parente dotem ſe exceſſuros reſponderunt. Vt iam accipere beneficium Mantuanus & precariò nubere videretur.

Id in cauſâ fuit cur Ferrarienſis magnâ indignatione exarſerit, orauerítq; Mantuanum vt Iuliam Principem Eſtenſem reciperet, minori dote; ſed quæ eam fortunam ſibi gloriæ duceret, licet non oraret. Mantuanus tamen parum iuramenti memor, priori trecentorum millium doti conſenſit, & tamquàm ſatis ſuperq; recepiſſet, conditionem ſuam encomio proſecutus eſt. Cum hæc continuis diſputationibus voluerentur, apud Aulam curâ commerciandi laborabatur. Petita à Mantuano dos teſtamento maior dicebatur, vt excluſâ eo nomine Medicæâ, locus depulſæ Camillæ aperiretur. Alij laudatam à Ferrarienſi Eſtenſem dicebant, veteri coniugis & conſuetudinis puellæ caritate: omiſſam tamen Pontificis Romani conſilio; quod commodis Mantuani aut Sabaudia, aut Medicæa conduceret; Eſtenſis non opes, non ſubſidium promitteret. Indignatum quoque oblatione Mantuanum ferebant, quaſi viliori coniugio deprimeretur; & quædam dictu erubeſcenda iactaſſe. Ridere erat quoties orari ſe Mantuanus volebat vt nuberet: cum tamen ipſe precibus & promiſſis non abſtineret, ſi cuius induſtriâ ſponſus euaſiſſet. Sed ante alia quod Principibus pleriſque vſurpatum eſt, mittendus in Vrbem Orator erat, qui mutandi inſtituti cauſas apud Pontificem exponeret.

Diu in Aula agitatum, quis eo ſpecioſius munere fungeretur. Et quidem inter Eccleſiaſticos Franciſcus Gonzaga Mantuanus Epiſcopus, ætatem, mortúmne excuſaturus putabatur. Diui Andreæ primicerius ex eadem gente, paucos poſt annos in Albeſem Epiſcopum aſſumptus, licet recepturus, priuatâ Ducis alienatione rejiciebatur. Vincentium Agnellum Suardum poſtmodum Mantuano Epiſcopatu ornatum, & Aurelium Recordatum nonnulli commendabant: Decorum rati, ſi viri Eccleſiaſticæ dignitatis, Duci longo miniſterio deuincti, & origine ſubditi, nobili legatione fungerentur. Etiam ſeculares in examen tracti, qui nobilitate & opibus eum locum impleturi credebantur. Mantuanus inter diſcordes, & proprio affectu hunc illúmve laudantes, in Gregorium Carbonellum, ex Monacho Franciſcani Paulenſis inſtituti, Diuæ Barbaræ Abbatem & Epiſcopum Diocæſarienſem oculos intendit. Sufficere collatos hono-

res,do-

res, doctrinam viri, & deſtinationem ſuam faſſus apud Aulam Romanam, magnorum Principum fauorem adorantem. Cæterum ante quam mitteretur, venerant ab Vrbe literæ, quæ non acceptum hominem Pontifici, nec Collegio Cardinalium placiturum teſtabantur. Idem pleriquе Mantuanorum coniecturis illecti monuerant: & Ferrarienſis in primis, cui amore ac obſequio aduerſus viduam Sabaudiam, parum acceptus erat. Connatum Mantuani moribus ſciebatur, vt quam ſemel ſententiam admiſiſſet, quò acrius ex aduerſo vrgeretur, eo peruicaciùs complecti. Et licet illi neminem ſeorſim compellarent, tantumq; alium mitti ſuaderent, vt honori Ducis fauor Vrbis accederet, inſtructum tamen Epiſcopum, additis comitibus qui miſſionem adornarent, in Vrbem miſit. *Mantuanus remittit Pontifici Cardinalatus inſignia.*

Nouembris decimâ ſextâ milleſimi ſexcenteſimi decimi ſexti, in Quirinali, frequenti Patrum conſeſſu, ſummo Pontifici de more grates actæ, & traditæ literæ; quibus exuendi ordinis licentiam orabat. Mantuanus tamen ſtatim profecto in Vrbem Epiſcopo cultum habitumq; Cardinalis depoſuerat; & quò nouus homo videretur, enſem lateri cinxerat; quamuis expendæ Pontificiæ literæ dicerentur, non Cardinalatus ſolum, ſed Sedis Apoſtolicæ reuerentiâ.

Diu iam Matrimonij deſiderium Mantuanus tolerauerat, depoſitis tamen Cardinalatus inſignibus mæſtus agere viſus eſt, renuntiati honoris pœnitentiâ, & futurarum nuptiarum incertitudine, quæ eo tempore maximè vrgebat. Itaque apud conſilij participes, modò feſtinationem ſuam, modò praua ſuorum conſilia deteſtatus, vnam ſolatij imaginem ſupereſſe dicebat; ſi Princeps Vincentius frater, eodem quo ille fuerat honore decoraretur. Non arduum id effectu nouerant vniuerſi: quibus Romanæ Aulæ conſuetudo, & Mantuanorum Principum nobilitas perſpecta erant. Sufficere quippe ſi comi obſequio apud adoratum Pontificem, certâ caritate Mantuano obſtrictum, id gratiæ & honoris frater Dux fratri quæſiuiſſet. Et quidem Diocæſarienſis cum apud Vrbem eſſet, id ipſum in mandatis habuerat: Nouis tamen officijs vrgeri Pontificem placuit: vt accelerata deſtinatione faueret. Reginæ itaq; Amitæ inter cęteros ea cura fuit, & Ferrarienſis à Mantuano ſummiſſa, non ſemel Vincentium hortata dicebatur, vt Eccleſiaſticis muneribus initiaretur. Famuli quoque & ciuitatis proceres; ſiue iuſſi, ſiue prorſus ſentirent, idem perſuadebant. Principis iuuenis & equeſtria ſtudia ab infantiâ ſectati animum ſtimulis eguiſſe, vt vniuerſum vitæ genus conuerteret, mirum non fuit, ſed id Mantuanum tanto nixu procurare, & monachis, monialibus, ſacerdotibus, nobilibus; etiam matronis vti, vt annueret, magni cuiuſpiam arcani ſpeciem habebat. Neque diu ignoratum apud Aulam cuncta rimantem, & Ducem ſecretorum intolerantem. *P. Vincẽtius fit Cardinalis.* *Sed ferè inuitus.*

Aliquot ante menſes cum de connubio Mantuani inter proceres conſilia agitarentur; & quidam intra præcedens inſtitutum manendum Duci, alij dandam Principi Vincentio coniugem, plures vtroſque maritandos cenſuiſſent, monitus ab amico Mantuanus fuiſſe dicebatur, validis adhuc viribus ſuis fraternas nuptias non admittendas; ne ipſe ſine prole contemptui nepotibus dominationis ſucceſſoribus exponeretur: quando non ſemel teſtatus frater eſſet, cœlibi ſe vitæ renunciare; & primo quoque tempore nuptialia tractare in animum induxiſſe. Etiam de vxore dubitatum fuerat. Nec enim ſupremo Celſitudinis loco ortam, contingere minori natu fratri poſſe concluſerant: eoq; in matronas minoris ordinis principis tamen nobilitatis conuerterant. Has inter Iſabella Principis Bozoli mater, & Ferrantis Gonzagæ ſacri Romani Imperij Principis vxor, tum vidua, morum amœnitate, formæ venuſtate, ſanctitate, & probatâ fœcunditate ante alias, vt in cenſum venit, cæteras excluſit. Nobili equidem fœminæ, natalium animiq; plures ornatus erant, quàm vt æmulam admitteret tole- *Iſabella Pr. Bozoli.*

rarétve. Niſi viribus ſuis Mantuanus diffidiſſet, perſpecta Principis Matronæ virtus, Italiæ, & Vrbi, imo & Duci eblandita foret. Sed ille euentui diffidebat; ne ipſe experimento infæcunditatis damnatus, ſubditos omnes in futuros ſucceſſores magno ſuo neglectu auocaret. Diu hæc Amitæ Ferrarienſis & magnatum Vrbis ſententijs examinata. Neque tamen adhuc Vincentium in Eccleſiaſticos ritus impulerant; ſed ex futuro conſilium captaturum, & tacitum detinebant.

Eâ dubitatione Mantuanus tot amicorum officia fruſtra cecidiſſe; nec Amitam (quam iuuenis matris loco coluerat) ſuffeciſſe perſuaſioni vidit, ſui apud illum reuerentiam præſumens ſero diei fratrem conuenit: cum ille noctium longitudinem falleret, nobilium virorum amicâ familiaritate. Auocatum itaque à turbâ, inter ſe & Conſiliarios medium recepit, & ſic ferè compellauit. Quàm vellem, mi frater, apud communem fratrem noſtrum, natu maiorem, curam poſteritatis familiæ manſiſſe: nec auulſum me ſacris huic ſolicitudini fortunam admouiſſe. Caducæ ſunt fateor res humanæ; & ante alia perennitas gentium; vt portenti vice ſit quingenteſimum annum non interruptâ poſterorum ſerie apud Principes ſucceſſionem durare. Eo nihilominus loco nati ſumus, ijs moribus in dominationem adſciti, vt continuatio nepotum, pars legum potiſſima cenſeatur. Sed vt natu maiores generi deſtinantur; nec conſuetudo populorum primo loco ortum ſede detrudit vt poſteriorem aduocet; ſic nec ego ſponte natales tuos præueni; aut fortunam ſociam mei conſilij habui. Plus tibi mea auctoritas conferre non poteſt; quàm ſi ordine poſteriorem Cardinalatus honore mihi ipſi præpoſuero. Specioſum id familiæ noſtræ, cupitum Regibus ac Principibus Chriſtianis, nec arduum obtentu eſt. Pontifex vt tibi, ſic ſacro collegio renunciatione conferet. Cætera ſtatim aderunt; conductæ pridem à me regiæ ædes, paratus quouis Principe dignus, famuli, reditus, & fauor Gallorum, qui iam dexteram tuam à longè exoſculantur; vtque in tutelam florentiſſimi Regni eorum ſuccedas geſtiunt. Regina Amita ampliſſimos prouentus; ego præter Eccleſiaſticas opes, domeſticas addam: ne quis in Vrbe ditiſſimo licet patrimonio, magnitudini tuæ poſſit contendere. Proinde vt tuorum, imo generis humani deſiderio annuas, & hortor, & peto; & ſequenti reſponſum à te, quod me ſolicitudine liberet, opperior.

Mantuanus Princeps Vincentium hortatur.

Princeps verba ipſe ſua confundens, & manifeſtè dubius; ne tamen fraternum imperium contemnere, & vt orari deſineret, reſpondit: quo patrem ac fratrem paucos ante annos fato functos loco, eodem ipſum habere; ſiue nubendum ſibi (quod ſemper in votis habuiſſet) ſiue purpuram induere deberet, illius arbitrio permittere. Quod reliquum ſit, non pactis, non promiſſis, ſed certiſſimâ voluntate conſilijs ſe illius acceſſurum. Viſus tamen vmbratâ fronte, & certis mœroris indicijs promiſiſſe. Sequenti (nam venerant ab Vrbe literæ, quibus depoſitis ſeculi inſignibus, primordia Eccleſiaſtica delibare iubebatur) à Duce accerſitus, quid apud Vrbem Pontifex poſceret edoctus, talari vt veſte in poſterum vteretur imperauit. Id ſtatim Vincentius auerſatus eſt; non ſe ſacerdotalia tractare, nec promiſcuâ cum tot famulis veſte vti velle faſſus. Non ſe primum ab armis ad togam vocatum; & pleroſque Cardinalium, eodem temporis articulo, arma purpurâ mutaſſe. Tracta in noctem diſceptatio, hortatu tandem Ferrarienſis Amitæ obtemperaturum ſe promiſit. Cæterum veſtes illæ paucorum dierum fuerunt. Nam nobilis à Pontificio cubiculo Burdigheriæ gentis, cum Cardinalitio Galero venit; obtulitq; Principi more ordini ſolito. Vbi Cardinalis fuit; nouis fratris imperijs, vt Romam proficiſceretur, vrgeri cœpit. Et quamuis ea propria Cardinalium, & in primis tanto principe congruens ſedes eſſet; nullis

Hic ſubfrigidè reſpondet.

Burdigheira cum Galero ab Vrbe ad Principē Vincentium.

nullis tamen aut Amitæ, aut fratris precibus euinci potuit; teſtatus apud omnes, cunctorum ſe voto inſtituti mutatione ſatisfeciſſe. De ſuo à Patria diſceſſu quid decreuerit pridem deliberaſſe; nec enim domo excedere in animum ſuum primo ſtatim Cardinalatus die induxiſſe. Cauſæ in incerto erant; cum alij ſtudia iuuenis, plures Villarum amorem (quas ille Regio cultu extulerat) accuſarent. Secretorum tamen participes, cum ſpecioſiſſimas in vrbe villas, & cœlum illi *Vincentius renuit in vrbe proficiſci.* culturæ fauorabilius ſcirent, quid obſiſteret ambiguè interpretabantur. Nam illum nullo affectu corruptum fuiſſe, certum erat, cum in Iſabellæ Bozoli Principis amorem plures poſt menſes ſit delapſus; poſtquam illum inſtituti & promiſſorum pœnituit. Altiores ergo vitatæ vrbis cauſæ ſubeſſe deprehenſæ; quas ille tandem, vbi amicorum precibus exoratus eſt, aperuit.

Cum enim Mantuanus anguſtâ re familiari, & Monferratenſi bello hauſtus, *Et cauſæ.* vnde crogationibus neceſſariis ſufficeret, examinaret; nec apud ſubditos pluribus tributis oneratos ſubſidium videret, à Pontifice honorum Eccleſiaſticorum poſſeſſionem in plures annos impetrauerat; quæ ne morte quidem extra domum abire poſſent: ſimul inaudito genere liberalitatis, vniuerſis reprobantibus, ordini Melitenſi Prioratum Bariletæ ceſſerat; ingens ornamentum familiæ, nec in poſterum rediturum. Itaque reditus Eccleſiaſticos, ſibi ante dignitatem promiſſos fratrem retinere; prouentus annuos, aut non conferre, aut decimare; denique ſpeciem opulentioris conditionis nullam Vincentius videns, pergere Roman recuſauerat; ne domeſticam inopiam ſuam neglectui, & irriſui potentiorum Aulæ exponeret. Propria quoque iuuenis æſtimatio retinebat; quòd cum literas (quas & coluiſſe fratrem, & ex eo doctrinæ ſpecimen dediſſe nouerat) ciuilis ac militaris diſciplinæ ſtudio neglexiſſet; parum ſibi decorum credebat, in eâ frequentiâ agere, quæ ſtatim argueret diſparitatem. Amore etiam Patriæ & ſuorum hæſerat, quam à fratre grauiter premi liuentibus oculis videbat, nullo præuiſu futurorum. Imo pleraque agendorum perfici, quædam inutilia reijci; & fratre conſuetudine Camillæ abſtracto multas bono in vſu leges ſe præſente cognouerat. Eâ re aucta Mantuano ſolicitudo eſt; vt obſeruatorem procul amandaret; & ſpecie honeſti, ad Romanam celebritatem legaret. Neque aliud opportunius reperit; quàm ſi Regina Amita opibus & auctoritate occurreret; quaſi alieno ſtimulo regeretur. Illico quæ poſcebatur occaſio inceſſit; cum enim Regno in Vrbe Cardinalis protector quæreretur; ea cura fideliori ac nobiliori demandari non poterat. Itaque eo honore vt Patriâ abiret inuitatus eſt: quod etiam fruſtra fuit, apud iuuenem omnia quæ Vrbem præferrent, auerſantem: & (quod caput indignationis erat) Cardinalatui intonantem.

Vnde remedium petebatur, noua difficultas manauit. Toletanus quippe cui *Cardinalis Vincentius fit protector Galliæ.* Principis Vincentij Cardinalatus placuerat, Gallica fides, & profeſſio tutelæ diſplicuit: nec apud Mantuanum queri deſtitit; quòd cum Prouincias donum Hiſpanorum accepiſſet; tam facilè, tam apertè, debitæ Regi gratitudinis Cardinalis frater oblitus foret. Mantuanus ſcriptis literis, quamquàm certiſſimam neceſſitatem, & Reginæ mandata excuſaſſet, fidem tamen non reperit, apud ſenem fallaciæ gnarum, & eaſdem Mantuani ac parentis artes recolentem. Sed Vin- *Et ſe cum Toletano excuſat.* centius cui Gallicus, & Vrbanus honor viluerat, ne nouis ſuſpicionibus fidem ſuam apud Hiſpanos infringeret, Comitem Lælium Arriuabenum cubiculi ſui præfectum Mediolanum ad Toletanum miſit, datis ſingillatim præceptis, quæ nos huic loco inſerere voluimus, cognoſcendæ Principis voluntatis.

Cum protectionis Regni Galliæ Cardinali Guiſio collatæ certior factus ſum, *Exemplar protectionis Pr. Vincentij apud Tolet.* ſtatim decreui nullis in poſterum honoribus aut vtilitatibus eius Regni animum adijcere; & propriæ dignitatis causâ, vt qui apertam mihi viam cernerem Catho-

tanū de acceptâ protectione Galliæ.

lico Regi indelebili beneficiorum memoriâ, quæ domui meæ collata ſcio, omnem operam & obſequium deferre. Sed cum poſtmodum miſſo ad me legato Domino Marſiliaco, & honoris mei a Rege ac Reginâ rationem habitam viderem,& nobili ſtipendio eam operam cumulaſſe, non potui benignam vtriuſque erga me Maieſtatis voluntatem rejicere; quam tot demonſtrationibus & miſſo in hanc rem oratore probauerant. Mearum quidem in primis partium fuiſſe credidi,ſi Mediolanenſis Gubernator, meo id miſſu didiciſſet; Dominatione tua in eam operam delectâ; vt cauſas quæ me oblatum è Gallia honorem recipere impulerunt, deferres. Has inter præcipuæ ſunt, quod proprio oratore exhortationes preceſq; miſerint, cumq; honorem a me admitti cuperent,quam Dux frater meus,cum Cardinali Gioyoſâ tenuerat, & excuſationes expoſuerint,quod Cardinali Guiſio munus id meum commune eſſe voluiſſent, conditione temporum ſic requirente; & cauſis ijs quas Toletanus iuris regnandi non incallidus, ſuâ ſponte eſt aſſecuturus. Mei quoque præcedens æſtimatio aſſentiendi cauſas intendit. Cum enim Rex & Regina nullo me hactenus externi Regis miniſterio præuentum ſcirent;haud dubiè repulſam inuidiæ ac vindictæ imputaſſent; quaſi Guiſius prior in eum honorem adſcitus animum meum alienatione turbauiſſet. Accedit arcta cum Rege ac Reginâ conſanguinitas;& amor quo me illa filij ſemper loco proſecuta eſt; vt iam intempeſtiuum crederem eorum gratiæ renunciare,aut opportunam prompto miniſterio operam negare. Id boni omnes, & Toletanus in primis vir conſummatæ prudentiæ probabit, præcipuè quod cum ante alia in votis habuerim; vt ſi quo miniſterio meo licuiſſet Catholico Regi deſeruirem,comprotectione Regni Galliæ id me potiſſimum conſequi poſſe cognouerim. Vrbis enim negotijs aſſiduus,& varijs eius regni curis exercitus, habiturus ſum promptam (quantum per integram fidem licet) reſtandæ ſinceriſſimæ voluntatis occaſionem. Ita natus & eductus ſum, vt æternam & hæreditate in me tranſlatam gratitudinem Catholico Regi debeam; tot beneficiorum domui meæ collatorum memoriâ; & recenti regiarum literarum fauore, quibus Maieſtas illa vſa eſt, aduerſum me ſingulari demonſtratione pietatis. Itaque ſicut quibus artibus vtilitati Gallici Regni mihi occurrendum ſit,didici,nullâ Catholici Regis iniuriâ; ſic manſuram in totam æternitatem meæ ingratitudinis famam ſcio, niſi de me ac domo meâ omni optimè merito Regi obſtricti animi documentum dedero,cui contradici non poſſit. Vbi Toletano efficaciter deliberationis meæ cauſas Dominatio tua expoſuerit; vt illius non alium interpretem quàm me recipiat orabit; & quo me ſemper amore proſecutus eſt in futurum comitetur, meas ad Regem literas ſuis proſequendo; quibus ſolitâ illi humanitate cauſam meam tueatur,& reuerentiam teſtetur. Id ſi per eius pietatem ſperare licuerit, integram mihi Catholici Regis gratiam confido, quam continuatione obſequij promouebo in ampliora incrementa. Deſiderauerâm quidem Ducem fratrem, hoc mecum officio cum ipſo defungi, ſed quia quod primùm forte quæſiuiſſe debuerat, poſtmodum auerſatus eſt, illius ſecretum perrumpere nolui. Rationes fateor apud me plus fraternâ auctoritate valuêre; & quia honeſtiſſimis cogitationib. meis nexum Catholici Regis obſequium video, Dominatio tua nixu omni Toletanum orabit, vt cauſæ meæ apud eam maieſtatem patrocinator accedat; ſibiq; perſuadeat, occaſiones, tempora, conſilia fidem meam approbatura. Poſtremò præcipitis ferè deliberationis veniam oret, teſteturq; ſi per tempus licuiſſet, petiturum me ab illo amicum conſilium fuiſſe; cui, certus ſum, ſtatim votum ſuum dediſſet: ſed à feſtinante oratore deprehenſum me, vixq; tempore ad conſultationem dato, deſiderio Regis ac Reginæ annuere coactum. Hæc Comes Lælius Toletano exponere iuſſus eſt; eaq; ſcripto tra-

pto tradita, quam inſtructionem appellant; & cuius nos exemplar ab ipſomet habuimus.

Vbi Arriuabenus Mediolani fuit, præmiſſo internuncio Toletani admiſſionem orauit. Reſponſum à cubiculario Hiſpano eſt, horâ decimâ tertiâ accederet, publicè tum omnes audiri, & reſponſa Domini referre. Fama acceptæ reſponſionis prior forſan Mediolanum venerat; & vt eam officij imaginem Toletanus deſpiceret, publicè contemnere decreuerat. Arriuabeno locus tempuſq; diſplicuit; & quia de re parum gratâ futurum colloquium erat, ne ſui neglectu Cardinalis Domini magnitudo plurium teſtimonio læderetur, decimam octauam elegit, infrequentiâ aulicorum ſecretam. Hac impetrato acceſſu admiſſus eſt. Hic Toletanus vicino parieti innixus; & vix in Arriuabenum conuerſo obtutu, perfunctoriè legationis argumentum audiuit. Et quamquàm ille longâ verborum ſerie, & multo cum honote eius miſſionis cauſas proſecutus foret; nil tamen aliud retulit quàm lecturum ſe literas & reſponſurum. Sagaci certè viro res ipſa non impoſuerat. Eodem ſtratagemate nouerat, vſum Vincentium fratrem Mantuani, cum tutelam Galliæ recepit, quo olim Vincentius pater, cum Mantuanus idem munus induxit: & non ſemel Mantuanum odiorum ſpeciem obtuliſſe, acerbáſque querelas ad ſuum Regem miſiſſe: & plus illi conſtantiæ in fide Gallicâ, quàm fidei in promiſſis fuiſſe. Vt tamen rerum conditio ferebat, humaniter per literas reſpondit, nullâ beneficiorum Catholici Regis, nullâ ſui aduerſus Gonzagam domum officiorum memoriâ. Tantùm addidit, vt quod per oratorem ſpopondiſſet, factis exequeretur: tum ratam pietatem, & acceptum obſequium, magnis beneficijs penſaudum fore.

Mantuanus vtcunque compoſitas Toletani ſuſpiciones, & ſatisfactum officio (ſiue perſuaſum, ſiue ſimulatum foret haud diſtinguens) lætatus eſt; & quò rebus ſuis & Galliæ Regis expectationi reſponderet Cardinalem fratrem vi omni in Vrbem mittere procurabat. Sed iam æſtas adoleuerat, & intractabili caloribus cœlum, meditationem itineris prohibebat: nec adhuc Cardinali ſatisfactum conceſſione redituum, & collatâ pecuniâ fuerat. Quia tamen extra Patriam habere fratrem, & procul amouere Cenſorem cupiebat, Gazolum nobile oppidum duodecimo a Ciuitate milliario conceſſit: quo vt ſuo frater interim vteretur; lociq; amœnitate Caniculæ æſtus leniret.

Parum hactenus Mantuano Cardinalis conuenerat, eoq; ſecretum oblatum promptè, ſecundo poſt die amplexatus eſt. Eo parum procliuis animi initio, Cardinalatus quoque & Gallica protectio faſtidium ſui mouerant; vt iam occaſiones omnes circumſpiceret, quibus ijs ſe legibus & inſtituto explicaret. Tribus paſſuum millibus Sanmartinum oppidum aberat, propria ſuetaq; Principi filio ac matri Iſabellæ ſedes, amœnitate, cultu, numeroq; ciuium prælata. Huc cum Cardinalis ad Principem, ſimilitudine exercitij, & venatus ſtudio frequenter ventitaret; & Princeps Gazolum delatus officij & hoſpitij vices rependeret, arctam inuicem amicitiam fecêre. Nobiles quoque fœminæ eo vicinio villarum Iſabellam ſæpè inuiſebant; honori ſuo dantes, ſi obſequium Principi matronæ placuiſſet: & illa comitate incomparabili, amorem ſuj apud omnes intenderat, cultu Regio & blanditijs, de ſingulis optimè merita. Ætas illi iuuentæ ac prouectæ media erat, quam tamen liberalitas formæ, concinnitas morum, & viuida vis ingenij iuuentæ magis affinem reddebant. Inerat facilitas honeſtate adornata, cultus nullo ſtudio corruptus, humanitas grauitate compoſita. Quò minus mirum, diu Cardinalem eâ conſuetudine mollitum caritatem primùm, mox amorem altè combibiſſe. Neque tamen illa affectus ipſius ſtatim agnouit, aut ille aperuit; donec victâ patientiâ, & nouis indies nubendi cauſis, quid in ani-

Cardinalis de matrimonio Iſabella Principe Sanctimartini cogitat.

mum induxiſſet,faſſus eſt. Iuuenem Cardinalem, & ſucceſſioni Mantuanæ proximum ſuas nuptias orare. Iſabella primùm obſtupuit; & non ſemel vanitatis admonuit ſtatuſq; ſui; vtq; Romano itineri animum adijceret conſuluit. Ille non Vrbem,non Cardinalatum vnquam ſibi curæ fuiſſe reſpondit; vtq; deſiderio ſuo accederet flagitauit. Sibi enim certum eſſe nubere; nec domum ſuam modicâ iam fratris exſoluti & ægrotantis ſpe ſucceſſionis in præceps dare. Idem famulus Cardinali intimus orare; & ſpem dominationis in propinquo oſtendere. Arduum id nec quod ſtatim expediretur eſſe,Iſabella reſpondit: Proin tempore velut ad integram deliberationem ſumpto; quid ſibi magis expediret examinaturam dixit.

Iam Maius exierat, & Cardinalis cupitas ſibi nuptias diutius differri non tolerans,vrgebat. Illa ergo communicato prius cum ſuis conſilio, ſic Cardinalem compellauit. Quod mihi deſiderium coniugij,aut præ foribus opperiens dominatio obtruditur,vt non tempori, non iuuentæ, ſic nec conditioni tuæ ſatis congruunt. Licet enim probatam fœcunditatem,certam nobilitatem, dignam hoc pectore pudicitiam,cupidini tuæ ac meorum afferre poſſim; tuæ tamen ætatem meam; & huic purpuræ meum duodecim annorum ſecretum malè componi multi credent, & quos fortuna mea inuidiâ confundet, & quibus veteri affectu placuerit.Et quamuis ea facto & iure excuſari,etiam commendari poſſint; inſcio tamen fratre, iuniorem proiectis Cardinalatus inſignibus, non conſulto Pontifice, ſpretos opulentiſſimis prouentibus, neglectâ Galliæ tutelâ,nullâ Reginæ aut Ferrarienſis amitarum reuerentiâ nubere, plerique damnaturi ſunt,qui non erubeſcent humani ingenij prauo vſu, res opinione, non ſuis ponderibus æſtimare. Quid Ferrarienſem, quid ciues tuos,quid Vrbem dicturam, quibus abſurditatib. noua hæc vota interpretaturos, quam fratris indignationem, quam Galliarum inuidiam imminere exiſtimas; cui me tuorũ odio,cui maleuolentium detractioni expoſitum putas? Licet honeſtiſſimis nuptijs, & ſanctiſſimis religionis noſtræ legibus contractis,ſcias nõ defuturos calumniatores;qui aſſentatione potentiorum,æmulatione,inſcitia,me præcipuè proſcindant.Proinde(quod hoc rerum articulo nullam aliam ſacutam puto) vt ſumpto à fratre Duce conſilio; & tuorum votis aduocatis, aut incæpto abeas; aut ſi tua certa ſententia eſt, differas, dum ordini renuncies, Eccleſiaſticos reditus fraterno arbitrio diſponas, Reginam ac Ducem fratrem deliberationis certiores facias; doceas denique, te id non puerili impetu, ſed maturo conſilio feciſſe. Quorſum enim attinet fortunas ſuas mergere, adſciſcere tuorum æterna odia, fratres ac filios meos indignationi Ducis obijcere;ſi examinata ſententia, Gallis fauentibus, annuente fratre potes, & opes Eccleſiaſticas in tuto ſiſtere, & ijs quos noua conſanguinitate complexurus es amicè conſulere. Iuuentæ quoque tuæ ne nimium credideris oro;ſuggerit hæc nonnunquam præcipitia conſulta,traditq; in ſeram,nec proficientem pœnitentiam. Hæc vt præuideas tecumq; ante æſtimes cupio;pro ea quæ mihi ac tibi communis eſt generis affinitate:ſumaſq; à nondum coniuge ſolidæ caritatis,nullo priuato affectu corruptæ argumenta;tua commoda meæ fortunæ(ſi ſors arrideat)præferente.

Perculſus iuuenis improuiſo reſponſo (nil enim excepturam Iſabellam crediderat, potentia è vicino eblandiente) non tamen ſententia motus eſt; ſed nec Reginæ,nec fratri, ſe ſua conſilia communicaturum reſpondit, quos ſciret deſtinatis ſuis aduerſaturos.Proinde ſi conditio placuiſſet,ne vlterius diu ſibi deſideratum matrimonium moraretur. Hęſiſſe animo iuuenis firmius deliberationem innotuit; quàm vt exhortationibus, aut vllo reſpectu velleretur. Et quia res,non clam & imagine, ſed palam & verè tranſigenda erat,conſulti Doctores, an nondum ex-

dum exuta purpura, aut aliquis conſanguinitatis prætextus obſiſteret. Vulgatum enim prudens matrona ſine auctore nouerat, fallacijs prorſus ignara dicentium, Ferrantis ſui coniugis matrem Æmiliam, Federici primi Mantuæ Ducis filiam credi. Sed quod tum nobis, ſuggeſtione & nemine contrarium docente veri ſpecie impoſuit, cum Gonzagæ familiæ hiſtoriam ſcriberemus, id poſtmodum manifeſtis argumentis falſum deprehendimus; libenterq́; volumini iam impreſſo id abraſiſſemus, niſi feſtinatione operæ prius prælo exiiſſet, quàm auctoris cenſurâ corrigeretur. Tractum examen in menſes aliquot, cum nil indiſcuſſum Iſabella ſineret, ne feruidum iuuenem vis amoris tranſuerſum ageret; aut ipſa modico honoris ſui reſpectu procurriſſe diceretur. Iam enim non ſemel Cardinalem rerum ſuarum monuerat, orauerátque, vt tempus conſilio largiretur, quod peractum irritari non poſſet.

Creſcebat Mantuani aduerſa valetudo; quam ille intemperantia & morborum cauſis multò ante contractis intenderat; adeo vt de Cardinalis ſucceſſione nemo dubitaret; illumq́; omnes verſo ſtudio ſequerentur. Spes vicinas & illecebras dominandi Iſabellam ad petitas nuptias illexiſſe, ſunt qui credant, ſunt qui abnuant; nec nos aut incerta pro veris, aut nobili fœminæ regnandi conditionem diſplicuiſſe teſtari volumus. Neque enim Principi loco natæ & eductæ ea fortuna incongruere videbatur; aut vniuerſi in prudentiam flexiſſent, ſi Regiam potentiam reieciſſet. Sub Auguſti finem depulſa cunctatione omni, & præſentibus non conſanguineis ſolùm, ſed Parrocho & teſtibus Sanmartini, matrimonium more ab Eccleſia & legibus præſcripto inter vtrumque contractum eſt; inſcio adhuc Mantuano; quamuis miniſtrorum aliquem deliberationis gnarum fuiſſe quidam ſuſpicati ſint.

Ad famam rei Dux irâ exiliit, non Ordinis ſolùm reuerentia (licet ne ſua quidem profundius æſtimaret) ſed & ſucceſſionis inuidiâ; quam à fratre haberi, ipſo in orbitate agente ferre non poterat. Vtq́; apud deprehenſos, cum de remedio mali diſceptaretur immania proferebantur. Alij teſtes qui matrimonio interfuerant, è medio tollendos, vt contractus nemine contrarium prolaturo negaretur; Alij blandiriis Iſabellam Mantuam inuitandam, vt paucos poſt dies veneficio perderetur; tractandum alij Parrochum conſulebant: Mittendum interim in Vrbem, qui famam falſi argueret, facili vt rebantur fide, ſi prodituros veritatem ſuſtuliſſent. Plures iam abſolutum coniugium retinendum hortabantur, ſecura ſpe prolis; quæ nil Mantuano (ſi poſtmodum filios ſuſcepiſſet) diſtraheret. Et quidem Vincentius, quem viriles cauſæ mouiſſe credebantur; nec quod facti pœnitentiam induceret, occurreret; licet fratri contradicere non poſſet, nec auderet, ab eo ſe tamen, conſuetudine coniugij ſui arceri indigniſſimè ferebat. Vicit nihilominus Mantuani animus tamquam potentioris, vt iuuenis vſui Gazoli abſtraheretur: ſed & continuis expoſtulationibus eò proceſſit, vt quod ſine ſcelere admiſerat, flagitij inſtar acciperet. Id vt altiſſimè imbiberet die noctuq́; inculcatum; ſummiſſis à Mantuano peſſimi conſilij ſuggeſtoribus; vt quæ ſucceſſionis in domo ſpes erat reliqua, diuortio perderetur. Et quò nulla exitij via domus conuelleretur, cui ſtrenuam operam Ferrarienſis Amita non dediſſet, ea quoque querelis occurrit; additis minis, niſi contubernio abſtinuiſſet.

Cæterùm alterum poſt menſem, nullo certo auctore vulgatum eſt, Iſabellam grauem vterum gerere. Tum Mantuanus nil criminum nimis congeri in eam putans, quæ ſibi pridem inuiſa erat, fraudes ac falſitatem publicè accuſauit. Partum quippe ſupponere cogitaſſe; ne quid cupidini ſuæ, & domus exitio deeſſet. Statim calumnia patuit; miſſis enim Sanmartinum Medicis qui illam grauidam faterentur, Gazolum proficiſci iuſſerunt: vt apud Mantuanos enixa,

dubitationem & ſuſpiciones omnes excluderet. Sæpius reſpondit nec grauidam ſe credere, nec vt vulgaretur laudare. Ituram tamen quò illam Mantuanus relegaſſet, non vt Principis domus Neporem, ſub Ducis tecto eniteretur (quod fruſtrà crederet) ſed vt paruiſſe cognoſceretur. Eò magis Mantuanus dolum appellare; iactareq; ideo Gazolum progredi dubitaſſe; vt certiori facinore, è partu ſuppoſito duraturam ſibi potentiam ſtrueret. Illa tamen & ituram ſe promiſerat; & pluribus qui illam Sanmartino abeuntem comitari ſunt, ſacramento aſſeuerauerat, nil apud ſe eſſe, quod plenam vterum perſuaderet. Plures menſes Gazoli egit, non cuſtodita & obſeruata ſolùm, ſed vt imagini carceris nihil deeſſet. Et quamuis in alieno, imò mariti ſolo ageret, ſuo tamen ære, ſeſe ac familiam ſuſtentare coacta eſt. Tandem vbi vana Mantuani ac Medicorum coniectura apparuit, dimiſſa eſt.

Innocens fœmina ſuſperſtes, grauis & intoleranda erat occupare ſpem ſucceſſionis (quæ tamen impediretur) & merſiſſe domum omnem à Mantuano dicebatur. Quamquàm certum eſt (quantum humana coniectura progredi licet) potuiſſe ab eâ viridi adhuc ætate, & florentibus viribus prolem ſuſcipi, & ſtabiliri certiſſimam domus ſecuritatem, ſi conſueſcere marito frater permiſiſſet. Id omnes, & quibus matrimonium placuerat, & quos offenderat, reſtabantur. Sed obſequendum Duci, appellandúmque probrum erat, cui diuinæ & humanæ leges ſuffragabantur.

Eò vſque obloquendi licentia valuit; vt quæſiti teſtes publicè interrogarentur; qui Æmiliam Federici Mantuani Ducis filiam aſſererent; eorumq; reſponſa publicis tabulis insererentur; quæ paulò poſt, indicenda illi lite Romæ proferrentur. Et ne vno tantùm nomine excluderetur honeſtiſſimo matrimonio, atrociora quàm vt credi poſſent commentari placuit. Deuotionibus enim ac magicis artibus motum mente Vincentium in inceſtas nuptias præcipitatum credi placuit; quæſitis qui incomperta faterentur; quique præmijs aut minis crimen conſcientiæ fatendo diluerent. Reperti duo, & ij vili loco geniti, viliorìq; miniſterio Aulæ aſſueti; qui non rem ſolùm vt dicebatur, teſtabantur; ſed adeo congruentia proferebant; vt ſub præceptore dictata reddere viderentur.

Ludouicus Martius Vincentio Principi primùm à ſecretis, quod conſuluiſſe ac ſiluiſſe matrimonium argueretur, tetro carceri mancipatus, plures annos in continuo timore egit; & quamuis ſecretorum vniuerſa cognouiſſet, medicaminibus tamen Dominum ſuum illigatum fuiſſe teſtari noluit; ne aut illum temeritatis, aut Iſabellam probatæ ſanctimoniæ Fœminam ſortilegij damnaret. Priores ſufficere cauſæ videbantur, vt illa conuinceretur. Itaque delecti Iudices; & more Curiæ ſolito proceſſus in probationem formatus eſt. Sed quia crimen impietatis erat, traditi Mantuano Inquiſitori teſtes; & quæ olim dixiſſent, repetere iuſſi ſunt. Conſtantiſſimè retulerunt; vtque maior negotio auctoritas pararetur, petitus ab Vrbe, & miſſus Commiſſarius, qui de obiectis criminibus quæreret; & ſingulorum Aulæ Romanæ fidem faceret. Illi ſolita audacia, eâdem vocis ac vultus firmitudine, quod prius depoſuerant, retulerunt. Vix credi poterat, quod audiebatur. Abſurdius enim vero credebatur, Iſabellam prudentiæ ſpectatæ fœminam, vni teſtium (qui coniugis miniſterio attinebatur) ſibi hactenus ignoto, tam ardua communicauiſſe; aut fœmina vili ac mediaſtina vſam, apud ſecuram depoſuiſſe ſecretum ſperauiſſe. Coniecturam falſi vrgebat, quod ea ab Iſabella domo pulſa poſtmodum, & ob non probatos ſibi mores, ad ſuos remiſſa foret; cum tamen eius incolumitas (ſi quid doli latuiſſet) exitiabilis illi credi poſſet: licuiſſetq; Patronæ (nemine rem aut factum examinaturo) offuturam ſibi mulierculam perdere.

Vbi

Vbi vniuerſa compoſita, vrgere Pontificem Mantuanus cœpit, vt in ream, ac conuictam, animaduerteret. Sed aduerſus Matronam Principum coniugem, matrem, conſanguineam, indefenſam & inauditam, nihil quod exiſtimationem imminueret agi poterat. Teſtes proinde qui Mantuæ erant Romam deduci Pontifex imperauit; & Iſabellam ad dicendam in Vrbe cauſam vocauit. Etſi rari hactenus famæ crediderant, haudquaquam tamen obtemperaturam illam rebantur; quod in ſuo ſuprema auctoritate Domina, externos rumores tuta ridere poſſet, & ipſo neglectu confutare. Illa non aliud quàm quòd honor, & Orbis opinio conſilium ſuggerebant amplexata, ſtatim in Vrbem venit, & ne corrupiſſe Iudices diceretur, Arci Sancti Angeli arctiſſima cuſtodia haberi voluit. His quibus calumniis exercita, quibus petita inſidiis, qua fortitudine fuerit, & notū omnes, & nos referre ſuperſedemus; quod Pontificis ſententiâ innocens deprehenſa ſit; teſteſq; ſuam, & alienam fortè perfidiam fateri non erubuerint. Hæc in plures annos egreſſa compendio tradere voluimus, vt Hiſtoriæ ſeries curioſo ſatisfaceret; nec poſteri ignorarent; quid in hac ſcena fidi ac integri ſperare liceret, quoties immoderata deſideria, maculoſis animis inſederunt.

Cum hæc per Italiam geruntur; non minor ſeditionis per Gallias ſuſpicio percrebuerat; in quam non Condæus Princeps ſolùm Regiæ ſucceſſioni proximus, ſed & plerique magnæ exiſtimationis viri nomina dederant; Reginæ matris, & tum vſurpatæ adminiſtrationis inuidia. Secreta Pariſiis conuenticula, & coacta miſſaq; armadis ſeditioſis arma, fors detexit. Et niſi feſtinata executione, obuiam facinori, Regina cæteriq; adminiſtrationis participes iuiſſent, nouum genti Regem Condæum fortuna impoſuiſſet. Audiebantur per fora ac cœtus turbidæ voces, quibus gentilitiis Condæi inſignibus, detergi abiiciq; faſcia (quam barram dicunt) iubebatur; non alium in finem, quàm vt eo diſcrimine armorum ſublato, priora nihil à Regiis differrent; pariterq; Regio diademate inſigniretur. Puerum quidem Regem tumultus iſte non perculerat, ſed Matrem ſuæ ac filij potentiæ anxiam reddidit; vt temeritati feſtinato remedio occurreret. Quâ facilitate plerique in rebellionem conſenſerant, aperuêre, more gentis, tam immania ſine profeſſione degeneris animi credentis. Captus itaque Condæus, & ſecretè habitus, pœnâ ſuâ omnes admonuit. Neq; tamen extrema in Regij ſanguinis Principem decreta ſunt; ſed ſubtracto tumultuantibus duce, potentiſſimo Regno ſecuritas reſtitura. Vulgatum per Italiam Mantuano auctore ſubdito, tantum diſcriminis Regi, Sabaudio machinatore obiectum; quod Reginam Matrem pridem dilectione nepotis auerſaretur. Alij Hiſpanos fraudis accuſabant, vt verſo in viſcera regni bello, nullo externo præſidio Sabaudius adiutus opprimeretur. Hæc variè tradita in medio relinquimus: quamquam certum ſit, miſſo in carcerem Condæo, & Regio edicto vocatis conſciis ad pœnitentiam, inchoatum tumultum depoſuiſſe; Reginæq; ac Curiæ adminiſtris ſolitam populorū obedientiam rediiſſe.

Gallus Princeps Condæum in carcerem conicit.

Nondum Aldiglierius cum mille equitibus, ſex millibus peditum Alpes tranſcenderat, à Sabaudio expectatus, & certam bello vim laturus; & iam in vicino audiebatur, acceperatq; literas Sabaudius plenas certitudinis, & amicæ fidei. Id Pontifex & quibus pax Italiæ cordi erat, metuebant; præuidebátq; ingentia belli mala; earum in quas ea tempeſtas inclinaſſet prouinciarum ineuitabili pernicie. Bettunes ætate, & viribus Ludouiſio validior; nec promptitudine animi inferior; quibus artibus imminens Italiæ exitium, magno honore ſuo, maiori Regis Galli exiſtimatione declinaretur; dies noctéſque agitabat. Metum inanem fruſtra Hiſpanis incuti nouerat; eóque non ante Toletanum tectum conſilij aggredi voluit, quàm Sabaudij ſcripto probaretur, per ipſum non ſtare; quò minus conclamata toties pax reciperetur. Ludouiſium Cardi-

Ludouiſij & Bettunes officium cum Toletano pro pace.

Digitized by Google

nalem ſenio & tot irritis officiis laſſatum, in partem muneris aduocauit; tra-xitque ad Sabaudium; vt cognita voluntate Ducis, apud quem contumacia ac-cuſanda eſſet, deprehenderetur. Primis tenebris Ducem conuenerunt: nec multis immorati, quo candore animi quietem admitteret, manifeſtis documentis didicêre. Feſtinatam enim ac ſecuram pacem ante alia ſe deſiderare; nec certiori compendio, quàm pactis Aſtenſibus executioni mandatis, eam haberi poſſe reſpondit. Summam in eo difficultatem vertere, quod diu concordiam partium remoratum ſit, an Toletanus foret militem dimiſſurus: quòd Catholici Regis miniſtri, ad id teneri ſe non putent. Proinde non Bettunes ſolùm, ſed & Ludouiſium credere, ſi Toletanus tota Pedemontana regium exercitum detraxiſſet; libera ea loca reſtituiſſet quæ bello capta eſſent; & vtriuſque Regis fide Sabaudio cauiſſent, non ipſi, non Prouincijs, non ſubditis impoſterum nouis iniurijs inſultaturum; dimiſſurum Sabaudium Gallos omnes quod ſub ſignis habeat; ijs exceptis quibus vti familiariter conſueuiſſet. Porrò dimiſſis Pedemontanæ oppidis, illico Sabaudium quæcunque Mantuano per Monſerratum ademiſſet, redditurum. Incipiendam à Sabaudio reſtitutionem, & alternatim à Toletano continuandam. Vbi veteres in Dominos capta rediiſſent, Alemannis omnibus à Toleto dandam miſſionem, mox Heluetijs, poſtremò nonnullis Equitum centurijs. Præter ſupradicta vtrique legati Summi Pontificis, & Chriſtianiſſimi Regis nomine, quò toti Italiæ quies inconcuſſa pareturr, à Toletano requirebant, vt ſponderet, quoad controuerſiæ Archiducum Auſtriæ & Senatus Veneti componerentur, ſe aduerſus eam Rempublicam nil hoſtilitatis admiſſurum. Nec enim aut cum Chriſtianiſſimo Rege, aut Sabaudio, niſi illaceſſitis Venetis ſolidam pacem interceſſuram.

Toletani reſponſum. Hæc nullis ambagibus, ſoluſque boni publici cauſa Toletano expoſita, quibus ille ſequenti ſcripto ſatisfecit. Ludouiſium ac Bettunes apud Trizerum ſibi dixiſſe, vt quæ ſibi negotij abſolutionem concernere viderentur, exponeret, ſed ideo abnuiſſe, quod id potius Sabaudij munus eſſet; cuius relatu ſciat eo ſe libello compellatum. Nec plura additurum, fuiſſe, niſi quieti Italiæ proſpexiſſet: datum verò documentum Regij in eo negotio candoris. Exitum rerum & quæ aliquot ante menſes ſecuta ſunt, haudquaquam ſui Regis mentem immutaſſe: cui certum ſit, non ſibi eo bello aliena imperia quærere; ſed pacem ſectari; prohiberéq; minores Principes, ne mutua digladiatione deterantur. Bis Sabaudium arma aduerſus Mantuanum tuliſſe; & hac poſtrema vice, non ante vllum Hiſpanum gregarium Pedemontanam tetigiſſe, quàm ipſe in Langoſcam impetum feciſſet; & prius quàm vllus Regis miles Monſerratum ingreſſus eſſet (quod Regina Galliæ à Gubernatore Mediolani petierat ab ipſo Balzolum, Villanouam, ac Monſerratuum capta ac concremata. Id quidem contra promiſſa Chriſtianiſſimi Regis admiſſum; manereque Mantuano cauſas querelarum apud illam Maieſtatem: quod data publicè fides, & Oratorum promiſſa ſeſe excidio dediſſent. Has ſatis validas belli cauſas eſſe, cuncta tamen obliuiſci paratum; ſi ille vniuerſa quæ Imperio, Monferrato, proprijs ſubditis, Mediolanenſiq; detraxerit, reſtituiſſet. Iaciendo bonæ pacis fundamento, Sabaudium ac Mantuanum ſcriptura plenæ fidei promittere debere, ſe propria cuiuſq; iura ac prætextus coram Cæſare experturos; & interim cum ciuiliter diſceptant, ab armis diſceſſuros; iuxta formam conditionum multò ante ſancitarum. Dimittendum à Sabaudio militem omnem prout ſpondeat. Cæterùm quádocunq; Ludouiſius ac Bettunes, Summi Pontificis, ac Chriſtianiſſimi Regis nomine fidem dederint, vniuerſa bello capta à Sabaudio prioribus Dominis reliquiſſe, & quem coegerit militem Gallum dimiſiſſe; tum ſe quæ bello cœperit omiſſurum, & exercitum diſſoluturum

Regi

Regi quidem in pace exercitu opus non eſſe, nullâ tamen lege aut pacto teneri ad exarmandam Prouinciam; nec id aut à Sabaudio poſcendum, aut à Rege concedendum eſſe; ſe nihilominus certa fide promiſſurum, nullis à Regiis copiis iniuriis Pedemontanam, aut Sabaudiam offenſum iri, vt Pedemontanę ac Regiis prouinciis concordia poſtliminio reuertatur. Quod Venetos ſpectat, eos nec pactis Aſtenſibus complecti; nec ea ſuper re à ſe Rege mandata accepiſſe. Huic ſcripto ſic à Sabaudio reſponſum.

Credere ſe non vno documento, pacis in Italia deſiderium vniuerſis approbauiſſe; non ſolùm eorum oppidorum quę primo bello cœperat, arbitrio Hiſpano Regi promiſſo; ſed & altero, cum pactis Aſtenſibus acceſſit, milites omnes dimiſit; promptumq; ſe ſingulorum quę occupauerat, reſtitutioni obtulit, quotieſcunque metu Hiſpani exercitus ſolutus foret. Quod ſi Regiis miniſtris, pax quam perſtrepebant, placuiſſet, Aſtenſium conditionum executione quàm breuiſſimè vniuerſa componi poterant; ſed cum exercitum Aſtio deductum, non retinerent ſolùm, ſed magna vi augerent; aliaq; aduerſum ſe ac ſubditos machinarentur, coactum ſe denuò ad arma, in propriam ac ſuorum ſecuritatem. Ad Mottam copias ſuas promouiſſe, vt hoſtiles præueniret, tranſitumq; Seſiæ amnis occuparet. Nec antequam eum Chriſtianiſſimi Regis Oratorem Bettunes; & honeſtiſſimas conditiones, quas ab Aula detulerat, rejici animaduertit: non honeſti prætextu, ſed faſtu, & neglectu. Acceſſiſſe alia offenſionum, quibus prouocatus abſtinere bello ſine nota non potuerit. Pons ad Villatas iactus, duo munimenta in præſidium capitibus pontis vtrinque educta; Padus ad Ponteſturam ponte iunctus; mille moſchettarij Hiſpano ære apud Caſalenſes deſcripti; ſumminiſtrata eſurientibus annona; apud Caſalenſes, Trini, Ponteſturæ vſui hoſtium furni extructi, & commoditati Legionum (quæ iam Candiæ, & ad Villatas tendebant) deſeruirent. Imo & maioribus irritatum: quo enim die ipſe, nullo apparatu belli, certo tantummodo nobilium comitatu ſeptus, à Mottâ Seſiam iuxta equitabat, pluribus moſchettorum ictibus impetitum; & eo inſultu Dominum de Iners vulneratum; neque tamen à ſuis in Hiſpanis, vel iactum lapididis toleraſſe. Sed cum cohortes Regiæ trans Seſiam plures villas Mantiæ prædati forent, tum ſe Langoſco infeſta ſigna intuliſſe. Hinc apertum iudicanti eſſe, cui prima noui belli cauſa ſit imputanda. Ex belli certè diſciplina ſe feciſſe, vt Balzolæ, Villanouæ, ac Morrani ignis immitteretur; ne aut ſtramento popularium hoſtilis equitatus nutriretur, ijſve receptibus vteretur. Querelas Mantuani frequentiâ ac vanitate iam in riſus abiuiſſe; cædium, excidiorum, rapinarum, damnorum culpam in ſe vnum flectere debere. Cum enim concordiæ Aſtenſis beneficio ſumma pace; quam illi Chriſtianiſſimus Rex obtulerat frui poſſet, veniâ ſubditorum quos aduerſos ſibi expertus fuerat; partem ſe potius belli facere voluiſſe. Imò in eos famulos ſeuerè inuectum, qui id illi ſolitum teſtabâtur, & imminentia ex eo mala præuidebant. Quod ad reſtitutionem locorum ſpectet, ea ſingillatim executurum, ad quæ teneatur: Toletani nihilominus ſcriptum, per quædam incerta ſibi rerum genera euagari, quibus ſe reſponſurum recipiat; vbi quò illa flectantur, integrè percepiſſet. Certiora illi in quibuſdam iura eſſe, quàm vt perfunctoriè explicentur. Nullo inter ſe ac Mantuanum ſcripto opus eſſe; ſatisfacturum integrè pactis Aſtenſibus, idq; negotiationi Commendatoris Sillerij apud Hiſpanam Aulam congruere. Perſpectum ſibi eſſe, non alio Iudice, quàm Cæſare, ſubditorum Imperij lites dirimi poſſe. Promiſiſſe nihilominus, non ſe in poſterum Mantuanum armis vexaturum; ſed iura ſua ciuiliter experturum. Id optimâ fide ſeruaturum fuiſſe; niſi prior Mantuanus proprium exitium malis conſultis procuraſſet. Quorſum enim attinuiſſe, media in tractatione pacis, in eorum vitam ac for-

Cui Sabaudius ſatisfacit.

tunas ſæuire, quos & vetus conſuetudo obtinuerit, & Sabaudia tutela noluerit præſtiti ſibi ſeruitij, non inquiri, non damnari, non puniri? Mantuanum duos ſuſpendio perdidiſſe, plures bonis mulctatos Patria exegiſſe; & (quod caput rerum fuit) Sangeorgium virum nobilem ac virtuoſum offenſis depreſſiſſe. Specioſiſſimam quippe domum illius, qua vna Caſalenſis ciuitatis maieſtas continebatur, ſolo æquaſſe: &(vt plus ſibi ipſi mali conſciſceret) loco ſumendi à rei ſupplicij deſtinaſſe. Scire omnino Mantuanum debere, niſi impuni & illæſo Sangeorgio, nullam vnquam ſibi pacem futuram fuiſſe. Neque tamen iis acerbitatibus, niſi infimæ ſortis homines corripuiſſe: manere Proceres, vicem mali animi in tempore reddituros. Solutionem militiæ cuius olim Bettunes ac Ludouiſius formam ſequentem, ſcriptis verbis conceperint (Sabaudium omnes à ſe Gallos dimiſſurum, iis quibus familiariter vteretur exceptis; ſi prius ſecurum illum Regis vtriuſque fides reddidiſſet, & perſonæ & ſubditis id illi noxæ non futurum: Toletanum tamen primùm oppidis, imò Pedemontana omni coactum exercitum detrahere debere) nunquam ſe apertè ſpopondiſſe; licet vtrique Legato, id anxiè requirenti reſponderit, amore pacis facturum ſe ſemper, quod ius faſq; voluiſſent. Nec promiſſam dimiſſionem exercituum Catholici Regis eius miniſtros negare poſſe, quam pacta Aſtenſia facili verborum intellectu complectantur: ſed inſuper id Hiſpanum Gallo Regi per literas promiſiſſe, quod ſibi eius Maieſtatis adminiſtri, non ſemel faſſi ſunt. Id niſi ex vero eſſet, non Marinum, non Mangeanum, non Bettunes Oratorem ſuum Mediolanum id expreſſuros miſiſſet; ſatis cognito, non alio remedio promptius Italiæ pacem conciliari poſſe. Poſtremò quod Venetorum ſuſpiciones tangit, ideo Summum Pontificem ac Regem Chriſtianiſſimum iteratis officiis proſecutos, quod vtrique ardenriſſimè pacem Italiæ procurent. Quoties enim Veneti ſuſpicionibus belli vrgeantur; certum eſſe eorum motu totam Italiam nutaturam. Subeſſe fœdera ac promiſſa, quæ forſan vniuerſa Hiſpani non didicerint; quæq; conſulant, eos partis hactenus contentos agere. Imò diſſolutione militiæ, vt ſecurum ſe putet, ſic & Venetos ſolicitudine, eorumq; amicos cura leuari. Quod ſi Toletano pax Italiæ placeat, leui hoc documento palam facere poſſe; cui vniuerſi quietem rerum acceptam referant: Præcipuè quòd Rex Hiſpanus ac Veneti, nullis adhuc mutuis offenſis intumuerint, non armis congreſſi ſint: Quodq; Rex Chriſtianiſſimus, eorum cum Archiducibus diſcordias compoſiturum ſe receperit, communi in decertantes charitate, & animo in pacem gentium procliui.

Hæc mutuò Sabaudius Toletano perſcripſerat; ſed vbi reſponſio, concedente Ludouiſio ac Bettunes Toletano permiſſa eſt, non aliud expreſſerunt, quàm quòd annectimus, latinè verſum: Deum & Orbem vniuerſum nouiſſe, veráne an falſa contineat Sabaudij reſponſum, quod à Ludouiſio ac Bettunes acceperit; pariter an ſcribendum, an mittendum, an recipiendum foret. Sibi quidem videri illud noua reſponſione non egêre; nec Principes viros iis occupandos quæ deſiderio pacis aduerſantur. Summo Pontifici debitam reuerentiam, & in Chriſtianiſſimum Regem amorem obſtitiſſe ſibi, ne ſcripturam laceraret; quò minus tamen non remitteret cohiberi non potuiſſe. Obſtupuit lecta ſcriptura Sabaudius, ſecutiq; animorum motus acerrimi in vindictam; ne tantùm ſibi licentiæ Mediolanenſes Gubernatores, aut maiorum Principum contemptum vnquam impunitum crederent. Satis tamen habuit, rem omnem breui riſu excipere, cui certum erat, audaciam & faſtum Toletani ſuam cauſam approbare. Sed quia modus ille ſcribendi læſerat vniuerſos, repertus eſt ex eo numero, qui breui ſcripto factum argueret, cæteriſque rei ignaris communicaret. Senſus is fuit:

Toletani contemptio.

Reſponſum Toletani ſibi admirationi non fore, quibus natura hominis perſpecta eſt.

cta eſt. Obſtupeſcere eos poſſe,qui æſtimatione miniſtri Regij, & congruentes muneri virtutes præſumentes, vidiſſent adeo illum impudenter in dubium vocare ceſſionem oppidorum Monferrati, fractam Sabaudio fidem promiſſorum, diſſolutionem militię Sabaudiæ iure pactorum Aſtenſium, promiſſionem illius nouæ reſtitutionis, quotieſcunque ſuſpicione Hiſpani exercitus foret exſolutus. Chriſtianiſſimi quippe Regis Oratores veritatem faſſos; & vniuerſos nouiſſe, quis prior quietem ruperit,bellum intulerit, eáque admiſerit, quæ ſcriptura Sabaudij ſerie proſequitur. Deum enim & Orbem ſcire, vera eſſe; & Principum apud Sabaudium pro tempore legatos poſſe ſingulorum fidem facere. Toletano tamen,cui inuiſa veritas eſt Sabaudij,reſponſum ingratum fuiſſe eos animaduerſuros, quibus in confeſſo eſt, detectam veritatem, nec fuco adumbratam aliter proferri non potuiſſe. Pontificis ac Chriſtianiſſimi Regis miniſtros, vt ſuorum Dominorum pacis deſiderio ſeruirent, & recipere illud & deferre ad Toletanum debuiſſe; & cum Toletanus quartum iam diem apud ſe retinuiſſet, modeſtius reſcribere potuiſſe, honeſtiſſimis conditionibus acquieſcere; nec aduerſus miniſtros, ortu & dignitate non inferiores, ſummoſq; Europę Monarchas referentes,adeo abominabili neglectu vti. Stolidam prorſus vanitatem & temerariam ſuperbiam reſponſionem illam præferre;adeo vt Hiſpani ipſi auerſati inſolentiam dicantur, & ſtultitiam nauſeaſſe :iis enim verbis vſum, quaſi Gallorum Rex ſecura & vnita potentia Hiſpano maior, Toletani amorem magno in quæſtu habere debuerit; aut Toletanus multum dignitate excidiſſet, ſi cum tanto Rege,Amoris loco, Reuerentiæ vocabulum vſurpaſſet. Ne Regem quidem Hiſpanum, collocata & recepta filia glorioſius loqui potuiſſe. Sed nimirum ea ingente faſtum & arrogantiam mores ſuperare; ea verò in Toletano,vt in ſuo ſpectari. Et quando aliter quàm ſcripto reſponſurum ſe Sabaudio promittat, magis excuſatos Ducis conatus fore, ſi par pari retulerit;& facto Toletanum docuerit, illi quoque mentem & neruos eſſe. Communi ratùm Italiæ fato poſſe indoleſcere,cuius malo ſeditioſus ac ſuperbus adminiſter adueniſſet. Et quia non vno argumento inimicus Toletani animus innotuit, ſubornatis in Sabaudium ſubditis, & ſtimulato Nemurſio, vt domui ſuæ bellum faceret(quamquam magna ſuorum hoſtium ignominiâ,& confuſione Sabaudij Princeps filius glorioſo exitu motum illum compoſuerit; & Nemurſius ipſe ſanioribus conſilijs admonitus Toletano vt flagitij conſultori illuſerit,& improſperam expeditionem deteſtatus ſit) hinc Sabaudium Diuini Numinis patrocinio in primis, mox iuſtitiæ cauſam ſuam commiſiſſe,aduocatis in ſubſidium iuris ſui Regibus ac Principibus;quorum placito Aſtij annuiſſet;quorúmque maximè intereſt ſui conſeruatio, nec non amicis, dilectiſq; ſubditis ſuis,quorum pietatem ac fidem, profuſis fortunis, & forti animo aditis periculis,ſit expertus.Eò proinde maiori ſecuritate Summum Pontificem, ac Reges arbitros,in ſuam tutelam aduocare;quò promptiorem ſe, eorum miniſtri,recipiendis conditionibus pacis inuenerunt; nec aliquid vnquàm omiſiſſe, quo tranquillitas Italiæ compararetur. Imò ante reuocatum bellum quæcunq; Chriſtianiſſimus Rex conſuluerat, ſtatim admiſiſſe; nec alium quàm Bettunes Oratorem ſuum teſtem appellare; cui notum ſit, etiam poſt reſumpta arma nihil Sabaudium abuniſſe,quod Regis ſui deſiderium,& publicam quietem contineret. E contra Toletanum decantato ad faſtidium pacis nomine bellum ſpectare,nutrire Principum odia, & augendo honori ſuo,ditioni Pedemontanæ inhiare.

His diu agitatis,cum res inter bellum & pacem ambigeret, Mantuam literis viliſſimo hominis delatum eſt, Archiepiſcopum Sanctorium; prudentiſſimi & ſanctiſſimi Cardinalis digniſſimum nepotem, virum grauem, & ſtyli puriſſimi,

ſui temporis Hiſtoriam non vno volumine complecti; partémque augmenti, Monferratenſe bellum ſibi ſumpſiſſe. Placere forſan ſtudium viri potuiſſet, niſi virtutem ac libertatem(propria ſcriptorum ornamenta) in eo expertus Mantuanus,eorum quę præcedenti quadriennio admiſerat famam metuiſſet. Iam enim quibus cauſis apud omnes argueretur nouerat;Sanctoriumq; nil gratiæ dare plurium teſtimonio acceperat; quibus cum auctor quædam contulerat; vt ſi nondum edita cenſurá experta forent,minus publicum horteſcerent.Prorupit Mantuanus in conuicia, & verbis Sanctorij, facta ſe compoſiturum teſtatus, plenas pręruptæ acerbitatis literas ad illum ſcribi iuſſit,quarum thema ſic habebat.

Pridem ſe intemperantiam illius excepiſſe; vt iam mirari non poſſit,ſed indignari. Meminiſſe certè debuiſſe,quo præcipuè nomine apud Aulam Romanam malè audiat;linguæ licentiam ſæpe gladios incurrere. Æſtimare proinde debere,quem ſibi Principem infamandum ſumpſiſſet: nempe non gratiæ ſolùm, ſed & reddendi odij validum. Aderat vir nobilis, cui non Mantuani ſolùm, ſed & Sanctorij mores perſpecti erant. Itaquę vbi impetus ille comminationium deferbuit, placidis verbis Dominum aggreſſus, admonuit, aut æquum ſibi nobilem illum ſcriptorem fore: aut ſi quæ vera ac comperta habuiſſet, proferreque in animum induxiſſet,in virum conſtantem fruſtra terriculamentis incurrere. Melius & honori congruentius quæſitiſſimæ vrbanitatis epiſtolam mitti poſſe,qua non minis,non precibus,ſed comitate retinearur. Sed Mantuanus cum ſequenti ferociam exuiſſet,plus nimio facilitatem admiſit:Adeo vt preces deferre, & inter beneficia reputare ſilentium videretur. Prudentius Sanctorius, cum obſequium ſuum erga domum Gonzagam,& veterem amicitiam bonæ fidei teſtimonio appellaſſet, nulla argumentiparte ſingillatim nuncupara, citra vllius iniuriam,candidam ſe veritatem traditurum promiſit. Potrò vt proiectarum precum apud aſſentatores Mantuani literæ pro imperioſiſſimis, ſic liberæ Sanctorij pro viliſſimis acceptæ ſunt; falſo vtrinque iudicio, cuius experimentum tempori reſeruamus.

Per eadem ferè tempora Coſtæ cuidam Genuenſi quinquaginta aurei dono à Mantuano miſſi ſunt: ab eo Monferratenſe bellum Italo ſermone componi acceperat. Ad cuiuſcunq; ſcriptoris nomen horreſcere cœperat,habebatq; ab Vrbe literas, quibus docebatur certam ſuæ gloriæ perniciem omnem calamum laturum. Pagani quoque militaris viri breuem & compendio ſimilem Hiſtoriam pauerat; ſiue libertatem hominis, ſiue præſumptam generis humani opinionem formidaret. Munus Genuenſi miſſum continendo in officio ſcriptori, non ſufficere creditum;& ſi vera ſectatus foret corrumpendo ſcriptori impar eſſe.

Iam Thaurini Aldighetius & in vicinio audiebatur,peditatu & equitatu in Pedemontanam expeditionem deducto. Longobardia fama Ductoris contremuerat, æſtimatione præteritorum, futuri metu. Pluribus nihilominus millibus Sabaudius ambiebatur; vniuerſis bellum & pericula poſcentibus. Ducis ſolummodo vox audentibus deeſſe videbatur; quæ geſtientibus in pugnam hoſtem oſtenderet, & prælium cui victoria necteretur offerret Meditationum Toletani fama ſtimulos addebat: quod is ingentes copias Aſtenſem ditionem iuxta ſiſtere diceretur, vt relicto à tergo Aſtio Chierium inuaderet; eamq; Pedemontanæ partem quæ funditur in agrum opulentiorem. Victori paulò ante apud Sabaudiam contra Nemurſium Principi Pedemontano, his quoque locis concedendum aliquid dicebatur, vnde magnis auſis lauream reportare, & Hiſpanos modeſtiæ admonere poſſet;eoq; viſum vt Maſſeranum,Crauacorum,Sangermanum, & Catinaram inuaderet; loca Vercellis & Biellæ contermina; & quæ Hiſpanus præſidiarius anxiè ſeruabat. Potior tum viribus Sabaudius credebatur, cuncta-

cunctatioq; & eorum locorum neglectus patum militari diſciplinæ congruere: vt quibus hactenus anguſtijs ambitæ forent, expedirentur, poſſentq; ciuitates & oppida auxiliatricem manum ſibi mutuò porrigere.

Præter has belli leges Maſſerani quoque Princeps generoſum Sabaudij animum irritauerat, vt tamquam à deſertore pœnas repoſceret. Quamquam enim Maſſerani Principatus, liberam & à fide Romana pendentem dominationem habeat; domus tamen Fereria, aliquot per Pedemontanam oppida munerabat, quorum iure Sabaudio Duci, vt directo Domino addicitur. Cœpto inter Sabaudium & Hiſpanos bello (cauſas certiores ignoramus, niſi potior ſecuritatis ſpes impulit) Princeps ſpecioſiora ſectatus Hiſpanos in tutelam non delegerat ſolùm, ſed & admiſerat: quorum opibus tutum ſe, & belli malis intactum ſpectauerat. Licet fidi amicorum monuiſſent, ne ſe alienis ſimultatibus ins ereret, tutuſq; domi à longè alienas miſerias proſpectaret: ſic illi manſuram potentiam, & quæ per Pedemontanam poſſediſſet inuiolata futura. Adſciuiſſe hoſtes, & aduerſum ſe præſidijs impoſuiſſe, Sabaudio hoſtilitatis ſpeciem fecit. Detractis quippe locis Pedemontanæ, etiam libera aggreſſus eſt; non vt Sedi Apoſtolicæ auferret, ſed quod vbicunque inimicos deprehendebat perſequeretur. Ergo Pedemontanus, habito ſuorum delectu & Bianzani præſcripta hora conuenire iuſſis; eóque duobus tormentis bellicis cum prouentu bellico deuectis, vnà cum Principe Thoma fratre, in eam expeditionem profectus eſt. Hinc Inguenæ Baronem, cum duobus peditum millibus, equitibus quingentis; turmis Viueroni præmiſſis legauit. Hic Biellenſem inſuper militiam; vt fortior hoſti occurreret, intra diem tertium coegerat Ludouico Gromo, Hieronymo Bertodano, & Franciſco Barlerto ductoribus. Iuſſus à Pedemontano fuerat, Pettardos, ſcalas, cæteraq; obſidionum machinamenta comparare, ſecumq; deferre. Et primo aſſultu Maſſeranum aggredi; ſi improuiſa vis populares cõſternatione ad deditionem impuliſſet; aut abnuentes occupaſſet. Ceterùm ne quid temerè aggrederetur, exploratores Maſſeranum miſerat; vt ſitum loci, & præſidiariorum numerum diſcerent, ciuiúmque animos experirentur. Regreſſi illi quingentos pedites, centum equites tutelæ ineſſe teſtati ſunt, procul eo præſidio ciues à metu agere: ſed pluréſne auxilio aduocaturi, aut & ipſi exceſſuri forent haudquam aſſecuti ſunt. Digna ſitu res credita.

Cur Sabaudius profectus ſit Principem Maſſeram.

Proinde cum inter Ductores forma agendorum ſententijs examinaretur & dum Pedemontanum præſidij certiorem faciunt (qui Seſiam iuxta, quos præmiſerat cum pluribus ſequebatur) obuium ciuium quemdam habuêre vulnere ſaucium, egreſſumq; loco vt in tutum receptus, maiori ſecuritate ac quiete curaretur. Interrogatus, diſcordiam præſidij faſſus eſt; non Ducem Duci, non peditem equiti conuenire. Hinc tractam ſimultatem depuliſſe Maſſerano vniuerſos; & ſi in ſequentem inuaſionem loci diſtuliſſent, neminem in armis inuenturos. Idem paulo poſt ruſticus quidam caſu in Sabaudios delatus retulit, captuſq; ac retentus, ne quo inditio ciues imminentis diſcriminis aduerteret. Maiores copias opperiri fruſtra viſum; nec enim earum quas ſub ſignis habebant virium pœnitebat. Turmas itaque militum à Collonello Mompeſaro deductas tres in cohortes partiti ſunt; relictuſq; Viueronus cum Equitatu valido, vt extrema ſociorum tegeret; præmiſſoſq; pedites, itineris commoditate ſpectata mox aſſequeretur haud procul Maſſerano. Die orto trepidantes & agendorum neſcios Maſſeranenſes aggreſſi ſunt: qui cum deſtitutos ſe præſidio, non arma, non Ducem habere viderent, deditionis colloquium orarunt; & cadente iam die victores recepêre: magno Hiſpanæ famæ dedecore; quòd præſidium amiſiſſent, quòd fidei commiſſos populares deſtituiſſent, quod nobiliſſimum municipium proſpectan-

Pedemontanus Maſſeranū capit.

tes, quanto minus quàm conſentientes ire in poteſtatem hoſtis fuiſſent.

Pedemontanus ea parte victor, die eodem Catinaram flexit; non quidem vt eadem facilitate capi poſſe crederet (duo enim peditum millia, & ducentos equites præſidium intus agitare nouerat) ſed prælio & aſſultu tentaturus. Citius illi famam quàm hoſtem habuerunt. Nec immoratus inanibus Comes Cerbellonus; ſed duo millia & quingentos pedites, equiteſq; trecentos in auxilium aduocauit. Id certus explorator Pedemontanum docuit. Itaque in expugnationem profectus Principem Thomam fratrem cum Equitatu miſit, vt aduentantium iter præcideret; & manus (ſi prælium auſi forent) conſereret. Romagnanum ac Catinaram inter viam Hiſpani delegerant; & licet Princeps Thomas ingenti feſtinatione accurriſſet; & locum inſidijs opportunum cœpiſſet; illi tamen præuenerant, euaſerantq; vicinum ſaltum, & Catinaram venerant, ignaris omnibus, & diutius eorum qui iam prætierant aduentum expectantibus. Totam noctem in equis ſub aperto Sabaudij egêre; rigoreſq; frigoris, & boreali vento pœnè exanimati. Quod ſi Cerbellonus, militibus ſuis equiſq; curatis, in frigore rigentes inuectus foret, notabili ſtrage imminui partium fortuna potuiſſet. Sed illi tandem non vno loco ſuſcitatis ignibus matutinum frigus vtcunque tolerauêre. Tum Thomas ad expugnationem verſus, diſpoſitis tormentis in mœnia iaculari cœpit. Globorum alij inferno murorum aggeri figebantur; alij ſummas pinnas detergentes, aut per inane delati parte poſteriori oppidi procidebant. Diei obſcuritas impedimento fuit, quo minus tanta vis vtiliter inſumeretur. Denſa quippe nebula cœlum inuoluerat, vt non mœnia, non locorum opportuna certo ictu pati poſſent; tormentorumq; alterum, frequentibus ictibus detritum, parum futuro operi vtile euaſerat. Sed & quinque ferè præſidiariorum millia, eo exercitu impelli non poſſe videbantur. Imò Ductores Sabaudiorum tempeſtiuum receptum commendabant. Retracti ergo ab obſidione omnes & partim Maſſerani, partim per adiacentes villas diſpoſiti ſunt, hoſpitio tumultuario vſuri, donec in nouas expeditiones vocarentur.

Pedemontanus improſpere Catinaram aggreditur.

Altæ niues & frigus montanum intractabile cœlum reddiderant: eo plus Sabaudijs copijs cum tempeſtatibus negotij, quàm cum hoſte erat. Hiſpanus aduerſus imbres & niues tectus, quæ prius inſederat, tuebatur, vt à rigore algentibus curati ipſi & integri prouocarentur. Paulò poſt Pedemontanus paterna ægritudine correptus ſpatium hoſti dedit validè rebus ſuis proſpiciendi. Nec enim tot millia ſine duce, eandem diſciplinam, aut conſtantiam habebant.

Eodem ferè tempore Sabaudius, depulſo morbo, qui animum potius quam corpus conflictauerat, & è breui languore recepto Principe filio, Biellam primùm, mox Maſſeranum venit. Hic inter ductores ſtabili ſententia Crauacorum petebatur; ne magno apparatu belli, leuia tantum conſectari viderentur. Crauacorum arduo ſitum, Caſtelli inſuper munimentum habet, arte & validis propugnaculis ambitum. Hoc per nocturnas inſidias appoſitis ſcalis ingentibus tentari à Comite Viuetoni placuit: & ipſe delegato munere geſtiens, fortiſſimos commilitones adſciuerat. Sed detexit hoſtis, & altitudo mœnium quo minus caperetur obſtitit. Crauacorenſes audito rumore, conferti eam partem quæ petebatur obſederant, & in detectos ſecuriori ictu iaculabantur. * Sabaudius duorum millium peditum, & trecentorum equitum delectu ante habito, delegata in Pedemontanum belli cura, Vercellas redijt; nulla certa futuri deſtinatione, vniuerſorum tantùm cura eò verſus vt ſolus omnibus prouideret. Hic auctis copijs nocte ſequenti Trinum improuiſo aggredi cogitauit; & facilis receptus aſſultu ſecreto erat; niſi viæ duces, cum per auia, & diſtantia inſcij incederent, plures horas vano errore conſumpſiſſent: quare niſi orto iam die, & dolum aperiente

tiente

riente Trinum delati ſunt. Id palam oppugnare, & breui obſidione capere non licebat; quòd Hiſpani nouis aggeribus mœnia cinxiſſent; plura quàm ante fuerant tormenta inuexiſſent, & magno præſidiariorum numero locum firmaſſent. Sic licet regreſſus Vercellas Sabaudius fuerit, vniuerſa tamen circum ſui metu compleuit, addiditq; vicinis non magis quàm diſſitis ſolicitudinem; vt non Hiſpanis non Mantuano quidquam ſecuri eſſet.

Pedemontanus interim diuerſa loca milite ſepſerat, ne cui Creuacorum acceſſus eſſet. Poſtua primùm inſeſſa; mox ducenti Sabaudij Guardellam miſſi; vt extructo tumultuariè munimento, quamquàm intra Mediolanenſis ditionis terminos procul hoſtem arcerent. Mille quingentis paſſibus à Crauacoro locus abeſt. Hiſpani percepro motu, & municipij metu, cum multis millibus aduerſum procedebant. Iamq; Burgum Seſiæ & Serrauallem deuenerant. Itaque muniendis caſtris occupatos Sabaudios deprehendêre, & totis viribus cinxerunt. Nec illi aut neceſſitatis, aut fortitudinis obliti ſtatim terga verterunt. Sed cum diu multo ſanguine ac vulneribus pauculi, multa hoſtium millia ſuſtinuiſſent; multitudineq; potius quàm virtute obruerentur, ſeſe Hiſpanis dediderunt. Æſtimatio conſtantiæ, & quod plerique victorum pariter cecidiſſent, in exitium deditorum Hiſpanos conuerterat; niſi mos belli tantùm immanitatis damnauiſſet; & Sabaudios vicem breui reddituros formidaſſent.

Improſperis eo tractu Sabaudiorum rebus, perſuaſum quibuſdam fuerat, abſceſſuros hoc loco, & cogitationem Crauacori omiſſuros. Sed apud Pedemontanum diuerſa conſilia voluebantur, obſirmatis cunctorum qui aderant animis in oppugnationem. Concubia adhuc nocte dant ſignum; & per turmas diſpoſiti tamquam ad prælium vicinis collibus ſuccedunt: cúmque diuerſi diuerſa agendorum conſilia componerent, nemo tamen eo in numero repertus eſt, qui omitti obſidionem ſuaderet. Tantùm fortitudinis fruſtra fore, credi non poterat: licet gelu ac frigore horreſcerent omnia, & niues altiſſimæ incertum iter facerent; lubricumq; pediti ac equiti iuxta periculoſum erat. Vbi ſpatium emenſi ſunt, & Crauacorum in conſpectu fuit, parte læua collem eminentum, loco congruum ab Hiſpanis muniri viderunt. Tempus illud probandæ virtuti, quam ſponderant, militibus Princeps eſſe teſtatus, vt auderent, hortatus eſt. Nec illi cunctati, conferti & intrepidi, ſummitatem iam tenentes Hiſpanos adorti ſunt. Vis & hilaritas ſuccedentium, vicit Hiſpanorum oculos; præcipiteſq; deuoluti, per aduerſam partem, trepidatione ingenti Burgum Seſiæ repetiuerunt. Peditum & equitum partem, Pedemontanus à tergo reliquerat, tutelæ & ſubuectione rei tormentariæ; iuſſeratq; non arduo, non lubrico non niue obuia ſubſtinere, ſed obniti naturæ ipſi, vt quàm citiſſimè adeſſent. Per aperta ac plana camporum traxiſſe viſi ſunt; adeo expectationem ductorum celeritate ſuperarunt.

Iam dies abierat; itaque præuiſo ſitu locorum, Dominus Sanfrontus, & Marchio Ghiſilierius, eadem nocte duas in partes tormenta contulerunt, quæ Capellam Sancti (vt vulgo dicitur) proſpicit, Ghiſiliero deputata; Marchioni Vrſæo eam quæ vallem Boſſonæ ſubiectam habet; & quà proceſſurus hoſtis credebatur. Cæteri aditus, & opportuna, turmis equitum peditumq; centurijs inſeſſa; vt liqueret, ſine prælio ſuccurrere Crauacoro Hiſpanos non poſſe. Et Pedemontanus labore ac ſolicitudine ſuos ſtimulauerat; ne deſideria ſui Principis, & conceptam ſpem victoriæ, irrito labore fruſtrarentur. Prima luce fulminari mœnia vtrinque cœpta; alteramq; intra horam, Ghiſilierius oppoſitam turrim diſiecerat; & laxauerat validis ictibus latera, ſcanſuro militi ſatis commoda. Tum Pedemontanus Domino de Santi Lugdunenſi Colonello imperauit, vti cum ſuis irrumperet. Secuti Ducem Galli, magno animo per ruinas enixi, victores oppi-

dum ingreſſi ſunt. Et quia plures reſeratis faucibus murorum priores ea ingreſſos ſequebantur, hoſtis præcipiti fuga elapſus eſt; relicto oppido in Sabaudiorum poteſtate, imo & victorum ſæuitiæ ſi libuiſſet. Impetus prælij, & rarò arctatæ legibus felicitas pleraque in ciues hoſtilia admiſit. Neq; tamen Pedemontano omnis reuerentia habita, aut preces miſerorum exceptæ; Alemanni ac gregarij Itali primo ardore ſublati, alij metu acti, & anguſtijs locorum preſſi, antequam confieerentur procidêre. Quos iræ militari feſtinatio detraxit, intra Caſtellum Sargentus Vertua recepit.

Haud procul munimenti lateri collis aſſurgebat, quem priores Hiſpani occupauerant; ne eo vicinio Caſtellum quateretur; vbi tamen Crauocorum vi expugnatum, & inſtare arci fortiſſimos hoſtes viderunt, omiſſo colle, ſibi fuga conſuluerunt. Maſieres eo ſitu potitos Hiſpanos iniquiſſimè tulerat; & annuente cupidini Pedemontano, cum nonnullis in cacumen euaſit, relicto ab illis munimento vſus; & deputato milite, qui locum retineret. Cernici quippe obſeſſorum imminebat; vnde menſurato ictu, latera & frons arces feriri poterant. Commeatus quoque pænuriæ, & anguſtiæ loci Vertua diffidebat: Nec enim diuturnæ obſidioni neceſſaria Maſſerani Princeps intulerat; ſpe illico affuturi Hiſpani auxilij; cui ſperauerat poſſe aduerſus Sabaudium præualere: ſimul qui aderant, deditionem perſuadebant; honeſtiora fore pacta, ſi ſtatim ceſſiſſent præſumentes; quàm ſi oſtentata vi, cui tolerandæ non ſufficerent, ſeram victoriam conceſſiſſent. His motus Vertua ſignum colloquij expoſuit, emiſitq; Albertazzum, recepto intra muros Equite Ruffia partis aduerſæ. Trahere concluſionem negotiationis prolixitate videbatur; & Ruffia exitium vxori Principis comminatus, ne clementiam victoris irritaret, hortabatur. Contra Vertua militiæ decus oſtentare, admonere conſtantiæ nobilem fœminam, denique Hiſpanum auxilium refricare. Nec illa ſuo iure vtebatur, iuſſa à mariro Vertuæ conſilio; ſeſe ac ſua committere: Vrgentibus tamen cæteris, ne ſpem exitium laturam, certæ ſecuritati antehaberent, in eas conditiones Vertua conſenſit, vt incolumes cum armis abire permitterentur: ſed & illos in ſecurum Pedemontanos deducturos promiſit, & loci Dominam reuerenter habiturum, tutaturúmque. Regreſſus Albertazzus Vertuæ, quibus pactis Pedemontano conueniſſet aperuit; eumq; humaniorem opinione inueniſſe: Viris impunitatem, & arma quæ petierit, conceſſiſſe. Sed iam ſententia exciderat Vertua; conditionumq; (vt ferebat) iniquitate pœnituerat. Vt enim egredi ſuis cum funiculis accenſis, cum puluere bellico ac globis liceret, nitebatur. Vana intus & redicula, ſi ceſſionis locorum damno camparentur. Sed Albertazzus, quæ in mandatis habuiſſet ſe ſanciuiſſe fatebatur; & intempeſtiuam nouæ fortitudinis iactantiam criminabatur.

Vertua cuius in manu bellum & deditio erant, explodi iterum in hoſtem moſchettos iuſſit, inditio reiectarum conditionum & ſecuritatis. Illi rei nouitate indignati (quando conueniſſe iam obſeſſis fama vulgauerat, & electos qui pro victoribus præſidio imponerentur) tormentorum bellicorum fragore, cœptam oppugnationem in noctem vſque proſecuti ſunt. Vbi tenebræ incertum ictum iaculantibus fecêre, ſuggreſſi pedetentim Sabaudij tumultuarijs munimentis, quæ Crauacorenſes erexerant, & domibus quibuſdam potiti ſunt. Nec minus in collem, ex hoſte captum, opere ſupra mortalium vires traxêre: vnde certiori ictu, & commodiori aſſultu librarentur. Vertua ſeriò iam ſui diſcriminis magnitunem æſtimans, & quantum dedecoris adiret, ſi Principem fœminam peruicacia defenſionis in captiuitatem præcipitaſſet, deditionis ſignum è ſublimi dedit. Gallorum qui aderant Duces ſperni, conditiones, & vt belli iure clauſi cederent

horta-

hortabantur. Conſumpſiſſe ſemel fidem datam Sargentem Vertuam; & admonendos cæteros hoſtes, vicina municipia inſedentes, magnos Principes impunè non ludificari. Pedemontanus tamen promptior mollioribus, & honore fœminæ euictus; ſequentibus pactis (quæ nos ad verbum reddidimus) deditionem ſe recipere faſſus eſt. Militiam omnem quæ arce Crauacori clauſa ſit deditionem liberam Pedemontano Principi facere debere; incolumitatem & arma iis tantùm; non item funiculos, non puluerem, non globos concedere: Quidquid rerum in loco ſit liberè victoribus permittere: ea ipſa ſponſione vxoris Principis firmanda. Viceuerſa Pedemontanum vniuerſis arce exceſſuris internuncio Aſcanio Bobba promittere liberum receptum, quò illis abire placuiſſet, ſe conceſſurum. Scriptura concordiæ Aſcanij Bobbæ, Galeatij Pietræ, Ludouici Albertazzi, Principis Franciſcæ Ferreriæ, Fieſchæ, & Franciſci Bernardini Vertuæ chirographo ſubſcripta. Exiguo prorſus ſuorum ſanguine, è nobili arce Pedemontanus lauream retulit; licet Sargentus Maior Domini de Eguebono, & Dominus de Limogion vulnerati fuerint.

Crauacorū capitur à Principe Pedemontano.

Inuaſione prima oppidi ſexaginta militum Crauacorenſium petiêre; ſed & in arce fortuita vis multos perdidit. Cum enim in poſſeſſionem recepti Sabaudij, diſceſſuros ſingillatim excuterent; an puluerem, plumbum, funiculos aſportarent examinaturi, deditorum nonnulli vaſa plena puluere, cincto militari appenſa geſtare deprehenſi. Hæc vt deponerent iuſſi; cum puluerem effunderent, & cæteri funiculos abjicerent, quidam ignitum medium in puluerem abiecit: non deſperatione (vt quidam putant) ſed feſtinatione incurioſâ. Statim enim conceptus ignis militares primùm loculos, mox dolia puluere oppleta, quæ prius abdito pænu detracta, in vſum belli publico expoſita fuerant, corripuit. Tum fragore ac flamma omnia contremuêre. Multi Crauacorenſium ambuſti, & quidam Sabaudiorum exanimati ſunt. Plures re improuiſa perterriti, nullo finis præuiſu, ſeſe è muro præcipites, vt vim ignis euaderent, dederunt. Quod bellicus prouentus alio loco ſeruatus incolumis in victorum manus deuenerit, fortuitum euentum fuiſſe approbauit; & ſi hominum iactura excipiatur, exile damnum fuit.

Iam ſe Crauacorenſe præſidium itineri accingebat; & ducenti quinquaginta equites cuſtodiæ abeuntium deputati; vt tutum illis inter commilitones ſuos haud procul tendentes iter eſſet, viam tenuerunt; cum Equitem Sabaudium obuium habuerunt, ſaucium quendam hoſtium captiuum ſecum vehentem. Hic teſtatus eſt, per Seſiæ vallem aliquot moſchettariorum Hiſpanorum centurias, & equites (quod minimum trecentos) Guardellam iuxta deprehendiſſe, quos audiuiſſet Crauacori auxilio venire. Et quidem equitatum ſuperato amne, in equitatum Sabaudium eam oram ſeruantem impegiſſe. Itaque inito certamine cæſos fugatóſque Hiſpanos, aliquot captiuos abductos, & plures ſaucios in fugam coniectos. Credere ſe ea clade Ductorum aliquem eſſe interceptum; nam duo vexilla adempta, Capitanei Auilæ vnum, Marchionis Sanctæ Luciæ alterum. Metui nihilominus auxilium Hiſpanum poſſe; ſi forſan excepto ſuorum diſcrimine accurriſſent. Id conceptam victoriæ apud Sabaudios lætitiam paulùm confudiſſe viſum: & ne ſocij poſt victoriam maiori hoſtium vi opprimerentur, Pedemontanus cum Thoma Fratre, ductis peditum equitumq; delectibus, raptim in ea loca profecti ſunt. Neque tamen aliud eo labore actum; quàm quòd rei veritas, & fugatorum hoſtium inditia coram deprehenſa. Crauacori præſidiarij, ad ſuos reuerſi, vim hoſtium, fortitudinem Gallorum, prudentiam Pedemontani ex vero; & ne nulla neceſſitate deſeruiſſe arcem viderentur, attollebant. Et vix eo fine hæſuri hoſtes credebantur; quin eodem impetu vlteriora raptarent.

Proinde viſum Hiſpanis eſt, apud Burgum Seſiæ metari caſtra.

Præerat Sancius Luna Mediolanæ arcis Caſtellanus. Nec enim ſeu morbo, ſeu qua alia cauſa Toletanus vltra Nouariam proceſſerat. Et rumor incertus detulerat, manifeſto diſcrimini Sancium, cuius virtuti inuidere dicebatur, expoſuiſſe. Ergo non longè Crauacore eminentem collem prouectis aggeribus, & diuiſis excubiis firmauerunt. Detrudi loco poſſe non putabantur; vt tamen virtutis experimentum ſumeretur; & hinc cæteri iudicarentur, ſummiſſi moſchettarij non amplius quinquaginta, iique Galli, vt ſitu fretos in certamen prouocarent. Marchionis Vrſei manipuli erant. Obſtupuêre viſo hoſtium animo Hiſpani; & tamquam cum vniuerſis Pedemontanis militibus res eſſet, fuga elapſi ſunt; relictis inſequentium arbitrio munimentis quæ extruxerant; & ad ſocios dilapſi. Sancius, Carolus Sangro, cum nepote, ac pleriſque belli ducibus viſa conſternatione ſuorum, contis armatis obuios ſe inſtantibus dedêre, conclamatis ante militibus, & ad nauandam ſtrenuè operam inuitatis. Contra Galli fronte ac lateribus inuecti, plumbeorum globorum tempeſtate indefeſſa, pugnantium contra latera fodiebant. Breuius certamen fuit, quàm vt tot fortes viri occumberent, antequam cæteri opem laborantibus ferrent. Deturbati primùm locis omnibus Hiſpani ſunt; multi in fugam acti, aliquot confecti. Sancius cum adhuc locum, cum Carolo Sangro, & cæteris nobilioribus teneret, latus globo moſchetti traiectus, & contis ferratis non vna in parte ſaucius, occubuiſſe potius quàm ceſſiſſe dicendus eſt. Viri nobilis animus pleroſque in diſcrimen traxerat, ſed hi quoque Gallorum vi oppreſſi ſunt. Sangro cum nepote aliiſq; quibus fortuna belli pepercerat, capti. Et victores ne proſperæ expeditionis exitum, aduentantibus nouis ac nouis Hiſpanorum cohortibus fœdarent (nec enim multitudini reſiſtere, aut impetum in vindictam accurrentium retinere potuiſſent) ad ſua reuerſi ſunt.

Sancij Lunæ mors.

Carolus Sãgro capitur.

Porrò vt grauiſſimi ſunt errores belli; ſic in eos nonnunquam ſagaciſſimi Ductores incurrerunt. Nam Hiſpani, qui cæterum exercitum longiſſimè ab his qui collem tenuerant; vnde niſi multo poſt tempore periclitantibus ſuccurrere poterant, ſtatuiſſent, accuſabantur. Nec quam plateam armorum dicunt ex diſciplina munierant; ſatis ſe tutos arbitrati, ſi aduerſus haſtatos latera texiſſent: neſcij haud dubiè moſchettos ante alia armorum genera cauendos; quorum violentia maior eſt; & vel è longinquo frequentiores ictus pernicioſioreſque. Ingens Sancij iactura fuit; cui nobilitas natalium & fortitudo, certum apud omnes decus circumdederant. Impauidum quippe ſe; & inter aduerſa, vbi facto opus erat, audentiorem oſtenderat; nec minus imperiis promptum, fideíque certiſſimæ; licet tum primùm militares copias in prælium ductauiſſet. Gregarij Galli veſtitu nudatum medio in campo deſtituerant. Secretis loculis illius repertæ ſcripturæ ac literæ Hiſpanorum continentes; quas Pedemontanus ad Patrem miſit, quod arcana (quæ tamen ſciri ſummoperè expediret) continerent.

Proceſſerat iam Mantuani cum Etruſco matrimonij tractatio, & poſtpoſitæ Camillæ fide cōtracti cum illa coniugij ſuſpicio videbatur euacuata. Quamquam certum eſſe diceretur, nec eo ſcripto cōtractum dirimi, nec ſimulatum in rem valeſcere potuiſſe: nec tamē adhuc definitum tempus ſponſalium, aut vocatus Mantuanus Florētiam fuerat, vt nouus ſpōſus coram nuberet. Nihilominus raris (veluti ad furtum iretur) comitibus delectis; celebritati illi, occaſioniq; parum decens, re nondum certa; nec apud Romanam Aulam habita conſanguinitatis (vt dicitur) diſpenſatione, raptim Florentiam profectus eſt. Impatientiam expectationis, & cupidinem nuptiarum quidam, alij ſtimulos ab Hiſpanis ſubditos accuſabát. Paucos enim ante dies, calamitate Monferrati, ſuæ neceſſitatis admonitum rati, Pontifex, Gallos, & Hiſpanus Reges perſuaſerant, vt moram ſtipulationi interjiceret. Quippe

Nuptiæ Mãtuani.

Quippe ſperauerant, & ſequi bonam pacem poſſe; & non alio fortiori vinculo continuari, quàm ſi Viduam Sabaudiam accepiſſet; ſi parentem magnis iuribus ſuis opulentiora requirentem, honeſta ſatisfactione molliuiſſet. Id ipſum Cardinalis frater publicè ac ſecretè laudauerat; eamq; vnicam ſalutis Patriæ viam reſtatus fuerat. Sed Ferrarienſis ſpem bonorum in Vidua Sabaudia reuireſcere, damnatas toties nuptias nouis conſiliis domi foriſq; obtrudi iniquiſſimè ferebat. Et quò reſumptam inuiſæ negotiationis tractationem feſtinatione auerteret, induxerat nepotem, non concluſis dotalitiis pactis, non habita Pontificis licentia, non prouiſu feſtiuitati parato, non dato comitibus tempore, præcipitem Florentiam properare; cum auerſaretur Cardinalis frater; & poſſe Ducem turpi repulſa notatum, Mantuam regredi timeret. Sed vt validioribus conſultis Mantuani aures Ferrarienſis obſtrueret, Comitem illi Chieppium indiuiduum addiderat; ne quid temporis ſine monito eſſet, aut aduerſis corrigeretur.

Florentini certè properantem ad nondum certas nuptias obſtupuerant; nec ceſſuri precibus erant, niſi ex eorum arbitrio annuiſſet. Deſiderium ingens primo ſtatim congreſſu attuliſſe ſe Mantuanus docuit: Nam dote ab illis dicta, & pactis voto matris ſancitis ſtatim conſenſit; quaſi certis ſub legibus & precario admitteretur. Et quia Quadrageſima in veſtibulo erat, miſſo Romam curſore, iuſſus eſt Suardus Albæ tum Epiſcopus, apud Pontificem, conſanguinitati contrahentium licentiam orare, acceleratáq; feſtinatione trãſmittere. Ea habita eſt, & domeſtici famuli diligentia Florentiam tranſmiſſa: temporiſq; anguſtiis opportunè reſpondit. Vix enim feſtiuitati nuptiarum conceſſo tempori dies vnus ſupererat. Et niſi tempeſtiuè affuiſſet, trahi in plures dies abſolutio facti poterat: nec niſi nouo indultu durante Quadrageſima (ſi ſolemnitas placuiſſet) expediri. Tum abſolutæ nuptiæ, & quod horarum ſuperfuit lætitiæ datum.

Paucos ante dies Aldigherius ductis in Monferratenſe bellum aliquot Gallorum millibus, iam Taurinum venerat; certus conſilij, militiam illam Regis ſui honori, & prouinciarum Sabaudij commodo tolerare. Quamquam hiems & promta viro ætas quietem perſuaderent. Sed viuida adhuc ſenectus, & armorum exercitio durata ſuberat; vt labores & pericula mallet. Hinc Sabaudius Vercellis digreſſus illi obuiam proceſſit; dignitati magnatis, & caritati gentis famulatus. Sequenti aduocato Sangeorgio, cui ditionis Aſtenſis, & eius tractus omnis cura pridem commiſſa fuerat; quomodo Oroſcus cogitatione ac ſpe eius ciuitatis auerteretur, in diſputationem vocatum. Aliqui Caſalenſes infenſo exercitu petendos indicabant; vt Hiſpanæ vires Aſtio vicinæ, ea formidine alio retraherentur. Alij iungendas Pedemontanę copias conſulebant; vt ad Maſſaranum ac Crauacorum victor maiori pugnatorum numero, non Sangermanum ſolùm, ſed & Catinaram, & contermina ſui iuris faceret; iam enim vires Hiſpanas imminutas; plus in eo exercitu numerorum quàm hominum, & eos non vno prælio didiciſſe, etiam Gallos & Sabaudios virtutem exercere. Addebant eo tractu apertam aduerſus Nouariam viam, exceſſurum ciuitate Toletanum; & (quod minimum) Oroſcum aduocaturum; eiuſq; abſceſſu vacuam Aſtenſem oram bona in pace acturam. Sangeorgius modeſtiam virtuti componere ſolitus, cum Gallorum conſilia, aut vt aliena non reijceret, aliam ſibi nihilominus mentem eſſe & ſi nulla audientium offenſa permitteretur, expoſiturum ſe obtulit. Aldigherius, cui præcedens militia prudentiam nobilis viri probauerat, non expectata Ducis ſententia, vt eloqueretur iuſſit. Ille in Sabaudium verſus ait.

Paulo ante datum Italiæ documentum à Pedemontano eſſe, poſſe Hiſpanos in alieno ſuperari. Adeſſe Principi ſtrenuos ductores, & aliquot bellatorum millia; quos proſpera expeditio, non ſolùm audentes, ſed & feroces reddiderit.

Sufficere illum diſtinendo hoſti, & proferendis finibus, ſi vlteriora proſpexiſſet: nec aut illum militum ſuorum, aut milites ſupremi Ductoris pœnituiſſe. Tutam proinde regionem eam vi propria illius eſſe: & exercitos non procul Aſtio hoſtes, diſtracturos copias, nulli magni deliberationi ſuffecturas. Sandamianum Monferratenſis prouinciæ magnum ac dite municipium, continuo in timore vicinos Pedemontanos habere; & conterminæ ciuitatis Albæ calore fotum, etiam Aſtio minitari. Proinde ſi ex Mantuano vtrumque caperetur, tamquam compedibus ſolutum Aſtium, ſumma in ſecuritate acturum. Feſtinatione tantùm & magna vi ſimul illata opus eſſe; dum Hiſpani per diuerſa cunctantur, tardi agendorum, & deliberationum ambigui. Quod ſi ciues æſtimatione periculi ſui ſpontaneam deditionem maturauiſſent, locum præſidio impoſito Aſtenſe munimentum futurum. Sin auſi propugnationem forent, nil fœlicius exercitui Sabaudio ea peruicacia euenire poſſe. Sufficere agrum alendis copiis, & ciuium fortunas ditandis cohortibus; quas non ſtipendium exile repreſentari ſolitum, ſed amor prædæ patriis ſedibus auulſerit. Neque hiemem, aut quæ ardua dicantur formidanda; imò fruſtra tot hominum millia in futuram æſtatem reſeruari: Plures enim gregarios quieſcente bello dilabi, quàm prælijs cadere. Capto municipio honeſtiſſima Sabaudij iura valeſcere; & ſi Mantuano pax placuiſſet, opulentiores conditiones propoſiturum. Nam eius arbitrio decretum, vt inter ipſos ius in armis eſſet. Quin etiam ſanctiſſimæ cauſæ fauere cœlum ipſum; quòd adulta licet hieme vernali flatu tepeſceret: quaſi militem non inuitet ſolùm, ſed & adiuuet ad operam nauandam. Tum in Aldigherium flectens, ſitum oppidi, loca quæ occupare opus foret, qua parte oppugnandum, qua explicandi ordines proſecutus eſt, tanta orationis ac generoſæ frontis conſtantia, ea vi rationum, vt nemo ex eo numero receptam ſtatim ſententiam accuſare auderet. Captum iam videbatur, quod hactenus intactum fuerat; adeò appoſitè ſeriem futurorum, normámque agendorum expreſſerat, vt iam de euentu nemo dubitaret. Non alio duce, quàm eo qui tam conſtanter ac peritè, conſilia, cauſas, modumq; obſidionis expreſſiſſet, recipi Sandamianum poſſe Sabaudius credidit; præfecitq; Sangeorgium oppugnationi; reclinata in illum cura omni, & vniuerſis obtemperare iuſſis.

Sangeorgius conſulit obſideri Sandamianum.

Plures iam hebdomadas Sandamianenſes in metu egerant; eóſque Sabaudij modò per inſidias, modò conſerto inuicem prælio exercuerant. Neque tamen in ſummam oppugnationis, quicquam actum fuerat; ſed tantùm cautiores redditi; inferna murorum peruia ſolidare & obſtruere admoniti, aduerſus maiores vires excidio Patriæ affuturas. Sandamianum quinto ab Aſtio milliario, in aperta planicie ſitum eſt, cuius lateri vicinus collis erigitur, parte altera Borbus torrens profluit, pluuio cœlo ingentes aquas voluens; ſereno, cuicunque meabilis. Ambitus munimenti, veteris nec adhuc in eam prouecti ſoliditatem moris, qua nunc arces ſtatuuntur erat. Id tamen quadrageſimum diem centeſimum fermè ante annum aſſultum militiæ Caroli V. Imperatoris tulit, ſub Ferrante Gonzaga. Intus vix trecenti propugnatores erant. Supra vires & numerum animo elati. Niſi quod ſpe auxilij intumuerant, quòd Oroſcus & Aualos Monferrati Gubernator, viſo ſociorum diſcrimine inducturi credebantur. Ipſo Purificationis Beatæ Virginis die feſto ſub veſperam Sabaudiæ copiæ, pedites equiteſq; in oppugnationem proceſſerunt. Et Ciues hoſte viſo Gubernatorem loci imminentis periculi certiorem fecerunt. Ille coactos quadraginta ſcloperarios egredi portis, & longius ſpeculari iuſſit. Qui cum vix quingentis paſſibus abfuiſſent, turmas equitum, pluréſque peditum centurias militariter diſpoſitas, tectáſque apice vicini collis deprehenderunt. Regreſſi itaque non iam perfunctorium bellum

Et obſidetur.

bellum imminere, ſed certam oppugnationem teſtati ſunt: Plura enim peditum millia, multum equitum, frequentes currus commeatu bellico onuſtos, vim armorum in vicino eſſe. Gubernator quàm expeditiſſimis aduocatis, in vicino loci aggeſta ſtramenta concremari, ne hoſtili equitatui ſeruirent, imperauit. Quia tamen aperto cœlo & ſæpius delapſo imbre maduerant, ægrè flammas conceperunt. Ea re diligentia potius obfuit; quàm ſi relicta beneficio hoſtium fuiſſent. Ardentibus quippe aceruis, denſo fumo ac caligine cœlum abditum; vt ciues non ſuos, non exteros videre; nec qua parte centuriæ flecterentur, poſſent. Licuit ergo Sabaudiis fortuna vſis ad vicina vſque oppidi ſuggredi & non procul foſſa, cui ager munimenti hærebat, ſeſe aduerſus ictus tegere. Tormenta interim bellica, quæ frequentes equitum alæ comitabantur, procedebant, more belli potius, quàm quòd Hiſpanorum aut Monferratenſium timor admoneret. Eorum pars Aſtio, pars Poirino, quædam Villanoua detracta fuerant. Cum ciues ineuitabili malo ſuo lætarentur, ſummo aggere vt viderentur choræas ducerent, conuiciis immanibus hoſtem inſectarentur; etiam moſcherrorum ictibus, aduentantes impeterent, tanta rerum ſecuritate, vt nulli Monferratenſium municipio plus periculi & minus timoris fuerit. Vanis tum expeditionibus Aualos tempus occaſioneſq; proſpiciendi malis Sandamianenſium perdebat; ſpecioſiſſima ſibi cum aſſeclis fingens; quaſi inferendum illi non propulſandum bellum eſſet.

Eadem nocte tormenta in caſtra Sabaudiorum venêre; nec ante permiſſa militi quies, quàm Galonem verſus, eorum quatuor in mœnia direxerunt. Die orto magno fragore turris quati cœpta eſt, angulo oppidi ſita, qui colles proſpectat. Ea præteritis bellis concuſſa ac lacera, noua ſtructura firmata non fuerat: proinde vim diu non tulit, ſed ſoluta compage, ac in decliue fuſa partem eam loci munimento nudatam deſtituit. Ciues quia rara & exilia tormenta, quibus in hoſtem vterentur habebant, ducta intus foſſa propugnatores ſuos abdidêre; ne externa iaculatione offenderentur; atque aditus loci ſeruarent. Nouos quoque ac profundos ſinus aggeri ſuo cauarunt, in eandem ſecuritatem ac tutelam. Itaque operoſa Sabaudiis oppugnatio futura viſa; & iis qui audentiores muris ſucceſſiſſent, periculoſior. Abditi enim per opportuna receptacula milites, nec foris iaculantium ictibus lædebantur; & aduerſus aſcenſuros parati, terrorem latè faciebant. Plures intus, & ſolidiora munimenta, nec non certius auxilium ſuorum crediciſſes. Tum Sangeorgius, ne ictu tormentorum dilabentem ruderem ſcalam aſcenſuris facturum, Ciues impunè disjicerent haurirentve, & vt propugnatores loco deturbaret, ſequenti nocte vicinius admoueri tormenta iuſſit, vt certius validiuſq; ferirent. Agnouêre diſciplinam ciues, quòd ea parte vexillum Sangeorgij præſentiam Domini teſtaretur. Et vt complanationi plura impedimenta, & frequentiores difficultates aditum parantibus objicerent, tigna, lignorum faſces, vepres, fimum, humum madentem ictibus oppoſuêre; vt molli & ſequaci globi illiſi, nulla noxa exciperentur. In eam operam conuocatæ fœminæ ac pueri, nec ferendo labori vlla ætas valida, neceſſario opere abſtinuit.

Gubernator interim huc illuc latus, ſegnes increpando, ſtrenuos laudibus tollendo, omnes exemplo firmando, nil intentatum omittebat, vt publica ſecuritas honori illius necteretur. Et quia non omnium eadem ſententia, & inter muliebria colloquia, deditionis memoriam interdum reuocari didicerat, pernicioſam eam apud ſuos dubitationem putans, media platea erigi patibulum iuſſit; addito ſeuero decreto, quo capitale ſupplicium comminabatur illi, qui deditionem nominaſſet, conſuluiſſetque. Abraſa quoq; vexilla diuerſis oppidi locis pandi imperauit, argumento duraturæ in mortē conſtātiæ. Tertiæ noctis obſcuro pars Sabau-

diorum collem, qui vulgo Piano dicitur, inſedit; pars Ciſternam verſus, pars apud fontem cui Volgiæ nomen tetendit: Vniuerſi oppidorum (vt ferebatur) Eccleſię incolæ in eam militiam vocati. Capto loco caſtra metati, & elato aggere, ſeſe aduerſus ciuium ictus texerunt; cum interim tormenta nihilo minus, eam quam primùm deſtinauerant partem ferirent. Die eadem cum Aldigherio Sabaudius in caſtra venit, quadringentis fermè equitibus comitatus; nec tempore ad quietem ſepoſito. Statim nouem alia tormenta, in vicinum collem ſubuehi imperauit, moræ omnis quæ gloriam differret intolerans. Habitus illi purpureus & pileus candentibus plumis conſpicuus erat; equoq; è rubro nigranti, elato ac feroci vehebatur; vt à quouis conſpici & ad ictum deſtinari poſſet. Sed Regius animus vim periculi non nouerat; & illum, cui toto æuo aduerſa fortuna colluctata fuerat, ſauciare erubuiſſet. Certum eſt cum huc illuc incuſtoditus diſcurreret, ordinem ſuorum, numerum, opportunitates locorum æſtimaret, non vno moſchetti ictu a ciuibus fruſtra petitum: nec præſenti diſcrimine ab inſtituto retractum; nec quas in propinquo habebat latebras petiiſſe. Securitas illa Sabaudij ante alia ciues offendebat; quibus imperſpecta, & inſueta ea magnitudo animi; raroq; apud alios vſurpata erat. Eo tamen neglectu motus præſidiarius, grandiori moſchetto, quem cauallettum dicunt, in Sabaudium imperia ſuis diuidentem collineauit. Et quamuis quem ſibi præfixerat ſcopum non tenuerit, equum tamen quem Sabaudius inſcenderat, tranſacto dextero humero confecit. Ille caſu quadrupedis nec quidem corruit; ſed in medium expeditis à ſtapede cruribus exiluit; & alium ſibi equum ſiſti, nullis pauoris indiciis, imperauit; Quinimo iaculatoris artem laudaſſe dicitur; addito eo tantùm diſpendio cupere conſtare iura ſua. Caſu tamen qui aderant obſtrepuêre; diraq; Sandamianenſibus imprecati; & concepto ſacramento, quod acerrimus quiſque præibat, exitium oppido comminati ſunt. Nec ſecus Bombardatij, qui cum ſupra collem Piano appellatum noua tormenta diſpoſuiſſent, indefeſsè iaculari cœperunt; teſtati non ante ſe requiem machinis daturos, quàm in fruſta diſſiluiſſent. Exoſculari promptitudinem viſus Sabaudius; & vt victoriæ inſiſterent hortatus eſt; plura enim ſibi tormenta eſſe, quibus Monferratenſem expeditionem abſoluat. Vniuerſi recta in muri partem iaculabantur, quæ inter geminas turres ducta, muro nouo recens elata fuerat; quo loco præteritis bellis tertia turris ſteterat; quam Dominus de Andren, ea oppugnatione deraſerat. Incolæ in vicem tenuem aggerem addiderant, non magnitudine non robore priori ſoliditati parem. Quo minus murus omnis ſtatim non diſſolueretur, cœmenti tenacitas obſtitit, eo tractu, non igne non ferro ſuperabilis. Sed frequentior ac violentior iaculatio erat, quàm vt murus claudendo oppido tumultuariè eductus nullo tum belli metu, tot ſimul ictibus obniteretur.

Sabaudij equus cui inſidebat moſchetti ictu [illegible]

Quarto oppugnationis die mille ferè pedites (ſex vexilla erant) progreſſi in viciniora, ſub loco quem Burghettum dicunt ſedem ſibi delegêre; qua parte Ferrantes Gonzaga olim, tormentis oppidum quaſſauerat. Aggere Sabaudij tegebantur; nec præter haſtarum apices, & vexillorum ſuperiora, quidquam quod ictus inuitaret, occurrebat. Quare ne ſedentaria obſidione clauſos hoſtis vinceret frangerétque, ſaxis illis rem agere cœperunt: quæ licet caſu iacta, cum tamen in confertos caderent, multos ſauciauerunt; coegeruntq; vniuerſos longius digredi, & quoties in propinqua reuerterent, galea vti. Quod ſi ſummo tantùm vertice aggerem exceſſiſſent, feſtinatis moſchettorum ictibus petebantur. Vbi regreſſi ad vlteriora ſunt, nec iam amplius ſumma vexillorum apparebant, dolum ciues ſuſpicati, & inchoatos ab hoſte cuniculos metuentes, in foueam ſeſe demiſerunt: Vbi cum pars moſchettis Sabaudios diſtineret, pars à longè minaretur,

cauato

Digitized by Google

cauato ſolo ad inferna vſque, nec deprehenſo quod pauerant; quam humum infra moliti fuerant, priori loco reddiderunt.

Gregarij Sandamianenſis, hoc eodem die inſigne facinus fuit. Is vexilliferum decorè indutum cum vexillum fluitans concinnè moderaretur, conſenſo primùm hoſtili aggere, ſclopeti ictu confecit. Et ne nullo victoriæ indicio ad ſuos regrederetur, arreptum fortiter, ſecum aſportare nixus eſt. Cuius haſtile cum Sabaudius miles pertinaciſſimè comprehendiſſet, quò minus tamen ventum illum textilem laceraret, ſecumq; raperet, prohiberi non potuit. Æmulatus ſcilicet iuuenem Gallum fuerat; qui eodem die per laſciuiam potius quàm virtutem, diſpoſitos pro muri ambitu Ciues in certamen prouocauerat, & ſub ipſa mœnia delatus, cum frequentibus Ciuium ictibus peteretur, ſclopetum tamen in viciniorem exonerauerat, fauciauerátque; ipſe incolumis in Caſtra redierat.

Tardius aggerem complanati, & diu iam quaſſatum murum ægrius dehiſcere Sabaudius videns, quinque alia tormenta depreſſiori loco ſiſti, & in eundem ſcopum dirigi imperauit: ne cum ſummitatem muri diſieciſſet, inferiora adhuc integra aſcenſum moratentur. Id ingenti conſternatione Ciues confudit, quomodo ruinam explerent neſcios; aduerſus multa ſcandentium millia ipſis eluctandum foret. Attium tamen belli non obliti, nouam foſſam ſummo aggere cauarunt, quæ quadraginta ſclopetarios admittebat. Hi margine terræ abditi, per interualla in bombardarios ictibus graſſabantur; minori tamen profectu, quàm vt ſe vexatione ac periculo expedirent. Intus pauca ac parua tormenta erant; nec ſuppetabat, qui collineandi peritia certis hoſtis ictibus reſponderet. Sed & maius tormentum (quod vnicum Ciues poſſidebant) primo aſſultu rota commiuura proſciderat; & dies aliquot bello inutile fuerat. Creſcebat interim tormentorum quaſſatione ruderum copia, quæ per decline prouolura ſcalam oppugnaturis facere videbatur. Proinde Gubernator vt defluentem molem tolleret; & incerto ſolo nutantem viam hoſti faceret, aggerari purgamenta ædium fimumq; iuſſit. Sed id quoque inani opera iuuare oppugnatores potius quàm retinere poſſe videbatur. Geminatis ergo anguſtijs, plerique militum deſcendendum in foueam, & ligonibus lapſum humum hauriendam conſulebant. Porrò vt amiſſis rebus incerta conſilia voluuntur, nec prompta eſt deliberationum executio, tempus diſputationibus perdebatur, multis multa laudantibus, & nemine ſententijs facta iungente.

Difficultates quibus Ciues conflictabantur notæ Sabaudio erant; & quamquam didiciſſet peruicacia ac linguæ licentia illos vindictam prouocaſſe, pietate tamen euictus Capitaneum Octauianum Lupum ad obſeſſos miſit, an deditioni iam fermè coactæ aſſentirentur, ſciſcitaturum. Quod poſtmodum euenit merebantur irritari milites, collara vi, obſtantia omnia perrumperent; & potiti oppido captarum vrbium more in miſeros ſæuirent: Prouideri hæc potius quàm caueri poſſe. Octauianus miſſo Tubicine, & locum & colloquium prior requiſiuit. Reſponſum à Gubernatore vt eam in partem flecteret, quæ tormentorum vi magnum hiatum aperuerat. Facilius ibi dari accipiq; reſponſa conſpicuis interlocutoribus licere. Vbi coram fuit pauca inuicem obiecta; & Octauianus deſperatas Ciuium res teſtatus hortabatur, ne Ciues innoxios exitio certo dederet, aut facilitati piiſſimi Ducis renunciaret. Satis illum officio ac labori feciſſe, totum triduum inter diſcrimina ſeruata Mantuano fide. Nullam auxilij ſpem deforis; nil illi ſecuri intus eſſe. Non habere tormenta quibus hoſtem arceat, non militem qui diuturnam obſidionem ferat; parum pulueris ac plumbi. Ea ſe proditoris vrbani certa fide didiciſſe. Oroſcum & Aualos, tot Sabaudiorum millia non

perrupturos: denique gratioſa omnia deditis futura. Gubernator quamquam colloquio annuiſſet, deditionem tamen aſpernatus eſt: & niſi feſtinato regreſſu ad ſuos properauiſſet, Octauiano mortem eſt comminatus. Importunus congreſſus, & ea præcipuè parte pernicioſus creditus: quod Octauianus vetus militiæ inſatiabilibus oculis, ſitum, ruinas, altitudinem muri demetitus fuerat; vediteſq; quantum laboris ſupereſſet, eáque Sabaudio retulerit. Quidam Sabaudij conſilio inductam colloquij occaſionem volebant; vt Octauianus quæ ad expugnationem ſpectare videbantur coram perſpiceret; ne diu fruſtra tantum virium, & tanti pulueris inſumeretur. Ea vbi Sabaudius ex vero nouit, cohortes via Aſtenſi agere ſolitas propinquo oppidi ſucedere iuſſit; vt ſi congrediendum, aut aſſultu tentanda expugnatio foret, militem ad manus & receptum haberet. Tormentæ quoque non intermiſſa opera eundem quem olim elegerant locum quatiebant. Gubernator Sandamiani vbi nouas copias ad mœnia promoueri vidit, cum quadraginta ſclopetarijs equitibus, & totidem moſchettarijs porta egreſſus eſt; vt conatus hoſtiles prohiberet; & ſi caſus tuliſſet, cum multo pluribus manus conſereret. Plus id animi quàm conſilij habebat; vi enim & numero maiori exceptus regredi coactus eſt; poſtquàm pauculos illos temerè periculo expoſuerat. Sabaudij hoſpitij quod medio ſitu eſt, commoditate vſi ſunt; & ſublato aggere, ambita Aſtenſi via; ne per Andronæ vallem improuiſum auxilium Ciuibus mitteretur, & acceſſus exituſq; loci, in poteſtate haberent, vndequaque foramina cauarunt, vt ſecuti ac tecti, in conſpicuos impunè iacularentur.

Aldigherius ſolidos ferè dies circum Caſtra in equo erat: ſub noctem in Arcem Ciſternæ ſeſe recipiebat. Sabaudius extremâ collis parte ruſtica domo vtebatur, iactu lapidis ſeiunctus à tormentis; licet ab oriente in occidentem ſolem equo conſpicuus vniuerſa luſtraret curarétque; huc illuc vagus prout neceſſitas & occaſio tuliſſet. Illi tamen potior tormentorum cura erat; quæ promoueri, rettahi, aut mutari aſſiduè faciebat; ne qua obſeſſis quies eſſet. Et quia eminentiori loco tendentibus Sandamiani viæ omnes conſpicuæ erant, recta in longitudinem iaculari fecit; ne ciues niſi manifeſto diſcrimine domo progredi auderent. Huic quoque malo Gubernator ex diſciplina proſpexit; contracta enim linteamina, in ingentes telas conſuit, capitibuſq; viarum prætendit, vt ſuperſtantibus hoſtibus, ſuorum proſpectum adimeret. Et profuit ingenium: Quamquam enim frequentibus ictibus telas hoſtes impeterent, manſère tamen in extremum integræ, ciueſq; per diuerſa meantes texerunt. Sed maior in murum impetus erat; vt prudentiores crederent nulla opè humana, locum à Ciuibus poſſe retineri. Populares nihilominus fatali conſtantia, indefeſsè cum mulieribus pueriſq; erant, fimo, lignis, aſſeribus, humo conuectandis, quibus apertus ab hoſte hiatus, impleretur. Eo etiam audaciæ progreſſi ſunt, vt publicè conuiuia agerent, trepudiarentq; inter lyræ ac cytharæ modulos, fauſtis vocibus Mantuanum conclamantes.

Inter hæc miſſus ab hoſte globus dexterum ſeptennis pueri fœmur lacerauit; & ille quidem mediam intra horam deceſſit; manſit tamen diutius mœror; & imminentis noctis formido ſolicitudinem addidit. Denſis ea tenebris, & vento inquies ſecuta eſt. Itaque Ciues foueæ loci & aggeribus vicinis metuentes; ne Sabaudij clam moti proxima occuparent, paleas & vimina in faſces colligata, & concepto igni ardentia per interualla, in ſubiecta dimittebant, vt ea facium vice ſeruirent. Nemini Ciuium continua quies fuit; ſed per vices ſomno ac propugnationi ſuccedebant. Miſère quin etiam peritum itinerum cum literis ad Oroſcum & Analos Prouinciæ Gubernatorem maturum ſubſidium; & feſtinatam opem flagitantes. Seu falſa, ſeu vera res fuerit, tam fruſtra labor in eam curam ſu-

ſumptus

ſumptus eſt, ac ſi nuncio abſtinuiſſent. Quinto die id ipſum ſuſpicatus Sabaudius, longo ambitu complecti vias & inuia quoque aggreſſus; adſcitum nouum militem per cohortes ac centurias, in Borbori amnis planicie concinnè explicauit. Mille quingenti erant,pars maxima Galli. Extremo quoque eorum margini cuſtodes addidit; vt ſi quid inopinati incurriſſet, centuriæ Duceſq; priores admonerentur. Sandamianenſes ne eo quidem periculo ceſsêre; ſed in procedentes militari diſciplina moſchettis iaculati, ſaucioq; vexillifero, quem caſu tormenti minoris globus lacerauerat, vix creditam aut fidem apud abſentes reperturam conſtantiam retinebant. Duces turmas diuidi, & ſeiunctos deſtinatum locum petere iuſſerunt. Tandem in vicinum collem prouecti,& ducto circum aggere,pluribuſq; in locis accenſo igne conſederunt. Maiori prouiſu diſponi obſidionem non potuiſſe; qui ſimul aderant, & Aldigherius ante alios, ſimilium certiſſimus æſtimator faſſus eſt: Quod non interna popularium vi, non impetu affuturi ſubſidij pelli loco Sabaudij, aut perrumpi poſſent.

Perfringendarum quoque portarum deſiderium Aldigherio inceſſit; ſed forti munimento lateri elato conatus ille fruſtra erat;niſi viſo ſitu ac fortitudine muri, quâ vi impellendus eſſet noteſceret. Profectus itaque Sabaudio comitante, cui certa inter pericula fiducia ac voluptas erat, ſub noctem hoſpitio Villæ Doctoris Balzami vſi ſunt. Prima luce egreſſi,quamquam ad ictum propugnantium ſe dediſſent; ſingula tamen examinare non potuerunt, motorum obiectu, quorum copia in loco ſuccreuerat; miſſi qui exciderent amouerentque. Neque tamen cupidini & neceſſitati ſatisfactum eſt. Obiectus quippe agger maiori parte ſui munimentum tegebat, vt geminari difficultates acceſſuris viderentur. A ciuibus in vtrumque moſchettis collineatum,& quidam comitum vulneratus. Sabaudius repetitis caſtris ad Bombardarios diuertit; vt nulla ictibus requie data locum quem deſtinauerant, flagellarent. Denique cum minora tormenta, quæ infeſtandis vijs,& deterrendis defenſoribus opportunè diſponi fecerat,nil popularibus officere videret, vniuerſa altiori colli, cui Ferrantes Gonzaga olim ſuas machinas implantauerat, ſiſti iuſſit; vt ciues ruinæ murorum obſtantes, ſupernè ferirent; nec eam partem turari vlli impunè eſſet. Id ſpem Ciuium ante alia infregit. Iam enim mœnia quâ parte concuſſa fuerant,prociderant;& effuſo deorſum rudere ſcalam aſcenſuris ſtrauerant:neque diſijcere ipſam humum,aut nouam comportare, aſſidua ſuperiorum tormentorum iaculatione licebat: quamuis non viri, non fœminæ, labores ac pericula declinarent. Dies ac noctes in mutis erant,ciueſq; communes omnibus cibos eodem in loco diuidebant.

Sabaudius licet expugnationis gloriam magno conatu peteret, virtutem tamen clauſorum commendabat, periculóque tot innocentium & ſtrenuorum indolebat. Duci parum auctoritatis in militum victoria eſſe; & quoties ſanguine ac vulneribus captum oppidum ſit, plus in ſuperatos licentiæ quàm honeſto licere nouerat. Hora diei vigeſima, quatuor Tubicines ad mœnia vſque miſit, ſpontaneam deditionem vocaturos. His à ciuibus per ludibrium reſponſum eſt. addita contumelia,vt quando pridem ſues omnes mactaſſent,ſono cornuum abſtinerent. Itaque cum pietatem ſuam deſpici,& aggerari inſuper conuicia vidit, quæ interim iniurijs tormenta temperauerant, maiori impetu explodi imperauit. Moſchettarij quoque iaculatione indefeſſi fumum cœlo obtenderant; vt mutuus proſpectus prælhantibus adimeretur. Durauit in noctem fragor, & ea quieti ſepoſita. Noua lux nouum præterito laborem continuauit. Nam & grandiores machinæ pari horrore mœnia fulminabant; & minores procul à muris Ciues arcebant, quos certo ictu excipiebant. Formidinem noui aſſultus Aldigherius ac Sangeorgius dedêre; quod ille equitatum omnem Gallum obequitare

munimento,per obiectam Aſtio planiciem imperauit;hic purpureo indumento, & pone ſequente ſella conſpicuus multiſq; ſuorum ambitus, eò pariter progreſſus foret; ſolitus aliàs apud militem perpetuò agere, & inter cohortes formam agendorum diſponere. Suſpectaſſe Sabaudios aduentantis auxilij famam credi potuiſſet, ſi vtrique Duces cum copijs aliò flexiſſent. In hos vltrò citroq; commeantes, minoribus tormentis (quos Sagros dicunt) conuerſi propugnatores,plus rumoris quàm periculi fecerunt; ſiue bombardarij vrbani parum artem callerent; ſiue in longè diſſitos, & à forruitis ictibus ſibi cauentes collinearent. Tentorio intetim Sabaudij Aldigherius vſus copiarum ſuarum proſpectu lætabatur;modò hos,modò illos commendans;prout affectu, aut meritis ſingulorum trahebatur.

Quaſſatos muros præter opinionem, magno hiatu patere viderunt Sandamianenſes; & quia ferendis hactenus oneribus, fœminarum ac puerorum ſegni opera vſi fuerant, iumenta quoque labori addiderunt; aggeſſerúntque ſimi vim ingentem ſarmentis & humo denſatam. Sub veſperam fuſus imber ſpem ciuibus dederat, geminari poſſe oppugnatoribus laborem, & eos aſcenſui per lubricum inualidos futuros. Anni quoque conſtitutio duraturam pluuiam,& campum omnem circum limo intractabilem futurum promittere videbatur. Sed ſecunda ferè vigilia cœlum illuxit,& tempeſtate ſerena, plures qui ſecuri ſunt dies inclaruerunt. Aduerſus eam cœli iniuriam, quod temporis ciues quieti reſeruauerant,ſtruendis tentorijs & rectis impendere coacti ſunt, móxque diruere; quod vſui non eſſent; & decertationes quæ pto muris fiebant præpedirent. Intentos Ciues in hiatus & ruinas Sabaudij exceperunt; vtq; ab opere deterrerent, flexis in eam partem, vbi operarios inſtare videbant tormentis per interualla pluribus ictibus in caſum iactis periculi admonebant. Illi vbi funicorum ignes micare viderant,ſeſe propinquo aggeri ſummittebant;& in tantum profuit diligentia,vt nullo ciuium vulnere nox ea laberetur.

Procedebat ſeptimo oppugnatio,augeſcentibus Ciuium malis. Ab orto quippe ſole, in decimam nonam horam vſque, quod tormentorum ſoluendis mœnibus directum fuerat,non inrermiſſa vi Sabaudij exploſêre. Difficile creditu erat, in tot ictus incaleſcentes, & liquari abnoxias machinas durare poſſe. Gubernator Sandamiani impédentis diſcriminis id præſagium accepit, & hoſtes ad aſſultum venturos vexillorum agitatione coniectauit. Proinde in militum delectum intendit;ijs in periculum tractis, quorum virtuti ſumpto experimento maximè fidebat. Sabaudij enim iam poſteriori collis parte, quæ Valgerſum ſpectat, progreſſi,mœnibus ſuccedebant. Nouarum præcipuè machinarum proſpectus ciues aduertit. Aſſeres craſſi erant; quos illi in expugnationem ferebanr; vt tecti aduerſus moſchettorum ictus eſſent. Gubernator haud procul loco aberat, cum tres tormentorum maiorum ictus propinquam illi domum, præcedenti ſuccuſſione nutantem ſolura compage diruête. Ipſe cum quatuor militibus oppreſſus. Non adhuc caſum viri Sabaudij exceperant,& conferti per ruinam mœnium aſcenſum moliebantur; breuioribus tantùm gladijs armati vt propugnantium contos præciderent.Contra Sandamianenſes amiſſo licer Duce conſtantiam retinebant; & tracto in tertiam horam certamine,tot oppugnantium vim intrepidi ſuſtinuerunt: donec fracti pertinacia Sabaudij improſperum conatum deſtituerunt.

Cæſo Gubernatore Vexillifero cura obuenerat; ſed is quoque pectore tenus aduerſus moſchettos armatus, & breui lancea inter prælianres conſpicuus, tormenti globo latus vtrumque traſuerberatus paulò poſt finem habuit. Sed quia celerior receptus oppugnatoribus viſus fuit, ſtatim in pugnam redierunt. Non

amplius

Digitized by Google

amplius moſchettis, ſed diſtrictis gladijs res agebatur, quibus propugnantium haſtas præcidebant. Et licet rara fortitudine eorum aliqui ſeſe in ſummum aggerem extuliſſent; præcipites tamen à ciuibus ſtatim dabantur, cum alij ingentia ſaxa in ſubiectos prouoluerent, alij ignes, tela alij iacerent. Nec ictus ſine vulnere, nec vulnus ſine exitio erat. Sic iterum Sabaudij ruinâ depulſi, trans muri foſſam ſeſe receperunt: Et ſi quos illi in mœnibus conſpicuos fortuna offerebat, viciniori ictu conficiebant. Tormenta quoque in eam partem verſa, audaciſſimum quemque ciuium ſauciabant. Magnitudo periculi temnere pericula clauſos induxerat; nec alio nixu arceri niſi ea virtute hoſtis potuiſſet. Non longè Sabaudius vim ciuium, ſuorum conatum diſpiciebat; & quia partem quæ petebatur, frequentes ciues obſidere vidit, plures toto Sandamiani ambitu ſcalas erigi, & eà aſcenſum moliri præcepit; aut ſuperaturos mœnia ſuos putans; aut nouum diſcrimen defendentium partem alio verſuram. Id quoque ceſſit irritè, quod gradus altitudinem mœnium non æquarent; & in ſuſpenſos nec firmo nixos; fœminæ ipſæ iactu molium præualerent. Fortitudo obſeſſorum, oppugnantium gloriæ aliquid detrahere; & Galli ante alios (qui eam ſibi victoriam propriam voluerant popoſcerantq́;) imminuiſſe exiſtimationem Gentis ſuæ & futuri expectationem corrupiſſe videbantur. Vocatos itaq́; Ductores Cohortium Aldigherius, patriæ virtutis, ſacramenti, & propriæ vtilitatis (ſi viciſſent) admonitos, vniuerſos equis deſilire iuſſit, fortiterq́; aut oppetere, aut capti municipij decus referre. Paruêre viri ſtrenui, & breuibus ſclopetis armati, tentatam hactenus irritè irruptionem, denuò repetiuerunt. Eodem tempore indefeſsè tormenta explodebantur; quæ cum propugnatores ſæpè raperent, mixtos hoſtes interdum lacerabant: Cumq́; fumus pulueris bellici ac fuligo diem medium ademiſſent, inobſeruatos Sabaudios per obſcurum vſque in ruinas deduxêre. Alba veſte Galli induti venerant; vel quod ea Ducum inſignia eſſent, vel vt diuerſitate noſcerentur. Et haud dubiè nullibi toto Monferratenſi bello plus Gallicæ virtutis inſumptum eſt. Conſtantia ciuium, lubricus aſcenſus, & in mortem animati propugnatores, hunc quoque impetum validiſſimè retinuerunt; quamuis multo ſuorum ſanguine ea incolumitas ſtetiſſet.

Experiri denuò Sandamianenſium animos, tot cladibus & vulneribus fatigatos Sabaudius voluit; an ſanioribus conſilijs deditionem pararent; quæ vitam, honorem, fortunas ſingulorum contineret, vellent. Timpani itaque ac tubæ ſono abſtinere Tormentarij ictibus iuſſi ſunt: Tum vitam, honorem, fortunas omnium apud Sabaudium pijſſimum Principem in tuto fore, quantum elata voce poterant Crotus Sabaudio à ſecretis, & Capitaneus Rua teſtati ſunt; ſi quamquam deſperatis iam rebus, feram victoriam conceſſiſſent. Honeſtiora deditionis ferè coactæ pacta nulli oppido tormentorum vi ferè lacero proponi poterant; & ciues numero, viribus, animiſq́; imminuti, Gubernatore ac Vexillifero deſtituti, nulla amplius auxilij ſpe ſuſtentati, extremæ neceſſitati morem gerere coacti ſunt. Agnouêre quod dicebatur Sandamianenſes; & anguſtias quibus implicabantur, ſilentio faſſi ſunt. Tum de tradendis inuicem obſidibus cura ſubijt, dum Sabaudij ac ciuium chirographo pacta firmarentur. Antonius Tranus, & Vincentius Robertus pro Sandamianenſibus, Bartollomeus Vexillifer & Capitaneus Roſchierius pro Sabaudio inuicem dati acceptique. Capita conditionum erant: Vitam, honorem ciuium in tuto haberi; præſidiarijs redeundi in Monferratum licentiam dari; cum armis & impedimentis: Intra Sandamianum Pedemontanos tantùm præſidio imponi, Gallos non admitti. Ciues ſeptuaginta aureorum millibus, ea omnia quæ ſibi ſeruari cuperent, redimere. Summæ partem ſtatim exſolui, reliquum certum intra diem pendi. Diti oppido (ſi res inte-

græ manſiſſent) leuis expenſa; & malorum quæ mox perperſſum eſt optanda erat. Gallus interim miles, inter commilitones pacta damnare, ſine ſanguine inutilem victoriam appellare, Aldigherium malignitatis accuſare, obnoxiumq; beneficijs Sabaudij dicere. Denique cum nondum tranſactum in negotio viderent, irrumpendi vias omnes proſpicere. Amor quoque vindictæ pietatem omnem animis deterſerat, quod multi ſuæ gentis eâ expeditione cecidiſſe dicerentur.

Fœlices parto hactenus honore Sandamianenſes erant, ſi quâ fortitudine tutati plures dies locum in bello fuerant; pari prudentia, vna inſuper hora imaginis pacis cuſtodiuiſſent. Dum enim quibus ſanciundi pacta delegata à populo cura fuerat, ad Sabaudium pergunt; vt chirographo ſponſiones firmaret; & ciues nullo futuri metu, tamquam accepta pace ſecuri agerent, viribus & animis efferi Galli, ſimulatione agilitatis & concordiæ, per ruinas murorum, conferti in oppidum euaſerunt; vtq; ſocij patefacta porta reciperentur peruicêre. Obſtupuit Aldigherius præmaturam ciuium fiduciam; & ad Sabaudium eadem admirantem verſus, Si (inquit) breuem adhuc obſides moram trahunt, nec maturimè Celſitudinis tuæ chirographum ad ſuos referunt, præ foribus Sandamianenſium exitium video. Ad hoc Sabaudius reſpondit: Pacta ſe quidem recepiſſe, ſed cunctationem apud ciues eſſe; & ſi quid aduerſi ingruat ipſis imputandum. Siluit Aldigherius motis belli gnarus, & ne prædam ſuis militibus, ſtrenuè nauatæ operæ inuideret. Iam valuæ oppidi victori equitatui patuerant, & illi per turmas inuecti ſocios omnes ad cædem & prædam inuitauerant. Vna cunctorum vox audiebatur: Occide, Occide. Sandamianenſes improuiſo malo perculſi, cùm ſancita liberæ deditionis pacta, & apud Sabaudium Legatos ſuos dicerent, quâ ſe tamen publica fide tuerentur, non habebant. Itaque ſparſi per vias ac domos Galli mox qui ſecuti fuerant Sabaudij, nullo prohibere auſo, in direptionem oppidi conuerſi ſunt. Ab opulentibus per tormenta abditi loculi expreſſi: plures ciuium in captiuitatem abducti, vt pecunia libertatem redimerent. Vix Sacris impunitas fuit; niſi ijs locis quæ captorum oppidorum mala ſoluto auro vitarunt.

Sabaudij Sandamianum diripiunt.

Primo ſtatim impetu cæſi aliquot; mox Ductorum iuſſu cædibus temperatum. Non tamen imperati furentibus tota modeſtia potuit; cum verbere largitiones cogerent, plurium fœminarum pudicitia contrectaretur; denique omnia aſportatu facilia raperentur. Quatuor diebus continuata prædatio; & vbi deeſſe quod auaritiam expleret milites viderunt, in ſuburbana ac villas profecti, equos & iumenta generis omnis abduxerunt. Iam telæ, veſtis, & domeſtica ſupellex deſiderato emptore viluerat. Ad extremum è nobili municipio, tantum opum egeſtum, quantum ditando Sabaudio exercitui ſatis erat. Ingemuerat calamitate ciuium Sangeorgius, cuius conſilio & opera tentata oppugnatio fuerat; orauerat q; Aldigherium, vt Galli modum excidio facerent: ſed vt Sabaudius licet vellet, vix tamen poterat, ſic ille ſolito ſibi faſtu reſponderat; plus nationem ſanguinis pro victoria fudiſſe, quàm ſit auri in patiam relatura. Equidem Gallorum conatus ferè Sandamianum fregerat; & poſt multam cædem; vtilitate aliqua ſublenandi videbantur; ne inopi militia indignati ad ſuos reuerterent, & medio curſu agendorum ſpontaneam miſſionem acciperent. E ſuo fiſco Sabaudius præmia ſingulis exſoluere cogitauerat: ſed vt tardi in expeditionem rerum ſuarum Sandamianenſes fuerant; ſic ille prius ruinam oppidi audiuit, quàm de remedio deliberaſſet. Hic Sandamiani exitus fuit nobiliſſimi oppidi, quod longiorem obſidionem olim fortiſſimè tolerauerat. Neque nunc munimentorum pœnitebat, ſi plures præſidiarios intus habuiſſet, qui per interualla hoſti congreſſi, illaceſſita ictibus mœnia protexiſſent, & productis ad externa aggeribus ſpatium ictibus feciſſetn: aut e o tormentorum numero viguiſſent, quæ longius diſtinere hoſtem & vices reddere poſſent.

Ferrantes

Ferrantes Gonzaga Caroli Quinti Imperatoris ductor Mantuani Abauus, quadraginta olim diebus obſederat, hieme aſperrima, & altiſſimis niuibus cœlo fuſis. Nebulæ quoque eos dies eluctatus fuerat, quæ adeo denſa incubuerat, vt pauciſſimis diei horis proſpicere mœnia liceret. Quinimo ſex peditum millia, quingentos equites, & ſex omninò tormenta in eam expeditionem deduxerat: Intus verò mille quingenti Galli pedites, ducenti equites numerabantur, qui & loco & numero tuti promouerant aggerem ad externa, & eruptionibus frequentibus obſidentes vexauerant, vt adiri mœnia non poſſent. Cum Sabaudius bellum tulit, ſi præſidiatios ac ciues ferendis armis validos in cenſum cogamus, vix quadringenti inerant: non armorum belli; non obſidionum diſciplinæ eruditi: quamuis ab Hiſpanis & Aualos Gubernatore Monferrati promiſſum auxilium conſtantiam miſeris perſuaſiſſet. Primo quidem obſidionis rumore, cum Aualum ſui periculi, & quibus à Sabaudio viribus peterentur certiorem feciſſent, reſponſum pleniſſimæ vanitatis retulerunt: Hiſpanos toto cum exercitu in ſubſidium venturos: Tridui illis conſtantiam, & ſecuritatem, & apud Mantuanum æternam gratiam paraturam: Id creditum infœlices ſupra vires audere, & fortitudine vſurpata patriæ ſuæ excidium procurare compulerat. Amiſſum quippe primo bello Trinum, & tot alia auxilio deſtituta, prætextu Mantuanæ fidei in cineres reſoluta, animo exciderant.

Poſtmodum vbi Sabaudij verborum parci, factorum ſtrenui venêre; & miſſis per auia literis opem flagitauerant; & vbi ſepta circum omnia, præciſóſque ſe Monferratenſibus viderunt, tormentorum ſono, quibus anguſtiis conflictarentur docuerant. Aualus accepto diſcrimine, & qua iactura Mantuanus, dedecore Hiſpani ea expugnatione notarentur videns, in vicina Albæ Caſtella nuncios ſtatim miſit; qui popularem militiam exciren, & Albam conuocarent. Et illi paruerant; Iamq; duo millia quingenti pedites, trecenti equites venerant, amore ſuorum, imperio Gubernatoris: mox ſecutus Aualus fuerat; Manganumq; delatus quinto ab Alba milliario Hieronymum de Roo Hiſpanæ militiæ Ductorem (qui diu ante præſidium Albæ tenuerat, & ſumma cum Sandamianenſium neceſſitate poſtulante abſcedebat) obuium nactus, id magno labore obtinuerat, vt Albam regrederetur; teſtatus tamen ante fuerat, ſe ad vlteriora non proceſſurum, neque ea ſe Toletani mandata habere; aut pauculos ſuos multis Gallorum millibus ad lanienam dare velle. Acceſſit paulò poſt Oroſcus cum tribus equitum cohortibus, vix ij ducenti erant. Hic inter omnes conſultatum de remedio fuerat; & qua promptiſſime via auxilium clauſis ſummitteretur examinatum. Aderat vir nobilis, & Mantuano pluſquàm res familiares eius poſcerent obnoxius: Hic ſe trecentos milites per ſecreta deducturum, & Sandamiano inducturum receperat; nemine periculum auſo, aut ſatis itinerum perito. Id niſi ſuffeciſſet, Ducem ſe vniuerſis copiis obtulit; vt dorſo continui collis in propinqua Sandamiano ſuccederent. Placuit ingenium; & nobilitas hominis fidem inuenit: ſumi tamen futuri experimentum aliquod prius viſum; datiſq; octoginta militibus, claſſicis ac timpanis turbare hoſtium quietem iuſſus eſt. Ille ſtatim exhibuit documentum conſtantiæ. Nam Caſtagnetum vſque profectus, quod Galli præſidiarij tenebant, tertio à Sandamiano milliario, cum obſcuro noctis vigiles tranſeuntes quinam eſſent ſciſcitarentur, nec reſponſum ab amicis credidiſſent, mutuis ictibus moſchettorum agi res cœpta eſt. Eo initio vicini, mox alij ſuſcitatis per ſumma collium ignibus, venientem hoſtem aperuerunt. Cum ad ſuos Monferratenſes reuerterent Guarenæ bellici tormenti terna exploſione (ſignum id fiduciæ amicis erat) & vicino in colle ingentem ignem excitarunt, vt Sandamianenſes propinqui auxilij ſpe ſuſtentati conſtantiam retinerent. *Pandolfus Sollara.*

Oroſcus interim ſiue ſecuritati Sandamiani diffideret, ſeu plus quàm oportebat præſumeret, miſſo ad Toletanum nuncio, quo in ſtatu Sandamianum eſſet docuit. Et ne ſegni mora laborantes ſocios prodere videretur, imperſpectiſve viribus hoſtium aut præuiſu nullo ſeſe diſcrimini committerent, mittendos circumquaque curſores cenſuerunt; vt obſidentium aliquibus interceptis, cæterorum numerus vireſque diſcerentur. Tum mutuò ſeſe Ductores aſpicere, laudare conſilium (cui tamen hactenus nemo operam contulerat) denique in eundem virum nobilem connecti. Qui ne apud Mantuanum aliquo officio defuiſſe, aut poſteriori neceſſitate corrupiſſe prioris operæ merita videretur, cum triginta equitibus in eam ſe curam accinxerat; promiſſo niſi cum captiuis ſe reuerſurum. Sed dum viri fortitudo laudatur, equites expeditiſſimi deliguntur, cæteri tamquam imminente prælio armantur, dimiſſus Sandamiano ciuis affuit, capti & miſerè

Nuncius capti Sandamiani Albã ad Oroſcum & Aualum.

direpti oppidi nuncium ferens: Tum Oroſcus cum ſuis Alexandriam, Aualus cum exercitu & commeatu quem detulerat Nizam profecti ſunt. Huic Coſanum veſpertinum, & memoria poſterorum indignum hoſpitium dedit. Cum enim quadrageſimæ initium, & dies primus Veneris eſſet, viſus eſt publicè choræas ducere, & recenti calamitate Sandamianenſium inter tripudia, feſtam illam noctem habere. Feſtinatum nihilominus curſorem Florentiam ad Mantuanum miſerat, ſolemnia nuptiarũ illius, infauſto ſubditorum caſu fœdaturum. Repertus certè fuit media in celebritate, nulla laborantis & ſanguine proprio diffluentis Monferrati memoria, lætam ſecuritatem vſurpare; & ituro cubitum oblatæ literæ; quæ pro magnitudine mali vitæ non ſunt, doloris indicia expreſſiſſe. Redditurum quippe quæcunque loca Sabaudius cepiſſet, reſpondit; & eò plus illi triſtitiæ fore, quò pluribus per vim aut dolum captis exueretur. Scilicet cæſos ſubditos, diruta mœnia caſtrorum, abactos greges, imminutam fœminarum pudicitiam, aſportatas opes, vlla humana vis priſtinæ integritati erat reſtitutura. Toletano tamen literas miſit turgentes queſtibus; eò quòd exercitu quem intolerabili ſuorum expenſa annos iam & menſes aluiſſet, in quem ſua & populorum dona collata ſint, quem famelicum pauerit, nudumq́; operuerit, ſubleuatus non foret: ſed

Mantuanus cum Toletano queritur.

ille propriam exiſtimationem, cum popularium fortunis, & arcibus Monferrati ſimul prodigeret. Toletanus caſum Sandamiani altius recepit, quàm vt inter aduerſa habendum non crederet; manifeſta apud omnes, aut debilitate, aut negligentia: & metu ne apud Regem eorum quæ prius malè ceſſerant, & Sandamiani recenti inuidia, nulla excuſatio reciperetur.

Sabaudius iam victor, Oroſcum & Aualum Albæ degentes terruerat; nec enim aut occurrere, aut Albæ ſubſiſtere auſi fuerant. Eodem quippe impetu tractu iri omnia videbatur. Sandamianenſium præcipuè commiſeratio augebat, quorum ceruicibus plurium iam dierum prædatores detrahere, & quod fortunarum reliquum abdiderant, ſeruare nitebatur. Itaque cum Aldigherio ac Sangeorgio conſultatum; quàm primùm in partem formidata ſigna conuerterent. Dianum Aldigherius, Albam Sangeorgius peti conſulebant; proniorq́; Sabaudius in Sangeorgij ſententiam; quod Dianum ſitu arduum, & diuturnæ obſidioni ſuffecturum ſciret; Albam patenti campo, nec munimentorum robore vallata eſſet, breuem impetum laturam. Aldigherij auctoritas dies aliquot militem in otio habuit, vt in futurum deliberatio protraheretur. Rationes tamen ſenem bellatorem vicère, vt Sangeorgio conueniret. Certum eſt Oroſco ad ſuos, Aualo ad Caſalenſes profectis, exutam ferè ſubſidio ciuitatem, die capti Sandamiani pariter capi potuiſſe:

Comes Aleramus Sangeorgius Albæ Gubernator.

ſed dum deliberatur, & Dianum ante oculos eſt, à Comite Aleramo Sangeorgio iuuene ſummę nobilitatis ac fidei Albæ gubernatore 500. ſclopetarij inducti ſunt; ipſe iuſſus maioris auxilij ſpem habere. Diſcedés tamen Aualus Comiti Aleramo

perſua-

perſuaſerat; ne periculoſam oppugnationem oppeteri, quàm in tutum ſe cum militibus recipere mallet: Parum in ea ciuitate ſecuritatis, quæ non ciuium numero, non munimentorum ambitu, non ſitu tuta, circumquaque multa acceſſus loca oſtenderet: ſeruari Principi ac patriæ eum numerum poſſe, & expedire. Secreta tum inter Aualum & Aleramum æmulatio, fidem conſilio ademerat. Proinde Aleramus renidens, & irato quàm obſecuturo ſimilis: Cur ergo (inquit) ſi diſcrimini occurrendum non vniuerſi nitimur; & pluribus aduocatis ciuitatem militémque Principi noſtro non ſeruamus? Ille Caſalenſium ſolicitudinem; quo poſſeſſio Monferrati ſuſtentaretur, excuſauit; & loca validiora eam fortitudinem requirere dixit: nec alia cauſa Oroſcum abiuiſſe, quàm vt Alexandriæ regiæ vrbi prouideret. Vbi tamen certum abeundi vidit, ad preces flexit oratitq; vt commeatum bellicum, auxilio Sandamiani vectum ſibi permitteret, pluréſque centurias; quas cohortibus auxiliaris additas victorem Sabaudium retinere poſſe ſperauerat. Nihil ad hæc Aualus; imò commeatu egêre ſe, & Caſalenſibus paucos præſidiarios eſſe dixit; quingentoſq; quos relinquebat, certæ illorum neceſſitati ſubtrahere. Siluit Aleramus; licet tracto in aliquot dies bello, defuturum ſibi puluerem, plumbum, ac farinam ſciret: Nam molatrinas vicino amni innantes Sabaudij igne perdiderant. Sargenti quoque Maiori Arcaſio, qui cum ducentis peditibus, & ſexaginta ſclopetariis equitibus caſtro Guarenæ præſidebat, imperauit, vt omiſſo loco, Nizam recta tenderet, commiſſa Sargento Baido oppidi cura, cum vno ſclopetariorum manipulo; & relictis illi mandatis ne à Sabaudio requiſitus deditionem moraretur.

Vix Arcaſius exceſſerat, & Sabaudij cum vniuerſis copiis illac delati; nulla reliqua apud Baidum reſiſtendi vi, ſpontaneam deditionem accepêre. Inerat plumbi pulueriſq; ac farinæ copia, quæ Alba Aualus detraxerat, cum ciuitatis neglectu retinere Guarenam in animo haberet. Baidus, quíque cum illo erant, captiui Aſtium abducti ſunt, vt ſecutus rumor obtinuit. Altera à diſceſſu Auali hora, citus curſor à Toletano ad Magiſtrum campi Roo cum imperio venit, vt nulla interpoſita mora, recta Flizanum properaret, & vbi Nouiliæ fuiſſet, mœnia loci dirueret, quodq; Regij exercitus intus eſſet, ſecum in tutum deduceret. Abeuntem Alba ſexaginta ferè ciues, ſua iumenta (quæ vehendis impedimentis *Roo Albâ* contraxerat) reducturi, comitati ſunt: & hinc præſidiariorum numerus imminu- *diſcedit.* tus. Qua re nemo adeo præſentium ignarus erat, vt de ea ciuitate quam Gubernator Monferrati, & Hiſpani deſeruerant, actum non crederet. Aleramus tamen deſperationem certum exitium cognoſcens, ſpem omnium ingentibus promiſſis nutriebat: & ante alia incredibile teſtabatur, tantum dedecoris Hiſpanos adituros, vt capto ac direpto Sandamiano, etiam Albam nulla ſua ope adiutam, abire in hoſtem vellent. Sed vicinius periculum ac malum erat, quàm vt perſuaderentur: nam Sabaudij Guarenam profecti, mille tantùm paſſibus Alba diſtabant, certa iam deſtinatione inchoandæ obſidionis. Quo propinquius diſcrimen, eò frequentius & acrius ab Aualo Aleramus auxilium flagitabat: Miſſi itaque alij ſclopetarij quingenti, cum Sargenti Maiori Spadino, & quingenti Alemanni, ſub Capitaneo Trachino Valle, pars exercitus Comitis Sulzij. Si illi numero paratus bellicus, & ante alia pulueris copia fuiſſet, quamquam nullis ferè mœnibus cincta ciuitas plures dies maiores copias inimicorum retinere potuiſſet. Sed eo maximè egebat quod Guarenam tranſportatum, & ab Aualo auectum diximus.

Cæterum procul muris arcere hoſtem & externo munimēto vallare ambitum Aleramus ſatagebat, cupientibus omnibus labores, & iuſſo delectui obtemperantibus: quo diei ac noctis horæ per vices operi impenderentur. Nec enim dubium

habebatur caput Prouinciæ peti; vt eo potitus hoſtis, & latè terrore incuſſo, cætera in partes accederent: Nam Rhodum, Verdunum, Gunzanum, Montelupum, Rodellum, Barbareſcum, Maganum, Rochettam Belbi, Camum, Boſiam, vniuerſa Monferrati Caſtella, Albamq; vtrinque complexa occupauerant; cædentibus Paganis; quibus etſi animi obſiſtendi fuiſſent, vires tamen deerant. Ab his more belli, tributa, portoria, erogationes, annona detracta in militatem vſum: & cuncta ferè ſine præſidio, tantùm excidij comminatione retenta fuerant: ſiue ſponte, ſiue requiſiti ſuis opem ferre cogitaſſent. His imminentis mali indiciis proximas ciuitati villas inferre commeatum, & auitas opes, quidquid propugnationi conduceret inuehere, cætera concremari Aleramus iuſſit; ne aut hoſpitio Sabaudij, aut equites pabulo vterentur. Neque enim cruda ac ſæua hieme, ſub aperto, & prouentu deſtitutum hoſtem, diu toleraturum rebatur; vt quem inopia, ſtramentorum pænuria, cœlum, ſolumq; frigore ac lecto intractabile depulſura forent. Prudenter hæc & ex militari diſciplina; ſed Sabaudio totius circum agri domino; & planiciem colleſq; ſuis cohortibus inſidenti, omnia ſtatim affutura videbantur. Paganos enim in poteſtate habebat; & à circumuicinis exercitui neceſſaria obſtante nemine vehebantur.

Februarij decima quarta, via qua Barbareſcum itur, cum pluribus peditum millibus, & frequenti equitatu, in vicina Albæ Sabaudius venit, vt ſitum loci, & qua parte facilius aggrederetur perſpiceret. Nouum generoſo Duci non erat ardua quæque & diſcriminum certiſſima ſibi ſumere; vt qui formidinem à puero dedidiciſſet, & nullum ſibi victoriarum decus crederet, quod præſens non meruiſſet. Aleramus aduentus illius iam certior, ſexaginta primùm moſchettarios Alemannos, mox totidem alios Italos, obuiam venienti procedere iuſſit; non vt de ſumma rerum, modico numero, prælio decernerent; ſed vt domum quandam dorſo vicini collis implantatam occuparent: & vt priores nouo auxilio foueret, centum ſclopetarios cum Sargenti Maiori Spadino ſubſequi imperauit. Vexilliferum quoque ſuum, cum cohorte cui præerat emiſit, vt Eccleſiam Beatæ Virginis Angelorum eadem via occuparent; ſiue ne eo munimine hoſtes potirentur; ſiue vt creditur, ſecuriori eorum quos promiſerat, receptu, ſi Sabaudij maiori vi inſtitiſſent. Ipſe paulò poſt, vires omnes laturus cum mille delectis ſubſecutus eſt; ſolidatis ante mœnibus delectu popularium & iis ſolummodo relictis, quibus tum ciuitatis tutela euenerat. Vbi ſe aduerſi ſub ictum dedêre, agi res moſchettis cœpit; & quia priores ſexaginta vlteriora quam quæ in mandatis habuerant, auſi fuerant, Sabaudiorum infeſtis ictibus recipere ſe ad ſocios qui Eccleſiam tenebant coacti ſunt. Equitatus enim hoſtilis, magno impetu in latera peditum inuectus, & diſſoluerat ordines, & præſentem conſternationem intulerat. Hic denuò prælium iteratum; nam & locus Monferratenſibus conſtantiam addere videbatur, & Aleramus in vicino ſubſidium laturus ſciebatur. Tandem virtute Sabaudiorum, victa Albenſium fortitudo, impulſique & exacti Eccleſia ſunt. Ad famam infauſti congreſſus plures ab Aleramo ſummiſſi, vt amiſſum locum recuperarent; & quidem recens auxilium in defeſſos valuit, vt Sabaudij Eccleſia pellerentur, etiam eorum aliqui caperentur. Nihilominus apud Duces viuida ingenij vis fortunam Albenſium imminuit, falſo rumore; multas hoſtium centurias in portam ciuitatis impetum feciſſe, & cæteris viam forti conatu facere. Ea vox Monferratenſes captiuis abſtinere perſuaſit, & feſtinato curſu vrbem repetere. Sic omiſſa præda; & Sabaudij non ſine ſanguine delibato belli initio ſuos reduxêre, & Barbareſcum verſus ſe recepere. Hoc conflictu nulli partium læta, aut certa victoria fuit. Quippe plures vtrinque ſaucij, multi deſiderati ſunt.

Albæ obſidium.

Futuri

Futuri præſagium è præterito Ductores Monferratenſium ſumpsêre; conſenſuq́; decreuerunt, cœpta procul mœnibus munimenta in plenam ſecuritatem promouere. Pluribus quidem latior ambitus egere videbatur; ſed ciuitatis muri adeo infirmi, & enormes erant, vt leuem quamcunque ſuccuſſionem ferre non poſſent. Itaque vniuerſi in eam operam euocati. Hos labori intentos frequenter Sabaudij vicinis oppidis egreſſi turbare adorti ſunt; impulitq́; vt ligonibus moſchettos iungerent; ſimul vt bello & vicinis aggeribus efferendis vicariam curam ſubirent.

Paucos poſt dies Sabaudius cingere obſidione ciuitatem aggreſſus, Sangeorgium cum delectu Barbareſco emiſit; qui verſus templum Virginis Angelorum (vt vocant) collem elatum cum ſex tormentis bellicis inſedit, & ambitum educto aggere firmauit. Proxima Alexandro Guerrino Cheraſci Gubernatori cura data. Is montem loco imminentem, quâ Dianum ſpectatur, cum duobus tormentis occupauit. Sabaudius licet Guatenæ hoſpitio vteretur, quotidie tamen ſuos inuiſebat; ne quid negligentia, aut incuria peccaretur. Aldigherius cum centum equitibus Magliani agebat, quos corporis cuſtodes in Delfinato elegerat. Interim Sabaudios caſtrorum munitioni intentos iteratis excurſibus Albenſes laceſſebant; & die quodam calore pugnæ adeo progreſſi ſunt, vt in caſtra vſque penetrarent, & duos captiuos abducerent. Hi tormentis admoti retulêre, quatuor peditum millia, octingentos equites Sabaudio eſſe; ſpe tamen ac numero indies exercitum augeri. Et vbi virium non pœnituiſſet, vallato vndique ambitu ciuitatem oppugnaturum.

Die vigeſima tertia orto iam Sole, tormenta bellica Gallorum intonuêre. Pars ea quæ Epiſcopali domui obtenditur, petebatur. Et Guerrinus interim Sancti Mauritij portam ſeriò quatiebat. Per vices tamen vtrique, modò intra mœnia, modò in aggeres, modò in tectas humo vias iaculabantur. Alterum intra diem quinquaginta ferè paſſuum ruina Gallorum ictibus hiauit; cum ciues doliis, ſtramentis, ſaxis, terra, ac trabibus lapſa reficerent; & aggeres (quos ſemilunas dicunt) nouo opere ſolidarent. Neque tamen munimentis ita ſeſe continebant, quin frequentibus eruptionibus oppugnatores non exercerent; minori indies Sabaudiorum malo: quod caſtra aduerſus ciuium ictus fortiora reddidiſſent.

Die vigeſima quinta cum indefeſsè hoſtes ſemilunam ab Alemannis erectam ac defenſam innumeris globis laceraſſent; egreſſi caſtris & militariter in turmas compoſiti, quaſi inſultui accingerentur, miſere Tubicinem, qui Sabaudij nomine Aleramo Gubernatori teſtaretur, diutius illum debilem & nullis munimentis tutam ciuitatem propugnaſſe, quàm ſitus & ars meruiſſent. Proinde ſi excedere, & potentiori permittere eam vellet, honeſtiſſimis conditionibus eam deditionem honeſtaturum. Reſpondit Aleramus, nec permittere ciuitatem ſe in animo habere; nec ductores ac commilitones ſuos renuere pro Mantuano Duce, eo bello oppetere; plus illum proceſſu temporis in oppugnatione difficultatum quàm crederet reperturum. Digna ingentibus meritis virtus, ſi Principi potentiori militaſſet. Sequenti Sabaudius, maiori tormentorum vi fulminare cœpit, nulla propugnatoribus conceſſa requie; cum ictus ictum truderet, eoq́; inter ruinas agere, niſi manifeſto periculo liceret. Fortius tamen quàm credebatur, ciues in tutelam nixi, aduoluere moles ſaxorum, conuehere rudera, & demiſſa vaſa humo replere, quantum impetus tormentorum abſtulerat, noua opera ſarcire. Et vt fiduciam teſtarentur, eruptionibus obſidentes fatigare.

Die vigeſima ſeptima Sabaudij tormentorum vi laſſatis Alemannis, ad eorum vſque munimenta progreſſi ſunt, vt acto ſubtus cuniculo ſuperſtantem molem

Digitized by Google

disjicerent. Fallere tamen præſidiarios non potuêre. Itaque obſcuritate noctis tecti viam ſubterraneam, partito inter ſeſe opere Cheraſcam vſque murum deduxêre. Vbi dies illuxit denſis moſchettorum ictibus, eorum qui Alemannorum ſemilunæ ſucceſſerant latera fodere cœperunt. Inexpectatum conſilium pauorem tulit, coactiq; occupatum locum deſerere; & qui templum Virginis Angelorum præceperant, ad ſuos regredi. Eo in conflictu pluros vtrinque deſiderati, aut ſauciati ſunt. Poſtero Sabaudius exemplo Sandamianenſium Albenſibus metuens, denuo tubicinem cum imperio miſit, ſpontaneam deditionem perſuaſurus; ſed rejectum ab Aleramo conſilium, juſſuſq; qui venerat abſcedere, niſi moſchettis lacerati voluiſſet.

Die ſequenti adeo tormenta ac moſchetti ſiluerunt, vt diſceſſum Sabaudius meditari, & ſoluendæ obſidionis conſilia admiſiſſe videretur. Id Albenſibus volentibus fuit: qui vt conſtantiam, & fortis animi documentum præberent; vniuerſis qui in ciuitate erant equis coactis (& quidem pauci erant) erumpere mœnibus, & in hoſtem pergere ſtatuerunt. Nec enim in eam diem equeſtri prælio certauerant. Pedites quoque ſexaginta moſchettarij abeuntes comitati fuerant; mutuò ſubſidium laturi acceptutique. Imprœuiſa militia Sabaudios nonnullos in ruſtica caſa degentes, quæ Magdalenæ dicitur, ad ſuos regredi perſuaſit. Eo formidinis articulo, cum tormentum bellicum è caſtris Gallorum in Pedemontanam vectaretur, vt à Spadino notaretur, ſors tulit. Ille vt clauo figeret, & offenſæ ſuorum inutile redderet, triginta ſclopetarios immiſit. Aleramus tum prælio cum Pedemontanis implicatus, partem militum ſecum traxeret. Sed illi vt periclitati tormentum vidêre, viriliter accurrentes, & arcuêre quos Spadinus immiſerat; & ſuorum auxilio adjuti nouum conflictum inchoarunt, quod ad plures horas tractum, ciuium omnem ferè puluerem abſumpſit; vix in ciuitate relicto, quod vnius diei bellum ferret. Spes aliqua clauſis in Diano ſita erat; vnde, vt ab amico municipio, ſequenti nocte rem tormentariam flagitarent. Dianum rebus ſuis metuens, ne ab Alba in ſe exitium conuerteret liberè per literas faſſum eſt; nec poſſe ſe, nec debere amandato puluere, Sabaudium in propria damna inuitare: iam enim duabus continuis noctibus quinque vaſa tranſmiſerat; quæ duorum dierum certamini non ſuffeciſſent.

Cælati neceſſitas non potuit; quin Pedemontanus quidam gregarius, qui ſe Pauiâ ortum ſimulabat, anguſtias ciuium proderet; & Sabaudios cautiores, aduerſus importandum commeatum, acrioreſq; in oppugnationem redderet. Affuturi tamen auxilij opinio illos ambiguos habebat; an tracta ſine ſanguine vexatione ciuitatem acciperent, factóve impetu ſpem externam præuenirent. Sed ante alios Aldigherius eas ambages expediuit; ſumptis enim circiter centum viginti equitibus Gallis, in vicina vſque Nizæ proceſſit; non ſolùm Prouinciæ ſitum ſpeculaturus; ſed & tentaturus Hiſpanos, an Albæ cura mouerentur. Militari viro certiori argumento negligentia doceri non potuit: nec enim aut inſecuti abeuntem, aut in reuertentem inuecti ſunt; tanta ſecuritate, vt permiſſa illi occupandi licentia videretur; & ſociam ciuitatem amittere id demum eſſet de re aliena ludere. Sed Aleramus quamquam retinendæ ciuitatis amore ſtimularetur, eo nihilominus ciuium cura anxius, cæteros Ductores in conſilium vocauit, & proferre agendorum ſententiam imperauit. Illi præuiſo diſcrimine teſtati ſunt, tantam vim diutius ſuſtineri non poſſe: deſtitutos enim puluere ad offenſam non valere, & apertam ciuitatem præferoces oppugnatores arcere non poſſe. Tum Aleramus: nimium quidem ſibi notam penuriam; nec à Dianenſibus vnde ſperabatur puluerem haberi poſſe reſpondit; paratum ſe tamen ſi vniuerſis placuiſſet extrema opperiri, & ferrato cento armatum, aut hoſtes aſcenſu repulſuro, aut

certau-

certantem fortiter oppetere. Nil ſe tamen proprio arbitrio (quamquam ſummo loco ſit) decreturum, ſed eodem cum ſuis animo eandem fortunam experiri.

Ad hæc Spadinus Auali conſilium opperiendum, niſi iam per literas (quas Gubernator paucas ante horas accepiſſet) mandata tranſmiſerit; imò cupere ſi quid publico conducat & vniuerſos tangat libere aperiri. Id Aleramum proferre literas impulit, vt à conſortibus periculi legerentur. Sic habebant: Quia auxilij expectatio longior opinione eſt, vóſque à multis millibus obſeſſos credibile eſt non vna egeſtate premi, quæ præſentes certius quàm abſentes experimini; ne vos ad extremam neceſſitatem induci ſinatis iubeo, aut militem, inconſulta audacia perdere. Ea noſtrum omnium mens eſt; qui non vno relatore didicimus, quo honore veſtro in præſentem diem præualidum hoſtem toleraueritis. Et ipſe ſingulorum certior redditus ſum, vt pluribus vobiſcum agendum non putem. Id vt Alemanni probent, curabitis. Harum literarum Senatori ciuitatis, ac Spadino copia facta. Cæteris tectum ſecretum eſt. Et licet Auali auctoritas ſumendæ deliberationi ſufficere poſſet; miſerat tamen Aleramus per interualla exploratores, vt Hiſpanorum conſilia detegeret. Ab his acceperat, miſſum fuiſſe Senatorem Griſellam Caſalenſem ad Toletanum cum precibus, vt Albæ laboranti maturam opem ferret; Toletanum vero reſpondiſſe, infirmiorem eam Ciuitatem eſſe, quàm vt poſſet retineri; vt quæ vno die capta, ſequenti reſtituenda foret: ſimul conuicio Aualum proſcidiſſe, quaſi agendorum oblitus, amori cuiuſdam fœminæ Doctori nuptæ ſolidos dies inſumeret.

Creſcebant interim Albenſium anguſtiæ, & pericula gliſcebant: cum enim die eodem miſſuros ſe arbitros colloquij Sabaudij promiſiſſent, timor inceſſerat, ne cognita inopia pulueris bellici, ſuperbiam faſtumq́; inducerent. Offerenda tacentibus occaſio loquendi videbatur; quæ tamen cupitæ deditionis imaginem non præferret. Miles itaque cum captiuorum qui Albæ attinebantur, catalogo ad Guerrinum in caſtra miſſus eſt: legationis ſummum erat, vt honeſto belli commercio, cum captiuis Monferratenſibus Sabaudiorum captiui mutarentur. Guerrinus quot Monferratenſes in cuſtodia haberet, & quà conditione forent, neſcire ſe reſpondit; curaturum tamen vt accepto cenſu, par pari referendo inuicem transfigeretur: ſe tamen Aleramo Comiti ante alia colloqui cupere; certiori compendio belli difficultates componi poſſe. Quia de concedenda ciuitate agendum erat ægrè ſe Aleramus precibus ſuorum induci paſſus eſt, vt Sabaudio Capitaneo congrederetur. Sed poſtmodum vbi ſe conſenſui imparem vidit, & cæteros deditionem tamquam neceſſariam probare, iturum ſe recepit; ſi tamen qui conſilium afferebant quatuor, illi teſtes eorum quæ tractauiſſet, addidiſſent. Duo Vexilliferi Italus vnus, alter Alemannus, cum Sargento Stortiliono, & Comite Conſtantino Radicato nominati. Medio inter caſtra loco vtrique conuenerunt. Conditionum ratio apud Aleramum erat, exceſſurum ſe ciuitate, ſi toto triduo externo ſuorum auxilio non ſubueniretur: Guerrinus præſentem deditionem requirebat: neque enim adueniſſe, vt longiori mora victorum præmia ſuſpenderet. Vbi tamen conſtantem ſententiæ Aleramum vidit, vnum ſe diem nobiliſſimi viri gratiæ concedere dixit; quamquam hoc ipſo tempore, Pedemontanum, Sangeorgium, & Dominum de Vrſeò cum ſuis centurijs affuturos ſciret. Sex quoque tormenta bellica conuehi; vt cedentibus iam honoratior ciuitatis deditio, quam victoribus receptio videri poſſit. Neque inanes minæ, aut vani terrores fuerant: nondum enim elapſo tempore plura millia cum ſuis Ducibus venerunt. Tandem inter altercantes conuentum, vt niſi externo auxilio ciuitas iuuaretur, in oppugnantium poteſtatem ſponte concederet. Reuerſus Albam Aleramus Senatori ac Spadino, quid cum Guerrino ſtatuiſſet retulit.

Et illi concordiam finemq́; belli lætantes accepêre; ſcriptóque ſe parta complexuros promisêre.

Aleramo longa vigilia ac laſſitudine fracto, & inter difficultates eluctanti, paulò poſt ſcripturam detulerunt, & vt Guerrino transmitteretur orarunt. Intempeſta nocte Centurio Diani, cum ſex ruſticis puluere bellico onuſtis ciuitatem ingreſſus eſt, trecentæ & quadraginta libræ erant: detulitq́; à Capitaneo Garoſio literas, in hunc modum: Toletanus mihi vt quingentos auxiliarios vrbi inducam imperauit; ipſe enim cum duodecim peditum millibus, & equitibus octingentis, tertium intra diem auxilio præſens accurret. Triginta quatuor ſacculos ſingulos librarum decem pulueris ignei ad te mitto; & ſecutura nocte plus deferri curabo: quamuis egeſtate te conflictari non putem: nam paucos ante dies miſſo alio puluere neceſſitati ſubueni. Exiliit ſpe futuri Aleramus, miſſoq́; Dianum eadem nocte Decuriore, orauit, ne noctem quæ diem Lunæ præcedit elabi fineret; ſed cum quingentis quos ſe deducturum promiſerit, beneficio noctis vſus itineri committeret. Non enim tenebras illi, aut viarum incerta obfutura; nam & ſummo turrium ignes excitaturum & campanarum ſono deuios in ciuitatem directurum. Die ſequenti misêre ad Aleramum Sabaudij, vt quas ipſe cum ſuis deditionis conditiones in caſtra miſerat, prior chirographo firmaret. Ille promiſſi & expectati auxilij ſpe diuerſa excuſabat, vt maturatum ſubſidium porta dirimeret. Ne tamen hoſtis parum rebus ſuis profuturam iram accenderet, Spadinum ad Guerrinum miſit cum mandatis; vt ambiguitatibus hoſtem detineret, quò ad nox imminens auxilium inferret, & ſe promiſſis exſolueret. Dati acceptiq́; obſides: miſſus enim in caſtra Senator Albenſis, & Comes Scotia; receptus Guerrinus, Federicus Aſinarius, & Grottus Sabaudio à ſecretis. Hi ad Aleramum deducti, quem febris labores ſubſecuta ſtrato attinebat, diu conditiones deditionis agitauêre: cumq́; Aleramus venturi ſibi in tempore auxilij certitudinem obſtare diceret, quò minus ciuitatem permitteret; Sabaudij euentu irrito ad ſuos reuerſi ſunt.

Nocte quâ Dianenſes promiſerant, cum quadraginta ſclopètarijs Caroſius ciuitatem ingreſſus eſt. Decem pulueris bellici libras ſinguli tulerant; teſtati reliquos noctis obſcuritate via excidiſſe; ſed eos quoque mox cum puluere, & armis affuturos. Paulo poſt quinquaginta alij venêre; ſed cum per tranſuerſa delati bis Tanarum vado tranſiſſent, madentem puluerem, ipſi humore defluentes, intulerunt. Eadem nocte tres exploratores ad Caſalenſes ac Nizenſes ab Aleramo miſſi opportunè redierunt. Hi ſubſidij ſpem nullam; nec Monferratenſes aut Hiſpanos Albæ ſolicitudine teneri, faſſi ſunt. Et modò datam fidem Aualum apud Hiſpanos perſtrepere, modò conſtantiam obſeſſorum laudare, modò deditionem commendare; inter ſpem metúmque, & futuri incerta conſilia huc illuc ferri. Dianenſe auxilium meritò inane Aleramo viſum; deceptúmque ſe promiſſis & expectatione videns, conſilij participes omnes conuocauit, præſentem neceſſitatem, ſuorum ignauiam, quidque exploratores detuliſſent, aperuit; denique quid in futurum ſuaderent, requiſiuit, quod vnuſquiſque ſcripto committeret. Spadinus, cum centum pedites, & pulueris vim illatam diceret, literiſq́; Auali intra tridum illum cum auxilio futurum teſtaretur, eius tridui moram à baudijs exprimendam, interim fortiter tuendam ciuitatem, & honorem ſtrenuæ operæ ſectandum ſuadebat: Quod ſi fortuna auxilium diſtuliſſet, tum deſcriptis ante conditionibus, deditionem faciendam. Capitaneus Burgundus tridui quidem inducias poſci ab hoſte poſſe reſpondit, quod ſi tamen abnuat, ſancitis ante pactis inſiſtendum, & coactam deditionem faciendam, eadem Ioannis Iacobi Gamberæ, Ioannis Franciſci Regij, Ioannis Stephani Caualli, Petri Pauli

Locadelli

Locadelli, Sebaſtiani Mellanæ, Bartholomæi Altorij, Henrici Papalardi, ſententia fuit: Quibus iam Auali infirmitas, & Hiſpana cunctatio ſpem omnem abſtulerant.

Conſtantia Spadini, & fatalis abeundi neceſſitas, quamquam ſuſpenſum conſilij Alcramum tenuiſſent, plurium tamen voto actus Comitem Scotiam & Stortilionem in caſtra hoſtium miſit; vt conatu omni in diem tertium deditionem traherent: faterentúrque pactis præteritis locum non eſſe; quæ iam inductum quingentorum auxilium, cum bellico puluere irrita feciſſet. Elapſo, non ſpe noui ſubſidij, non vllis excuſationibus bellum nouaturos; ſed ijs conditionibus quas ſemel probauiſſent ciuitate exceſſuros. Audaciam ſimulationémque præſenti ac præterito parum competentem Sabaudij riſêre; dimiſſiſq; qui venerant imperarunt, vt Alcramum diſcriminis ſuorum admoneret. Probè enim ſcire ipſos, vix centum cum puluere humore corrupto, & omnium egenos eâdem nocte inductos: Proinde niſi pacta ſemel ſancita rata habuiſſet, promiſcuâ vi omnes cæde vſuros; & in ciues ferro ac igni militari licentia animaduerſuros. Id tamen Spadinum non mouit, quin teſtaretur Auali literas certum auxilium promittere. Et quidem plus animorum quàm ſecuritatis eo in conſilio erat; non enim octo poſt deditionem diebus vllæ auxiliares copiæ apparuerunt. Fames inſuper continuo labori acceſſerat; quid ciues farina deſtituti, in ſingulos milites vix tertiam alimentorum partem præſtari ſolitam diuiderent. His difficultatibus implicatus Alcramus, ne ciuitatem ac militem exitio daret, Martij die quinta deditionem fecit, publicè vtilem, ſibi etiam honoram: Nam & Duces cum omni militia, liberè Nizam proficiſci à Sabaudio permiſſi ſunt, ſonante timpano, vexillis expanſis, armis, funiculis igne micantibus, ac globis ad ictum paratis, nec non impedimentis omnibus. Sed & inter cætera promiſſum fuerat, ne corporibus, facultatibus, honori, præcedens ciuium conſtantia noxæ eſſet; neve quocunque prætextu legibus dictis fraus fieret. Die ſequenti cum vna porta Monferratenſes excederent, altera Sabaudij in vrbem ingreſſi ſunt: quodq; Sabaudius publica fide vniuerſis promiſerat, integrè ſeruauit. Alcramus recta Mantuam delatus, quamquam æmulorum detractionibus ob acceleratam (vt ferebant) conceſſionem ciuitatis accuſaretur; pronum tamen in rem ſuam Mantuanum, neceſſitatis gnarum inuenit; fidemq; ac fortitudinem illius publico ſcripto approbauit.

Albam Sabaudius capit.

Paucos ante dies, cum vxore Mantuanus in Patriam redierat; & quamuis medio tot amiſſorum oppidorum dolore intempeſtiuam attuliſſe lætitiam diceretur, ingenti tamen celebritate ſponſa excepta eſt: non ſolùm quod illius animus ad continuos aduerſæ fortunæ ictus occaluiſſet; ſed etiam quia illa forma ac virtute merebatur. Cum enim apud Caſalenſes ageret Camilla, noua ſolicitudo incidit, quod cò cundum Mantuano erat vt præſens ſuarum miſeriarum hiſtoriam proſpiceret; ne æmulatione aut veteri amore coniugium recens turbaret, coacta eſt ſacrarum virginum ſecreto, nulla tamen inſtituti mutatione ſeſe abdere; & Mantuam primùm, mox Ferrariam miſſa eſt, quòd vicinitas non placeret. Quarto verò fere ab illinc anno monaſtico inſtituto ſacramentum præſtitit; ſiue ſic rebus ſuis conducere crederet, ſiue hortatu amicorum, ſiue metu. Eius quidem negotij cura nobis commiſſa fuit; vidimuſq; multis cum lachrymis illam ſacro habitu indui, & plures ante dies magnis queſtibus Deum iniuriarum vindicem conclamare. Præceſſiſſe quin etiam inter illam & Monachum, quo ad ſacras confeſſiones vtebatur, ſecreta quædam & arcana ferebantur; vt ſi ſors tuliſſet, inuita vouiſſe probaretur. Sed nos tantùm manifeſta cognouimus, quæ Cardinalis Serra Pontificius legatus prudentiæ ac ſanctitatis incomparabilis, nec non Dominicus Campus, Epiſcopi Vicarius, vir probatiſſimæ integritatis firma-

Mantuanus cum coniuge in Patriam venit.

Camilla fit Monialis.

Digitized by Google

runt. Sed id quoque integrandæ hiſtoriæ cauſa coniunximus quamuis plures poſt annos euenerit.

Cum Albæ obſidium inciperet, didiciſſetq; Mantuanus, Sandamiani caſum fortitudini Gallorum imputari, ſcripſerat ad Reginam literas per ius ſanguinis, per obſtrictum eius miniſterio animum, per Gentium fidem orans, ne Gallos ſuos per Monferratum ſæuire fineret, ſed properantes in eam expeditionem retineret; Aldigherium verò & cæteros eius auſpicia ſecutos reuocaret: nil eo bello virtute Sabaudij, ſed vniuerſa virtute militum Aldigherij patrata dicens. Eo ſubſidio deſtitutum Sabaudium, vt non Hiſpanis parem, ſic nec Monferratenſibus ſuperiorem futurum. Scire illam quod ſacramentum ipſe, quod Niuernienſis conſanguineus Dux ſequeretur. Denique flagirabat ne immeritum nepotem hoſtili vi perſequeretur. Multa in Aldigherium congerebat; diuini humaniq; iuris oſorem, veterem hoſtem, ſacrilegum appellando. Inuenêre Mantuani literæ Reginam parum Sabaudio æquam, & Hiſpani Regis cogitationibus congruentem. Et quaſi per Aldigherium ſtaret quò minus Italiæ pax eſſet, Dominum Chrequi eius Generum cum ſecretis mandatis in Pedemontanam miſit. Et hic quidem licet ſpeciem officij Sabaudio obtulerit; ſtatim tamen innotuit, non alium in finem veniſſe, quàm vt Aldigherium Pedemontano bello abſtraheret, votoq; Reginæ componeret. Chrequi haud dubiè credebatur Sabaudium hoſtem reputare, quod fratrem illius incertis natalibus ortum, more gentis ex prouocatione peremiſſet; vindicemq; metueret; conſuetudine mortalium, magnas iniurias condonatas non opinari.

Mantuanus queritur de Gallis cum Regina.

Regina Gallia reuocat Aldigheriū in Galliam.

Vbi Chrequi in caſtra venit, diu Socero altercatus, non aliud tamen retulit, quàm dignitatis ſuæ neſciam Reginam pernicioſa Regno conſilia probare: iuſſoq; Genero ad ſuos regredi; non placuit cauſam aduentus illius aperire, vt proinde ſinceri prorſus animi fidem non fecerit. Vbi in Delfinatum venit, parum ſanguinis, minus Regiæ obligationis memor, vt Socerum in omnes eas difficultates præcipitaret, quibus redire cogeretur, nixus eſt: non permiſſa in id belluni inuenruti licentia, non datis armis, non publico delectu tolerato; tam fruſtra hæc, quàm crediderat fortiſſimum ſenem quæ Regni Gallici exiſtimationem continerent, alieno quàm proprio conſilio tractaturum. Aſperitas quoque verborum, & conuicia quæ ſibi à Mantuano ingeſta nouerat, recolens, quomodo reuerentiam ſui incuteret, meditabatur. Sæuæ hiemi, & humentibus locis miles eluctatus, quamuis laborem victorijs leuaſſet, requie tamen indigebat. Diuiſus itaque per vicina, & Sabaudius cum Aldigherio Aſtium profecti ſunt. Graui interim ſolicitudine Toletanus angebatur; quòd Dux fidei commiſſus, præda Sabaudio eſſet, & quod Galli non vnam iam victoriam numerantes, plus quàm crediderat virtutis exeruiſſent. Proinde Alexandriam & Flizanum verſus cogere exercitum, & in ſpeciem copias augere properabat. Ducem illis Oroſcum impoſuerat. In Rochettam quoque Tanari ſexdecim peditum Hiſpanorum vexilla miſerat; tertio à Flizano milliario; vt aduerſus hoſtem iter illud inſiderent; quod Sabaudium aſpexiſſe coniectauerat. Aduerſo etiam amni duas onerarias, commeatu bellico onuſtas ab Alexandria ſubuehi imperauerat, manifeſto cogitati belli argumento; & quod in procinctu eſſet.

Toletanus copias Flizanum promouet.

Curæ militum intentum, & eo Toletani motu expergefactum Sabaudium, Ludouiſius ac Bettunes iterum deprehenderunt: Qui ſtudio pacis indefeſſi, per inacceſſas brumali frigore vias incedentes, ſtrenuè à Pontifice ac Regina commiſſo ſibi officio fungebantur. Difficultatem omnem apud Mantuanum venia rebellium & deſciſcentium complectabatur. Cum enim ille iteratis Catholici Regis officijs hactenus ignoſcere abnuiſſet; aduerſus maieſtatem illam certo obſequio,

Digitized by Google

ſequio, quod eius precibus non dediſſet, nullius in poſterum gratiæ ceſſurum ſe teſtatus fuerat. Notum id Regi Gallo, qui oratori ſuo apud Catholicum imperauit, vt nouis literis Mantuanum in id ipſum induceret. Neque tamen decantatam rem toties, repetere voluit, ſed monuit ſolummodo Mantuanum, vt proprijs vtilitatibus examinatis, quò illum neceſſitas flexiſſet, inclinaret. Sic ambiguo conſilio Mantuanus incerta reſpondebat; vt modò annuere, modò refragari videretur; & quoties auctoritas Catholici proferebatur, aut inſcio Gallo parêre non poſſe dicebat; aut ſi Gallus inſtitiſſet, Hiſpanum appellabat, profutura colluſione ſi interim quos prætulerat, rerum ſuarum cuſtodiæ laboraſſent: ſed inconſtantia ſolummodò detecta; vt eandem intra diem, ſæpius abnuiſſe & probaſſe conſilium videretur. Ita nec Toletanus certam amicitiam; nec oratores plenam ſibi rerum fidem promittebant. Faba illa (vt dicunt) in illius caput cudebatur; cuius Monferrati pars multo maxima detracta, & imminuta exiſtimatio fuerat, quæ vna continet Principatum.

Hoc ferè tempore Sabaudius Sangeorgij virtute, & ſtrenua prætetitorum bellorum opera probata; viſoq́; cuius maximè miniſterio ſæpe profeciſſet, & æſtimato præcipuè illius apud Caſalenſes domus ditura, quæ maieſtatem Ciuitatis ante alias præferebat damno; ne nobiliſſimi viri labor cum iactura foret, vniuerſa illi caſtella Comitatus Sangeorgij Canaueſij regia liberalitate conceſſit: Sangeorgium, Ciconium, Luſilium, Cucelium, Orium, Môtelongum, Foglitium, Vulpianum; bonaq́; tam feudalia quàm allodialia quæ eo tractu eiuſdem familiæ Comites Henricus, Horatius, & Michael Franciſcus poſſidebant; & ne viro tantùm, non etiam poſteritati collata largitio videretur, ea duraturo totum æuum fideicommiſſo illigauit, quod primo loco ortos ſpectaret: excluſis ea dominatione Comitibus qui Mantuano obſequio corrupti, indignos ſe gratia illius reddidiſſent. Neque leuis donatio fuit; aut vt in bello inanis credita: Manſura enim apud illum victore Sabaudio videbatur, & ipſe imperturbatam poſſeſſionem retenturus. Quamquam aliquot poſt menſes ſancita cum Hiſpanis pace, ea in veteres Dominos redierint. Vulgatum Mantuæ rumorem ſilere in animum induxeram; niſi hoc præcipuè argumento apud Pontificem & Reges Dux pietatem ſuam in Sabaudium probauiſſet. Vocatum internûcium Venetorum Antelmum, poſt meridianas epulas in ſecreta domus, prædicto ſe de re magna & atroci habere quod illi communicaret, in Sabaudium flexit; profeſſus velle ſe eius iniquitates certo animi candore vincere. Perſpectum ſibi flagitium, & paratum veneficium, quo Sabaudius è medio tollatur, dixit, ſe tamen curam hoſtis Chriſtiana caritatê ſumpſiſſe: Proinde vt ſenatum ſuum flagitij certiorem faceret, & vt ſuo nomine Sabaudium certiſſimi periculi admoneret, orauit. Conſtans & tempori opportuna Antelmi prudentia fuit: cum enim Mantuanus præceps diſcrimen dixiſſet, nec tarditate euntium, & redeuntium curſorum tutò arceri poſſe; ipſe ſe feſtinatum nuncium Taurinum miſſurum mox Venetias obrulit. Gratiorem fore magno Principi ſolicitudinem, & magis profuturam. Si tamen auctorem ſceleris & conſultores docuiſſet, à quibus illi cauendum eſſet. Sed vbi ſub fide commiſſum, nec prodi amicum poſſe Mantuanus addidiſſet, ſtatim vanitas patuit. Neque enim depelli à ceruicibus parricidium, niſi cognito auctore potuiſſet. Vt tamen ijs quæ licet vera ſint, non tamen probantur, Principes ſolent intendere, Antelmus miſſis ad Sabaudium literis, quid à Mantuano accepiſſet, aperuit. Sabaudius indubitato amore ſuorum, & propria magnitudine ſecurus, deſiderium eius quod cauere fingeret, potius quàm quod deteſtaretur hoſtis interpretatus eſt. Alij turbare ſuſpicionibus Sabaudium, & ficta pietate confundere, quem iniuriarum vindicem Mantuanus experiebatur voluiſſe dicebant. Nec plura ea de

Sabaudius donat Sangeorgio oppida Canaueſi quadam.

Mantuanus profitetur ſe Sabaudium ſeruaſſe, prodito in illũ Veneficio.

re competimus; vanuiſſe figmentum ſponte ſua certum eſt.

Sangeorgium quieſcente licet bello futuri cura intentum habebat, vt quid Toletanus pararet præuideret, quanti Rochettam Tanari inſediſſent, quis bellicus prouentus ab Alexandria ſubuectus foret, vt ſingula exactè diſceret, & fido nuncio communicaret, Collonello Sanpolo iniunxerat. Ille adeo comperta perſcripſit, vt nemo Ductorum dubitaret, bono conſilio præſidium illud expugnari, & eas itinerum anguſtias expediri ex vſu eſſe. Id maximè Aldigherius cupiuerat. Nam vbi cohortes paratum ingreſſuris pontem ſuperaſſent, oppidum octo ſolummodo paſſuum millibus ab Aſtio diſtabat. Octingenti Aldigherij equites expeditioni accingebantur. His vt peditatus Marchionis Vrfæi, qui Caſtilioni hibernabat iungeretur imperatum, quò ad Vallem Tanari ingreſſi, planicie commodam Rochettam, nullo muro firmatam, & latus alterum flumine rectam, expedita oppugnatione aggrederentur. Otoſcus quidem partem ambitus aggeribus ambire cœperat, ſed cætera feſtinatione ne rentata quidem fuerant; erantque vniuerſa confuſioni quàm ſecuritati propiora. Aldigherius ipſe leui laurea imminuere dignitatem noluit; ſed miſſis Dominis de Crottes, & de Mombruno, ſuis illos auſpicijs bellare ſatis habuit. Sangeorgius nullo victoriarum contemptu proficiſci noluerat, ſed pedibus æger Aſtij ſubſiſtere coactus eſt. Peditatus & equitatus abſentibus Ducibus in mutuas diſcordias prorupêre; & apud Mongroſſum (quam belli ſedem elegerant) totam noctam diſputationibus traxêre.

Longius tam Hiſpanorum exploratores, itinera Sabaudiorum & conſilia ſpeculari, certiores ſuos quid pararent; reddiderunt. Sed illi diſcordijs laſſati, non niſi prouecto iam die vicina Rocchettæ tenuerunt. Tum inuadendus locus erat: ſed nec peditatus eam expeditionem auſus eſt; & confluentibus Hiſpanorum auxilijs, malè habitus à moſchettarijs loci eſt. Cæſus enim Collonellus Sanpolus, & plerique ſauciati; dum ſibi quiſque tendentes parum conſulit in commune. Quod ſi ante lucem, & nondum aduocatis Hiſpanorum auxilijs, concordes oppugnationem maturaſſent, præuerti hoſtium conſilia poterant; & præſidiarij ante opprimi quàm externis iuuarentur. Nec aliud apud Rochettam Tanari actum eo motu, diſcordibus eorum qui venerant animis, & mutuò ſine Ducibus infenſis. Toletanus interim poſitis per diuerſa præſidijs, infrequentiæ ſuarum cohortium timens, quidquid per Langas dolo aut virtute cœperat, retractis ad ſe copijs, & puluere tormentario diſiectis munimentis, Sabaudio in priorem poſſeſſionem ituro permiſit, Calozum ſolummodo ac Cannellum, opportunitate ac ſitu illectus retinuit; quòd à paucioribus ſeruarentur; & ne vbi vniuerſa conceſſiſſet, victorem Sabaudium approbaſſe videretur, ea quoque munimenta quæ Cerbellonus ad Catinaram erexerat, diſiici iuſſit; ne qua pars præſidio inſidenda foret: & vt plures corpori exercitus aggregati, illud formidabile redderent. Sic vis eius omnis, & tot menſes bellum parratum, præter Calozum, Cannellum, ac Sangermanum, nil habebat; quod in cenſum victoriæ quæſtumq; retraheret; cum tamen Sabaudius prudentiſſimè victorijs vſus dimidium Monferratum, diſpoſitis qui tuerentur poſſideret: & eo initio metum cæteris incuſſiſſet. Aualus Mantuano famulatus, Hiſpano tamen ſacramento cogitationes Toletani perſpectas habens, plures centurias quæ dedita Alba exierant Montilio immiſerat; opinione certa retinendi municipij: Nam & ſitus & præſidiariorum numerus, bellicos apparatus ſub imagine pacis æſtimans, ſpem dederat. Iis tamen inutiliter cunctantibus miles Sabaudius Montiſchiari, nocturnis ac diurnis excurſionibus agrum omnem circum vaſtabat, diripiebàrque; vicino receptu, & ſi opus habuiſſet, affuturi ſibi ſtatim auxilij ſecuritate.

Galli irritè Rochettam Tanari tentant.

Toletanus præter Calozũ & Cannellũ cætera Sabaudio relinquit, demolitis arcibus.

Haud

Haud procul loco Calcauagnum vicus Monferrati erat; & in ea domus viri nobilis, aduerſus breuem inſultum ſatis valida: in quam nonnulli populares facultates domeſticas tamquam in tutum detulerant. Illecti præda Sabaudij, re comperta conferti aduolarunt. Et quia plura erant, quàm & perfunctoriè aſportarentur, præſidio locum immuniuêre. Id perſpectum Spadino viro occaſionibus intendo. Qui contracto popularium exercitu, medium inter Montechiarum, & Calcauagnum locum caſtris, ſeu inſidiis delegit: ne qua via hoſtibus ſubſidio pateret. Miſit quoque per interualla, qui multò maiori numero clauſos oppugnarent. Et hi quidem aduerſus ingentes copias inualidi, ſuperati ſunt, ferméque centum aut cæſi aut capti. Maior hinc apud Caſalenſes opinione ac re lætitia fuit; quàm Aualus palam excidio Sandamiani conferre non erubuit; amici gratiæ eas ineptias accommodans. Eius quoque literæ ad Mantuanum miſſæ, tamquam confecto fœliciter bello, ſumma exultatione exceptæ ſunt; eam tamen ſtatim deterſerunt animo tam leuia conſectanti, nouæ & inexpectatæ Sabaudij victoriæ. *Sabaudij improſperè Calcauagnum aggrediuntur.*

Calozum, vt diximus, Hiſpani, ducentis & quinquaginta Alemannis præſidiariis, tenebant; qui in ciues aſperè, in ipſam Dominam loci (quod opes & rem familiarem ſpectat) iniquiſſimè agebant. Nil ſatis offerebatur quod auaritiam expleret; quamuis nulla parſimoniâ alimenta conferrentur. Communes ſubditorum ac nobilis fœminæ querelæ erant; & eò intolerabilior dolor, quòd in proprio malo ne hiſcere quidem auderent, Toletani erga ſimilia neglectu, metu præſidiariorum, qui ſi lamentationes excepiſſent, imagine ſecuritatis, & prætextu perfidiæ, ſeueriores ſe vindices præbuiſſent. Quod vnum ſubſidij genus ſupererat, vniuerſi in Sabaudium vertêre oculos, quem mitem deditis, & inſolentiæ militaris acrem animaduerſorem nouerant. Secretò itaque ad Ducem miſerunt, qui municipium offerrent, & vt res ſuorum tutaturus adueniret, orarent. Ductus anguſtus & abditus humo erat, quò Sabaudios penetrare voluerunt; & municipij medio, nemini hactenus præſidiariorum obſeruatus.

Alto ſecreto negotium vallatum; nam præter Dominam, fidam ancillam, & paganum illi curæ deſtinatum, nemo ciuium quicquam excepit. Nocte intempeſta, Sabaudij obuio lumine, quod ſerua præmonſtrauerat, vniuerſi ingreſſi ſunt; cum Alemanni ſumno ac vino ſoluti altiſſimè ſterterent; & duraturam ſibi ſecuritatem ſomniarent. Eò ſpecioſior victoria fuit, quod nullo Toletani præuiſu, ſine ſanguine & caſu Calcauagni adhuc ſub oculis, nobiliſſimi oppidi receptus incidiſſet. Quo id honore Hiſpanorum, quibus animis inter obnoxios auditum ſit, opinari licet: quamquam Toletanus ampliora meditaretur, & iam Aſtium aut Vercellas gloriæ ſuæ deſtinaret. Qui Montilio inerant Alemanni vincti Aſtium deducti; à piiſſimo tamen Duce humaniſſimè habiti: quamuis illi æſtimatione nobilitatis ac Patriæ cœpti belli pœnituiſſe dicerentur; quòd Germani Germanicum ſanguinem Regium, infeſtis armis proſecuti forent. Quod tamen Auſtriaco Principi (cuius generi ſeruiebant) operam accommodaſſent, excuſabantur.

Sabaudius tum Taurino Aſtium redierat; quò illum paulò ante graues curæ aduocauerant. Cauſa regreſſus illi Ludouiſius ac Bettunes pacis ſtudio indeſeſſi & longa negotiatione exerciti fuerunt. Et quidem vtrique abſtinere Sabaudij congreſſu petierant; vt cui certum eſſet pactis Aſtenſibus nil addere, aut detrahere: & vbi rebellibus ac damnis condonatum foret, reſtitutione mutua concordiæ accedere. Poſtrema hæc tum primùm exprimenda ſibi neceſſitate Mantuanus cognouit; didicitque ob id, & nouis indies ſe malis lacerari; & quò plus diſpendij, ac iacturæ per Monferratum accepiſſet; eò minorem damnorum *Mantuanus incipit videre neceſſitatem ſibi eſſe, ignoſcendi rebellibus, & cōdonandi damnis illatis.*

rationem haberi poſſe. Quin imo amicitiæ ſpecioſo nomine, plura ſuos ab Hiſpanis pati, quàm à irato hoſte Sabaudio. Huic collocuti Oratores, & haud dubiè deprehenſa apud illum cauſæ iuſtitia Toletanum Alexandriæ conuenêre: quo ille relicto Flizano venerat: Aut ingrata, aut ambigua reſpondit; vt dubium non eſſet, ſi per Mantuanum licuiſſet, pacem in vicino eſſe. Sed metu ſui retentum, tamquam ſub pædagogo dictata repetere, & ea ſe facturum teſtari, quæ Italo Principi libero Hiſpanus homo imperauiſſet. Nil toto eo anno pluribus contentionibus agitatum; quàm an rebellibus venia concederetur, & damnorum (quæ fidem haud dubiè excedebant) memoria obliteratetur. Nec ſimul Mantuanus inſtabilitatis ſuæ mala expertus, ſalutare conſilium tandem (ſerò licet) admiſit: Niſi Toletanus tot legiones ſuas, tam diu huc illuc tractas, ſine honore alicuius celebris victoriæ, dimittere grauaretur; & pacem ſolummodò tum probaturus foret, vbi inter conditiones audiretur, Sabaudio quoque ab ipſo aliquid reddi, quod nobili facinore cœpiſſet. Id Sabaudio notum, cui nulla Oratorum negotiatio adeo intenta occurrebat, vt belli curam remitteret. Meliorem poſſidentis conditionem decantato adagio ſciebat; ſiue id retineretur, ſiue bono pacis reſtitueretur.

Dum itaque Toletanus cogit militem, nouæ expeditionis formam digerit, recipiendi Montilij ac Sangermani conſilia voluebat: Iam enim Hiſpanos agri vniuerſi poſſeſſionem ſibi permiſiſſe viderat. Itaque Pedemontano Principi filio, vt ſuis cum copiis Santiam peteret iuſſit: Hinc vias omnes obſideret, curſores equites circumquaque dimitteret, denique Sangermanum famæ premeret; quod iam alimentorum inopia & frumenti ſubuectione arctatum, parum futuro poſſe fidere videbatur. Sanriæ quoque rationem haberi voluit, & munimenta loci priori firmitudini reddi, quæ Hiſpani præcedenti anno diiecerant, imò & in domos ſæui vniuerſa ferè cremauerant. Montilij oppugnationem Sangeorgio crediderat qui peditibus Gallis omnibus, & duobus equitum millibus, necnon quinque tormentis bellicis deductis, iniquum licet iter, & cœno præpeditum, diem intra vnum emenſus eſt; tormentiſque iam ad ictum implantatis, cœpit mœnia quatere: tandem aperta fulminatione via, comportatiſque ſcalis in aſcenſum, ſupremæ neceſſiratis ciues admonuit, vt deditionem innoxiam præferrent. Colloqui Duci orarunt, obtinuerúntque. Sed dum inſequentem deditionem cunctabundi rejiciunt, & pactis quibus ij qui venerant conſenſerant, nimis fidunt, Gallorum iram prouocarunt: Tarditatis enim intolerantes, & iam non vno prælio probata virtute, conferti, qua tormenta rudere foſſam oppleuerant, ſuggreſſi, magno impetu in oppidum irruperunt. Dubitatio miſerrimis exitium tulit: victores quippe prædam pro ſanguine ac ſudore repetentes, & vindictæ inſtantes, in direptionem ac cædem procurrerunt. Plures præſidiariorum confecti, multi captiui abducti, quidquid facile aſportatu erat, auectum. Iubebat quidem obteſtabatúrque Sangeorgius, ne arbitrio obtemperantes, ad inſtar hoſtium perderent; ſed mucronibus ſanguine imbutis, & auaritia efferatis animis, ne mortis quidem comminatione, mitiora perſuaderi poterant. Et ipſi ſuarum virium æſtimatione licentius audebant. Sangeorgius quoque precatiæ ſe genti impoſitum, & quâ ſe caritate proſequerentur ſciens, quámque ſtrenuos ductauiſſet, moderato illos imperio continere decreuerat; vt non prohibita in tempore vtilitate fortius nauarent.

Sangeorgius Montilium capit.

Paulò poſt monitu cuiuſdam cui Moretto nomen, à Comite Riuaræ, defuncti Octauij Equitis fratre, Caſalenſis arcis præfecto miſſus Sargentus Spadinus in villam Atti, vt Boido Vexillifero, eius loci Caſtellano colloqueretur; diſceretq;

quid

Digitized by Google

quid facto opus eſſet, vt abſente Sabaudio exercitu oppidum amiſſum ſecreta ciuis proditione reciperetur. Morettus, Rozza, Horatióque Camagna eius loci milite præſentibus, ſeſe muro domus ſuæ, quo loci extrema clauduntur, foramen ingens nocte cauaturum, per quod Mantuani milites acciperentur obtulit; datumq́; venientibus ea in parte lumine ſignum, cuius ductu rectà procederent. Facilem aſcenſum dixit, noctémque qua exequerentur præſcripſit. Alphonſus Guerrerius Præfectus Monferratenſis equitatus in eam curam electus, contractique pedites quorum opera vteretur. Nocte facinori præſcripta equites peditéſque Monferratenſes, è regione oppidi ſiti, in orientem vſque ſignum expectarunt: ſed cum nuſquam comparere ignem, nec eſſe qui ſigno aliquo aduocaret viderunt, ſibi à multitudine Sabaudiorum metuentes, ad ſua regreſſi ſunt. Morettus queſtum villam Atti venit, quod ſeſe certo periculo obieciſſent, nec ſtudio ſuo reſpondiſſent. Nuſquam illi ignem, ſignúmve aduocantis micaſſe reſponderunt; ille tamen teſtabatur & accendiſſe ſe, & diu militem expectauiſſe. Sed in foramen regreſſum, ventorum impetu lampadem extinctam repperiſſe. Sic vniuerſi deluſi; & in poteſtate Sabaudij Montilium toto belli tempore manſit. Roccam Arazi Heluetij pro Hiſpanis tenebant, ad hos miſſus exercitus; & qui Sabaudij nomine teſtarentur, eos aduerſus pacta, quæ eorum natio cum Ducibus Sabaudiæ concordaſſet, agere. Quas enim arces obſediſſent dedere Sabaudio debere. Illi nullis argumentis induci potuerunt, vt obtemperarent; prætextu obſequij in Domum Auſtriacam; & quod oppidum illud Sabaudiæ iuriſdictionis non eſſet. Sic regreſſus miles; & quod hiemis reliquum quieti datum: quaſi bellum in benigniorem anni tempeſtatem rejiceretur. *Sabaudij irritè tentant Roccam Arazi.*

Aldigherium nouas expeditiones meditantem, graues nuncij perculerunt, Delfinatum prouinciam magno motu tumultuari; Gouernettum ante alios ſcientia & opinione rei militaris, ſui fama pleroſque trahere docentes. Sed & oppugnatione Soiſonis expletà (quam Comes Ouerniæ ſibi ſumpſerat) Concinum (paulò poſt miſerè perditum) nixibus illius acceſſurum; vt Delfinatus ac Sabaudia ſtimulantibus Hiſpanis inuaderentur. Nutrire quoque Reginam conſilia; quæ non aliud potentiæ ſuæ conducere credebat, quàm ſi Hiſpanos amicitia illigaſſet. Nec dubium erat Hiſpanorum deſtinationi Concinum ſtudia ſua accommodauiſſe. Nam & Cambraiæ tormenta bellica in eum vſum conflauerat; & vniuerſi Regij Conſilij participes, eo tantum ſydere vtebantur: non alium in finem quam vt debellato Humeniæ Duce, proſcripto ac fugato Niuernienſi, Bullionæo extra Regni terminos in Sedam ciuitatem illius pulſo, obſtrictis ſacramento Guiſiis, captiuo Condæo, vniuerſa Concino accederent: Documento quomodo magna fortuna quos ſupra merita extulit, ferè maiori caſu illidat. Grauiores turbæ Aldigherio viſæ, quàm vt à longè creditam diligentiæ ſuæ prouinciam agitari ſpectaret: Itaque tranſgreſſus Alpes; licet militem ſuum Sabaudij miniſterio reliquiſſet, qui tamen aliis auſpiciis bellare neſcius, paulò poſt abeuntem ſecutus eſt. Quod equitum ſubſtitit, luſtrato primùm ad Seſiam agro, in Vercellenſes à Sabaudio deductum, vt Toletanum ſolicitudine exerceret. Credidit ille, & vniuerſas ferè quas ſub ſignis habebat copias Monferrato intulit; Trinum, Ponteſturam, Moranum iuxta; factóq; ſupra Padum ad Fraxinetum ponte, ſecurum ſibi Alexandria Nouariam iter fecit. Sabaudius exercitus ſuos, per Aſtenſem ac Vercellenſem agrum diſpoſuit; permiſſa dierum aliquot requie; quoad mitius cœlum, ad eas agendas inuitaſſet. *Toletanus exercitum Monferrato inducit.*

Pridem Mantuanus Monferrati tutelam omnem omiſerat; non prorſus neglectu, ſed Hiſpanis eam ſolicitudinem vſurpantibus; dummodo vſibus copiarum ſedem ipſe, & alimenta prouinciæ contuliſſet. Secuta grauis valetudo

Digitized by Google

iuuenem longo languore detinuit; coactum plures dies calenti cubiculo, & exſiccantre inedia vti, vt contagio vetus ſi quæ erat, & capitis vertigo diſſoluerentur. Vbi conualuit, eodem prolis deſiderio æſtuare cœpit. Tota vrbe ciues ad ieiunia, ſacras largitiones, & teatuum pœnitentiam inuitati; vt eo pietatis exercitio, fauore Numen accurreret. Neque tamen voti compos redditus eſt, licet plures id aſſiduis precibus ſuperos orarent.

Maius penè exierat, cum Toletanus famam ſui apud exercitus ſeneſcere, & increſcere res Sabaudias ægrè tolerans, nemini communicato conſilio Vercellas obſidere aggreſſus eſt. Ponteſturæ agebat. Hinc cum viginti ferè peditum & tribus equitum millibus & quingentis, quos tota Italia corraſerat, nec non magno tormentorum bellicorum apparatu in eam expeditionem proceſſit.

Vercellas Toletanus obſidet.

Vigeſima tertia menſis, extrema iam neceſſitate arctato Sangermano, maiotibus cauſis omiſerat; niſi Vercellæ ſtudium omne aduocabant: ſequenti primùm quo flecteret cognitum; nam & equitarum præmiſit, & ſubſequi peditatum in eam partem iuſſit. Nec fortuita miſſio, aut iure belli id requirente fuit, ſed cum ciuitatis Iudice (quem Poteſtatem appellant) ſecretis pactis conuenerat, vt accepta pecunia ciues proderet. Quingenti equites vectis totidem peditibus erant, qui portam Diui Andreæ petere debebant, vt præcepto aditu, ciuitatem ſecuturis aperirent. Caluſij Marchio rem omnem, Gubernatoris nomine regebat. Hic habita rei coniectura, & paratis quingentis moſcherrariis & ducentis equitibus ſpem hoſtium eluſit: Nam exceptos acriter repulit, & durante conflictu, terro ad ſuos egit. Poteſtatem vero perfidiæ ac maieſtatis reum ſuſpendio perdidit. Eo belli initio Campi præfectus Spinellus, quod Toletanus frontem exercitus alij permiſiſſet, nobili indignatione exarſit; & (quod tantùm in ſupremum dominum licet) niſi honeſtis ſolatiis leniretur, depoſiturum ſe ſuorum militum curam, & in Patriam reuerſurum comminatus eſt. Sed vt frequens, nullo ſuperiorum culpa, confuſio exercitus agitat; & vbi modus adeſt ſtatim deponit, vocatum mollitumq; virum multo cum honore eius apud exercitum retinuit. Eodem die haud procul mœnibus, Pimerelli curſores equites captiuos fecêre duos vexilliferos, & Capitaneum quendam. Conſcij proditionis dicebantur; quòd ſeſe proſequentibus obruiſſent; & ſcirentur apud Belgium Regiis in armis plura ſtipêdia numeraſſe. Ducti ad Toletanum captiuorum more, præſidij numerum vireſq; aperuêre: & ideo in dolo crediti, quòd extra tormenta interrogati promptam nec titubantem fidem inueniſſent. Præcedentem equitatû, volantes (vt vocant) turmæ ſequebantur; quibus Ioannes Brauus præerat. Molatrinam quandam inſederant, vix ab vrbe ſexcentis paſſibus. Et quidam quantum nondum eductis caſtris, & in repentino aduentu licet, decliui ſe loco texerant. Primus ab vrbe globus certo omine futuri (nam multo ac nobili ſanguine Vercellæ captæ nec receptæ ſteterunt) Comitem Montis Caſtelli, Ferdinandum Porres, quatuor inſuper certæ nobilitatis milites cenſuit. Hieronymum quoque & Garziam fratres Pimentellos vulnerauit. Horum malo docti cæteri, maturè eductis aggeribus ſeſe aduerſus eam vim muniuêre. Solidandis munimentis quatriduum inſumptum: nec ciuitas ictibus quaſſata; quod nondum cætera belli inſtrumenta in caſtra proceſſiſſent: & dedita opera, omiſſa à Toletano conuectio fuerat; ne qua coniectura Sabaudius ſua conſilia aperiret. Quippe Vercellarum obſidium præuidiſſe viſus eſt; quod plures ante menſes, ciuitatem magno præſidiariorum numero, & commeatu firmauiſſet, quodq; magnis Ductoribus illius curam commiſiſſet.

Poteſtas Vercellarū prodere vult ciuitatem, ſed deprehenſus punitur.

Ergo vbi eò verſos Hiſpanos didicit, nequà pars diligentiæ deſideraretur; quamquam ſuis tot contra millibus eluctandum erat, mille ferè moſchettarios, & ducentos equites laborantis addidit; non tenebrarum beneficio, ſed

medio

medio die vſos, certæ fortitudinis argumento. His omnibus duos magni nominis viros præfecerat Baronem Simai, veteri militia & longo obſidionum vſu probatum; cui præcipuè ciuitatis cura demandata fuerat. Et Dominum Cianſtonum, machinatorum Europæ ea tempeſtate præcipuum; quique pluribus obſidionibus, aut toleratis aut viſis, virtutem famámque ſimul induerat. Hi claro die Seſiæ lateri inuecti, & vel deceptis vel neglectis Balioni cohortibus, aut (quod traditur) congredi non auſis, mœnia ingreſſi ſunt. Non annonæ non paleæ aut avenæ ſolicitudo ſuberat; quæ Sabaudius plures ante menſes, in omnes curas effuſus, magno ſtudio ciuitati importari fecerat. Eo ſubſidio auctos fuiſſe Vercellenſes tulit iniquiſſimè Toletanus, deſidiam ſuorum, & formidinem accuſans: teſtatúſque eſt aut cædi omnes, aut acceſſu arceri, ſi ſtrenuè accurriſſent, potuiſſe. Secutus à longè Toletanum Sabaudius extrema exercitus Hiſpani carpere adortus eſt. Sed iam expediti vlteriora tenuerant; ægros tamen ſauciósque, cum Medicis ac Chirurgis ſimul vectos, quæque in eorum curam comportabantur, intercepit. Qua fama feſtiuè iocatus Toletanus in Sabaudium dicitur: quaſi iis impedimentis hoſtem ſuum implicari voluiſſet.

Vltima die Maij caſtra aggeréſque formam ſolidi munimenti acceperunt. Quorum pars Italis, pars Germanis, pars Hiſpanis permiſſa, vt diſiecta ſingulorum virtus noteſceret, & mutuò fortitudinis incitamentum eſſent. Quintum in diem contentionibus certatum an Campi Magiſtri, caſtrorúmque Præfecti curatum & onerum nonnulla rejicerent, nobiliq; facinore has illáſve ſedes requirerent. Spinellus quà Sabaudij auxilia proruperant, inſidere iuſſus: Roo Cappuccinos, & tractum illum ſeruare, cæteri per ſua quique loca diſpoſiti.

Audita Regiæ obſidionis fama Princeps Vincentius Mantuani frater, tamquam & Eccleſiaſtico inſtituto & matrimonio ſolutus, otiumq; execratus, fratrem obnixè orauit, vt ſibi ad id bellum proficiſci liceret, & Hiſpani Regis auſpicia ſecutum excludere deſidiam; tantoq; Monarchæ præſtita ſeruitute gratificari. Mantuanus quamquam nullo adhuc domi ſucceſſore, objicere diſcrimini fratrem videretur, annuit tamen, inſtructúmque nobili comitatu Vercellas ad Toletanum miſit; qui aduenientem obuius multo honorum cumulo excepit, Principem appellauit, imperare Italis, & plures dies ab eo excubitores ſignum accipere voluit. Studium quoque eius & iuratam Regi operam commendauit, ſpopondítque certo ac maturo cum præmio futuram. Statim in iuuene Regiæ indolis argumenta patuêre; quòd pericula rideret, cum cæteris eandem fortunam ac labores ſubiret, impetia Toletani oraret, & quod maximè arduum, ante alios exequeretur. Vix creditum in iuuene, nunquam hactenus delitiis patriæ auulſo, tantum facilitatis, comitatis, ſecuritatiſque eſſe: aut tot Principum populorúmque amorem conciri poſſe. Vna omnium in eo exercitu vox erat, verè Principum ſanguinem, ſummam nobilitatem, fortitudinem virilem, regiam munificentiam iis legionibus Vicentium intuliſſe. Nec alio certiori argumento imprimi garrientium animis opinio poterat, coniugium illi non puerili leuitate, ſed deſiderio ſucceſſionis contractum. Plus in fratre doctrinæ, in Vincentio prudentiæ fatebantur; & quoties occaſio inter milites laudationis inceſſiſſet, non aliter quàm comparatione abſoluebatur. Quod ſi bellum diutius, & Toletano exercitus moderante fortuna traxiſſet, ſtabili ſententia durandi Vincentius nauaſſet. Iam enim incommoda, vigilias, labores, corruptis nominibus & inuerſis, oblectamenta, voluptates, delitias appellabat expetebatúrque: non iactantia aut inani faſtu, ſed obitis ſtrenuè diſcriminibus teſtatus, eum ſibi ſenſum penitus fuiſſe. Exerceri tum Sabaudium, & à Monferrati malis ad ſua tutanda conuerſum Mantuanus gaudebat; & licet proſperis Hiſpanorum rebus

Digitized by Google

exultaret, proceſſu tamen temporis, amitti Vercellas poſſe ſperabat.

Hanc lætitiam Regis ac Reginæ Galliæ ad eum literæ confuderunt: quibus monebatur, numquam illi pacem, & Monferrati quietas res futuras, niſi damna illata Sabaudio condonaſſet; & rebellibus priſtinum honorem, auitas opes, patriámque reddidiſſet. Et haud dubiè (quod iam ſaniora conſilia admiſiſſet,& eadem Hiſpani mens eſſet) conſenſui illico paruiſſet, gloriæ ſpecie; quaſi ſeruator Italiæ depræliantibus Principibus, leui erogatione, & conniuentia pacem dono dediſſet; ſed nec Toletanus aperta in eam rem diſſerebat; & quoties mentio Monferrati occurrebat, graues Mantuani iniurias appellabat, ingenſq; Sangeorgij flagitium. Vt promptum iudicatu eſſet, ambigua licet eloquentem, manifeſte vindictam commendare. Sed & quorundam Galliæ Procerum literæ Ducis animum extulerant,vt priori conſtantia negaret; aſſeuerabántque alieno rogatu literas ac preces Regem tranſmiſiſſe, imò probaturum quæ ſibi vtilia & honora Mantuanus credidiſſet.

Eo tempore Franciſcus Surdus Reſidentis nomine pro Mantuano Pariſiis agebat. Hic poſtquam Regia conſilia, & vota illius Aulæ præſcripſiſſet; addidit queri Regem de neglectu ſui poſſe; quod communi ipſi & Sabaudio cauſa, hic Oratorem Comitem Morettæ miſiſſet; Dux verò ſuus nullo honore legationis Regiam Maieſtatem coluerit. Plus auctoritatis res ſuas præſente Oratore habituras; cauſámque plus opinionis ac fidei. Delegit itaque Paulum Gulielmum Andræaſium Rodij Comitem (quem titulum legatione ea functus Marchionatu mutauit) miſitque in Gallias cum literis & mandatis; quarum argumentum erat: nec iure poſſe, nec debere, nec decus Regium ſpectare, condonari Sabaudio damna, quæ Monferrato intulerit; aut rebellibus adhuc apud hoſtem agentibus ignoſci. Illi me ſocium Mantuanus dederat, vt immixtus illius Aulæ ſermonibus, honeſtis de illo relationibus Principum aures imbuerem. Quod in cæteros Ducum Oratores honoris & munificentiæ conferre Galli Reges ſolent, Andræaſio tributum. Res tamen legationis nihil intus beneficij reportauit; non Rege ſolum, ſed & Villaroenſi, Silleriòque eadem concordi voto probantibus, quæ literis olim miſſis expreſſerant. Coram quidem laudata Mantuani cauſa, & Sabaudij vis damnata; ſed eius in Sabaudium iniuriæ & præſtitum Hiſpanis ſacramentum obliquè inſectata. Cædes quoque & excidia per Monferratum, nec non grauiſſimi belli initia ipſi imputata: & comminatio peiorum (velut à longè præſagium foret) oſtentata. Mantuani mores, & quæ voce ac ſcripto vulgata fuerant primum auditum gentis occupauerant; vt ſtudium quoque noſtrum fruſtra fuerit, impoſſibilia & præiudicatæ ſententiæ credi enitentium. Regina mater Bleſſij tum velut domeſtico in carcere agebat; quò illam filius regni ſeditioni metuens relegauerat. Regio tamen permiſſu, Andræaſio inuiſere, & literas Mantuani nepotis deferre licuit: ſed & Dux Lotharingus (quod eo itinere eundum nobis erat) ſororij literis ſalutatus eſt; oratúſque vt ſubditos ſuos Sabaudiæ militiæ dare nomina prohiberet. Nec id quidem obtentum; quòd ſui iuris populos,& quoties libuiſſet ad externa bella procedere, veteri iure poſſe dicerentur. Reuerſus Andræaſius Mantuanum apud Caſalenſes reperit, vt parum præteritis euentibus,ſic minus recentibus Regis literis recreatum. Quam enim ſpem compenſationis damnorum & in rebelles vindictæ denuò admiſerat, proiicere debere videbat: nec apud Regem legationis expenſâ, vlla in re profeciſſe.

Paulus Gulielmus Andræaſius Orator pro Mantuano in Gallias.

Iunij ſexta cum ſolutis Alpium niuibus, & continuo imbri flumina ac riui in immenſum creuiſſent; víſque profluentis & ſoluiſſet pontes, & traxiſſet; nec ob id vicini neceſſitati caſtrorum occurrere poſſent; ea alimentorum inopia Hiſpa-

Hiſpani fame laborãt.

Hiſpanæ copiæ conflictatæ ſunt, vt diurna annona aureo nummo æſtimaretur; pluréſque egeſtate panis dies aliquot carnibus veſcerentur. Et niſi præcipites curſu amnes ſuperſtagnantes aquas imminuiſſent tridui ſequentis mora, totus exercitus fame confici potuiſſet. Vſus opportunitate Sabaudius, in Alemannos mille & quingentos moſchettarios immiſit, vt eos loco detruderent, & tormenta ferreis clauis configerent. Eo motu ciues exciti, in eoſdem impetu inuecti ſunt. Certatum acriter; & licet munimentis pelli Alemanni non potuerint, ingenti tamen ſtrage fœdati ſunt. Neque protſus incruentus is Sabaudijs conflictus fuit: eorum tamen plures ciuitatem ingreſſi ſunt; & auctus numerus præſidiariorum. Ardente prælio, Hiſpani in Sabaudios verſi, primùm retinuêre ferociam; mox incaleſcentibus animis, & reuerſo Creſcentinum Sabaudio, tota moles in Gimbettæ Marchionem incubuit. Ille diu ſuſtentata acie ſuorum, vbi diffidere eos viribus, & multitudine obrui vidit, ſignum receptui dedit, ſed dum acrius enititur, colligit ſparſos, ſimúlque & pugnat, & proſpicit, vulneratus in mortem eſt; & cum illo nonnulli ſauciati. Nimia fortitudo eam cladem tulit; & ſi Marchio Sabaudij monito auſcultaſſet, ſuperſtes & victor ad ſuos reuertiſſet.

Hiſpanorum & Sabaudiorum certamen.

Quo die Toletanus Ponteſtuta in bellum profectus eſt, mille ferè & quingentos ſuorum à tergo reliquerat, vt inanem Sabaudiis metum facerent, quaſi aduerſus ſecuturos irrupturi forent, aut Creſcentinum inuaſuri. Pauciores fuiſſe quàm vt conſilio ſpecies eſſet, & Creſcentinenſes numero viribúſque ſuperiores, cum iam procul Toletanum, nec ſupereſſe qui auxilio accurrerent, ſcirent; facta eruptione medios excepêre. Pugnatum ab Hiſpanis forti animo; vbi tamen frequentes ſuorum cædes & intempeſtiuam virtutem cognouerunt, elapſi certiſſimum exitum ſunt. Creſcentinorum triginta deſiderati, Hiſpanorum fermè trecenti, & inter eos plures nobili ortu, & bellicis muneribus conſpicui. Hinc latè apud Hiſpanos formido illata; cautioréſque in futurum redditi. Cianfronus ſtatim ac in Vrbe fuit; qui prouentus bellicus, quæ pulueris copia intus eſſet, ſpeculatus, ad amicos conuerſus dixiſſe fertur; deceptum opinione Sabaudium fuiſſe; cui ciues per literas teſtati ſunt, magna pulueris copia ſcatere pænu Vercellenſe; deprehendere ſe tamen vix in vigeſimum diem tolerendæ obſidioni ſufficere: Quo enim pluribus tormentis ab hoſte res ageretur, eò plus ignium in propugnatione inſumendum. Itaque miſſi plures per interualla, qui excubijs hoſtium vitatis, Sabaudium veritatis & neceſſitatis admonerent. Ille ad famam inopiæ obſtupuiſſe fertur; vt qui ei præcipuæ ſtudio intentus; & ingentes pulueris bellici aceruos cogere in maſſas ſolitus, ſuorum relatui crediddiſſet; nullibi locorum maiorem vim quàm Vercellis eſſe. Proinde trecentis equitibus fortitudinis expertæ electis, ſingulis certum pondus addidit, iuſſitque audacter hoſtium caſtra perrumpere, & ampla à ſe virtutis præmia expectare. Illi non ſecreto magis quàm fortitudine nixi, iam vicina renuerant, cum ab excubiis detecti ſunt. Hoſtium aduentu conclamato, Hiſpani Equitatus Præfecti, & Spinellus cum quingentis moſchettarijs aduolarunt. Præceperant bellum quingenti equites, quibus demandata Seſiæ cura fuerat; centúmque inſuper Moſchettarij, qui ripam fluminis, educto modico munimento ſeruabant. Nuſquam maior fortitudo viſa; cum Sabaudij numero inferiores, ac nouis hoſtibus impetiti, non vim ſolum congredientium retinerent, ſed ſæpius vrgerent, fugarentque. Iam in tutum euaſerant, niſi fortuna magnis conatibus ſemper infenſa, fortiſſimorum virorum virtutem infregiſſet. Cum enim impulſis Hiſpanis; & peditatu equitatúque fugato, in viam ſe Vercellenſem feſtinantes dediſſent, eorum cuiuſdam ſaccum, fortuitus ignis corri-

Creſcentinienſes Hiſpanos cædunt.

Equitum Sabaudiorum finiſter exitum.

Digitized by Google

puit. Ab hoc in cæteros fuſa peſtis, iumenta hominéſque vſſit ac diiecit; & deformi ſpectaculo campum omnem reliquijs cladis operuit.

Ductorem Dominum de Floës habuerant; magnitudine animi nulli poſteriorem: Hic cum viceſimo altero comite, per mediam hoſtium aciem vectus, perfractíſque obſtantium contis in Vrbem euaſit; ſuos voce elata compellans, animánſque, vt quod Sabaudio Duci ſpondebant ſtrenuè exequerentur. Sed vis maior fortitudinem preſſerat, & ex cætero numero decem tantùm incolumes Creſcentinum regreſſi: reliqui aut igne conſumpti, aut in Seſiam præcipitati, aut capti ab Hiſpanis ſunt. Terroris nihilominus plus victoriâ quàm lætitiæ accepit. Certo enim documento Hiſpanis innotuit, quo ſibi cum hoſte res, & quantum virtutis labore ſuo ſuperandum eſſet. Conſpiraſſe fortuna in Sabaudium primo ſtatim ab ortu viſa, tamquam in hoſtem: quod ille ſe perpetuò potius virtuti ſemper crediđiſſet. Conſpiraſſe & alij; quod Chriſtianus Princeps, & Italæ libertatis propugnator, à quibus ſubſidium opperiri debuerat, gratuito vexatus eſſet. Non enim eo ſilente deerant, qui etiam de Romano Pontifice quererentur; quòd cum pacis commoda perſtreperet, & internuncio Ludouiſio vi omni pacem promoueret, cohortibus Neapolitanis per Sedis Apoſtolicæ prouincias liberum iter aduerſus obſequentem Principem permiſiſſet. Ipſa excuſatio tamquam Hiſpanorum mancipium diceretur, indignantes accendebat; & ſupremum Orbis Dominum inferioris arbitrio impelli, manifeſta Sabaudij pietate ferre non poterant.

Cinfronus præter Vrbis mœnia ſatis valida, & occultos receptus ad fallendum hoſtem, aggeres quoque mediæ lunæ forma parti externæ oppugnatoribus obiecit. Hi ſuperandi primùm erant, quàm in muros impetus fieret. Quod Hiſpani conſpicati, ne quod impedimentum victoriam moraretur, magna vi in eam molem ac virtute inuecti ſunt, obſtinuerúntque. Sed quia maiori conatu Sabaudij ſuggreſſos impulerunt, coacti omiſſis munimentis caſtra repetere. Alteri ſemilunæ parem vim inferre Hiſpani meditabantur; quam Sabaudij actis ſubter cuniculis exitio oppugnantium eduxerant; vt victores & ſe in tuto credentes latenti compendio perderent. Sed vbi in prælium ventum non ſuo tempore ignis immiſſus, quà eruptura moles credebatur, immota ſterit, fracto verò ſemilunæ latere triginta fermè propugnatores diſiecit. Die ſequenti cum iam munimentum illud Hiſpani occupaſſent, ab obſeſſis eruptione facta, non ſine ſanguine deiecti ſunt. Sed vt ferè bella iniquo loco ſumpta multo audentiorum ſanguine tranſiguntur; ſic cum ægrè expulſi Hiſpani, & victoria, Sabaudiorum multo ſanguine penſata.

Vana potentia ſub mœnibus.

Nulla dies Cinfrono ſine nobili aliquo ſtrategemate deperibat. Foſſam ingentem cauauerat, obiecerátque fumum madore alimenti denſiſſimum, qui proſpectum hoſti adimeret; Tum cogi aquatum in Seſiam boues iuſſit, vt illecti præda Hiſpani in inſidias incauti laberentur. Dictu mirum quanti ea res exitio fuerit: quod nemo ducentis pauciores perijſſe fateretur. Fauere ſtrenuis nonnunquam fortuna videbatur; nam plurium dierum pluuia campi vndabant, vt ſolido miles conſiſtere non poſſet. Tridentini pars fortiſſima oppugnantium, decliui loco initio belli capto, eo iam vti non poterant quòd arma, veſtes, ſtragula, alimenta, ſuperſtagnantibus aquis diffluerent. Itaque niſi tempeſtinè ſedes mutauiſſent, mergi numerus ille intra propria tentoria potuiſſet. In editiora traducti ſunt. Mutatione itaque loci, & conuectione impedimentorum occupatos egreſſi ciuitate Sabaudij impulêre. Sed illi ea in confuſione prælium ſibi imminere præuiderant; eóque arginis loco ad latera ſarcinas vectabant, viæq; & certamini pariter intendebant. Quòd ex diſciplina pugnam inchoauerint,

rint,ne partes magna cæde imminuerentur,obſtitit: licet audentiores Sabaudij, nullo propriæ ſalutis reſpectu ſeſe ad ictus offerrent.

Altero poſt die Toletanus, cum baculo innixus valli formam ſoliditatémque æſtimaturus, nullo armorum tegmine incederet, moſchetti ictum ſiniſtro brachio accepit. Elanguerat haud dubiè vis pulueris, vt decidiſſe potius quam ferijſſe globus videretur. Ille tamen incolumitatem ſuam fauori ſuperûm imputauit; teſtatus ſacras quas geſtabat reliquias præſens exitium auertiſſe. Non labor magis aut expenſa quàm ſuſceptum votum Toletanum angebat. Die enim Diuo Petro ſacro, ſe intra mœnia cænaturum fidentet iactauerat. Et vbi deſtinatis vires ſuas vix ſuffecturas vidit, ſpontaneam à ciuibus deditionem, honeſtiſſimis pactis quæſiuerat. Neque tamen reſponſo hominem Vercellenſe præſidium dignatum eſt, ſed purpureum primùm vexillum, mox atrum proſpectui obtulêre: quaſi facerentur, paratos ſe ſanguinem in mortem vſque prodigere. Arctæ tamen res eorum erant; tot nihilominus oppugnatores conficiebantur, vt nullus ab vrbe ictus fruſtra mitteretur. Conſtantia propugnantium ſtupore Toletanum defixit; cui iam certum erat parum intus rei tormentariæ eſſe; idque remiſſa iaculationum frequentia coniectauerat. Quando itaque deditione habere ciuitatem diffidebat, totus in vim conuertit, iuſſitque quatuor è partibus acrius ſolito rem geri, nulla propugnatoribus requie permiſſa, & deſiderio complanandorum mœnium,vt aſcenſui ſuorum viam faceret. Non minor illum Sabaudij cura ſolicitum habebat; quem campi circum Dominum & vniuerſa infeſtantem, repentino aliquo incurſu metuebat. Caſtra poſtrema parte, quâ Creſcentinum & Sarlia ſpectantur vallari, non minori firmitudine, quàm frontem Ciuitati obuerſam imperauit. Perceperat quin etiam ſuorum numerum magna portione imminutum; quod multos prælium ſuſtuliſſet, innumeri vulnerati, alij fuga elapſi forent. Vocatos itaque Campi Magiſtros, id præcipuæ diligentiæ requirere ſe dixit, ne inferri prouentum bellicum, aut induci auxilia ſinerent; ſed ſeruatis itineribus, eam vnam cladem vitarent. Illi locum ſe intrepidè ſeruaturos, & quantum humana ope licuiſſet,obuiam ituros promiſerunt. Auxit ſolicitudinem Manfrinus Caſtilionus, qui Sangermano egreſſus vt nonnullos Sabaudios equites Santiam euntes interciperet; quamquam ferè viginti, & hos inter nobiles aliquot cepiſſet, ſtatim vindicem Sabaudium expertus eſt. Et niſi forti viro, ſeptingentis moſchettarijs miſſis à Toletano ſubuentum foret, vniuerſi internecione perijſſent. Eorum tamen ferè trecenti deſiderati; & Sabaudius ſpolijs ac captiuis ditatus Santiam reuerſus eſt.

Procedebat ciuitatis obſidium, continuo Sabaudij metu; ne nouis incurſibus caſtra quamuis munimento firmata adoriretur. Ea cauſa non die, non nocte quies Hiſpanis erat; ſed per vices excubias ſeruabant, aggeribus indiuidui. Sors tulit, vt Ioannes Petrus Cerbellonus, tormentorum bellicorum præfectus, *Ioannis Petri Cerbelloni mors.* vir magnis natalibus, & pari virtute; dum aggerem, quo ſui tegebantur, media nocte inuiſit, moſchetti ictu conficeretur. Caſu fortiſſimi Ductoris Toletanus & exercitus omnis indoluit; & augebat mœſtitiam tot fugitiuorum, tot indies pereuntium reputatio. Cura in Petrum Meſſiam Hiſpanum, hominem nobilem, & belli diſciplinæ innutritum tranſlata. Neque ille delegato munere diu functus eſt; ſed eadem qua præceſſor fortuna, nec diſpari ictu ſauciatus occubuit. Die funeris quo Meſſias educebatur, Ioannes Brauus ſtrenuiſſimus copiarum Ductor, ſimulatione aſſultus, quò miles omnes Regius accingeretur, ſemilunam quam Sabaudij tuebantur, acto altè cuniculo ſuffodit. Aut breuior cauatus fuit, aut ſolidiori vertice deprehenſum. Summiſſo igni, non quà Bra-

uus deſtinauerat moles erupit; ſed fragore in ſuos verſo, ingenti ſtrage vicinos Hiſpanos affecit. Plus quàm ducentis ea res excidio fuiſſe dicebatur; quorum alij ſtatim exanimati, pluribus vapore ac flamma, artus lacerati aut ambuſti ſunt. Itaque licet anguſtijs ciues conflictarentur, Hiſpanis tamen indies difficultates accumulabantur. Inductum Vercellas auxilium à Sabaudio, cum ambitum vrbis omnem Hiſpani tegerent, & pluribus equitum millia vicina tranſcurrerent, compendio tradere flagitium credidi. Nec enim auorum memoria maior fortitudo, aut ſolidior in agendis rebus prudentia manauit. Vt non immerito Toletanus, famæ tanti Principis cætera iniquus, fateri non erubuerit, plus illi gloriæ, eo rerum articulo inducto ciuitati auxilio, quàm ſibi tota victoria acceſſiſſe. Ducis quidem animus & viuidum ingenium, tantum facinus ſuſpicari quidem, ſed prorſus credi non ſinebat. Neque Cinfronus ipſe tantum virtutis opperiebatur, licet ſummopere indigeret.

Sabaudius inducit Vercellas ſubſidium.

Alterum iam menſem ciuitas obſidebatur; & quia propugnatores Sabaudium monuerant, pulueris bellici inopia ſe teneri, nec ad neceſſarios ictus in tertium diem ſufficere; niſi cuniculis ſummiſſum, in præſidium vrbis detraherent, & aperto bello inſumerent. Decima noua Iulij erat; nec longiori deliberationi immoratus Sabaudius, cum octo peditum millibus, & duobus equitum, in propinqua Hiſpanorum ſucceſſit, Seſiam & Seruum amnes inter; datóque belli ſigno, à Sabaudiis ac Hiſpanis equitibus acre certamen inchoatum. Et quia totis copiis congredi Hiſpani abnuere, ne rem omnem vno diſcrimini obijcerent, ſatis ſe Sabaudius egiſſe credidit ſi tantùm hoſtes oppugnaturus veniſſe putaretur: nam parte alia ſummittere ciuitati auxilium cogitabat. Oldenigi horas aliquot ſubſtitit, permiſſa ſuis breui requie, ad Serui & Seſiæ confluenta; cum interim Carabini Sabaudij deſtinerent hoſtem, arcerentque. Sed eodem die iterum Sabaudius in certamen reduxit; tamquam munimenta hoſtium oppugnaturus. Marchio Vrſæus extrema exercitus claudebat; cui quadringenti circiter equites tria peditum millia erant. Et quia miſſurus Vercellas auxilium erat, additi muli puluere onuſti, & haſtatorum curæ plures ſacculi commiſſi. Iuſſerat Sabaudius vt cum captum inter ſuos & Hiſpanos prælium vidiſſent, perruptis impedimentis, vi omni in ciuitatem peruaderent, nouerat enim ea parte hoſtes munimenta non protuliſſe. Sufficere in plures dies propugnatores ſperauerat; quod Aldigherius accepta pecunia, iam tranſiſſe Alpes, & Bernenſium copiæ propediem affuturæ dicerentur. Prioris agminis copiæ inuadendorum hoſtilium munimentorum Seruum vſque prouectæ ſunt, & Vrſæus in ripam Seſiæ delatus.

Hic Sabaudios intros ordine compoſuit. Præmiſſi centum carabini, cum curſoribus equitibus: Hos ducentis moſchettarijs peditibus immuniuit; ſequebantur equites trecenti, inde peditatus omnis; poſtremum agmen carabini cogebant: Prouentus bellicus Capitaneo Meſmæo commiſſus: cui imperauerat, ne vlla certandi occaſione illectus, moras faceret; ſed feſtinatione quà maximè poſſet, Vercellas ingrederetur; dum interim ſocij pugna hoſtem detinent, & auertunt. Nulla hactenus promptitudo maior, pedites equiteſque in bellum tulit; quòd hos feſtinantes, illi continuo curſu aſſequerentur; nec bellantibus ſociis abeſſe periculo vellent. Quingentis ab vrbe paſſibus, vniuerſi incolumes, nec detecti deuenerunt: & cæteros quoque feſelliſſent, niſi vigil quidam euntibus obuius, ſocios ad arma conclamaſſet: qui tardius nihilominus in certamen deſcenſuri erant; niſi pons (quo vno vſi Sabaudij cogebantur) incertitudine copias detinuiſſet. Iuuit Hiſpanos impedimentum, vt equos conſcenderent, accurrerentque. Et Sabaudius ſuperato amne ingenti cupidine

certaminis non expectatis qui ſequebantur, curſu effuſo præcedentes ſequebatur; vt conferti & mutuò adiuti bellum inciperent. Id Vrſæi fortunam corrupit, vt multò poſt cum ſexcentis comitibus ſuccederet. Qui priores aſſecuri fuerant; cœptum iter proſecuti, in tres Equitum Hiſpanorum turmas impegêre, quæ iam audito diſcrimine in bellum properabant. His Sabaudiorum haſtati occurrerunt: cum interim moſchettarij plumbea glande fulminarent; nec omiſſo itinere, vrbis vicina iam tenerent, Sabaudiam conclamantes. Eo quoque loco alij ſeſe Hiſpani, vt progreſſum hoſtilem morarentur, obiecerant. Nouo nixu & conſtantia aduerſus recentem vim opus fuit. Itaque exceptos hoſtes, & ſuſtinuêre primùm, & facto cuneo laxauêre. Eo prælio multi ſublati; quos inter Octauius Gonzaga oculum ferraro conto traiectus, paucos poſt dies Mediolani finem habuit. Aggregatis interim ſubſidiis, creſcebant Hiſpanorum vires; quas cum pauciores Sabaudij numero, ferre non poſſent, denuò vadare Seſiam coacti ſunt. Nam præter numerum ingentem equitum; moſchettarij Tridentini, latera Sabaudiorum certo ictu fodiebant: Sabaudius nihilominus Equitatu fortitudinem ſuis addidit; iuuitq; vt ſuperato denuò amne, plures ſuorum ciuitatem ingrederentur. Et ſi Vrſæus, quod ſocij iter tenuerant, ingreſſus foret, quidquid Ciuitati ſubſidij inducendum à Duce acceperat, intuliſſet. Diu & pluribus locis inter aduerſos certatum; cum vniuerſi fortem operam communi operi contulerint. *Octaui Gonzaga mors.*

Ingreſſa Vercellas duo peditum, millia quadringenti equites, cum prouentu bellico, per mediam Hiſpanorum aciem, non vno loco, aut ſemel tantum oppugnati. Et in quo fides apud poſteros laboratura eſt, vix tam longo & pertinaci conflictu duodecim gregarij deſiderati. Cum partis aduerſæ multo plures, iique nobiliſſimi ceciđiſſent. Sabaudius nobili facinore glorioſus Iuream profectus eſt; vt ſe Bernenſibus, Gallis, cæteriſque, partes ſuas ſecutis coniungeret: non vana deſtinatione, vbi vniuerſi aduenıſſent, totis viribus Tolerano congredi; aut prælium abnuentem, ſuis in caſtris obſidere. Ille nulli vſui recens inuectos putans, ſi quem puluerem intulerant, pluribus aſſultibus prouocati abſtiêre cogerentur, ductores cohortium hortatus eſt, vt conferti & vi omni oppugnationem vrgerent. Non alio armorum genere procul habeti Hiſpani, quàm tormentorum & moſchettorum ictibus poterant. Et quia pluribus ſimul locis occurrendum erat, geminato congreſſu prouentum illum omnem abſumpſerunt. Quia tamen vi ciuitatem capere, commodis ſui exercitus non conducere Toletanus experiebatur, plus ſemel obſeſſorum fortitudinem expertus; nec quâ conſtantiâ deſperati in certamen ferantur ignarus, honeſtiſſima deditionis pacta proponebat. Neque intus Capitanei deerant, qui pactis accedere conſulerent & ante alios ciues, honori, incolumitati, ac fortunis ſuis viſo Sandamiani caſu metuentes. Imputari exemplum poſſe cognouerant: Miles quoque paucos ante dies ſubſidio inductus, vini inopiam inter labores ferre non poterat, vrgebatq; duces vt inoffenſi dimitterentur.

Conditionum pulchritudo, ne res diutius differretur, obtinuit; Nam in ea pacta conuentum, vt cuiuſcunque ordinis ciui, facultates, corpus, honor, intacta eſſent; vt priuilegia, cenſus, immunitates, quæ quis ante bellum habuerat, rata in futurum eſſent. Ne hoſpitio militem ciues acciperent. Ne Vallones, Tridentini, aut Monferratenſes præſidio imponerentur; ne cui gratuitam alimoniam præbere iuberentur. Vt abire ciuitate volentibus ſine fraude eſſet; ſecumq; fortunas ſuas deferre; abſenteſq; rerum ſuarum fructus percipere. Ne cuius crimen aut querela in diſquiſitionem in poſterum vocaretur, ſed à primo obſidionis die, in horam deditionis extremam abolita omnia cenſerentur: ſiue ea publica *Pacta deditionis Vercellenſis.*

forent, ſiue priuata. Vt Vercellenſibus bona in fiſcum verſa reſtituerentur. Vt cuius incolæ ſtabilia bona vendere, & pretium aſportare liceret. Vt ciues & præcipuè nobiles ciuitatis armis veteri conſuetudine vti poſſent. Ne cui Mantuano aut Monferratenſi Magiſtratus vrbis permitterentur. Vt ciues oneribus à ſuo Duce belli cauſa impoſitis lauarentur. Vt egredi ciuitate militibus liceret, cum duobus tormentis bellicis, pixide militari puluere plena, funiculis ardentibus, globis plumbeis ori inſertis, vt ad ictum, vexillis volitantibus, timpanis ac tubis ſonantibus. Vt vehendis impedimentis, iumentis curribúſque iuuarentur: Denique vt quò illos ire placuiſſet, liberum & ſecurum iter eſſet. Primus Caluſij Marchio pacta firmauit, mox alij; donec ad Cinfronum res delata; qui diu teſtatus poſſe in ſequens triduum ciuitatem retineri; nec ſe deditioni votum dare velle reſpondit, nec chirographo annuere. Toletani deſiderio cæteri ſatis erant. Cæterúm nemo mortalium erat, qui magnitudine conditionum æſtimata non agnoſceret, mutuò potius concedi ciuitatem, quàm permitti. Nec enim amplioribus legibus excedere loco Sabaudij poterant, aut turpioribus Hiſpani ſuccedere: vt iam certum eſſet, inter Reges pacem coiuiſſe; celeremq́; reſtitutionem ab Hiſpano promiſſam. Datum certè à Sabaudijs id gloriæ Hiſpanorum vulgatum eſt, vt captæ vrbis decus referrent; ne irritè tantum laboris & hominum prodigiſſe dicerentur.

Iulij vigeſima quinta Marchioni Montis Nigri educta extra vrbem munimenta conceſſa ſunt. Viceſima ſexta præſidiarij omnes Sabaudij exceſsêre; peditum tria millia ſeptingenti, equitum trecenti octinginta erant. Vbi deditionis auctores, conditiones quibus exceſſerant Sabaudio obtulerunt, exarſit, non aliud elocutus; quàm ideo Toletanum ſpecioſiſſima conceſſiſſe; quod ſenex callidus difficultates in victoria præuidiſſet. Et licet Gallo Regi ea conceſſione blanditus ſciretur, ne tamen gloriam omnem concederet, Marchionem, Capitaneum Euangeliſtam, & Lodium publica in cuſtodia haberi iuſſit; quaſi nulla ſcientia aut permiſſione eius, ſimúlque Cianfrono repugnante, Toletano ciuitatem conceſſiſſent. Regrediens Nouariam & Alexandriam Toletanus, Montenegrum Vercellenſibus Gubernatorem impoſuit. Arcis cura Ioanni Brauo commiſſa; cúmque ciues Hiſpanos ciuitatis præſidio deprecarentur, ſeruandæ tantùm arci admiſſi ſunt. Vbi vniuerſi Alexandriam venerunt, & expenſæ vim, numerúmque cæſorum in cenſum vocarunt, mœror omnium animos confecit, decem enim hominum millia ea obſidione amiſſa, fuga, labore, ægritudine, vulneribus deprehenſa. Proceribus quoque Italiæ, Hiſpaniæ & Germaniæ luctuoſa lætitia fuit: tot ea expeditio principes viros abſtulerat. Perierant quippe Alonſus Pimentellus, equitatus Præfectus, cum quatuor ſummæ nobilitatis commilitonibus, Franciſcus Padilia tormentorum bellicorum Rector, Comes Cerbellonus Padiliæ muneri admotus, Cremonæ Gubernator, vnius ſolummodò diei adminiſtratione vſus, Luiſij Corduæ Sargentus. Tormentorum præfecti Vices-gerens, eques Melzus equitatus olim in Belgio magiſter, Comitis Sulzij germanus, qui Alemannis præerat, Sargentus Maior Tridentinorum, Guaſcus equitum Ductor, Comes Cerbellonus ſuperioris frater, & eodem officio donatus; Philippus Spinola Marchionis Spinolæ filius, Alonſus Caraffa Ductor Neapolitanorum equitum, Fernandus Toletani conſanguineus, Comes Montis Caſtelli, Octauius Gonzaga, Mantuani conſanguineus, Capitaneorum Hiſpanorum ferè viginti, & totidem ferè Neapolitani. Vallonum è tanto numero, ſoli tres Capitanei ſuperfuêre, Tridentinorum plerique cæſi; quorum vt conſpicua ea obſidione virtus fuit, ſic cædes frequentior in audentiores, promiſcuæ nobilitatis tot deſiderati, vt ſingulorum curam haberi copia non ſinat. Cúmque innumeri ſauciati fuerint,

Cæſorū ſub Vercellis numerus.

rint,

rint, nemini tamen quæſtuoſa ea militia dicitur: quod præcipuè moderna diſciplina proſpectat.

Cœpta in Principem Bozoli indignatio, ad inuidiam quoque familiæ eius apud Mantuanum adoleuerat; vt in perniciem Principis filij ſtudium conuerteret. Agri vix octo iugera, Olio flumini continua erant, quam Reſtaram populares vocant. Hanc Bozoli Principes longo vſu & poſſeſſione renuerant, nemine Mantuanorum Ducum ius illud hactenus turbanre, aut in dubium vocante. *Mantuanus Prin. Bozoli vexat.* Itaque nouator quidam rabula, ad turbandas non expediendas componendáſue res natus; dedecore ſui Domini & malo innocentis domus gratiam ſibi parans, ſcripto quodam nonnulla imaginaria iura Fiſci complexus eſt; eáque veluti comperta Mantuano tradidit: opportunè occaſio incidiſſe viſa; & eo libentius recepta, quòd vis omnis & iniuriæ quæ in iuuenem Principem innocentem parabantur, honeſti ſpecie indui viderentur. Et quo ſub imagine temperantiæ cuncta acciperentur, eundem impoſterum Bozolum Mantuanus miſit, vt iurium inani prætextu, Reſtaram à Principe repoſceret. Neque tamen more belli Ducem vti velle teſtatus eſt, ſed certiori partis ſecuritate contentum, arbitris vtrinque delectis auſcultare; vt ſecundùm quem cenſuiſſent, ius in futurum eſſet. Reſpondit Princeps per literas & miniſtrum, acceptam ſibi conditionem eſſe; nec aduerſus Ducem ſuæ Gentis Principem, aliter quàm humili obſequio certaturum. Sed quia Olius fluuius, qua parte ſinus ſuos alluit, iure gentium ſibi debetur; cupere id pariter compendio finiri; ne qua litis occaſio, duraturam ſibi aduerſus eam Celſitudinem reuerentiam infringat. Tum Mantuanus de Reſtara ſibi controuerſiam, non de amne dixit. Illam ambiguæ poſſeſſionis, Olium flumen immemorabili conſuetudine Mantuanorum Ducum eſſe; & Bozoli Principem, beneficio aut pretio, vſos in præſentem profluenti. Cúmque non aliud à prudenti iuuene exprimi poſſet, quàm Reſtaræ poſſeſſionem compromittere nolle, niſi Mantuanus quoque in idem diſcrimen flumen conieciſſet; exarſit iſte; & miſſis lictoribus, captiuos aliquot à Reſtara Mantuam deduci imperauit, quorum ea in re nulla culpa erat. Bozolanus peditatu & equitatu collectis (quamquam enim moderatis prouentibus, multa tamen hominum millia ſui dominij numerat) vt veterem Reſtaræ poſſeſſionem vſu dominandi roboraret, alios paganos Mantuani voto ſeruientes, capi & Bozolum duci iuſſit; non aliud apud præſentes elocutus, quàm conſanguineum ſe, & comi obſequio Mantuano deuinctum eſſe velle; res tamen ſuas vel fuſo ſanguine tueri paratum. Starim miſſus à Duce, qui Iſabellam Principis matrem amouere Olio Molarrinam innatantem præciperet. Et illa quidem ne filios maiori vexatione obijceret, fertur obtemperaſſe, quamuis filius mox & reponi fecerit, & confinia munimentis temporarijs armauerit.

Plus virium Mantuanó erat, quàm vt Bozolanus aperto bello congrederetur: quantum tamen ſuis opibus valuit, eluctatus violentiæ eſt; & miſſum in ſua damna exercitum retinuit, quò minus arbitrio laſciuiret: ne tamen molatrina non mergeretur prohibere non potuit; quamuis communicata Mediolanenſi Gubernatori iniuria, aduerſus præualidum, honeſtiſſimæ ſuæ cauſæ ſubſidium oraſſet. Toletanus non inuitus tutelam Principis ſumpſit: Iam enim quidquid à Mantuano hoſtilitatis illarum foret, conſenſu interpretantium vetuſtiori indignationi imputabantur. Et Epiſcopus Mantuanus Principis Parruus, pietatis, ac prudentiæ probatæ, veterique miniſterio Hiſpanis gratiſſimus, à Toletano flagitauerat, ne domum ſuam odio potentioris dedi pareretur. Venêre inde ad Mantuanum literæ, quibus conſilium dabat, ne cauſam ſuam cum Sabaudio paritate nocendi, & exemplo violentiæ corrumperet; ſed controuerſias aliud in tempus

reiiceret, quoad præſentes motus vtcunque componerentur. Sic reductæ molatrinæ, & Reſtaræ poſſeſſio apud Principem veterem Dominum manſit; coacto nempe Mantuano obſequium Epiſcopi, viri ſanctiſſimi, & conſilium Toletani, iuribus quæ præſumpſerat, anteferre. Res omnis in Februarium ſequentis anni tracta eſt, nec amplius examinata.

Vt Vercellarum expugnatio Hiſpanorum victoriam auxerat, ſic vires imminuerat; cæſis, vt diximus, innumeris; & dimidia exercitus parte vix ſuperſtite. Infrequentes proinde centurias Toletanus explebat nouis delectibus; & ſi externus miles cunctaretur, populares ad cenſum aduocabat, ſiue proſequi bellum cogitaret, ſiue vindicem Sabaudium ſuſpectaret. Huic enim multa militum millia è Gallis, Lanſcenectis, & Bernenſibus acceſſerant; vt viginti ferè millium numerum implerent. Equitatus quatuor millia ſuperabat. Potior tamen cura Toletani erat; ne Sabaudius Alexandriam exercitui ſuo monſtraret; cuius poſſeſſione ſciebat, eum tractum Mediolanenſem contineri. Sed & Monferrato copias induxerat, vt opulentia prouinciæ præteritam egeſtatem ſarcirent. Parte alia Sabaudius Aſtio metuebat, ne Hiſpani ciuitatis obſidionem iterum aggrederentur, & ex Vercellis Aſtium coniectarent. Queri iam Mantuanus ſimilia onera dedidicerat; receńſque Gallorum irruptio perſuadebat, vt potius Hiſpanos vellet. Iam enim Gallorum vis Alpes tranſcenderat; & Aldigherius Monſeniſum, eo ipſo die ſuperauerat, quo Vercellenſes pacta deditionis acceperant. Tria pariter equitum Gallorum millia Comes Ouerniæ Sabaudij pecunia miſſurum ſe in Pedemontanum bellum receperat; ſed ſpes Ducis cunctatione corruperat. Et hinc apud nonnullos aucta ſuſpicio præuaricationis; quaſi Hiſpanorum vtilitati, non Principis à quo aurum acceperat deſeruiret. Illi enim multo ante, vt Sabaudium Gallico auxilio nudarent, regnum in partes pretio ſecuerant, quamuis mox ſaniora Principes edocti, debitum Regi ſuo obſequium, eiurata externa fide præſtiterint.

Sabaudij exercitus.

Toletano mora omnis ex vſu erat; & quia tractationibus nugíſque ſoporare Sabaudium nitebatur, Ludouiſio ac Bettunes modeſtiſſima reſpondebat. Hos conſilij Toletani certiores factos, Sabaudius monuit, ne ſpecioſis promiſſis aures accommodarent; ſed illum ad præciſa reſponſa arctarum vrgerent, an concordiam Aſtenſem ratam vellet; & an quæ ſecuto bello, ex hoſte vtrinque capta ſint, veteri Domino reddi placeret. Tergiuerſari Toletanus ad hæc, ambigua proferre, modò Regis ſui voluntatem requirere, modò metuere, modò in Mantuanum (cuius indemnitati ſtuderet) modò in ſocios belli, difficultates reijcere. Sic detecta ſimulatio quietis, & bello potius, quàm paci pronus animus nudatus. Chiuaſſi Aldigherius Sabaudio collocutus, rerum ſecuritatem in eo necti agnouerunt, ſi procul ab Aſtenſi agro Hiſpani arcerentur, quod illi bellum intra Pedemontis viſcera concoquebant, ipſi medijs finibus Mediolanenſium inferrent.

Septembris initio Sabaudius cum Principibus filiis Victorio ac Thoma, nec non Aldighetio Flizanum verſus profectus eſt. Octo enim peditum millia, & Alemannis, Hiſpanis, Vallonibus, & Heluetiis mixtus exercitus, flos ac neruus Hiſpanorum virium, inter Flizanum, Refrancorum, Roccam Atazij, & Annonum Toletanum diſpoſuiſſe acceperat. Nouerat etiam nullo ea loca munimento firmata, & facilem ex ſingulis fore victoriam; ſi feſtinatis expeditionibus conatus hoſtiles præueniſſet. Primam aciem Sabaudius & Aldigherius, cum tribus equitum, decem peditum millibus ductabant. Sangeorgius cum quatuor millibus Bernenſium, tribus millibus Alemannorum, quingentis equitibus, & ſeptem tormentis bellicis ſequebatur. Gallicæ nobilitatis numerum inire arduum fuerit: tot

tot principi loco nati, tot Proceres equiteſque, Sabaudij Ducis auſpicia præfe- *Eius diuerſa victoria.*
rebant. Tardius Flizanum Sangeorgius delatus eſt; quòd tormentorum ac curruum ſubuectio difficilis, properantes & expeditos aſſequi prohibuiſſet. Priores vias ruperant, & cœno ſubducto molliuerant; vt poſteriores ſpatio & itineri eluctari ſimul tenerentur. Milites quoque Alemannos Comitis Schomberti expectauerant; quos aduentare indubitatus rumor detulerat. Dominus de Termes ac mox Aldigherius, inter Solerum & Flizanum medij, ita obſeſſos Alexandria diuiſerant; vt niſi ingenti prælio ab Hiſpanis fugati, auxilium ſuis ferre poſſent. Sabaudius ac Principes filij, quamquam pedites ad maturandum iter ſolicitarent, viarum tamen iniquitas & longitudo, feſtinantes vix tertiam poſt horam ad ſocios deduxerunt. Neque frangendæ militum vires ante bellum erant; ne medio in conflictu laſſi & languore diffluentes ſpem expeditionis deſtituerent. Sed & Marchionis Vrfæi, Mazerij, Bolij, Vanni, Montilieri, & Valeſanorum tantùm copiæ aduenetant; reliqui difficultatibus implicati, hærebant.

Aldigherius peditatum apud Flizani ſuburbia, præuiſa loci commoditate, conſtituit. Hinc mutuis ictibus obſeſſi & obſidentes acriter rem agebant: quia tamen clauſorum infirmitas diuturnam vim ferre non poſſe videbatur, miſère tubicinem Sabaudij, qui deditionem innoxiam requireret. Non abnuêre Flizaneuſes; eóque Dominus de Termes miſſus, vt concordiæ firmator. Qui poſtquam parere præſidium neceſſitati vidit, duos Capitaneos Tridentini præſidij, ad Sabaudium deduxit; vt cum Principe quas ante conditiones acceperant, firmarentur. Dimitti incolumes ſolummodo orabant. Iam tranſactum in re videbatur, cum procul Hiſpanus peditatus equitatúſque viſus, Aldigherium cum ſuis turmis illexit, vt perſequeretur. Nec Pedemontanus hæſit, ſed adſcitis etiam Thomæ fratris cohortibus effusè in hoſtem inuectus eſt. Tum remiſſi in oppidum centuriones Alemannorum, quoad Dux certior redderetur, ex arbitrio eos tantum recipi debêre. Vana ſpe miſeri decepti ſunt: cum enim equites Sabaudij; & pars peditatus Solerum verſus proficiſcerentur, ſocios & auxilium Hiſpanum rati, audaciam deploratis iam rebus induêre; miſſóque ad Sabaudium nuncio, teſtati ſunt eo ſe loco, niſi cum omnibus deditionis honoribus excedere decreuiſſe. Nam & arma, & impedimenta, & prouentum bellicum, cum vndantibus vexillis ſonante timpano, & funiculis ignitis, globíſque velle. Obſtupuit Sabaudius eam in deſperatione fiduciam, reſponditque; vt more belli vniuerſi caderent. Tum Marchio Badenſis, & Chriſtianus Hanaltinus Germani Principes, genti ſuæ decus incolumitatémque impetrauere: placuitque egredi eos loco, cum armis & funiculis extinctis. Vtrique Sabaudium eo bello ſecuti fuerant; fama magnitudinis Ducis illecti, & ſtudio bellicæ diſciplinæ. Obſeſſi vt recta Alexandriam deducerentur inſuper volebant; quod tractationem omnem diremit. Neque enim Sabaudius imprudentiæ accuſari volebat, quod copijs à ſe victis, hoſtilem exercitum auxiſſet. Repetitum itaque denuo bellum, & infeſtis ictibus moſchettorum, inuicem iras offenſaq; intenderunt.

Iam Sabaudius & Aldigherius, coniectis in fugam Hiſpanis ad ſuos reuerterant; & quamuis Flizanum ex aduerſo ingenti foſſa vallaretur, poſteriori verò parte prærupto ſitu Tanarus amnis laberetur, eóque expectanda tormenta nonnulli cenſerent, quæ nondum in caſtra vecta fuerant; Galli tamen ardore pugnæ prouocati, & tamquam in plus nimio confidentes efferati, contineri à ducibus non potuête, quin manus cum obſeſſis è vicino confererent. Duas horas pugnatum; & vrgentibus obſeſſoribus, propugnatores impulſi. Inſecuti victores Galli, igni ac ferro in obſtantia graſſati ſunt. Et primo quidem impetu multi cæſi, mox deponentre ira, & captis arma tradentibus, ſanguini temperatum. Sexdecim eo

conflictu ſigna militaria Sabaudius retulit; miles omnis in vincula coniectus, oppidum direptum incenſúmque; frumenti vis ingens (quod aſportari non poſſet) concremata. Audita ſtrage Toletanus victoriam Sabaudij eleuaturus: nil mirum (inquit) quod quatuor hoſtium legiones, inerme & nullis munimentis tutum oppidum cæperint: neſcius haud dubiè, toto exercitu non Flizanum potius à Sabaudio, quàm frequentia & valida Hiſpanorum præſidia aggreſſa; vt vel in plura ſimul loca bellum ſpargeret, vel multis congreſſibus ſufficeret. Octo enim Hiſpanorum millia ijs in locis præſidium ſeruare didicerat; & in propinquo Alexandriam; quam tota mole Toletanus inſederat.

Eodem die comes Scombertus Sabaudias copias aſſecutus eſt; & Sangeorgius Refrancorum delatus, diſpoſitíſque in oppugnationem tormentis, ſpontaneam Alemannorum deditionem accepit. Illi cum armis & impedimentis dimiſſi; ſiue pronus in victoria Sangeorgius, victoriâ vniuerſâ æſtimaret, ſiue confœderati Sabaudio populi (quamquam tum aduerſi) pietatem nobilis viri expreſſerint. Annonum illi ſe receperunt. Die ſequenti militem ſuum Sangeorgius caſtro Quattordecio admouit. Inerant duo Tridentinorum vexilla. Et quia nullo intus præſidio tuti erant, nec tantam Sangeorgij vim crediderant, non ante victoriam concedere voluerunt, quàm diſpoſita ad ictum tormenta viderunt. Armis & rebus omnibus exuti recepti ſunt.

Proſperis hac parte rebus Sabaudiorum Sangeorgius Flizanum venit, vbi amicæ copiæ omnes hæſerant. Bidui mora fuit; quam præcipuè in partem flecterent, incertæ; donec exploratores curſoréſque cunctationem depulêre. Solerij quippe peditatum & equitatum Hiſpanum attineri docuerunt. Diuiſo in tres partes exercitu Sabaudij profecti ſunt: omnes enim occupatis effugiis intercipi poſſe credebantur. Pedemontanus & Aldigherius priores dextrum iter ingreſſi ſunt; Sabaudius & Comes Scombertus medio proceſsêre. Dux Roani ſiniſtrum cum ſuis tenuit. Sed Hiſpani viſo procul hoſte dilapſi ſunt, Alexandriam præcipites inuecti, inſequentes Sabaudios ingenti trepidatione vitantes. Intentos cui maximè parti incurrerent, ruſticus docuit Comientum mille & quingentos Vallones ingreſſos. Bene agendi occaſio offerri viſa, & præmiſſis carabinis Sabaudius cum Principibus filiis & Aldigherio, Colonello Taffino, Termes, Domino de Candales, Domino Broſſæ, Duce Roani in certamen accurrerunt. Sed iam Hiſpani loco elapſi, in ſecuriora tendebant; eos tamen curſores equites aſſecuti acri velitatione detinuêre; donec eos Sabaudius, Aldigherius, aliíque copiarum Ductores aſſecuti ſunt. Mille & quingentos ruſticus fuiſſe dixerat; ſed mille ducenti pedites deprehenſi, & nouem equitum vexilla. Ij tamen viribus parum fiſi, ſenſim cauo viæ ſeſe Alexandriam recipiebant; arboribus inſuper dextera parte tecti, ne proſequentium ictibus foderentur. Eorum tamen plures deſiderati. Neque Sabaudiis nullo ſanguine victoria ſtetit: Domini quippe Verduni & Sancti Andreæ de Vins occubuêre; Vicecomes Arpagioni, Loſicres, Temines, & Tremontus vulnerati; captus eques Cambriſij. Ducis Roani & Domini de Candales copiæ, ſiniſtram foſſæ ripam tenebant; hi cum Principibus Sabaudiis & Aldigherio occurrêre; ſed parum in ſummam profectum; quod denſa iam nocte, vix ſocij ab hoſtibus diſtinguerentur: eóque receptui ſignum ſuis dedêre; nec Flizanum niſi ſub noctis medium regreſſi ſunt. Illi quidem recta Alexandriam petebant, quæ ciuitas præſidio vacua, præſente Toletano vicinos exercitus in ſubſidium vocabat. Quod ſi eodem impetu victor Sabaudius Alexandriam delatus foret; nec retineri ciuitas potuiſſet; & fortè Mediolanum ipſum ſociæ ciuitatis caſus abſtuliſſet. Non deerant qui conſulerent; & res ipſa

perſuade-

perſuadebat; niſi generoſum Principem modeſtia & aduerſus Regem Hiſpanum, nullis vnquam iniuriis imminuta veneratio retinuiſſent.

Præcedens labor grauiter equos peditémque afflixerat. Proinde illis dies vnus ad quietem permiſſus; vt nouis expeditionibus acriores accederent. Poſtero Pedemontanus Nouem oppidum, cui arx parui ambitus, ſed ſatis valida erat, obſidione cinxit. Duo millia inerant, Heluetiis, Italis, & Hiſpanis compoſitus numerus. Acceſſu primo obſeſſi duplici via erupêre, & magno moſchettorum fragore Sabaudiis congreſſi ſunt. Sed Dominus de Termes ſingulari fortitudine ſuorum, in ſua munimenta vniuerſos repulit. Sextam menſis diem integram, diſponendis ad ictum tormentis Sabaudij inſumpſerunt: quati ſequenti cœpta ſunt munimenta: & quamuis non ea ruinæ latitudo foret quæ aſſultum perſuaderet, Comes tamen Scomberti, cæteríque motæ omnis quæ victoriam in dubio ſiſteret, intolerantes, in hoſtes conferti irrupêre. Parte alia, Termes, Vrſæus, Bolius, cæteríque innecti aſcenſum occuparunt. Obſeſſi ſeſe in arcem recepêrunt; anguſtam ſitu, aduerſus tantam vim inualidam, & penuria aquæ laborantem. Incolumitatem itaque & arma tantùm pacti deditionem fecerunt. Annuit Sabaudius, cui nunquam virtus, vel in hoſte diſplicuit: Et quia vlteriora cogitanti quantacunque mora diſpendioſa videbatur. Heluetiis inſuper conceſſum vt vexilla ſecum ferrent; idque gratiæ gentis datum, quæ fœdere antiquo Sabaudiis Ducibus illigabatur. In hæc tamen pacta conuentum; Vitam illis, arma, impedimenta, vexilla Sabaudium permittere; deducturum omnes in Prouincias Hiſpani Regis; ſi quas arces præſidio inſediſſent, quibus Sabaudius bellum faceret, eos ſtatim deditioni conſenſuros: nec aduerſus illum arma ſumpturos. Dignum poſteritatis memoria ea in gente eſt vilitatis exemplum. Cum enim & arma ſecum, & bellici prouentus ſatis ferrent; eſſéntque duo ferè hominum millia, quod poſtea innotuit, à ducentis equitibus Sabaudiis cuſtodibus Chierium primùm, mox per vallem Suſæ; poſtremò in Comitatum Burgundiæ, quæ Hiſpanorum eſt, deducti ſunt: nemine eorum cùm Monferratum iuxta progrederentur, auſo vim Ductoribus inferre; & amicam Prouinciam deluſa Sabaudiorum ſecuritate ingredi: ſic plerumque temeraria proſpera fortuna eſt, & vilis aduerſa.

Supererant mille pedites apud Roccam Atazij: hos vt interciperet Sabaudius, feſtinatione ingenti Tanarum ponte iunxit. Vix illi aut animo aut celeritati crediderunt: ſed vbi certam conſilij viderunt, præcipites Alexandriam delati ſunt. Heluetij vltimo loco egreſſi ſunt. In hos miſſi curſores equites, qui ſuperato amne reperto vado veſtigijs fugientium inſtiterunt, aſſecutíque illos media in planicie ſunt, & infeſtis ictibus in bellum prouocarunt. Pauciores erant, quàm vt pluribus equitibus eluctarentur.: Proinde petita impunitate, arma victoribus permisêre. Quadringenti erant ſelectiſſimæ iuuentutis; eóſque Hiſpani reliquiſſe videbantur, vt inſequentes hoſtes prælio detinerent, ipſi interim eorum damno elaberentur. Toto eo tractatu nil ſupereret, quod Sabaudiis obſiſteret; intráque diem ſeptimum octo hominum millia, aut turpi fuga diſſipata ſunt, aut cæſa, aut capta. Nec minus recepta nobiliſſima municipia, & tractus is omnis quo in Alexandriam excurritur. Et niſi præcox concordia impetum victoris Ducis retinuiſſet, alterum intra menſem, vltra Monferrati terminos, Hiſpanos parum reliquorum ſecuros, exegiſſet.

Ludouiſius ac Bettunes nihilominus pacem promouerant: nec in alias conditiones conſenſerant, quàm quas Aſtenſia pacta continebant; & quibus à primo tractationis die in ſupremum Sabaudius conſtantiſſimè inſtiterat. Additum ſo-

lummodò, vt ſi quid inuicem poſtmodum captum foret, prioribus poſſeſſoſibus reſtitueretur. Vtile ac decorum Sabaudio erar; cum per Monferratum capra retinere, nec Cæſar nec Reges conſentirent; recepris Vercellis maiorem Monferrati partem reſtituere; & iniurias Hiſpanas multò maioribus damnis compenſaſſe. Cerriſſima tantum, & nullo prorſus honore belli lenita iactura fuir: cui Sabaudius mulra diripuerat, abſtulerátque; Hiſpani vorauerant; quantum ille face ac ferro, tantum iſti hoſpitalitate graſſati. Accedebat, quòd quibus non orto nouo bello veniam integris rebus ſuis largiri poterat (quod Vincentius frater, & ſapientiores ſubditorum, conſiliáque Pontificis ac Principum Europæ conſuluerant) his opes, & veteres honores reſtituere, hauſto ærario, & laceris Prouincijs coactus ſit. Satis fœlix Princeps, ſi aut Roma in Principatum delarus, ſalubria prudenriſſimorum virorum monita admiſiſſet; aut ſemel deprehenſo errore propoſitis ſaniorbus acceſſiſſet. Et dare & accipere pacem plures ante menſes Sabaudius potuiſſet; ſi aut bellantibus Venetis cum domo Auſtriaca, ipſe quieſcere; aut à fidiſſimis amicis cauſam diuidere voluiſſet. Apud Regem Gallum tota res tranſacta, & redditis quæ mutuo capta fuerant truculentiſſimo bello finis impoſitus. Apud Monferratum multis auri millionibus damnum æſtimatum, direptionibus, incendijs, & oppidorum arciúmque ruinis in cenſum vocatis: pluréſque ſexaginta incolarum millibus deſiderati, quos fames, ferrum, languores ſuſtulerant, aut metus patriis ſedibus depulerat.

Hic Pedemontani belli finis fuit, cuius apud poſteros fidem laboraturam ſcio, credituro nemine Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem, tantum viribus & ingenio valuiſſe, vt Hiſpanos tot Regnorum dominatores, tracto in plures annos bello, nobiliſſimis victoriis partis imminuerit; nec pacem, niſi ijs quas olim conditiones dictauerat, admiſerit.

F I N I S.

INDEX RERVM PRÆCIPVA-
RVM QVÆ IN HAC BELLI
Monferatenſis Hiſtoria continentur.

A

ADRES.

BARO Adres ob factam pacem ab oppugnatione Sandamiani recedit pag. 188

ALBA.

Albæ conditio 126
Capitur à Sabaudio 127
Oppida Albæ vicina ſe Sabaudio dedunt 135
Cohortes Hier. Roo mittuntur ad eius præſidium 524
Alba alterum obſidium 568
Capitur rurſum à Sabaudio 573

ALDIGHERIVS.

Inuitat ſuos ad auxilium Sabaudij contra Hiſpanum 366
Mittit in Italiam nouem hominum millia 506
Eius littera ad Ducem Nemurſium ibid.
Monet Regem Galliæ motus Hiſpanorum 508
Ab Regina Galliæ reuocatur 574

ALERAMVS.

Aleramus Sangeorgius. Vide Sangeorgius Comes Aleramus

ALICE.

Alice recuperatur à Monferratenſibus 238

ALTARE.

Altare recuperatur à Monferratenſibus 238
Capitur à Virginio Pagano, quì Monferratenſes pellit 265

ANGELVS CVSTOS.

Societas Angeli cuſtodis 437

ASTIVM, ASTENSES.

Aſtij Sauellus & Ramboglietus nouam pacis formam commentautur 396
Aſtenſes ſupplici libello Sabaudium orant ne ſe Hiſpanis dedat 457

ARCASIVS.

Ioannes Antonius Arcaſius Nizæ præeſt 111
Ioannes Georgius Arcaſius mittitur Nizam à Rubeo, obſeſſos adiuturus 202

AB ARCV.

Ioannes Iacobus ab Arcu Orator Mantuanus ad Inoyoſam 298

ARDIZINA.

Camilla Faa dicta Ardizina, à Mantuano adamata ei matrimonium Viduæ diſſuadet 389
Eius ſtudium in Mantuanum 395
Enixa eſt filium Hiacinthum 533
Fit monialis 573

ARDIZINVS.

Comes Ardizinus Faa, Gubernatoris titulo, Trino præeſt 100

ASCVLANVS PRINCEPS.

Mantuam venit & quomodo acceptus 21
Huius Principis conditio 27
Negotium incipit cum Mantuano 51
Diſſuadet Viduam ſub eodem tecto cum Mantuano agere 53
Prohibet quominus Mantuani Sabaudios aggrediantur 234
Mittit Franciſcum Padiliam cum litteris Regis Hiſpani ad Sabaudium 273
Inuiſit Principem Vincentium Ville-noua 279
Ducibus exercituum ſecuritatem Monferrati commendat 330
Caſtilionum aggreditur 445

AVALOS.

Alphonſus Aualos omnem militiam Nizam vocat inſcio Alphonſo Guerrerio 435

B

BALZIANVS.

Iulius Balzianus Veſimum eripit Mantuano 256
Litteris Pauli Clodij accuſatur apud Mantuanum 257
Balziani manifeſtum 258
Occupat quadam loca Monferrati 259

BARRVTVS.

Barruti littera ad Comitem Chieppium Auctoris Poſſeuini in cauſa 144

BASTIA.

Baſtiæ Comes Mantuam venit, Viduam Patris nomine ſolaturus 15

BECHESINVS.

Locum tenet Gubernatoris Trini dum à Sabaudio obſidetur 100
Eius cum Sabaudijs primum colloquium, idque irritum 116
Eius alterum colloquium cum Sabaudijs præſentibus Trini Proceribus 118

BESTAGNVM.

Beſtagnum quatitur à Sabaudio 229.230

BOBOCCA.

Capitaneus Bobocca præeſt Dianenſibus dum à Sabaudijs capitur 136

BOCCALINVS.

Traianus Boccalinus ſcripto libro Italiam ad reſumendam veterem potentiam inuitat 368

BRIGNANVS.

Simon Brignanus praeſt ducentis militibus ad Trini praſidium 325

BROLIA.

Inſidiatur Regis Hiſpani pecunia 402
Hiſpanorum litteras intercipit, & cum Stephano Spinola quaritur 404
Intercipit litteras Spinola ad Senatum Genuenſem 405
Marrum ſe recipit 411
Eius mors 428

BVRDIGHIERA.

Cardinalitium galerum ab Vrbe Pr. Vincentio offert 536

BVRGINVS.

Capitaneus Burginus Cameranum ac Veſinum recuperat pro Mantuano 239

C

CALVSIVS.

Marchio Caluſij Palaſtrum pradatur 400
Capitur à Ludouico Guaſco, ſed poſt aliquod tempus elabitur 400
Vercellas ingreditur cum 1500. pedit. & 200. equit. 514

CAMERANVM.

Cameranum recuperatur à Mantuanis 239

CAMILLA FAA.

Camilla Faa, vide Ardizina.

CANAVESVM.

Canaueſium ſibi metuens arma capit 114
Quæ eius Prouinciæ conditio 115

CANELLVM.

Canellum tentatur à Monſerratenſibus 249

CAPOZVCCA.

Capozucca conſilium, vt per Mutinenſem agrum copia Etruſca deducantur 268

CAPRIANVS.

Octauius Caprianus agit pro Mantuano apud Cæſarem 69

CARDINES.

Inicus de Cardines Legatus pro Hiſpano apud Gallum 338
Eius ſententia per litteras de Vidua & Nepti Mantuana 339.340
Docet Hiſpanum, Gallum eſſe pro Mantuano 344

CAROLVS EMANVEL, Sabaudiæ Dux.

Eius conditio ante Pedemontana arma 2
Percipit metus Ducis Franciſci generi & agrè fert 8
Comitem Baſtia Mantuam mittit, filiam Viduam ſolaturam 15
Indignatur ac vim praſert, ob ſpretam filiam mortuo coniuge, iuriſque ſui memor in Monſerratum 20
Agit cum Inoyoſa medio Com. Sangeorgio de negotio Monſerratenſi 34
Conſilia ſeiungit ab Inoyoſa grauiter id ferente 67
Indignatur Mantuanum Cæſaris decreto Pupilla Mantuana Tutorem deputatum 69
Bellum infert Mantuano 86
Eius iura in Monſerratum ibi.
Eius prudentia in Militum numero deſcribendo 88
Sui cum Catharina Regis Hiſp. filia nuptiis ſpem conceperat Monſerrati recuperandi 89
Iuſta eius querela de Hiſpano 91
Prudenter occaſione vtitur ſua repetendi contra Mantuanum 96
A ſuis conſilium agendorum requirit 100
Diocaſarienſem à ſe dimittit 103
Trinum aggreditur 103. 106. & obſidet 109
Munit caſtra ad Trinum 112
Monet populos Trino adiacentes ſecuros fore ſi armis abſtineant 114
Milites mittit noua illorum cœpta repreſſuros 115
Accurrit militibus ad Trini auxilium venientibus, & fugat 117
Trinenſes ad colloquium admittit, ac eorum orationibus reſpondet 119
Trinum ingreditur, eiuſque miles malè initio habitus 120
Eius ad Trinenſes ſermo 122
Eius iuſſu Alexander Guerinus Albam inuadit 125
Albam capit 127. atque oppida vicina 135. Dianum ibid. Moncaluium 138. 141. Cereſetum 145. Odolengum 150. & tandem Arcem Moncaluij 157
Eius pietas in Cereſeti ciues 145
Eius fama à Mantuanis carpitur 167
Eius Manifeſtum contra Mantuanum 168. eius alterum Manifeſtum contra eundem 175. ac Reſponſio 176.
Docet Hiſpanos Gallica fidei Mantuanum eſſe 192
Monſerratenſes inſequitur & inquirit num Aichum Hiſpanorum tutela vtatur 263
Indignatur manifeſtè Miniſtris Hiſpanis 264
Permittit Ruſticos ſegetem colligere 275
Promittit ea quæ ceperat Cæſari redditurum 278
Aloiſium Cruellam mittit Mediolanum & Inoyoſa concordat in pacis leges 279. ſolatur coniugem Sangeorgij poſt damnationem 284
Queritur de Fiſco Monſerratenſi quod in rebelles inquirat 287
Renuit ſuum exercitum dimittere 302
Carpit Monſerratum 304
Iterum de Bello cogitat, clauſtra Tanari rumpit 322
Aufert aquam loca trans Padum irrigantem 325
Prohibet auerti aquam Albam defluentem 330
Conſtans eſt propoſiti, prælij quam quietis cupidus 333
Procurat apud Cæſarem reuocari decretum tutela Infantis Mariæ 364
Exercitum conſcribit contra Hiſpanum 366
Dimittere militiā renuit niſi idem faciant Hiſpani 368
Apud Cæſarem de Mantuano per litteras queritur 370
Se armat, & ſubditos abſentes reuocat 370
Imperat dimitti Nobiles puellas quæ Viduæ filiæ ſeruiebant 374
Et Famulos Hiſpanos pellit 370
Remittit Hiſpano Vellus aureum 377
Iuuatur pecunia à ſuis ibid.
Edicto militarem licentiam coercet ibid.
Partem militis dimittit, quod ſimulatè factum Hiſpani dicunt 397
Nouis ſe copijs inſtruit 397
Litteras Hiſpani ad Inoyoſam intercipit 410
Obuiam Hiſpanis, Cortemeliam cogitantibus, mittit ſuas copias 424

Et Oroſco

Et Oroſcotum exercitu aduentanti 416
Eius Manifeſtum ad Beſtagnenſes 417
Beſtagnum meditatur, & quatit 429
Hiſpanos ad Beſtagni auxilium accurrentes fugat, redit-que 431
Aſtum munit 438
Ei præſidio firmat Caſtiglionem 444
Carenam ſuſpendio perdit 446
1 Ingens eius pugna cum Hiſpanis in collibus aſtenſibus 448
3 Eius prudentia in illigandis ſibi Venetis, & Rege Galliæ 455
2 Iſidorum Barnabitam mittit ad Oratorem Gallum 454
Eius Manifeſtum, continens Ducis aduerſus Hiſpanum obſequium 466
Obligationem Ducum Mediolanſium vulgat ſcripto 472 471
Eius litteræ ad Cæſarem 473
Creditur recepiſſe conditiones pacis, non quod eam præferret, ſed quod Hiſpanos eas non recepturos crederet 479
Dimittit partem exercitus 484
Cur Finalem obuiam Toletano non miſerit 486
Cur lentè ſuum exercitum dimitteret, ſuſpectum habens Toletanum 492
Recipit inducias vnius menſis à Toletano petitas 495
Diſſimulat ſe militem dimiſiſſe 501
Veneti à pecunià bellum parat 504
Tredecim millia hominum ex Gallia aduocat 506
Vercellas petit 508
It obuiam Hiſpanis cum exercitu 511
Eius conſilia aperta, tot Gallorum Duces in deliberationes vocantis 513
Venariam ſe recipit 616
Prudentiâ cum Toletano certat 518
Mittit Vercellas duo millia militum, & Creſcentinum munit 521
Dolum Toletani ſibi Monferrati diuiſionem offerentis agnoſcit, & cauet 526
Satisfacit Ludouiſio & Bettunei, pacem cum Toletano tractantibus 545
Cur proſecutus ſit Principem Maſſerani 549
Equus cui inſidebat in obſidione Sandamiani, moſcheti ictu occiditur 558
Albam capit 573
Oppida quædam Canaueſij dat Sangeorgio 575
Subſidium Vercellas inducit 586
Eius exercitus 590
Eius diuerſa victoria 591

CASALENSES.

Caſalenſium ſollicitudo 111
Arx Caſalenſis mille peditibus Mantuanis munitur 165

CASCINASCVM.

Caſcinaſci Incolæ Sabaudios aggrediuntur, qui illud miſerè diripiunt 418

CASTAGNOLVM.

Caſtagnolum diripitur à Monferratinſibus 184
Capitur à Sabaudis 261

CASTILIO.

Caſtilio capitur ab Hiſpanis 446

CASTILIONÆVS.

Princeps Caſtilionæus minatur Sabaudio bannum Cæſareum 278

CASTILIONVS.

Manfrinus Caſtilionus Prouinciæ Monferrati quæ trans Tanarum eſt Gubernator 200
Miſſus ad Nizæ tutelam 203

CATINARA.

Catinaram impropere aggreditur Prin. Pedemontanus 550

CERBELLO.

Ioannes Petrus Cerbellonus tormentorum bellicorum præfectus occiditur in Vercellarum obſidione 585

CERESETVM.

Cereſetum municipium à Sabaudiis miſerè diripitur 145

CHIEPPIVS.

Comes Chieppius, iura Mantuani contra Sabaudium, ſcriptu eſt proſecutus 88
Mittitur à Mantuano Mediolanum, vt cum Oratore Mantuani eius iura tueatur 465

CLODIVS.

Paulus Clodius ſcribit ad Mantuanum contra Balzianum 257

COPPINVS.

Vincentius Coppinus Gubernator Arcis Moncaluij 143
Dedere eam cogitur Sabaudis 157
Iuſſu Rubei carceratur, ſed appellat Mantuanum 159
Ei Mantuanus parcit 160

CRAVAGORVM.

Capitur à Principe Pedemontano 553

CRESCENTINVM, CRESCENTINENSES.

Creſcentinum munitur à Sabaudio 521
Creſcentinenſes Hiſpanos cædunt 583

CRIVELLVS.

Comes Aloiſius Criuellus mittitur à Sabaudio Mediolanum 279

S. CRVCIS Marchio.

Marchionis S. Crucis copiæ, & earum receptio in Genuenſi ſolo 406

D.

DIANVM.

Dianum oppidum Albæ vicinum & eius ſitus 135
Capitur à Sabaudio 136

DIOCÆSARIENSIS

Mantuanum excuſat apud Inoyoſam 80.81
Mittitur à Mantuano ad Sabaudium Inoyoſæ conſilio 81
Morum æſtimatione incipit vileſcere 82
Nec quidquam proficit 83
Gubernatorem Monferrati admonet periculi 97

DOLIANVS.

Marchio Dolianus cis Padum cum ducentis militibus Oneliam ingreditur 406

DONATVS.

Luiſius Donatus nobilis Venetus, & tormentorum bellicorum

Digitized by Google

ſorum Præfectus 324

E.

ETRVSCVS.

Magnus Etruriæ Dux parat exercitum pro Mantuano 267
Tranſitum petit à Pontifice, qui renuit ibid.
Eius exercitum cogitur ad ſua redire 272

EVROPA.

Europæ conditio ante Pedemontana arma 1

F.

FAA.

Vide, Ardizina & Ardizinus.

FABER.

Antonius Faber iura Sabaudiæ in Monferratum iuſto volumine eſt proſecutus 88

FAVORITA.

Vide, Villa Fauorita.

FERDINANDVS Dux Mantuæ.

Roma in patriam proficiſcitur, commendata prius Hiſpano Regi rerum cura 18
Nobiles Mantuani obuiam procedunt redeunti 19
Mantuam ingreditur, Viduámque primo inuiſit 29
Abſtinet ad tempus titulo Ducis 33
Eius colloquium cum Medico, auctore huius historiæ, qui cauſas formidandi exponit, licet ei parum profuerint ibid.
Eorum opinionibus, qui ſibi à Sabaudio timendum dicebant, non aſſentitur 48
Mittit Romam & Florentiam Ioannem Magnum opem petiturum 49
Quibus conditionibus matrimonium Viduæ admittebat 62
Litteris petit à Cæſare tutelam Neptis 68
Cæſaris decreto, deputatur Pupillæ Tutor 69
Quàm anceps & varius in ſtatuendo, cum Viduam ac Neptim ad Mutinenſem miſſurus ſit 73
Queritur cum Inoyoſa quod Mutinenſis Viduam cum Nepte recuſet 74
Sibi timens iubet Monferratenſes bello neceſſaria parare 83
Amicos ſubſidio implorat ibid.
Eius defenſiones contra iura Sabaudiæ ſuper Monferrato 87
Per litteras monetur Taurino Sabaudium de Monferrato ſeriò cogitare 93
Hiſpano conatur perſuadere ſuam innocentiam 95
Quo nomine à ſuis odio habitus 99
Præfert Venetos & Etruſcum in ſuum auxilium 110
Mittit Mediolanum Comitem Ibertum 133
Diffidit Inoyoſæ 134
Rogatur vt Neptim auo Sabaudio concedat 148
Scribit ad Reginam Galliæ vt in inuidiam trahat Sabaudium 151
Queritur per internuncium apud Inoyoſam 156
Et de amiſſa Arce Moncaluij 165
Eius ad Vincentium fratrem oratio 171
Teſtatur Inoyoſæ Gallorum ſe auxiliū nolle 195. & 198
Queritur apud Regem Hiſpaniæ ſuos aſpere haberi ab illius miniſtris 266
Queritur de Inoyoſa 268
Cogitur fateri cuius ſe protectioni dedat 270
Mittit Mediolanum Comitem Chieppium 279
Iubet Vincentium fratrem recipere ab Inoyoſa oppida capta à Sabaudio 281
Iubet Fiſcum Mantuæ inquirere in Rebelles 282
Mittit Octauium Gonzagam Oratorem ad Hiſpanum 291
Mittit Ioa. Iac. ab Arcu ad Inoyoſam 298
Matrimonium cum Vidua auerſatur 303
Rubeum à Monferrato abſtrahit vt eum Oratorem in Vrbem mittat, ac Mōferratenſibus Vincentium Guerrerium præficit, 308. & 328
Eius ploſtellum omnino ridiculum 326
Monferratum nouis præſidiis firmat obſtante Sangeorgio 357
Sangeorgio minatur 358
Cogitat de illius cæde 362
Et de inducendo Græco Epiſcopo Mantuam 371
Electas à famulatu Viduæ nobiles puellas Mantuam deduci iubet 375
Delabitur in amorem Camillæ Ardizinæ 389
Leges pacis dictas Sabaudio à Sauello & Rambogleto renuit 392
Anceps eſt in probandis nuptiis Pr. Vincentij cum filia Regis Galli notha, quas procurabat Traianus Guiſcardus 394
Pacis negotium Sauello & Rambogleto committit, Caſtiglionæo ab eo fere excluſo 395
Mittit Mediolanum Comitem Chieppium 465
Cogitur ab Hiſpanis aſſentiri Sabaudio 489
Proficiſcitur Mediolanum ad Toletanum & eorum colloquia 490
Indignatur petentibus vt Rebellibus parceret 499
Studet alchemiæ 510. Eius leuitas 520
Exultat audiens Moneueci defectionem, tanquam Sabaudius ea damna eſſet ſoluturus 524
Auerſatur conditiones pacis à Gallis propoſitas 525
Remittit Pontifici Cardinalatus inſignia 535. & Vincentium fratrem ad admittenda hortatur 536
Mantuani nuptiæ 554
Queritur cum Toletano de Sandamiano à Sabaudio capto 566
In patriam venit cum coniuge 573
Queritur de Gallis cum Regina Galliæ 574
Profitetur ſe Sabaudium ſeruaſſe, prodito in illum veneficio 575
Incipit videre ſibi neceſſe Rebellibus parcere & damna condonare 577
Mittit Andreaſium Oratorem ad Regem Galliæ 582
Principem Bozoli vexat 589

FERRANTES.

Ferrantes Rubei Pater Aſſeſſor Pr. Vincentij 333

FERRARIENSIS.

Inter Ferrarienſem & Franciſci Ducis Viduam æmulatio intercedit 10
Diſſuadet Mantuano, dimittere pupillam Neptim, per quandam Iulianam monialem 74

FISCVS.

Fiſcus Mantuani inquirit in Rebelles 282

FONTA-

FONTANILENSES.

Fontanilenſes à Commendatore Motta fugantur, cùm ad auxilium Trinenſium accurrunt. 113
Litteris ſe apud Rubeum excuſant 114

FRANCISCVS Dux Mantuæ.

Sibi timet à Sabaudio ob eius iura in Monferratum 4
Illo in extremis agente, diſputant Aulici, an expediat ei teſtamentum condere 9
Eo mortuo Aula in partes ſcinditur 11

G

GABIANVM.

Gabianum capitur à Sabaudis 125. & 139

GALLI.

Principes Galli arma pro Sabaudio capiunt, Togatis pacem præferentibus 367
Secretò pacem cum Mantuano tractant 525
Irritè Rocbetam tentant 576

GALLIÆ Rex & Regina.

Mittunt Dominum de Potrè Oratorem ad Mantuanum 55
Minitantur Sabaudio, & Hiſpanum tutela Mantuani admonent 152
Iubent Aldigherium irrumpere in Sabaudiã 152. & 189
Mantuanum Pontifici commendant 190
Fauent Mantuano 344
Eorum Orator Mantuanum ab Hiſpanis abſtrahere procurat 427
Sabaudium in tutelam recipiunt 460
Mantuanum vrgent vt Rebellibus ignoſcat & damna condonet 496
Ad Regem Dux Vceda Sponſam, Regis Hiſpani ſororem, adducit 501
Promouent nuptias Viduæ cum Mantuano 502
Firmant conditiones Pacis Aſtenſis 503
Eorum conſilium ſuper rebus Italiæ ibid.
Principem Condæum in carcerem iniiciunt 543
Reuocant Aldigherium in Gallias 574
Gambaloita occiditur 511

GENVENSES.

Genuenſes Hiſpanis vſum portus & littoris concedunt 401
Portum Mauritij firmant 404

GHISILIERVS.

Ghiſilieri odium in Mantuanum 522

GONZAGA.

Carolus Gonzaga Marchio, miſſus ad Cæſarem à Mantuano 24
Ioannes Octauius Gonzaga pro Mantuano Orator ad Hiſpanum 291
Octauius Gonzaga, oculum ferrato conto traiectus in conflictu, occumbit Mediolani 587

GRANA.

Grana cum Caſtagnolo capitur à Sabaudis 261

GRANDO.

Ingens grando, quanta non aliàs effuſa, in Monferrato 307

GRAPPELLA.

Annibal Grappella ob fidem donatus à Guilielmo Mantuano 24

GVASCVS.

Comes Ludouicus Guaſcus accuſatur apud Inoyoſam 338

GVERINVS.

Alexander Guerinus Albam aggreditur 125
Eius odium in Mantuanos ibid.

GVERRERIVS.

Vincentius Guerrerius præficitur à Mantuano Monferratenſibus 308
Queritur apud Inoyoſam de Sabaudio 311
Cogit milites contra Sabaudios, obſtante licet Aſculano, quos tamen obuios non eſt auſus agredi 324

GVISCARDVS.

Traianus Guiſcardus apud Regem Galliæ pro Mantuano internuncius 152
Milites impetrat à Regina Galliæ pro Mantuano 270

H

HELVETII.

Heluetiorum Moranenſium fraus, qui tamen leuiter puniuntur 331

HISPANIÆ Rex.

Rex Hiſpaniæ vulgata Monferrati diuiſioni non aſſentitur 43
Scribit Inoyoſæ, ſibi non placere opprimi Mantuanum 65
Gubernatori Mediolanenſis ſecuritatem Mantuani commendat 90
Eius ad Mantuanum littera 132
Litteris ad Sabaudium datis iubet reddere loca Mantuano occupata 275
Probat Inoyoſæ conſilium, renuente licet Mantuano parcere Rebellibus 313
Conatur trahere in ſuam ſententiam Regem Galliæ circa Mantuani nuptias 338
Per Zunicam Oratorem ſuum poſcit ab Imperatore, vt Infans Maria Mediolanum mittatur 341
Sententia Regij Conſilij de præſenti motu 347
Eius littera ad Inicum de Cardines & ad alios ſuos miniſtros per totam Italiam 366
Inoyoſæ mandat vt ſe ad bellum paret 378
Ius ſibi figurat ſuper Onelia 401
Eius littera ad Oſſunam 481
Ad eum ex Gallia Regis ſoror in ſponſam adducitur ab Duce Guiſio 501

HISPANI.

Hiſpani Mantuano prorſus non fidunt 195
Impotenter Monferrato vtuntur 260
Cenſus militiæ Hiſpanorum 294
Pars eorum exercitus Monferrato detrahitur 332 & 335
Eorum conſilium ſuper Vidua & Nepti Mantuana & Sabaudio 339.340
Nonis ſe copiis inſtruunt 397
Onelia potiuntur 411
Roccauaranum & Olmum inuadunt 422
Cortemiliam cogitant 423

Non conueniunt de Aſtÿ obſidione 437
Eorum exercitus ſub Aſtio 439
Eorum Equitatus cum Sabaudÿs conflictus 442
Caſtilionem capiunt 446
Ingens eorum pugna cum Sabaudiis in collibus Aſtenſibus 448
Eorum exercitus ordo in collibus Aſtenſibus 453
Iniquas cenſent conditiones pacis Aſtenſis 478
Copias ſuas à finibus Venetis ad fines Pedemontanos vertunt 504
Pontem à Toletano factum ſuperant 511
Mottam occupant 512
Eorum cum Sabaudiis pugna 513
Eorum altera pugna cum Sabaudiis ad Lucedium 517
Sabaudios ſe recipientes inſectantur 519
Sexcenti Hiſpani in hac pugna occiſi & ſeptingenti Sabaudÿ ibid.
Fame laborat eorum exercitus 582
Eorum cum Sabaudis aliud certamen 583
Decem millia hominum in Vercellarum obſidione amittunt 588

L.

IMPERATOR.

Mantuanum conſtituit Tutorem Neptis pupillæ 69
Negat pupillam mitti Mediolanum, ſed poſtea deſiderio Hiſpani mutatur 342
Eius decretum comminatorium contra Sabaudum 472

INDVCIÆ.

Induciæ factæ inter Hiſpanum & Sabaudum 457

INOYOSA.

Ioannes Mendoza Inoyoſæ Marchio quis 21
Mittitur Mediolanum Gubernator 24
Orat Mantuanum vt Viduam cum filia tandiu Mutinæ eſſe velit, quoad negotium matrimonÿ abſoluatur 72
Idem orat Mutinenſem 78
Indignatur Mantuano promiſſis non ſtanti 79
Tarde cognoſcit animum Sabaudÿ 80
Conſtanter fert iniurias ibid.
Queritur quod Sabaudius bellum apparet 84
Iubet Mantuanum paratu belli abſtinere 85
Mittit 500. Hiſpanos Ponteſturam 166
Eius colloquium cum Oratore Mantuani 196
Iubet Mantuanum diſſuadere Etruſco tranſitum ſuis exercibus per Mutinenſem agrum 268
Promittit Sabaudio ſua poſtulata, quæ Mantuanus nolebat concedere 297
Nititur apud Hiſpanum vt promiſſionem Sabaudio datam expleat ibid.
Queritur de Fiſco Monſerratenſi quod in Rebelles inquirat ibid.
Vult Sabaudium ſuum militem dimittere 301. idque modeſtè à Sabaudio petit 303
Suis militibus per Monſerratum ſedes aſſignat 306
Mittit Pimentellum Mantuam vt Rebellium veniam, Infantis reſtitutionem, & damnorum obliuionem perſuadeat 313
Mittit Auditorem qui de rapinis inter Sabaudios & Monſerratenſes agnoſcat 336
Denuo Infantem Mariam petit à Mantuano 341
Inſtruit Oratorem Hiſpanum apud Sabaudium 369
Inſtat vt Sabaudius ſoluat militiam 390
Non vult Oratorem Gallum ſe negotio pacis ingerere 391
Sandamianum imponendi præſidÿ cauſa à Mantuo petit & obtinet 398
Succurrit Beſtagno quod Sabaudÿ oppugnabant 431
Beſtagnum ingreditur & mox Acchum proficiſcitur 434
Parum lætus Mediolanum redit 461
Et conſilium Aſculani poſcit 462
Iterum procurat Mantuanum cum Sabaudio componere 464
Iubet Sabaudium militem dimittere 466
Malè audit apud Hiſpanum 469
Admonetur criminationum à Marchione ſeptem Eccleſiarum ibid.
Capita eius accuſationum 470
Petit à Rege ſibi ſuccedi 480
Se diſceſſui parat. 484
Mediolano diſcedit & Mantuano reconciliari ſtudet 485

ISABELLA.

Iſabella Principis Bozoli mater & Ferrantis Gonzagæ vxor quæ 535
Proponitur Mantuanis fratribus in matrimonium 536

ISIDORVS.

Iſidorus Aſtÿ Epiſcopus intimus Sabaudÿ conſiliis 96
Mantuæ ſententia Iſidori, bellum Sabaudio ſuadentis, accuſatur 103

IVO Ieſuita.

Iuo Ieſuita à ſeruitute Viduæ Mantuanæ amouetur 373

IVSTIANVS Cardinalis.

Cardinalis Iuſtinianus Mantuano perſuadet coniugium Viduæ 37

L.

LAMPAS.

Lampas miraculo ardens in templo 216

LANZIVS.

Marchio Lanzÿ deſcribit militem Sabaudium 150
It obuiam Duci Nemurſio, quem fugat 506

LEGATIONES.

Variorum Principum Legationes Mantuam 50

LITTERÆ.

Littera à quodam ſcripta Sangeorgio, & Sangeorgÿ reſponſio 37.38
Littera quas nonnulli aſſerebant à Sabaudio ad Inoyoſam ſcriptas, quod tamen vtrique agrè ferunt 41.43
Litteræ Mantuani ad Pedemontanum, & Pedemontani reſponſio 79
Sabaudÿ littera ad Caſtrem 473
Vide, Manifeſtum, Scriptura.

LVDOVISIVS Cardinalis.

Ludouiſÿ officium cum Bettunes pro pace inter Sabaudium & Toletanum 543

LVNA.

Vide, Sancius de Luna.

M.

MANIFESTVM.

1 Manifeſtum Sabaudÿ contra Mantuanum 168

2 Mani-

2 *Manifeſtum Mantuani contra Sabaudium* 171
3 *Alterum Sabaudij manifeſtū contra Mantuanum* 174
4 *Alterum etiam Mantuani manifeſtum contra Sabaudium* 176
8 *Sabaudij Manifeſtum ad Beſtagnenſes* 427
5 *Manifeſtum, Sangeorgij nomine, typo vulgatum* 179
7 *Comitis Verruenſis Manifeſtum* 300
9 *Sabaudij Manifeſtum, continens Ducis aduerſus Hiſpanum obſequium* 466
6 *Iulij Balziani Manifeſtum* 258
10 *Vide, Littera, Scriptura.*

MANTVÆ DVX, ſiue Mantuanus.

Vide, Franciſcus Dux Mantuæ, & Ferdinandus Dux Mantuæ.

MANTVÆ Princeps.

Vide, Vincentius Princeps Mantuæ.

MANTVÆ Vidua.

Vide, Margarita à Sabaudia.

MANTVÆ Filia.

Vide, Maria pupilla Mantuæ.

MANTVANI.

Mantuani diſputant, an Dux Ferdinandus debeat abſtinere titulo Ducis 32
Vulgant Sabaudum diuiſiſſe Monferratum 39
Eorum alij timeri nimias Sabaudij, alij negligi conſulunt 44
Negant debere abire Viduam, quæ grauida putetur 53
Suadent Duci vt Neptim pupillam non permittat Mutinenſi 78
Datis ad exteros litteris Sangeorgium informant 172
Cameranum & Veſinum recuperant 239
Eorum ſententia de matrimonio Mantuani 323

MARIA, Mantuæ filia.

Suis reſponſionibus acumen ingenij oſtendit 78

MARGARITA à Sabaudia, Duciſſa Mantuæ.

Mortuo coniuge inter eam & Ferrarienſem æmulatus intercedit 10
Queritur de Ferrarienſi cum Parente, de futuro ambigente 13
Vulgatur eam eſſe grauidam 14
Placatur officiis Mantuani Romæ redeuntis 20
Queritur quod Gottum deducatur 54
Renuit Filiam pupillam ſecretò abduci, ad quod ſe quidam offerebat 55
Proficiſcitur Mediolanum cum Pedemontano, relicta Mantuæ Infante 77
Vercellas ducitur à Pedemontano 81

MARLIANVS.

Hercules Marlianus Legatus Franciſci Mantuæ Ducis apud Sabaudium 55

MARRVM.

Marrum capitur poſt mortem Broliæ 419

MARTINENGVS.

Comes Franciſcus Martinengus à Sabaudio Legatus Mantuam venit 55
Vrget ſecretò Mantuanum ad concordiam cum Sabaudio 63
Indeſinenter pacem promouet 76

MASSERATVM.

Maſſeratum capitur à Principe Pedemontano 549

MATHILDA.

Vrna Comitiſſæ Mathildis aperitur ac publicè recognoſcitur 272

MAXIMVS.

Vide, Pontificius Nuncius.

MAZETTVS.

Ioannes Baptiſta Mazettus Palazolium re infecta tentat 184

MENDOZA.

Vide, Inojoſa.

MOASCA.

Moaſca recuperatur à Monferratenſibus 238

MOMBALDONVM.

Mombaldonum capitur à Monferratenſibus 248

MONCALVIVM.

Moncaluium nobile Monferrati Municipium & eius ſitus 137
Obſidetur à Sabaudio 138
Capitur ac diripitur 141. & 143
Eiuſdem arx obſidetur ac verberatur 142
Cuniculo irritè tentatur 146
Ab Equite Riuara 200. militibus eius præſidium augetur 147
Sed tandem ſe dedit Sabaudio 157
Munitur pro Sabaudio ab Odone Roero 242
Redditur Mantuano 287

MONESTEROLVS.

Colonello Moneſterolo Arx Moncaluij tuenda permittitur 158

MONEVECVM.

Moneuecum capitur à Gubernatore Villæ-nouæ ac puluere bellico diſiicitur 523

MONFERRATVM, MONFERRATENSES.

Mantua Equites 400. miſſi in Monferratum 164
Monferratenſes Stropianum aſcendunt, & Caſtagnolum accipiunt 184
Monferratenſes Alicem, Moaſcam, & Altare recuperant 238
Mombaldonum capiunt 248
Canellum tentant 249
Orant Rubeum, vt liceat ſibi ipſis conſulere 261
Monferratum prædonibus infeſtatur 265
Monferratenſes caſtra trans Padum muniunt 275
Monferratum datur pro hoſpitio militia Hiſpanorū 294
Monferratenſium querelæ de Hiſpanis, quas Inojoza negligit 295. 304. 332
Eorum ius deducendi aquam è Dora in ſuos vſus 325
Imagini Sabaudij inſultare dicuntur 327
Cum Aſculano queruntur 330
Monferratum vi morborum infeſtatur 356
Monferratenſes quoſdam Sabaudos à Beſtagni obſidione diſcedentes cadunt 307. 434

MONTILIVM.

Montilium & Gabiana à Sabaudis recipiuntur 245
Montilium capitur à Sangeorgio 578

MORANVM.

Morani & Oneliæ obſidium 401

MORBILLI.

Morbillis multa puerorum millia moriuntur 307

MOTTÆ Commendator.

Commendator Motta fugat Palazolenſes & Fontani-

lenſes, dum Trium iuuare tentant 113

MVSSVS.

Ioannes Petrus Muſſus ad Luſium Donatū delegatur 325

MVTINÆ Dux.

Mutinenſis renuit admittere Viduam Mantuæ cum pupilla, dum Mantuanus cum Sabaudio de ſuis turibus conuenerint 74
Goitum petit cum coniuge, Viduam inuiſurus 76
Eius chirographum de cuſtodienda pupilla arbitrio Mantuani 78
Queritur cum Inoyoſa de tranſitu Eſtruſci exercitus, quem omnino negat 268

MVTVS.

Honofrius Mutus Romanus, Canemorti Ducis frater, pro Sabaudio in Trini obſidione 117
Agrum Caſalenſem incurſibus infeſtat 274

N

NEMVRSIVS Dux.

Dux Nemurſius Sabaudio bellum molitur conſultore Toletano 506
Marchionem Lauzi obuium habet, à quo fugatur ibid.
Inuadit Sabaudium, eodem Toletano auctore 528
Nemurſium audaciæ pœnitet, ac ſe ſupplicem redit Pr. Pedemontano 531

NIGER.

Hercules Niger præerat machinis pro Sabaudio, in Trini obſidione 112

NIZA,
Monferrati oppidum.

Ioannes Antonius Arcaſius Nizæ præficitur 111
Nizæ obſidium & eius ſitus 209
Nizenſes diſcunt Niuernienſium Ducem Sauonam delatum 208
Nizæ obſidij ſolutio 233

NIZA,
Mari contermina.

Gallica in ea ſeditio credita 352

NIVERNIENSIS Dux.

Carolus Dux Niuernienſis venit in Monferratum 188
Eius ad Reginam Galliæ litteræ, quibus ſubſidium Mantuano petit 189
Cur ambitionis accuſatur ibid.
Mantuam proficiſcitur 281

NVNCIVS.

Vide, Pontificius Nuncius.

O

ODOLENGVM.

Conuenit cum Sabaudio vt pecuniâ ſui exciſionem redimat 149
Sed mox excinditur à Sabaudiis 150

OLMVM.

Olmum & Roccouaranum Hiſpanos recipiunt 422

ONELIA.

Onelia obſidium 401
Hiſpanis ſe dedit 411

OROSCVS.

Oroſcus Alexandriæ Gubernator cogit exercitum contra Sabaudium 425
Beſtagno ſe claudit cum multis aliis 429
In Langas inuectus quæ lora capit 521

OSSVNA.

Oſſunæ Ducis litteræ ad Regem Hiſpaniæ contra Sabaudium 369
Eiuſdem aliæ litteræ ad eundem, quibus reſpondet Rex 481.482

P

PAGANVS.

Virginius Paganus Altare à Monferratenſibus recipit 265

PALAZOLIVM, PALAZOLENSES.

Palazolenſes fugantur, dum Trinenſes iuuare nituntur 113
Litteris ſe apud Rubeum excuſant 114
Palazolium Io. Bap. Mazettus tentat ſed in vanum 184

PALESTRVM.

Marchio Caluſij Paleſtrum prædatur 400

PASCHALIS.

Scipio Paſchalis pro Mantuano Orator ad Hiſpanū 314
Re infectâ Mantuam redit 322

PASSERANVM.

Paſſeranum capitur à militibus Equitis Riuaræ 527

PAVLVS V.

Prohibet vulgari Romæ Manifeſtum Mantuani contra Sabaudium 174

PAX.

Conditiones Pacis inter Sabaudium & Hiſpanos 458
Pax vulgatur 459
Pacem cum Mantuano ſecretò Galli tractant 525

PEDEMONTANVS Princeps.

Vide, Victor Amedeus.

PELIZA

Capitaneus Peliza mittitur à Guidobono ad recuperandam Gabianam 243

PENDASIVS.

Pendaſij Albæ Epiſcopi animus dum vrbs à Militibus diripitur 119

PHILIBERTVS,
Princeps Sabaudius.

Mittitur à Patre per Gallias in Hiſpaniam 240
Eius receptio in Aula Hiſpana 292
Queritur de Hiſpanorum fauore in Mantuanum 322

PIMENTELLVS.

Alphonſus Pimentellus ab Inoyoſa Mantuam mittitur, vt Rebellium veniam, Infantis reſtitutionem, & damnorum obliuionem perſuadeat 313

PONTESTVRA.

Ponteſtura iuſſu Inoyoſæ quingentorum Hiſpanorum præſidio firmatur, contra incurſus Sabaudij 166

PONTIFICIVS Nuncius.

Maximus, Sedis Apoſtolicæ Nuncius, rectà ad Sabaudū tendens Pr. Vincentium apud Caſalenſes conuenit 222
Succeſſus omnis eius negotiationis inter Sabaudium & Mantuanum compendio dictus 288
Queritur apud Guerrerium de Monferratenſibus 309
Vide, Sauellus.

POSSEVINVS.

Poſſeuini huius Hiſtoriæ Auctoris colloquium cum Duce Mantuano, cauſas Sabaudium ferminandi liberè exponentis 33
Quod tamen ei parum profuit 34
Litteræ eius cauſa Barruti ad Comitem Chiepium ſcriptæ

ſcripta 144

POTESTAS Vercellarum.

Poteſtas Vercellarum, volens prodere ciuitatem, deprehenditur ac punitur 580

R

RAMBOGLIETTVS.

Ramboglietus Galliæ Regis Orator 390
Ramboglietus cum Sauello Vercellis Sabaudium conueniunt 391
Eius & Sauelli nouus in pacem conatus 395
Eius & Sauelli nouus Aſtij congreſſus 396
Valſenara Sabaudium conuenit 441

RANGONIVS.

Comes Thadeus Rangonius à Mutinenſi Duce Legatus ad Viduam Mantua 29

RIVARA.

Eques Riuara Ponteſturam miſſus cum duobus militum millibus & quingentis 111
Equitis Riuaræ mors 525.527

ROCCAVARANVM.

Roccauaranum & Olmum Hiſpanos recipiunt 422

RODORTIVS.

Eques Rodortius primus Moncaluium aggreditur 138

ROFRIVS.

Oddo Roërius miſſu Sangeorgij ſpontaneam Nizenſibus deditionem conſulit 213
Pro Sabaudio munit Moncaluium 242

ROO.

Hieronymus Roo Albæ præſidio inducitur 524
Alba diſcedens rectà Flizanum properat 567

ROVILIASCVS.

Comes Roviliaſcus Taurini in carcerem coniectus 486

RVBEVS.

Carolus de Rubeis mittitur à Mantuano in Monferratum cum ſupremo imperio 97
Eius cum Miniſtris Mantuani ſimultas 98
Accuſatur quod oppida Trino vicina ictibus tormentorum periculis non admonuerit 107
Diſcordia eius conſiliorum 108
Hiſpanis eſt ſuſpectus, eo quod eſſet Gallicæ fidei 110
Iubetur à Mantuano arcem Caſalenſem munire 111
Eius cura Mantuano laudatur 112
Centum milites miſit Trinenſibus ſubſidio, cæteris à Sabaudio fugatis 117
Oratorem Mantuani iubet auxilium ab Inoyoſa poſſere contra Sabaudios Moncaluium oppugnantes 142
Iubet Coppinum arcis Moncaluij Gubernatorem incarcerari 159
Falſo nuncio accipit Nizam captam, & Sabaudios in Caſalenſes properare 202
Balzianum iniurioſè accipit 218
A Monferratenſibus accuſatum, Mantuanus à Monferrato abſtrahit, vt Oratorem in Vrbē mittat 308.318
Nouos Conſiliarios Mantuano proponit 308
Eius amici illum in Monſerratum denuo mitti procurant 327

S.

SABAVDIÆ DUX.

Vide, Carolus Emanuel.

SABAVDIÆ Principes.

Vide, Victor Amedeus, Philibertus, Thomas.

SABAVDII.

Diſſipant copias ad auxilium Moncaluij venientes 144
Nizam oppugnaturi veniunt 210
Siluium Viam cum 500. pedit. & 50. equit. Nizam defenſurum obuiam habent & ſtatim fugant 211
Niza redeuntes, Aſtium ſe recipiunt 241
Montilium & Gabianum recuperant 245
Pecunias à Monferratenſibus exigunt 253.261
Morannm excindunt 254
Vignalo potiuntur 260
Caſtagnolum & Granam capiunt 261
Obſident Sandamianum 275
Trinum, Moncaluium, & loca trans Tanarum Mantuano reddunt 286
Aquam, Albam defluentem, auertunt 319
Oppidum Caſcinaſci diripiunt 428
Oroſum & Hiſpanos, ad auxilium Beſtagni accurrentes, inuadunt 429
A Beſtagni obſidione recedunt culpa Sergētis Maioris 433
Eorum equitatus cum Hiſpano conflictus 442
Pontem à Toletano factum irritè tentant 510
Capiunt Villam-nouam 510
Mottam deſtruunt 512
Eorum pugna cum Hiſpanis 513
Toletanum Liuornum regreſſum malè excipiunt 514
Seque item recipientem Lucedium 516
Eorum altera pugna cum Hiſpanis ad Lucedium 517
Occiſorum in ea pugna numerus 519
Sandamianum diripiunt 564
Calcauagnum improſperè aggrediuntur 577
Roccam Arazzi irritè tentant 579
Eorum cum Hiſpanis aliud certamen 583
Equitum Sabaudorum ſiniſter exitus 583

SANCIVS De Luna.

Sancius de luna cæteris Hiſpanis captis, aut fugatis, occiditur 554

SANDAMIANVM.

Sandamiani municipij conditio 275
Obſidetur à Sabaudiis ibid.
Sabaudij ab eius obſidione recedunt 288
Eius oppugnatio continuatur 525
Iterum à Sabaudiis obſidetur ac diripitur 556.564

SANDOVAL Arx.

Fortiſſimum munimentum ad incurſus hoſtiles Sabaudij in agrum Mediolanenſem retinendos 400

SANFRONTVS.

Comes Sanfrontus Iuream mittitur cum præſidio 515

SANGEORGIVS, Comes Aleramus.

Comitis Alerami Sangeorgij litteræ ad Ducem Mantuæ de Comite Guidone Sangeorgio 44
Albæ Gubernator cum 400. Sclopetariis ſibi à Sabaudio metuit 424
Petit auxilium ab Alphonſo Aualos Gubernatore Monferrati 425
Quingentos ſclopetarios in præſidium recipit 566
Alios quingentos ſclopetarios cum quingentis Alemannis recipit 567

Digitized by Google

SANGEORGIVS, Comes Ferdinandus.
Comes Ferdinandus Sangeorgius ad Comitem Aleramum fratrem Albam venit 425
SANGEORGIVS, Comes Guido.
Comitis Guidonis Sangeorgij fortuna narratur 34
Theodori eius patris conditio ibid.
Mittitur à Sabaudio ad Inoyoſam 38
Mediolano Taurinum redit 85
Nobilem quendam Monferratenſem litteris ad defectionem ſolicitat 113
Eius precibus Trinenſes quattuor tantum aureorum millia pendunt cum decem peteret Sabaudius 123
Mittitur à Sabaudio ad oppugnationem arcis Moncaluij 145
Eam cuniculo irritè tentat 146
Proponit obſeſſis honeſtas deditionis conditiones 154
Eóſque tandem ad arcis deditionem cogit 157
Eius nomine Manifeſtum quoddam typo vulgatur 179
Eius Epiſtola ad Principem virum in cauſa ſua miſſa 181
Mittit Oddonem Roërum, qui Nizenſibus ſpontaneam deditionem conſulat 213
Suos milites ad Nizæ obſidionem animat Eámque differre obſtat, non ſine inuidia 214
Eius ſententia de agendis poſt Nizæ obſidij ſolutionem 241
Condemnatur vt rebellis à Fiſco Mantuano 283
Eius bona confiſcantur 284
Pontem imponit Pado 507
Hiſpanorum exercitum carpit 512
Sabaudios cum Hiſpanis ad Lucedium pugnantes animat 517
Occurrit Oroſco, tenuiſſima municipia ad Langas capienti 521
Sandamianum oppugnare parat 522
Niciæ recuperat 523
Moneuecum mittit Gubernatorem Villa-noua, qui illud capit, at puluere bellico diſiicit ibid.
Conſulit obſideri Sandamianum 556
Capit Montilium 578
Variis oppidis Canaueſij donatur à Sabaudio 575
SANGEORGIVS, Marchio Vulpiani.
Marchio Vulpiani Sangeorgius Comitis Guidonis Sangeorgij ſobrinus mentito habitu fugit Mantuam 160. & 161
SANGERMANVM
Sangermanum permittitur Hiſpanis Gubernatoris perfidia 515
SANGRO.
Carolus Sangro cum nepote capitur cæteris Hiſpanis cæſis aut fugatis 554
SAVELLVS.
Sauellus Pontificius Nuncius difficultatum multitudine in cõponendo Sabaudio cum Mantuano agitatur 367
Moram negotiationis bello proximo interijcit 370
Ipſe & Rambogliettus Sabaudium Vercellis conueniunt 391
Eius & Ramboglietti nouus in pacem conatus 395
Eorundem nouus Aſtij congreſſus 396
SCRIPTVRA.
Scriptura Sangeorgij ad Principem virum 181
Scriptura vulgata in fauorem Mantuani 316
Scriptura Hiſpano oblata contra Venetos, Sabaudium & Mantuanum 353
Scriptura alia eidem oblata contra Sabaudium 355
Scriptura qua pluribus rationibus diſſuadetur Mantuano matrimonium cum Vidua 379
1. Reſponſio huic ſcripturæ 382
3. Scriptura in cubiculum Mantuani iniecta qua docebatur eum Rebellibus debere parcere 498
4. Scriptura Pr. Vincentij de protectione Galliæ ſibi delata 537
2. Scriptura qua Duces Mediolanenſes obligantur tueri iura Sabaudij in Monferratum 472
5. Vide Litteræ, Manifeſtum.
SENATVS Mediolanenſis.
Senatus Mediolanenſis decretum proſcriptionis Sabaudij cauſa Aſtij & Santiæ 398
Tale decretum vt inanem veritatis ſcripturam Sabaudij camera proſcribit 399
SERRAVELLA.
Comitis Serrauellæ mors 514
SILVA.
Franciſcus Silua capitur à Sabaudiis, & Taurini Moritur 453
SOLLARA.
Pandolfus Sollara trecentos milites offert, vt Sandamiano auxilium ferat 565
SPIETA.
Ioannes Andreas Spieta firmandorum mœnium apud Nizenſes curam habet 203
STROPPIANA.
Stroppiana oppidum inter Caſalenſes & Vercellenſes ſitum ducenti & quenquaginta Monferratenſes excindunt 184
T
TANAGLIA.
Georgius Tanaglia Moncaluiũ Legatus vt loco præſit 332
TERENTANA.
Marchio Terentana à Mirandulano Principe Legatur ad Viduam Mantuæ 29
THOMAS, Princeps Sabaudius.
Princeps Thomas Mediolanenſes incurſibus carpit 412
TOLETANVS.
Petrus Toletanus Marchio Villafrancha in Gubernatorem Mediolani electus 486
Ingredienti Monferratum obuiam procedit Orator Mantuanus 485
Toletani mores 488
Eius colloquia cum Mantuano eum inuiſente 490
Creditur ſuaſiſſe Mantuano nuptias Camillæ 491
Eius cum Mantuano & Sabaudio artes, cum tamen bellum omnino vellet 493
Mantuano perſuadet vt ſe hoſtem Sabaudio profiteatur 493
Reſpondet Bettunes querenti quod bellum meditaretur 424
Petit inducias vnius menſis à Bettunes diſſuadente Oratore Veneto 495
Petit à Sabaudio vt Oratores Gallos à ſe dimittat 500
Fidem petit ab Oratore Gallo Sabaudium, militem diuiſiſſe 500

Sabaudium apud Regem ſuum accuſat & bellum apparat 505
Nouis copiis exercitum ſuum auget 507
Padum & Seziam ponte iungit ibid.
Stropianum turmas ducit 513
Eius conſilia ſecreta ibid.
Liuornum regreſſus à Sabaudiis carpitur 514
Se Lucedium recipit & à Sabaudiis carpitur 516
1500 Germanos præſidiarios Mantuano concedit 523
Indignatur ſe inſcio pacem tractari 526
Sabaudio Monſerrati diuiſionem offert, ſed ſimulatè, vt pacem reſcindat 526
Eius reſponſio Ludouiſio & Bettunes de pace cum Sabaudio tractantibus 544.546
Copias ſuas Flizanum promouet 574
Præter Cazolum & Canellum cæteras reliquit Sabaudio demolitis arcibus 576
Exercitum Monſerrato inducit 579
Vercellas obſidet 580

TRINVM, TRINENSES.

Trinenſes ad defectionem ſolicitantur à Sabaudiis 100
Trini oppidi conditio 104
Trinenſes Rubeum admonent ſui periculi 107
Trini obſidio à Sabaudiis 109
Tormenta in qua loca directa 115
Trinenſes Bechſino deditionem ſuadent ibid.
Trinenſes Bechefino comminantur 118
Eorum oratio ad Sabaudium, vbi eos ad colloquium admiſit ibid.
Trinum capitur à Sabaudio 120
Quatuor tantùm aureorũ millia Sabaudio pendunt 124
Hoſpitaliter milites Sabaudij recipiunt ibid.
Reditus quoque maturos Sabaudio ſoluunt ibid.
Iuramento ſe Sabaudio illigant 125
Trinum redditur Mantuano 128

V.

VARENA.

Varena Regis Galliæ Orator 592

VENETI.

Soli Veneti Mantuano aſſiſtunt 84
Videntur Mantuani cauſam complecti 185
Offerunt pecuniam alendis 2500. peditibus 187
Eorum Orator Taurino diſcedit 188
Mantuanum ab Hiſpanis abſtrahere procurant 427
Venetorum varia ſententia de pace aut bello eligendo 503
Cupiunt controuerſiam amicè componi cum Auſtriacis 504

VERCELLÆ.

Vercellarum vrbs duobus millibus militum à Sabaudio munitur 521
Obſidetur à Toletano 580
Proditio Poteſtatis Vercellarũ agnoſcitur & punitur ibi.
Pacta deditionis Vercellenſis 587
Decem hominum millia ex Hiſpanis in ea obſidione cæſa 588

VERRVENSIS Comes.

Comes Verruenſis aduerſus Duces Mantuanos indignatur, & cauſa indignationis 101
Cur eum Ficus Monſerratenſis inter Rebelles annumerare voluerit 299
Comitis Verruenſis Manifeſtum 300

VESINVM.

Veſinum cum Camerano recipiuntur à Mantuanis 239

VIA.

Siluius Via fugatur à Sabaudiis cũ 500. pedit. 50. equit. 211

VICTOR AMEDEVS, Princeps Pedemontanus.

Mantuam venit, Sororem Viduam ſolaturus 14
Eius colloquium cum Mantuano & Aſculano, quod etiam in noctem ſequentem reiicitur 56
Venit Aſtum ad Parentem cum duobus millibus hominum 456
It obuiam Nemurſio Sabaudiam inuadenti 528
Eius Bellum contra Nemurſium 529
Supplicem ſibi reddit Nemurſium 530
Redit victor ad Patrem 532
Capit Maſſeranum 549
Improſperè Catinaram aggreditur 550
Capit Crauacorum 553

VILLA fauorita.

Huius noua vrbis fabricam promouere cupit Mantuanus 296.297
Huius vrbis ornandæ ſtudio idẽ Mantuanus afficitur 437

VINCENTIVS Princeps Mantuanus.

Conditiones pacis inter fratrem & Sabaudiũ præfert 42
Duci Mantuæ fratri indignatur, quod non conuenerit cum Sabaudio in negotio Viduæ & Neptis 80
Queritur per litteras cum Hiſpano de Sabaudio 93
Queritur etiam cum Imperatore, miſſo ad eum Carolo Gonzaga 94
Variis ſuorum conſiliis diſtrahitur 95
Proficiſcens ad Mantuanum diuertit mediolanum ad Inoyoſam 162
Queritur cum eo ob Sandanianum obceſſum 280
Non permittit Inoyoſam de rapinis inter Sabaudios & Monſerratenſes agnoſcere 336
Pulſis Nobilibus à famulatu Viduæ eiectis obuiam mittit Com. Montecuculum 375
Conſiliis Toletani aduerſatur 499
Fit Cardinalis ferè inuitus 535
Galerum ab Vrbe recipit per Burdighierum 536
Cur renuat in Vrbem proficiſci 537
Fit Protector Galliæ & ſecum Toletano excuſat ibid.
Cogitat de matrimonio cum Iſabella Principe ſancti Martini 539

VIOLARDVS.

Hieronymus Violardus cum Monſerratenſibus Canellum tentans occiſus 249.250

VISCONTVS.

Iſidorus Viſcõtus ſtat à Sabaudiis in Trini obſidione 109

VITOZZVS.

Aſcanius Vitozzus in Arce Moncaluij, cum oppugnaretur, tormentorum curam habebat 158

Z

ZOELLVS.

Zoellus Senator Taurinenſis improperat Inoyoſæ fractam fidem 362

ZVNICA.

Zunica, Orator Regis Hiſpani ad Imperatorem, procurat Mantuæ pupillam Mediolanum adduci 341

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible] Google